CANISII
[illegible]
[illegible]
[illegible] VI.

ANTIQVÆ LECTIONIS
Tomus VI & Vltimus.

IN QVO XLV. VETERVM MONVMENTA PLERAQVE NVNQVAM VISA,

Quorum Catalogum versa pagina indicat.

OMNIA

NVNC PRIMVM EX MANVSCRIPTIS CODICIBVS edita,

AB

HENRICO CANISIO

NOVIOMAGO IC. ET IN INCLYTA ACADEMIA INGOLSTADIENSI SS. CAnonum Professore ordinario & primario.

Cum Gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

INGOLSTADII

Ex officina typographica Ederiana, apud ANDREAM ANGERMARIVM.

ANNO M.DCIV.

INDEX VETERVM MONVMENTORVM, QVÆ IN HOC Sexto tomo continentur.

ADMODVM REVERENDO AC RELIGIOSISSIMO IN CHRISTO PATRI DOMINO, DOM. MARTINO, AMPLISSIMI Monasterij D. Petri Salisburgi Abbati dignissimo, &c.

HENRICVS CANISIVS NOVIOMAGVS, &c. Salutem & fælicitatem precatur.

SENECA magnus ille Philosophus recte & vere quodam loco mihi dixisse videtur: Vt confusis oculis prosunt virentia, & quibusdam coloribus infirma acies acquiescit, quorundã splendore perstringitur; sic mentes ægras, studia læta permulcent. *Hoc Reuerende admodũ in Christo Pater sapienter intelligis. Nam in illa Monasterij tui gubernatione, cui moderando es præpositus, omne illud tempus quod vacuũ tibi suppetit, in euoluendis ac perlustrandis veterũ monumentis vtiliter tribuis;* Lectio enim certa prodest *(inquit Seneca)* varia delectat, Qui quo destinauit peruenire vult, vnã

Lib. 3. de Ira, cap. 9.

Epistola 45.

ſequatur viam: non per multas vagetur, non ire iſtud eſt, ſed errare. *Et vero nulla vtilior occupatio eſſe poteſt viro religioſo, qui ſe rerum diuinarum contemplationi totum dicauit, quàm ſi veterum Patrum ſcripta ſtudioſè euoluat, & ad illorũ doctrinam, mores vitamq; componat. Lectio enim veterum monumentorum alit ingenium, & ſtudio fatigatum, non ſine tamen ſtudio reficit: Ex his quotidie aliquid aduerſus paupertatem, aliquid aduerſus mortem auxilij nobis comparamus, nec minus aduerſus cæteras peſtes. Quod ſi de omni genere veterũ ſcriptorum hoc vere dicere licet; maxime tamen de illis lucubrationibus, quæ in lucem & aſpectum hominum non prodierunt; ſed in Bibliothecis, velut mortuæ, delitescunt. Verè Seneca:* Quorundam ſcripta clarum habent tantum nomen, cætera exanguia ſunt. Inſtituunt, diſputãt, cauillantur. Non faciunt animum, quia non habent; (*noſtri tẽporis nouatores intelligo*) At veterum ſcripta plena eruditionis, pietatis, ac prudẽtiæ ſingularis ſunt. *Quorum lectio, ad propoſitũ beatæ vitæ trahenda, non vt verba priſca, aut ficta captemus, & translationes improbas figuraſq; dicendi, ſed vt profutura præcepta, & magnificas vo-*

Epiſt. 4. ep.

cas vo-

eas voces, & animosas, quæ mox in rem transferantur. Sic ista discamus, vt quæ fuerunt verba, sint opera, ait Seneca Epist. 109. Et D. August: Plenitudo est & beatitudo perfecta, vt citò quisq; intelligat & bene viuat. Sed si fortè vtrumq; non potest: melius est bene viuere, quã citò intelligere. Qui enim bene viuit, meretur amplius intelligere: qui male viuit, &, quod intelligit, perdit. Hoc vere experiuntur illi, qui mundo relicto, Deo se in religione consecrarunt. Quorum studium est, non admittere in animo mala consilia, puras ad cœlũ manus tollere, nullum petere bonum, nisi æternum & immortale. Hoc enim præcipuũ in rebus humanis est; erigere animum supra minas & promissa fortunæ. Quoties enim à diuinorum contemplatione, ad humana se homo conuertit, nõ aliter caligabit, quam quorũ oculi in densam vmbram ex claro Sole rediere. Hoc maxime ex illis monumentis, tomo VI. cõprehensis licebit videre. Quem ideo R.ae P. V.rae inscribere placuit, quod certo cognouerim, te non solum venerandæ antiquitatis esse amãtissimum, sed etiam exploratorem acutum ac censorem diligentissimũ: hoc vel solo ar-

gumento, quod historiam S. Ottonis, Pomeranorum Apostoli, & Archiepiscoporum Salisburgensium, tomo eodem à me comprehensam & in lucem editam, accurate, diligenter, studiose contuleris, cum veteribus codicibus tua ornatissima Bibliotheca, & quæ in ea desiderari videbantur, mihi amanter communicaueris. Pro quo munere, magnas R^{dæ} P.V. ago habeoq́ gratias: Deumq́ Opt. Max. supplex precor, vt R^{dam} P. V. cum suo sacro religiosorum hominum Conuentu, diu incolumem conseruare dignetur. Vale Reuerende in Christo Pater, & fœliciter viue, & hunc Sextum tomum Antiquæ lectionis, tibi dicatum, benigno animo, pro tua singulari in omnes eruditos clementia ac facilitate, suscipe; & patiare, vt locum aliquem inter mutos tuos consiliarios etiam habeat. Ingolstadij 23. die Augusti M.DCIV.

EPI-

EPIGRAMMA

AD REVERENDVM PATREM MARTINVM, SALISBVRGI AD SANCTVM PETRVM PRÆSVLEM RELIGIOSISSIMUM.

SI qua PROMETHEÆ prostant monimenta senectę,
Si qua patent ferâ scruta refossa manu,
Si quis adhuc BACVLVS, veterumq; CVCVRBITA restat,
Aut siquid SENY denique nomen habet,
Quæritur, & LIBYCIS hodie contenditur aruis,
Atque CORINTHIACAS eminet inter opes;
Non ita PHRYXEI captatur LANA Draconis,
Non ita GRYPHEIS præda reperta iugis.
Tanta profanatas sequitur si gloria TRICAS,
Et prodest APINIS vana senecta suis,
Quin igitur priscos, meliusque requirimus annos,
Et sacra maiorum nos monimenta damus?
Tu MARTINE iubes, veterum PATER æmule PATRVM,
Sæpe iubes, inquam, quærere, sæpe iuuas.
Nam veneranda tibi studium est GENTILE vetustas,
Visque tuis similes MORIBVS esse LIBROS.
Sic tu de PRISCIS, sic de te PRISCA merentur;
Nam dum Prisca LEGIS FACTA, LEGENDA FACIS.

AD

AD LECTOREM.

ANTEQVAM, amice Lector, ad huius Sexti tomi antiqua monumenta euoluenda accedas, trium te scientem esse volo. Primum est, Humbertum iam olim, vt ferunt, Coloniæ excusum; me tamen eius editionis nullum exemplar vidisse; nec quamuis diligenter quæsitum, reperire potuisse. Eaque de causa solo Bauarico manuscripto codice contentum esse debuisse; qui cum passim vitiose exaratus sit, mirari non debes, si Humbertus emaculatior non prodit. Alterum est, Hortulum Walafridi poëmatis subiectum non esse Walafridi Strabi; sed Strabi Fuldensis: Ac proinde inscriptionem Hortuli reformandam esse, ne alienus partus supponatur parenti non suo. Tertium est, nobilem & & amplissimum Dominum MARCVM VELSERVM, Reipublicæ Augustanæ Duumvirum, de Walafridi carminibus hæc huc perscripsisse: *An versus à pag. 657. inscripti Michaëli Archangelo, & qui sequuntur vsque ad finem pag. 670. Strabo tribuendi sint, subdubito: nam lemma paginæ 667.* HIC FORTVNATVS XII. APOSTOLOS PRO PECCATIS SVIS ORAT, *præcedentes de Apostolis Fortunato omnino asserere videtur, cum statim sequatur: Iam iam bissena digessi nomina Patrum: neque opinor non eiusdem auctoris esse sequentes. Strabi finem in excisis pagellis, quarum pag. 657. ad oram mentio fit, latere suspicor.* Hæc ille; quorum ne nescius esses, hic te monendum duximus. VALE.

Approbatio facultatis Theologicæ.

SEXTVM hoc Antiquarum volumen, bono rei Christianæ, reique litterariæ affectum & confectum: Dignum auctore clarissimo; dignum eruditissimo lectore; lucem accipere & dare iustum recensui.

Iacobus Keller, Societatis IESV, Casuum conscientiæ in Academia Ingolstadiensi Professor, & Collegij Theologici pro tempore Decanus.

BAR-

BARLAAMI
DE

SEMINARIA EPISCOPI GYRACENSIS,

Epistolæ

Ad Græcos,

DE VNIONE CVM ROMANA ECCLESIA ET PROCESSIONE SANCTI SPIRITVS.

Nunc primum in lucem editæ.

Ex codice Manuscripto Bibliothecæ Bauaricæ Serenissimi Principis, &c. MAXIMILIANI.

De Barlaamo harum Epistolarum Auctore.

DIV quæsiuimus, quisnam Barlaam iste fuerit, quando vixerit, & cuius ciuitatis Episcopatum administrarit, licet. e. & in Codice Bauarico nominetur Episcopus Gyracensis, *à qua tamen vrbe appellatio hæc desumpta esset, nobis minimè liquebat. Confugimus tandem more nostro, ad clarissimum dignitate iuxta ac eruditione* MARCVM *VELSERVM II. Virum Augustanum; ad quem ex Italia hæc perscripta sunt, & quidem petita ex elogiis Octauiani Pascha Genuensis, Episcopi Hieracensis, duos fuisse Hieracis Episcopos, Barlaami nomine insignitos: Alterum Anno Christi* 1303 *tenuisseque sedem illam annos nouem sub Bonifacio octauo, Benedicto vndecimo & Clemente Quinto. Secundum Anno Christi* 1342. *creatum à Clemente Sexto, rexisse Ecclesiam illam annos octo, patria Neapolitanum ex Peloponeso. Additur & hoc; prioris Barlaami patriam ab Octauiano non annotari, quod fortè reperiri non potuerit. Vter Auctor harum Epistolarum, & Ethices, quam Epistolis subiungimus? Equidem non dubito, priori illi has lucubrationes tanquam parenti adscribendas esse; vel ea de caussa, quod singulæ Epistolæ scriptæ sunt ad amicos in Græcia, & Peloponeso: quorum salutem & cum Romana Ecclesia concordiam toto pectore expetebat.*

Sed si Barlaamus ex Peloponeso est, *inquit Velserus,* vnde cognomen Seminariæ adhæsit? An suspicabimur de Seminaria dictum, quod mansio ante Episcopatum Seminaria aliquandiu fuerit? neque enim id absurdum videatur. *Forsan & hoc dici posset, natum esse in Peloponeso parentibus ex Italia oriundis, quibus à* Seminaria *cognomentum*

fuerit

fuerit. Notum enim est integras Italorum familias non raro sedem suam in Græciam transtulisse; cuius multæ vrbes imo & Prouinciæ Italorum imperio parebant. Cæterum Cod. Bauaricus nominat Episcopum Gyracensem. *Corrige,* Hieracensem. *De tempore, quo floruit, ipse satis certus index est in prima Epistola. Omnia in priorem Barlaamum vtcunque conueniunt. Mortuus est enim Basilius Macedo Anno Domini* 886. *inde vsque ad annum* 1342. *paulò plures sunt, quàm quadringenti anni. Sed quid mirum; si Barlaamus Chronologiam acu non tetigerit. Et quamuis quispiam Epistolas has ad primum Barlaamum referre nollet, tamen tempora ad amußim non concordabunt. Nam ab obitu Basilii vsque ad annum Domini* 1303. *plures etiam sunt quam quadringenti Anni.*

Porro quod ad ipsas Epistolas attinet, pereruditæ prorsus sunt, digneque lectu, & de Romani Pontificis potestate & auctoritate, deque Azymis & processione Sancti Spiritus egregiè disserunt. Si minus cultè, quid tum? Ignoscendum est homini Græcæ fortaßis quàm Latinæ linguæ peritiori: Potest Barlaamus noster in Peloponeso natus vti defensione S. Irenæi, qui hæc pro se in præfatione sui operis. Non artem requires à nobis, qui apud Celtas commoramur, & in barbarum sermonem plerunque auocamur, orationis artem, quam non didicimus, neque vim conscriptoris, quam non affectauimus, neque ornamentum verborum, neque suadelam, quam nescimus; sed simpliciter, & verè & idioticè ea, quæ tibi cum dilectione scripta sunt, cum dilectione percipies, & ipse augeas ea penes te, vt magis idoneus quàm nos, quasi semen & initia accipiens à nobis: & in latitudine sensus tui, in multũ fructificabis ea, quæ in paucis à nobis dicta sunt, & potenter asseres iis, qui tecum sunt ea, quæ inualidè à nobis relata sunt. *Hæc S. Irenæus pro se & Barlaamo.*

EPISTOLÆ DOMINI *BARLAAMI EPISCOPI GYRACENSIS.*

DE

VNIONE ROMANÆ ECCLESIÆ, ET PROCESSIONE SPIRITVS SANCTI.

Epistola prima D. BARLAAMI Episcopi ad amicos suos in GRÆCIA constitutos de vnione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ.

QVIA, ô amici & fratres, nihil est propter quod magis nos communiter contristari oportet, quàm propter hanc diuisionem Ecclesiæ, & pro quo magis DEVM deprecari, quàm vt ipsi finem imponens, fines orbis sibi coniungat: sermone ad hæc persuadenda minimè mihi indigere videtur. Nullum enim eorum qui mentem habent, æstimo, non ita de his sapere. Quoniam verò, & à Deo huius mali solutionem postu-

postulare oportet; & ea, quæ ex nobis sunt conferre; Lex enim hæc est diuinæ prouidentiæ, nullum eorum bonorum, quæ in nobis sunt, perfici posse, nisi concurrat simul cum diuino beneplacito, etiam nostræ electiuæ voluntatis assensus: necessarium est omnes quidem mentis indagatione, huius schismatis causas, & prima principia inquirere; & vtrum solius communis inimici malitiæ, hoc est, malum, an etiam ambæ diuisæ partes culpandæ sunt, an altera tantùm in causa est: singulum verò credentem, se huius mali causam inuenisse, non pigere suam partem ad curationem conferre, dictando, disputando, consulendo, impellendo, & pro vt vnusquisque adeptus est, ordinem vel facultatem. Si enim & communiter pro hoc Deum orabimus, & singulariter quilibet, quod ex se est, conferre studebit: spes non parua erit, horum malorum liberationis.

Ego itaque quemadmodum facta hæc examinando, quam schismatis causam inueni, & ad quam perueni conclusionem: communicare vobis amicabili modo, quoniam cuilibet ad verba venire nequeo, nulla pigritia recusabo. Deprecans vnumquemque vestrum, vt propter commune bonum, & communiter expediens; non pigeat eum, si potest, idipsum facere. Et mihi sic volenti spiritualis gratiæ, vtilitatis, rem communicare.

Itaque si schismate mox inchoato, quæ ex tunc subsequuta sunt accidentia vtrique parti; quæcunque diuini beneplaciti, & quæcumque permissionis Dei, & indignationis manifestissimæ esse videntur, consimilia viderem, vel parùm dissonantia: certè aut ambas partes differentiæ huius caussarem æqualiter, aut neutram. Nunc autem cùm maxima sit accidentium differentia; cogor vnam partem innocentem dimittens, ad alteram tantùm, totam culpam transferre.

Duabus enim existentibus partibus: vna quæ sub Ecclesia Romana constituta est: altera verò, quæ ab illa diuisa est: quattuor maxima signa Dei beneplaciti, in illis possunt videri, penè voce magna clamantia, illi Ecclesiæ Devm acquiescere: opposita verò illis, æqualia numero diuinæ permissionis & indignationis, & quasi vltionis euidentissima signa existentia, in reliqua parte videntur.

Et vt à minimo quattuor exordiar. Primùm vniuersa illa gens legibus, quibus etiam tenuissima accidentium hominum communitati distincta sunt, regitur & administratur. Nihil indeterminatum apud eos est. Nihil inordinatùm; sed qualiter oportet se gerere, & dominantes inter se, & cum suo principio, & cum his, qui tantummodò

subditi sunt, atq; commune principium cum omnibus inferioribus, in quolibet accidentium; & ipsos subditos inter se, & cum maioribus; & quid à quolibet, exigendum est, quomodo delicta punienda sunt, & benefacta prœmianda, & quis horum examinationis modus. Hæc omnia & quæcumque alia, hominum inter se societatem & communitatem in pace maximè conseruare valent, legibus apud singulos membratim instituta & custodita sunt. Ex qua legum æquitate, etiam secundum DEVM velle viuere, & Euangelica seruare mandata, facilius à pluribus fit.

Hic autem totum contrarium. Et ne singula dicam. Lex est in singulis, potentiorum licentia & voluntas. Vt enim quilibet dominantium, ad prudentiam se habet & bonitatem: ita & facta subditorum contingunt. Ex quo, quot aduersa subsequuntur, non tantùm Rempublicam subuertentia, & ciuilem vitam lædentia, verum etiam Euangelicam, quid opus est apud scientes recitare? Vnum quidem hoc tale est.

Secundum verò, quod & maius, quòd in illis quidem Euangelica doctrina, vbique viget, currit, & multiplicatur, & omnibus diuinis sermo prædicatur: non solum, quòd quàm plurimi omnia secunda reputant, erga sacram scripturam studii, & meditationis & disciplinæ; sed quod & vbique multitudinibus per ciuitates, villas, oppida & castella, & in sacris templis, & vbicumque inueniuntur simul multi aggregati, & præsertim festiuis diebus, qui sciunt diuina eloquia, prædicant congruenter, audientium habitui & loquelę, aperientes eis per totum annum & historiale, & narratiuum, & sententiale & morale diuinæ scripturæ veteris pariter & nouæ. Et quis erat ante incarnationem Domini, hominum status, quæ verò huius sacramenta, & quid boni ex ea nobis effectum est? Quæ præcepta & quæ consilia: & cum his sanctorum vitas in natalitiis, & si quod alterum ad pietatem & virtutem spectat, & ad nostram salutem: ita quod illorum illiterati, mares simul & fœminæ, nihil minùs ab his, qui in litteris student, habent: certè in his, quæ in promptu sunt, & ad salutem necessaria, nostræ religionis & fidei; sed verbo studiosi: in superfluis, non in necessariis à reliquis differunt. Ex quo contingit vt gens illa moribus, vt plurimum, sit simplex & aperta, veritatis amica, fraudis inimica, constans, in suis iudiciis stabilis, in conuentis inter se fidelis, non vertibilis & facilè mutabilis, ad periurium tardissima, & fide, quæ in Christum est firmissima & feruentissima. Et pro hac etiam ipsam vitam, si

hoc

hoc opus fuerit, prodere paratissima. Hic autem quid? studiosi quidem discendi nimis pauci sunt. Horum adhuc pauciores, qui sacram scripturam pluris faciunt, plurimis paganorum scientiis, libentius operam dantibus. Turba verò illiterata, omnis in communi propositæ salutaris sermonis doctrinæ, inexpers remanet. Quare pro vno qui sciat substantialiora secundum nos pietatis: multa millia reperiri possunt, eorum, qui penitus ignorant Christianismi virtutem. Ex quo contingit contrario more illis hanc gentem affectam esse.

Tertium autem post hæc, nihilo minus prædictis, illud considero, quòd cum diuina prouidentia, nihil eorum, quæ secundum beneplacitum illius in vniuerso efficiuntur, inordinatum dimittat, omnisque multitudo ordine per se careat, nisi reducatur ad vnum principium. Pluralitas enim principiorum & carentia principii, similis sunt inordinationis. Huius quidem gentis, vniuersa multitudo sub vno est ordinata principio, Ecclesia videlicet Romana & eius præsule, quem omnes honorant & metuunt: non tanquam armis & vi dominantem, nec tanquam humana lege vel generis successione, vel multitudinis rumore dominium sumentem; sed tanquam ab ipso domino Christo ordinatum, & in terris vices gerere ab eo constitutum. Itaque illius mandata, cum omni reuerentia, omnes non tanquam Apostolica tantùm, verum etiam dominica scripta recipiunt & adorant: & nihil ita durum ab eo iubetur, vt non quietè parati sint ad implendum, & omnes ab illo corrigi sua, & retractari suscipiunt, omniumque sacerdotium ab eo dependet. Et ipse cum circa se synodo, cum grandi auctoritate & potestate, nullo prohibituro existente, corrigit omnia, retractat, confirmat, irritat, statuit, inhibet: mittit ad vniuersas partes Doctores, visitaturos singulas prouincias, & eos qui in eis animabus præsunt, & examinaturos, quis modus illorum doctrinæ, quo modo sacra tractant mysteria; quomodo se gerunt cum grege domini; quomodo secundum se viuunt: vt horum relatione facta, & quod deficit, ab illa Sede suppleatur, & quod peccatur, corrigatur. Et horum quodlibet facillimè fit. Nemo enim est, qui non putet Ecclesiæ illi aduersari, periculum inferre animæ saluti. Ita quidem facta illorum ordinata sunt.

In altera verò parte, non singularitas principij; sed pluralitas principiorum, & carentia principij honorata est. Quinq; i.e. existentibus patriarchis; BVLGARENSI connumerato, & adhuc TRIBALLENSI Archiepiscopo; sub quib. penè omnes huius partis sunt: nullus

 horum

horum sex, vel de iure, vel de facto talis est, vt reliqui quinque, ipsum, vt suum caput habere velint, & ab ipso & eius synodo corrigi, & retractari patiantur: & ad omnia eius iussa ita obedientes sint, vt tanquam diuinas voces, illius recipiant mandata: & periculum salutis credant, illum resistendo offendere. Et quid dico de aliis? sed neque quicunque, sub quolibet sunt horum sex, ita deuotè se habent ad suum caput, vt metu non corporalis damni; sed animæ perditionis illius mandata velint implere.

Pontificatus verò cuiuslibet, quomodo BVLGARENSIS, dependet à principe illius gentis. Et TRIBALLENSIS similiter à suo principe. ANTIOCHENI verò patriarchæ, ARMENIORVM Rex dominatur. HIEROSOLYMITANI autem & ALEXANDRINI, ÆGYPTIORVM impiissimus princeps. Nullus enim horum pontificatum recipit, non probante & decernente & consentiente suo sæculari principe. Magis autem, vt plurimum, & omnibus, ad quæ spectat electio, voluntate renuentibus, & cum principe discordantibus: necessarium est finaliter, eum, quem vult princeps, pontificem effici.

Itaque, cùm sit impossibile, longi temporis progressu, praua consuetudine paulatim multa protrahente, non multa contingere, quæ desiderent generalem correctionem; generalitérque aliquid corrigi sine generali concilio difficillimum sit: hæc quidem pars posse communem aggregare synodum, principalioribus eius partibus, ad vnum conuenientibus, penitus amisit: cùm non sit videlicet in ea caput tale, quod posset necessitate alios compellere, conuenire. Latinis verò neq; hoc difficile est. De Tertio quidem hæc dicta sint.

Venio autem ad Quartum, quod & stupesio considerans. Cùm enim Dominus noster IESVS Christus prædixisset afflictionem habituros suos fideles, & odium ab omnibus & persequutionem passuros: Christianorum genus ex tunc, vsque ad imperium CONSTANTINI Magni, affligebatur quidem vt plurimum, & odio habebatur, & persequutionē patiebatur. Sed quod erat maximum miraculum: ipsi qui odio & persequutionibus affligebâtur, de ipsis affligentibus & persequentibus & odientibus multiplicabantur: ipsis affligentibus continuè sese ad afflictos conuertentibus. Nam etsi aliqui, metu tormentorum recedebant à fide; sed tamen è conuerso multò plures ad fidem omnibus sententiis conuertebantur.

Præsentia verò quomodo? quam miserabilissimè. Vt enim antiquiora omittam, ex quo factæ vnioni sub primo Palæologorum, acquiescere

quieſcere huius partis noluerunt: innumerabiles ex ea multitudines ad deteſtabiliſſimam Machometicam ſectam conuerſæ ſunt: non ſolum his qui teneræ ætatis erant, neceſſitate ad captiuantium & ementium ſuperſtitionem conuerſis: verum etiam perfectioris ætatis per animi mollitiem fidem aſpernatis. Quamuis ſi affligeretur hæc gens & non minueretur, vel ſi minueretur; ſed per mortem, & non ad impietatem ſe conuertendo: poſſet vtique hoc paternæ caſtigationis eſſe putari. Tot verò multitudines permitti, ita ſubito ad captiuantium impietatem mutari: hoc non paternæ diſciplinæ; ſed omnimodæ deſertionis manifeſtiſſimum ſignum eſt.

Facta verò Latinorum è contrariò ex tunc non modicum creuerunt: non ſolùm quòd ARMENII relictis paternis erroribus illis ſe addiderunt, & alii Orientalium gentium, qui per horum prædicationem ſimiliter his ſemper conſentiunt: ſed & copioſiſſimæ in Occidente ciuitates MACHOMETICÆ ſectæ, per Regem HISPANIÆ captæ ſunt: ex quibus non paruæ multitudines, fide in Chriſtum ſuſcepta, Latinis additæ ſunt. Et Græcorum adhuc non pauca millia ad illos adducta, illorum fidem ſponte receperunt: vt etiam & hi, qui ad PERSAS conuerſi ſunt.

Hæc igitur ego in me ipſo vertens animo, minimè credere valeo, hos ab illis, rationabili aliqua cauſa diuiſos eſſe; tanquam illis in aliqua hæreſi & mala fide exiſtentibus. Si enim pars illa Chriſtianorum, quæ concorditer ad conſtitutum Dei decreto ab initio totius Eccleſiæ principium ordinata eſt, quæ legibus regitur & Euangelico ſermone, & multitudine ſemper creſcit, hæc quidem eſt in hæreſi: Quæ verò pars ab hac iuſtè diuiſa eſt, per omnia ſana eſt: hæc neque legibus viuit, neque ad vnum ordinata eſt principium, & ſemper ſecundum multitudines, ad alieniſſimam Dei gentem conuertitur; & in ipſa prorſus, quantum ad illiteratos, Euangelicus extinctus eſt ſermo: deſeruit ergo DEVS omnimodè Chriſtianiſmum. ſed nullo pacto hoc fieri poteſt. Verax enim eſt promiſſio dicentis, *nobiſcum fore vſque ad conſumationem ſæculi: & portas inferni minimè prævalituras aduerſus Eccleſiam eſſe*: *ET* PETRI *fidem nunquam deficere*: quod etiam de omnibus PETRI ſucceſſoribus in conſequentibus temporibus, intelligi dignum eſt dominica oratione. Siquidem oportet credere magnum aliquid eſſe, quod ex ea effectum eſt.

Ex his igitur & huiuſmodi rationibus, non poſſum æſtimare, quòd Latinis in hæreſi non exiſtentibus; rationabiliter hi illorum de-

uitant communionem. Si enim hoc esset, iusta itaque diuina prouidentia existente; oportet prædicta quattuor, vel principaliora eorum è conuerso contingere. Et cum caput totius Ecclesiæ ab initio constitutum cecidisset; oporteret vtique dominum, alterum caput suscitare sanæ parti Ecclesiæ: ne sine capite & inusitatũ, & deordinatum & deforme magnum & mysticum corpus Christi remaneret: sed venio ad specialiora.

Hæc gens, propter duo, vt ita dicatur, Latinos accusans, æstimat oportere ab eis se diuidi. Vnum & principalius, quod aiunt, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere. Secundum, quod per azymos panes sacratissimam celebrant hostiam.

Hinc colligere licet, quo tempore vixerit Barlaam.
** Photio.*
** Missam.*

Ego autem tempora examinans, video quòd schisma quidem nondum quadringentorum est annorum. Sub BASILIO enim MACEDONE, & FOTINO * Patriarcha, vt aiunt, incepit; â quibus nondum prædictorum annorum numerus est completus. Ecclesia verò ROMANA ante inchoatum schisma, pluribus quàm septingentis annis per azyma conficiebat sanctissimam.* *Teletam.* ALEXANDER enim Romanus Pontifex, qui sub ADRIANO glorioso Martyrio vitam finiuit, hostiam de azymo Ecclesiæ ROMANÆ statuit. Post quem non paucos ROMANOS Pontifices, DEVS virtute & martyrio, & miraculis glorificauit: vt etiam vtræque partes in sanctis eos connumerarent. Similiter Spiritum sanctum ex Patre Filioque, tanquam ex vno principio procedere, videtur Ecclesia Romana tenere, ante inchoatum schisma, pluribus quàm quadringentis annis. Beati enim illi viri, diuinus AVGVSTINVS, AMBROSIVS MEDIOLANENSIS, & HIERONYMVS, qui claruerunt circa tempora THEODOSII Magni; ex quo prætererunt vsque nunc plures quàm octingenti anni; quos Latinorum Ecclesia doctores & regulas, pietatis duces habuit. Hi diuinam aperientes scripturam, multis locis suorum operum manifeste notant, quòd Spiritus sanctus ex Patre, Filioque, tanquam ex vno principio procedit.

At verò Romanus Pontifex Beatus GREGORIVS, qui dicitur fuisse sub IVSTINIANO, ante schisma, pluribus quàm trecentis annis, superiores suos & ipse sequens, eandem de Spiritu sancto tradit sententiam. Quare si rationabile esset, propter has causas â Latinis diuidi: oporteret vtique ab initio hoc facere; & neque sanctos hoc sapientes & azyma immolantes putare, neque communia concilia cum eis pati facere. Nunc autem post vnà cum eis celebrata septem concilia

gene-

generalia, & multos azyma sacrificantes, & prædictam de Spiritu sancto sententiam in suis scriptis manifestè prædicantes, sanctos & ab ipsis Græcis reputatos, propter eadem ipsa, post multos annos, velle ab eis diuidi, quomodo non caret omni ratione? quamquam de Spiritu sancto, si soli illius linguę patres hoc traderent, nolle credere, nondum tantum esset malum.

Nunc autem & Græcæ linguæ patribus, idipsum prædicantibus: scilicet Magno BASILIO in Antireticis, sancto ATHANASIO, multis locis; sancto CIRILLO, sancto GREGORIO* NICENO; quomodo non absurdum est, eos, qui eadem nunc illis sapiunt hæreticos reputare? Ego quippe non habens huius rei demonstrationem, tanquam existentis super demonstrationem; & videns tantum exercitum Patrum hoc sapientium, atq; decreto DEI matrem Ecclesiarum id ipsum determinantem; non tutum esse cognosco aliter sapere. Quamquam si contrarii demonstratio haberetur, & res huius esset perceptiua: neque sic oporteret piam considerationem, tantorum patrum, ac Sedis Beati PETRI sententiæ humanam demonstrationem anteponere. Multa enim demonstrationibus * dissonantium nostra docet religio.

* ἀντιῤῥητικοῖς.

*. Nysseno.

* fort dissonantiam.

At verò & de Azymis cum manifestum sit, quòd in sacra scriptura panis nominetur, siue fermentatus sit, siue azymus, & quod serò illius sacræ cœnæ, prima, vt aiunt tres Euangelistæ, azymorum erat: in qua non tantùm comedi panem fermentatum â quoquam Iudæo, non licebat, sed neque omnino in domo Iudæi inueniri. Et quod duo discipuli missi sunt ad præparandum in cænaculo, legale & assuetum pascha, & quòd, vt aiunt Euangeliorum expositores, omnibus, quæ secundum legem erant, consummatis: Saluator pane accepto, cælestia tradidit sacramenta: qui panis intelligitur esse ex illo, qui tunc propter legale pascha præparatus erat in mensa, & diuino CHRYSOSTOMO dicente, in octogesima homilia super MATTHÆUM; nihil contrarium legi serò illo saluatorem fecisse. Et quòd si esset panis ille fermentatus, manifestè vtiq; hoc contrarium esset legi. Ex his omnibus indubitanter concludi video, per panem azymum, sua tradidisse dominum mysteria.

Quoniam rursus Apostoli, eadem nobis tradentes mysteria, non distinxerunt, siue fermentatum, siue azymum; Sed orientalis Ecclesia, continuò incepit *fermentatum*. Occidentalis verò azymum; eò quòd gerit imaginem puritatis & sinceritatis & veritatis. Vtraque

ego quidem similiter adoro & colo. Latinos verò, in tantum prudentiores æstimo, quòd illi quidem minimè hostiam de fermentato vituperant; sed similiter venerantur. Horum autem multi non timent in sancta blasphemantes.

Adhuc autem multi dicunt se scandalizari, quia multa contra Apostolorum canones & septem generalium Conciliorum, vident in Latinorum Ecclesia fieri. Me autem neque hoc scandalizare valet. Quare? qui primum quidem discurrens & ipse eosdem canones, & ad præsentia respiciens, multa inuenio, & in hac gente contrario modo, quàm vt canones iubent facta: & plura & maiora, quàm illa quæ aiunt Latinos transgredi: vt non sint secundum hoc ipsi meliores illis.

Deinde & hoc considero, quòd omnium quæ in canonibus comprehenduntur, aliis existentibus dogmaticis, & de quibus oportet credere: aliis verò in actione, quæ agendum, & non distinguunt: & horum rursus aliis dependentibus â Dominico & Euangelico mandato; aliis verò non: quæ singula à studiosis notata sunt. Canonum verò de fide, & quorum est dominicum mandatum, nullum vnquam Ecclesia Romana mutauit, neq; potest hoc ostendi. Quos verò mutauit vel reuocauit: hi sunt illorum canonum, qui neq; de fide sunt, neq; à dominico pendent mandato. Hoc autem nullum est inconueniens. Quæ enim ita se habent, etiã si sint per generale Concilium determinata; sed rebus consequentibus temporibus cadentibus & humanis dispositionibus mutatis; potest Ecclesia ipsa, gratia melioris mutare. Vt multa talia reperiuntur, etiam in ipsis Conciliis posterioribus multa priorum Conciliorum decreta, cum eodem spiritu, vel omninò irritantibus, vel omnino ad melius conuertentibus.

Sed quia illa, quæ huiusmodi sunt, propter velocem humanarum rerum mutationem frequentius contingunt: in quolibet verò non est possibile, vel non est facile generale aggregare Concilium: Sed neq; est quodlibet tantæ difficultatis, vt generali deliberatione indigeat: non oportet turbari, si mater Ecclesiarum, cum sola circa se synodo, quæ huiusmodi sunt, suis temporibus Apostolica auctoritate corrigit & mutat vel irritat. Non enim eò quod sit maioris auctoritatis, & magis possit generale Concilium, quàm Apostolica sedes, generalia aggregantur Concilia; sed quia incidentes Quæstiones difficiliores sint, & maiore indigeant discussione.

Ex his igitur omnibus, nouissima mea conclusio est illa; Quod Eccle-

Ecclesia Romana est summè Orthodoxa, & nullam vnquam causam alicui dedit, vt rationabiliter ab ea diuidatur. Et quòd qui ei sunt vniti & obedientes, & mandata Dei custodiunt, in statu salutis sine dubio sunt. Itaque & quicunque spretis his, quibus placet in schismate perseuerare, ad ipsam toto animo accedunt: hoc salubriter de se, & deliberare, & agere puto.

Eiusdem Domini BARLAAMI *Episcopi ad eosdem amicos suos Græcos, & de primatu Ecclesiæ Romanæ, & de processione Spiritus sancti.*

II.

QVOD in primo ad vos misso sermone, ô amici & fratres, sine aliqua probatione tanquam manifestum sumptum est: Ecclesiam videlicet Romanam principali Dei voluntate, matrem esse catholicæ Ecclesiæ: proprio sermone nunc tentabo vobis demonstrare. Deprecans vos, vt sicubi me videritis cogitationibus deceptum; non pigeat vos, verbo vel scripto, errantem ad rectam reuocare viam.

Incipiam igitur inde. Deus nullam multitudinem in entibus, dimittit inexpertem virtutis vnius: per quod infinitum multitudinis & indeterminatum, termino & ordine formari valeat; sed semper multis superstatuit vnum commune principium, non solùm longinquum & alterius generis, & multa alia non eiusdem generis comprehendens; sed etiam propinquũ & cum multis eiusdem generis. Et hoc si quis incipiendo à Deo, qui est commune omnium principium, voluerit mente transire; per supercœlestes, & cœlestes & inferiores naturas: & cum his videre veteris testamenti facta, & quæcumque alia prouidentiæ acceptantis sunt in vniuerso opera: indubitabiliter ita se habere in omnibus inueniet. Et conuenienter. Vt enim ait Theologus in primo de filio Sermone: pluralitas principiorum, & carentia principii, initia sunt inordinationis. Ex hac autem oritur solutio. Solutio verò omnino est Dei alienum. Quãpropter & factus propter nos homo, & duodecim eligens viros; quos sapientia decorans, missurus erat ad nostri generis reconciliationem: his principem & caput superstituit PETRVM, primum aliorum eum constitués: per ea, quamuis cõmuniter omnibus data; singulariter ipsi & manifestius tradita. Ligandi enim & absoluendi potestatem, atque pastorale ministerium; quæ & ante resurrectionem & post, per communia & alia verba omni-

omnibus dederat, specialiter & expressius PETRO dat, ipsi dare pollicens claues regni cœlorum, & super eum Ecclesiam suam firmissimè ædificare, & eius fidem nunquam deficere, & suos ipsum fratres confirmare,& adhuc pascere totam Ecclesiam ter ei præcipiens. Quia enim per hæc,caput ipsum aliorum Apostolorum constituebat dominus,& hoc intendebat;multa huius argumenta esse possunt.

Primum enim: si nihil differentius ab aliis,per ea PETRVS accipiebat;non facilè inuenietur alia caussa, ob quam, nihil frustra faciens Sapientia,hæc singulariter Petro loquebatur. Deinde & Euangelistæ & in Euangeliis & in actis, vbicumque commemorant PETRVM cum aliis,vel omnibus,vel aliquibus: semper & vbique ipsum aliis prærordinant. Quod non vtique obseruanter facerent, nisi scirent eum primum aliorum â Domino constitutum. Inuenio etiam Apostolos,illi,vt suo primati semper cedentes. In actibus enim, aliis Apostolis pariter cum eo existentibus, ipsum video semper sermonẽ inchoantem, alios verò sequentes. Deinde & illud considero,quod cum ea quæ sacramenti incarnationis magis sunt necessaria; sicuti est crux, passio, mors,resurrectio, & per quatuor Euangelistas plenius scribantur: ea verò quæ in tantum non sunt necessaria, ab alijs omittantur, & ab alijs dicantur:Illa per quæ PETRI primatus ostenditur: tanquam existentia illorum, quæ magis sunt necessaria, & â quatuor conscripta sunt,tanquam valde necessarium sit, omnes scire, cui Ecclesiæ principatus â domino creditus est.

At verò & diuinus DIONYSIVS in tertio de diuinis nominibus *verticalem Theologorum summitatem*, Magnum PETRVM nominat: & ex tunc vniuersa Ecclesia, addito ipsi diuino PAVLO, summos Apostolorum PETRVM & PAVLVM nominat,illum similiter prærordinans. Quare vndique manifestum est, ab ipso Domino Christo, ipsum accepisse aliorum principatum. Et hoc valde decenter. Quoniam enim oportebat eum, qui erat propriè & verè aliorum Apostolorum princeps, non semper eis corporaliter adesse; sed secundum corporalem præsentiam relinquere eos: vnum de duodecim vice sua principem aliorum præponit, hominem hominum; vt facta dispensationis, neque in hoc aliis prouidentiæ operibus appretianda sunt. Sed videamus reliqua.

Multi nostrorum doctorum * Pontifices quidem locum obtinere duodecim Apostolorum: presbyteros verò, septuaginta. Ergo primi Pontificum Apostoli sunt. His adhuc prior quidem primitus Chri-

* *videtur deesse dicunt, scribunt, vel simile quid.*

Christus. Secundo verò & ab omnium primo constitutus, ad habendam principandi rationem ad alios, beatus PETRVS. Quid igitur? oportet ne, pontificale quidem ministerium, non in ipsis Apostolis circumscribi; sed etiam successoribus ipsum tradi, vsque ad fines sæculorum, vt semper in mundo sint Pontifices successores eorum; pontificatus verò primatum in ipsis oportebat finiri, vt quemadmodum in illis factus est aliquis decreto DEI primus, quem alii pro capite suo ducebant; hoc nequaquam ad reliquos transeat, vt alii aliquem vnum suum principem putent; sed omnes per omnia coæquales sint? Et ex qua differentia hoc deberet contingere, vt pontificale quidem ministerium transeat ad successores: principandi vero officium, secundum pontificatum minimè, cum vtraque similiter essent â Domino ostensa, & similiter multitudini fidelium necessaria existant? Vel quomodo totaliter prouidentiæ opus esset, omnia sapienter administrantis, Apostolis quidem prouidere, vt habeant primatem: quos ita gratia erat perfectura, vt non indigeant in multis ducem hominem habere: post illos verò multitudines fidelium inprincipatas & inordinatas deserere ferre? Ego enim contrarium credo: ideo PETRVM principem aliorum constitutum fuisse, vt secundum eandem formam semper in Ecclesia ad vnum reducantur omnes principium. Sed quoniam pontificatum quidem ad multos transire impossibile erat; ideò licet multi in diuersis locis, & orbis partibus Episcopi â beato PETRO creati fuerunt, vt de eo Chronica indicat: & omnes possibile est nominari successores eius, secundum pontificalem dignitatem; sed tamen secundum vtraque, pontificatum aio, & primatum solus Beatus CLEMENS, successor eius ab ipso substituitur.

Ipse enim in quadam ad IACOBVM epistola ita narrat: quod diuinus PETRVS ante paucos dies sui corporalis finis, conuocata tota Romana Ecclesia, constituit eum coram omnibus vice sua illis Episcopum, dicens ad illum quidem. Tibi do omnem traditam mihi â Domino potestatem: ad plebem verò, vt in omnibus illi tanquam sibi attendant. Itaque ex tunc aliarum quidem ciuitatum pontifices, inuenies, nihil vt plurimùm æstimantes oportere curiosius agere, vltra illa quæ ad suam diœcesem pertinebant. Romanos verò pontifices â Beato CLEMENTE incipiendo; tanquam totius orbis prælaturam & curam habentes, vniuersalia administrare mox ordientes, ad vniuersas partes * regulares Epistolas mittentes, & quæ vbique peccabantur corrigere nitentes, & quod agendum erat omnibus statuentes:

Canonicas decretales.

tes: vt potest hoc sciri, si quis regulares Epistolas Romanorum Pontificum à Beato CLEMENTE vsque ad sanctum SYLVESTRVM discurrere voluerit: in quibus non pauca inueniet contenta, etiam eorum, quæ nunc Ecclesia Græcorum facit ab illis Pontificibus instituta & originem habentia. Vnde quod in machina vniuersi contingit, quòd quæ longinquius à DEO distant, procliuiora sunt ad peccandum, & minùs determinata & mutabiliora: quæ verò propinquiora sunt, eadem in bono permanentiora, & stabiliora, & magis determinata: Idem etiam in Ecclesia profectò contingit. Plurimæ enim & deterrimæ hæreses in partibus magis à Romana distantibus ortæ sunt: ROMÆ verò vel prope auctores hæresum facti non sunt. Matre enim Ecclesiarum omnibus veritatis radios enitente, profectò contingebat propinquiores magis quàm longinquiores, clarius illuminari: Cùm autem diuina prouidentia, respublica ad Christianos venisset: piorum Imperatorum legislatores, CONSTANTINVS & post eum IVSTINIANVS, consequenter superiori traditioni & possessioni legibus & decretis eiusdem Ecclesiæ primatum statuunt, in parte pietatis hoc facientes; manifestè determinantes ROMANAM Ecclesiam oportere habere rationem ad reliquas omnes; & ipsi conuenire omnium dominari, & omnia retractare; & quæ vbique de fide & dogmatibus dubitantur, ad ipsam referri, & ibi conuenientem examinationem & definitionem consequi: atque SARDICENSIS Concilii canones omnium aliorum Pontificum sententias iudiciales, si quis ad ipsam appellauerit: ipsam oportere retractare, & confirmare vel irritare similiter statuunt. Et generalia quædam Concilia nouæ ROMÆ Episcopum honorare volentia, oportere ipsum habere decernunt primatum post Episcopum antiquæ ROMÆ. Et quod omnium maximum est, quod & in canonibus & legibus, nullius Ecclesiæ Sedes Apostolica nominatur, nisi tantum Romanæ. Vnde multi magni viri de Orientali Ecclesia arbitrantes, se iniuriam esse passos, ad Sedem illā refugerunt: Magnus ATHANASIVS, sanctus MAXIMVS; sed neque Beatus Chrysostomus suum ignorauit caput. Passus enim maximas iniurias, ad tunc sanctissimum Papam omnia refert. Qui quantum in se erat manum auxiliatricem dare iniuriam passo, nullo modo neglexit. Sed & AGAPETVS sanctissimus PAPA, cùm aduenisset nouam ROMAM tempore IVSTINIANI Imperatoris: quoniam vidit ANTIMVM Patriarcham, quandam hæresim defendentem: illum quidem deponit de Sede: MENAM verò virum orthodoxum in Patriarcham creat.

Et

Et cùm aliquando quattuor Patriarchæ cum Imperatore aduersus venerabiles imagines impiè gessissent, non paucisque annis huic hæresi perseuerassent, atque ad delendas honorabiles figuras communia quædam Concilia, quæ generalia esse & nominari probabant, celebrassent; & suis decretis Beatum STEPHANVM se subscribere cogere voluissent: repudiat eos ille sanctus; non ex alio nisi quod non habebant consentiētem Romanum Pontificem, dicens: huiusmodi synodum non debere generalem nominari, illo absente: quo sine non licet fieri generale Concilium; & si fiat, robur non habere. Quanquam EPHESINVM Concilium nihil impediuit generale & esse & nominari, neque ANTIOCHENO Patriarcha præsente, neque CONSTANTINOPOLITANO assentiente. Et CALCEDONENSE similiter ALEXANDRINO Patriarcha non assentiente.

Neque igitur generale Concilium, neque aliud quidquam ad vniuersi vtilitatem, vnquam celebratum est, sine illa Sede. Et ex illa quidem Ecclesia, nulla hæresis superioribus temporibus ortum habuit: nulla verò aliundè ortarum occidit, sine illius prouidentia. Omnibus quidem modis, quibus iustè aliquid possideatur, totius Ecclesiæ illa primatum obtinuit Sedes; scilicet diuina sententia, Apostolorum institutionibus, synodorum canonibus, sanctorum decretis, multitudinis assensu, temporis præscriptione, ab omnib. consensu: & quod omnibus superioribus temporibus piè & rebus communibus vtiliter dominium exercuit. Nam etsi aliquis semel illorum Pontificum alicui hæresi assensus est; sed non in longum, aut de longo huius remedium. Statim enim eadem Ecclesia, aduersata ei, illorum oratione, sede simul & vita priuatur. Quid autem si decus ipsum & vtilitatem quæramus? nonnè videbitur decentius esse, & per omnia, vt ita dicatur, vtilius, & Dei erga nos pietate dignius, vt illi genti totius orbis prælatura atque cura credatur; quæ legibus & ciuili doctrina maximè omnium gaudet: quæ omnem infinitatem, & inordinationem, & inæqualitatem, & violentiam, & iniuriam & detractionem de Republica, ab initio consueuit extirpare, quam alteri cuicumque?

Quæ enim alia caussa inueniri potest, ob quam etiam ante incarnationem Verbi, quattuor secundum DANIELEM, magnorum illorum regnorum, soli nouissimo & Romanorum, totus orbis à prouidentia Dei commissus est? nisi quod Romani humanius & ciuilius, & legalius, & æqualius subditis vtebantur.

Quia verò Romanorum Ecclesiam, principem esse aliarum Ec-

clesiarum, opus est omnia decorantis & vtiliter disponentis prouidentiæ, certum est ex illo. Si quis enim considerando hominum dispositiones & voluntates, & naturales eorum passiones, quæcumque communiter omnibus accidunt, & quæcumque aliis aliter contingere possunt; atque humanarum rerum, siue illarum quæ in nobis sunt, siue quæ in nobis non sunt, velocem mutationem: & cum his olim ortas hæreses atque temporalis dominij in tot seerationem, animo velit videre; quæ nam tetra subsequuta essent; si omnes Ecclesiæ ita prorsus diuisæ essent, vt altera alterius non dominaretur: inueniet, pro certò infinities melius esse, & ad decus & ad vtilitatem, alias sub aliis ordinatas esse, & postremò omnes sub vna, quàm si aliter se haberent. Ego enim arbitror, quòd cum multis aliis aduersis, quæ possent contingere, illud certissimè contigisset; quòd neque accensæ hæreses extinctæ essent, & aliæ tot hæreses & errores vigerent, vt diuisis ita ab inuicem Ecclesiis, coæquales essent, qualibet videlicet ex multa potestate suam defendente. Quo nihil esset Ecclesiis fœdius, & perniciosius. Ergo si qua nunc est Ecclesia habens & faciens quæcumque oporteret & habere & facere; eam quæ ex Deo esset aliarum dominatura: hæc est quæ diuinitus dominium habet, & cui ritè conuenit dominari, atque alias ei credere.

At verò Ecclesia Romana videtur in integrum & habere & facere, quæcumq; oporteret eam quæ ex Deo esset aliarum dominatura, & habere & facere.

Primum enim oporteret dignè omnium dominaturam ex viris collectam esse, qui quantum dominio, tantum sapientia & morum virtute excellerent alios. Hoc verò abundanter illa habet, si quis enim voluerit videre sacrum illum circa Papam senatum, & eos qui circa illum sunt: inueniet Ecclesiam illam non solùm ad vnamquamque aliarum comparando; sed simul ad multas & multitudine elegantium virorum, & scientiæ specie omni, & morum benignitate & honestate, quàm plurimùm aliis præeminentem.

Item oportet benè omnium dominaturam, nullo modo subditam esse temporali dominio. Quoniam enim facta Ecclesiæ correspondent animæ; temporale verò dominium corpori: & est condecentius animam dominari corpori, quàm è conuerso. Congruum vtique est, & conueniens Ecclesiarum dominium, nullo modo subditum esse principum huius mundi dominio.

Etiam vtile, vt neque metu vllius dominii aliquid minus rectum facere vel concedere; neque aliquis contra voluntatem de iure electo-

rum inſiliat Sedi. At verò Romana Eccleſia, olim hoc bono ditata eſt: & ipſa liberata omni mundana tyrannide, & ſuis membris omnibus, eandem impartita eſt libertatem.

Tertium verò & maximum, oporteret immortalis Eccleſiæ principatum in aliquo incorruptibili ſuum robur & firmitatem habere, & non corruptibili; ne hoc corrupto res Eccleſiaſticæ labantur. Quod vt plurimum Regibus contingit; quibus in pecuniis & exercitibus & virorum conſiliis, & humanis legibus, & alia ciuili virtute, ſuam virtutem habentibus: ſubditæ eis ciuitates, rebus mutatis, cùm vident & poſſibile ſibi, & ſine periculo, & ſuis rebus expediens, ſeruitutis iugum excutere, non verentur hoc facere. At verò illa, in quibus firmitas Romanæ Eccleſiæ conſiſtit, cælo & terra ſunt permanentiora. Virtute enim verborum Domini ad PETRVM, ſubditæ ei gentes contremiſcũt eam & metuunt, & ab ipſa diſcedere, à Deo diſcedere eſſe, virtute illorum verborum omnes putant.

Item ſi perquiratur, quæ nam ſint congrua opera diuinitus omnium dominantis Eccleſiæ: inueniet eadem ipſa & Romanæ. Oportet enim primo nutu diuino omnium dominantem plurimùm eſſe ſollicitam, vt vbique & omnibus & ſemper Euangelicus prædicetur ſermo: vt & ſi non aliud; ſed ea quæ in promptu ſunt, & efferri poſſunt ſacramenti noſtræ religionis & ſalutaria domini præcepta & conſilia, & quid à quolibet exigendum eſt: nullus qui magno nomine cenſetur & diuina luce ſignatus eſt ignoret. Item ſchiſmaticos, & per epiſtolas & per nuncios, niti ad ſe reuocare, redarguendo, increpando, ammonendo, hortando, vel rogando, afflictis Chriſtianis pro poſſe auxiliari pecunia, ſi habet, & per ſe petentes adiuuare hortando & iniuriam paſſos & ad eam refugientes defendere, omnium peccata quoquo modo corrigere conari.

At hæc omnia, & ſi quod alterum legaliter principanti congruit, ſummè Romana Eccleſia facere videtur. Alia verò orbis Eccleſiarum nulla eſt, quæ habeat & faciat, quæcumq; oporteret, diuinitus dominaturam habere & facere.

Quoniam ergo mouens meas cogitationes, vndique inuenio per omnia melius eſſe, vt ſit aliqua Eccleſia, ſub qua aliæ ordinatæ ſint, & has perquirens, ſolam video Romanorum, & habentem & facientem, quæcumque oporteret diuino beneplacito, omnium dominaturam & habere & facere; non poſſum prouidentiam eſſe credens, Romanæ Eccleſiæ maieſtatem, & ſublimitatem fortunæ & caſui

dare,& non in maximis prouidentiæ operibus,& solennissimis,& hoc computare.

Ex his igitur primatum illius Ecclesiæ sufficienter demonstratum esse puto. Venio rursus ad Paracleti processionem.

De processione Spiritus sancti.

QVONIAM multis annis post septem generalia Concilia; vidit eadem Ecclesia, aliquos eorum, qui denuò consueuerant, in hæreses frequentius delabi; asserentes Spiritum sanctum ex solo Patre procedere, & minimè ex Filio; & sermonibus persuasibilibus ex humana mente hoc dogma affirmantes: propinquiorem verò sibi multitudinem, & ad hæreses semper tardiorem â principio sapientem Spiritum sanctum â Patre Filioque procedere: quid eam quæ semper consueuerat, huiusmodi controuersiis finem congruum imponere, & vnitatem omnibus monstrare, oportuit facere? silentióne rem præterire, & ordinem suum deserere? Sed non erat hoc eius. An ad Aristotelicas methodos, & Platonicas diuisiones, & Mathematicas demonstrationes, & cogitationes humanas recurrere, & ex illis quæsitorum veritatem perquirere? sed neque hoc decreuit facere; sciens profectò hanc rem transcendere omnem humanam & mentem, & methodum, & demonstrationem. Quid igitur fecit? ad suos doctores, quos longis sursum temporibus pro sanctis habuit, recurrit, beatos, AVGVSTINVM, AMBROSIVM, HIERONYMVM, & GREGORIVM: & horum scripta perscrutata, videt eos tanquam ex vno ore, multis locis & frequentius Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere asserentes. Et neque vsque ad hoc stat. Sed & Orientalis Ecclesiæ Patres perquirit, & videt horum similiter plures & principaliores, id ipsum sapientes: reliquos verò minimè omnium dicentes: præter vnum scilicet DAMASCENVM, qui videtur contrarium dicere. Quamquam non dicit ipse, quod Spiritus sanctus non est ex Filio; sed quia non dicitur ex Filio. Ac si diceret: quod in diuina scriptura non inuenitur verbo dictum, quia ex Filio. At verò videtur & ipse dicere Spiritum sanctum â Patre per Filium emanare, & imaginem esse Filii Spiritum. Et ad Patrem ita se habere Filium & Spiritum: quemadmodum ad Solem se habent radius & illuminatio: quæ vtraque ex Sole quidem sunt; sed per radium ait illuminationem nobis dari. Ex quibus videtur & ipse non penitus contrarium tenere. Ipsum enim illuminatio-

nem

nem & ex Sole per radium esse dicere: & rursus ex Sole & radio, verum est: quemadmodum & in Trinitate. Quorum enim est communiter auctor Pater & Filius: hæc & vtroque modo dici verum est, & ex Patre per Filium, & ex Patre, & ex Filio.

Tantorum itaque Patrum concordiam cùm vidisset, & propter rei magnitudinem adhûc his non contenta, conuocat ad se vniuersos Ecclesiarum prælatos, ad inquisitionem communicandam. Vno itaque verbo his, qui voluerunt interesse simul congregatis, & omnibus post factam rei congruam inquisitionem, ad idem consentientibus; denique Apostolica auctoritate, hoc esse quod oportet credi, declarando determinat, & contrarium dicentes, in portione hæreticorum decernit.

Quæ igitur erit nunc mea excusatio, si noluero quietè obedire. Sed tantorum Patrum & Matris Ecclesiarum sententiæ, de re vincente vires naturalis cogitationis præposuero meam cognitionem? neque illud valens considerare, quod indignum erat penitus diuinæ prouidentia, non solùm illam Ecclesiam sublimare, & caput Catholicæ Ecclesiæ â principio facere, quam nouit insanabiliter casuram, & infinitas multitudines secum dimissuram, sed & cum â rectis cecidit dogmatibus, adhuc magis magnificare, & omnibus bonis ditare. Eam verò quæ rectè ei â principio restitit, contrarium pati permittere?

Ego verò & aliud cogito, quod portas inferi nunquam aduersus Ecclesiam præualituras esse, cùm sit verissimum, olim portæ inferi aduersus Ecclesiam Dei præualuerunt, siquidem Romana Ecclesia cecidit. Nam si Ecclesia soli quidem huius partis sunt, vt secundum multitudines eos ad se conuertant, nullo penitus existente, qui publicè prædicando populum confortaret, in fide perseuerare, & PERSÆ ita adhuc se habent, vt in primo misso ad vos sermone recitaui, iam aduersus Ecclesiam *portæ inferi* præualuerunt. Sed hoc falso existente, cogor Romanam Ecclesiam orthodoxam in omnibus putare, & hanc solam esse cum sibi subiecta multitudine; *vnam, sanctam, Catholicam,* & *Apostolicam* Ecclesiam; in quam credere iubemur, & aduersus quam *portæ inferi*, neque præualuerunt, neq; vnquam Deo, ipsam tanquam nouum ISRAELEM, regente præualebunt.

III. *Epistola* ALEXII CALOCHETI *ad Dominum* BARLAAMVM *Episcopum* GYRACENSEM, *petens ab eo quorundam librorum latinorum translationem, propter bonum vnionis.*

TVAS communiter ad amicos missas epistolas, cùm vidissemus; ego & nostræ ciuitatis tui amici: horum quibus rectè contradici posit, nihil in eis inuenimus. Ignota verò penitus à nobis multa vidimus. Ais enim in secunda epistola, signum esse eius, quod Romana Ecclesia à principio omnium dominabatur: quia Romani Pontifices, à beato CLEMENTE incipiendo, tanquam totius orbis curam gerere debentes: vniuersalia administrare mox ceperunt: ad vniuersos *regulares* Epistolas mittentes, & vbique peccata corrigere nitentes & agendum statuentes. Ex quibus Epistolis, multa eorum quæ nunc etiam in Ecclesia Græcorum fiunt, principium habuerunt.

Nos verò neq; has Epistolas vidimus, neque putauimus in Græca lingua ipsas nunc esse. Item ais beatum AMBROSIVM, GREGORIVM & HIERONYMVM dicere in suis scriptis, Spiritum sanctum & ex Filio procedere: quæ scripta nos similiter non vidimus. Item ais, quod Romana Ecclesia, de eodem ipso conuocauit vniuersos Ecclesiarum Prælatos, ad communicandam huius inquisitionem: & his qui voluerunt interesse simul aggregatis, & omnibus post conuenientem factam inquisitionem, ad idem consentientibus: ipsa postremò declarat ad ipsum oportere credi, & contrarium dicentes, in portione hæreticorum ordinari decreuit: In his quasi generale Concilium ais factum esse de proposito; quod nondum vsque nunc audiuimus. Rogamus itaque te communiter omnes, per Deum ipsum, vt siquidem tibi possibile est, & prædictas sanctorum illorum Pontificum epistolas, & sermones dictorum trium beatorum virorum, in quibus proposita quæstio continetur, & adhuc acta prædictæ communis congregationis, conuertens ad linguam Græcam, transmittas nobis ipsa. Nam si his visis, de quibus dicis, informabimur, benè scito, quod controuersiæ nostræ cum Latinis, ex maxima parte solutæ erunt.

IV.

Epiſtola ſapientiſſimi & doctiſſimi Viri DEMETRII THESSALONICENSIS *ad eundem Dominum* BARLAAMUM *Epiſcopum* GYRACENSEM: *in qua ponens omnia dubia ſua de proceſſione Spiritus ſancti petit ab eo doceri, quibus modis adductus ſit credere Spiritum ſanctum, & ex Filio procedere.*

CVM olim tu, partibus noſtris dimiſſis, ad Occidentem abijſſes, ibique de cætero commorari voluiſſes: nos qui radiis tuæ ſapientiæ illuſtrati, multis ignorantiæ tenebris liberatos nos eſſe putabamus: rurſus tuæ abſentiæ tenebris incidentes, tanquam in nocte vitam ducebamus: ſicut ſolis occidentis, & amplius non oriri ſperati, priuationem lugentes. Sed nuper fama quadam ſubitò audita, & vbique circumeunte, & ſplendidè clamante, te non poſt multum ad nouam ROMAM aduenturum, conuerſi nos; quis dignè explicabit, quanta lætitia repleti fuimus? Quoniam verò non in longum quidem venientes ad nos de BYZANTIO, applicuiſſe te iam illuc pro certo annunciabant: non amplius ſobriis hominibus ſimiles eſſe ex gaudio videbamur: ita furentes erga te amor nos effecit. Verè enim matutina lætitia videbatur, ad veſperam demorato fletui, ſucceſſiſſe rurſus in Oriente, tanquam ſplendido Sole relucente, & iucundiſſimum manè nobis efficiente.

Itaque præparabamus nos quotquot amici tui, quàm velociſſimè ad te venire. Sed omnibus ad iter neceſſariis præparatis, & nobis proponentibus immediatè inde recedere: veniunt quidam rurſum illinc receſſiſſe te de ciuitate, & ad nigrum * Pontem abiiſſe nunciantes. Quo auditu perculſi nos, & ad profundum triſtitiæ demerſi, vix potuimus noſmet reſumere philoſophia mutabilitatem rerum humanarum conſiderantes, & noſmet ipſos conſolantes. Verùm dicebant ſe à te audiſſe talia, quod omnis neceſſitas ſit confiteri Spiritum ſanctum, ex Patre Filioque procedere. Quod qui negant, neceſſariò ſunt hæretici, & ſchiſmatici. De his itaque præ omnibus æſtimarem ipſum te audire, & tecum de omnibus perquirere: non propter aliquam contentionem, vt aliquis putaret: ſed quoniam non eſt veriſimile te, quem differenter nouimus virtutem & veritatem per vitam colentem, & de nulla re, litigioſis verbis gaudentem, neque victoriæ auidum, cuiquam vnquam diſputantem irrationabiliter,

*Pontum.

biliter, sic ex opinando ex solo Patre procedere Spiritum sanctum: conuersum esse ad prædicandum, quod etiam ex Filio: nisi aliqua idonea necessitas ad hoc te impulisset, quæ philosophanti animæ satisfacere posset, vt amplius alio non indigeret. Libenter vellem tuo conuentu à te discere, quidnam fuit illud, quod te ad hoc necessitas perduxit. Quod ego semper plurimi faciens, ad aliquid certum de his venirem. Et multa à multis audiens, & his, qui ad solum Patrem Spiritum sanctum referunt; & his, qui ad Patrem & Filium: nondum vsque ad hodiernum diem de verbis illorum intelligere valui aliquam necessitatem: qua altera dictarum opinionum stabilisset mihi sufficienter mentis motum. Ergo si quod te ad hoc coëgit, est aliquid eorum quæ scriptura tradi possunt: precor te per amicitiæ custodem, vt quoniam ad verba tibi venire Deus non dedit; hoc mihi per scripturam significare nullo modo neglexeris. Si verò diuinitus tibi ad hoc facta est aliqua occulta illuminatio: primum quidem rogo, vt sanctis pro amicis orationibus, idipsum nobis à Deo petas. Deinde vt etiam per scripturam nos admoneas; quibus exercitiis principale nostrum purgantes, talis illuminationis capaces efficiamur.

Vt igitur magis valeas scire, quo modo nos curare te oporteat; necessarium mihi videtur, & particulariter exponere; quomodo vsq; nunc neutrorum, verba potuerunt me cogere eis assentiri. Et primum dicendum est de Latinorum opinione.

Quattuor sunt genera argumentorum, per quæ illi semper conantur suam fortificare conclusionem.

Quorum primum est, quod per substantialem & naturalem Patris & Filii identitatem argumento communem facit. Supponatur enim, tanquam ab omnibus concessum, Patrem & Filium, vnum esse Deum, & vnam substantiam, siue naturam, siue essentiam; ex hoc syllogisticè ad propositum veniunt.

Secundum est, quod ex personali Filii & Spiritus sancti differentia, quæsitum inuenire tentant. Aut enim quærentes quomodo possit personaliter Spiritus à Filio distingui: aut duarum emanationum differentiam distinctè expressam supponentes; & ordine per media procedentes suam assequuntur conclusionem.

Tertium est quod ex dictis diuinæ scripturæ, idipsum conantur colligere.

Quartum est, quòd per natura nobis insitas notiones, demonstrare propositum putant.

Primi

Primi quidem generis argumenta, non cogunt me ad hanc cauſam. Duos eſſe modos accepimus, eorum, quæ de Deo prædicantur. Alia enim eorum ſunt naturæ & ſubſtantiæ, & quaſi ſubſtantialia: quæ videlicet & diuiſim, de qualibet trium perſonarum prædicantur, & ſimul de tribus ſingulariter, vt *Bonum, Sapiens, Omnipotens, Veritas,* & alia. Non enim dicimus Filium & Spiritum ſanctum tres eſſe ſapientes, vel bonos, vel omnipotentes vel alia: ſed tres vnum eſſe *ſapientem*, & *omnipotentem*, & *bonum*, quemadmodum & vnum Devm. Alia verò ſunt perſonalia & ſignificatiua perſonarum inter ſe relationis; quæ videlicet nullo modo poſſunt ſingulariter de tribus ſimul prædicari. Non enim tres vnus eſt Pater, vel vnus Filius, vel vnus Ingenitus. Talium igitur eſt, & ſpirare Spiritum & principium eſſe huius. Non enim tres perſonæ vnus ſpirator eſt. Quare hoc ſuppoſitum eſſe in ſola ingenita perſona, non faciet differentiam ſubſtantialem eius & Filii, nec corrumpet eorum ſecundum ſubſtantiam identitatem. Nā cùm ingenita perſona habeat æqualiter & *generare* & *ſpirare*, & non magis alterū quā alterū: licet ab altero tanquā à magis noto nominetur, Pater: quemadmodum ſubſtantialis identitas eius & ſpiritus ſancti: non cogit ſpiritum, vt & ipſe generet; ſed etiam non generante ipſo, ſaluatur eius ſecundum ſubſtantiam ad ingenitam perſonam identitas: ita certè ſubſtantialis identitas eius Patris & Filii, non coget & Filium ſpirare Spiritum; ſed etiam, ipſo non ſpirante ipſum, ſaluabitur vtique eius ad Patrem ſubſtantialis identitas. Quapropter nihil magis moueri poſſum per huiuſmodi argumenta.

Sed venio ad ſecunda, quæ videlicet ex perſonali differentia Filii ad ſpiritum faciunt ſyllogiſmum. Certum eſt quod ex re penitus ignota, & neque intelligi, neque dici potente nihil ſyllogiſticè concludi & inueniri poteſt. At verò præclari noſtrorum ſanctorum doctorum teſtimonio, quamquam perſonaliter differre Filium à Spiritu confitentes: tamen interdixerunt nobis inueſtigare huius differentiæ modum: dicentes, penitus impoſſibile eſſe, à quoquam in carne viuentium, huiuſmodi differentiam diſtinctè intelligi & exprimi. Quare quid ex ea concludi poſſit?

Video rurſus nonnullos Latinorum, ita apertè & diſtinctè exprimentes differentiam, qua differt Spiritus ſanctus à Filio, vt etiam per quoſcumque homines, ſi ſolum quantulacumque ex parte mente vtuntur, poſſit intelligi. Ergo cùm nihil videatur, propter quod hi fide digniores & maioris auctoritatis illis in tantis rebus æſtimentur:

nequeo magis his quàm illis credens, quæ exinde concludunt recipere. Et ideo neq; per huiusmodi argumenta persuaderi mihi potest.

Eundum igitur sit & ad illa, quæ ex diuina Scriptura argumentantur. Primum quippe de his illud communiter considero, quod si esset impossibile cuilibet, propositorum per eos dictorum sensum alium pium & sufficienter se habentem coaptare: ita solum necessarium esset, quod ipsi ex eis concludunt. Quoniam verò non magis vt ipsi intelligunt, quàm vt alii, possunt eadem intelligi, neutrorum sermones cogere me valent. Nam hoc ipsum quod Spiritus sanctus, multis locis scripturæ dicitur esse Filii, propter solam quam habet cum eo secundum substantiam vnitatem: quia vna est eorum substantia, virtus, voluntas, sapientia & actus: & propter hæc sola dicitur esse hic eius. Quemadmodum è conuerso Dei Verbum, *gladius* dicitur secundum Apostolum *Spiritus*.

Alius rursus dicat; quia non solum propter quæ tu dicis; verum etiã vt ex hoc intelligamus Spiritũ sanctum, & ex ipso Filio procedere: ego cogitans, quod etiã secundum illũ sensum tantũ sufficiẽter posset Spiritus sanctus Filii esse, hæsito & non habeo, cui magis assentiar.

Similiter mittitur multis locis scripturæ Spiritus â Filio. Ergo si vnus dicat, quod quemadmodum Filius, propter in carne ad nos manifestationem & aduentum dicitur mitti, etiam â Spiritu sancto: vt in Esaia scriptum est: ita & Spiritus sanctus; quoniam in aliquibus signis nobis manifestatus est, & ad nos venisse tẽporaliter dicitur: quæ signa significabãt quidẽ solumodo ipsũ Spiritũ: facta verò erãt â tota Trinitate; propter hoc tantũ, & non propter aliud, dicitur & â Filio mitti.

Alius item dicat, quòd non solùm propter hoc; sed vt cum his adhuc & illud intelligamus, quia Spiritus & ex Filo procedit: Perpendẽs ego rursus, quod etiam si non procedat Spiritus & ex Filio; tamen & secundum illum sensum tantum sufficienter vtiq; diceretur ab ipso mitti: eadem similiter detentus sum dubitatione.

Rursus in sacra scriptura, ex Filio accipere dicitur Spiritus, & ab ipso *insufflante* dari. Ergo si vnus dicat, quoniam ipse Dei Filius magna quędam dixerat de Spiritu sancto: quia aduersus eum blasphemia, irremissibilis est, & quia ipse omnia docebit & annũciabit & diriget ad omnem veritatẽ, & simpliciter charismatum distributionem ipsi attribuerat: vt non æstiment Apostoli, vel post eos fideles, maioris dignitatis ac potentiæ esse Spiritum quàm Filiũ: ideò solùm & non propter aliud dixit quod Spiritus sanctus ex eo accipiet, quæ nunciabit, &

insuf-

insufflando ipsum dare ostendebat, vt neq; maiorem eo Spiritum putemus, & nos deificantia charismata communia esse Filii & Spiritus sancti credamus.

Alius rursus dicat, quia & propter hoc, & adhuc vt intelligamus, & ex ipso Filio processionem Spiritus: Cogitans ego, quod & secundum illum sensum tantum sufficienter se posset habere scriptura, non video caussam ob quam magis Latino credam.

Item Patrem & Filium vnum esse in scriptura scriptum est, & omnia quæ sunt Patris, etiam & Filii esse. Et ex hoc concludunt illi suū dogma. At verò si quis dicat: ô Latini, nihil magis ex his necessarium est Filium principium esse Spiritus: quia etiā ex persona Spiritus sancti dici posset: Ego & Spirator vnum sumus, & omnia quæcumq; habet Spirator mea sunt. Sed nihilo magis ex his Pater esset Spiritus sanctus. Ergo si quis hæc dicat, quid magis Latini persuasibiliora dicent? ego enim non perspicio.

Item vbi dicit Apostolus: Dominus IESVS interficiet Antichristum Spiritu oris sui: illi ipsi Spiritum sanctum dictū esse ibi credētes, id ipsum concludunt. At etiam hîc potest dici: quoniam nos nihil ita facilè efficimus, quàm illa quæ insufflando solū facimus; volens Apostolus ex nostra translatione ostendere, quàm facillimū est Christo interficere Antichristum, & nullā habens ei difficultatē, Spiritu oris eius dixit apostatā interficiendū, minimè ibi Spiritū sanctū intelligi volēs.

Hæc ergo si quis dixerit, hæsitandum mihi videtur omnino, cui magis concedendum sit.

Item vbi scriptum est, DEVM charitatem esse, & charitatem ex Deo: illi charitatem dici spiritū sanctum accipiētes; illam videlicet, qua Pater diligit Filium, & Filius Patrem, concludunt: alia quædam per medium addentes, ex vtroq; ipsum procedere: mihi nihilo magis ex his persuadentes. Quare? primum, quia non nimis certum est, vtrum Spiritum sanctum ibi intendebat Beatus Iohannes: nihil enim impedit, & ita exponere dicentem, vbi dictum est: DEVS charitas est, ibi de ipso Trino Deo ipsam charitatem prædicari, illo modo, quo ait S. DIONYSIVS: etiam omnium entiū nomina posse de Deo secundum caussam prædicari, & maxime nobilissima & diuinissima, sicuti est; *Bonitas, Vita, Pulchritudo, Lex* & similia. Vbi verò dicitur charitas ex Deo est; ibi ipsum charitatum affectum, quo Deo & nobis inuicē vnimur, ex ipso Trino Deo nobis dici adesse illo modo, quo & omne bonum & honestum ex Deo nobis esse dicimus.

Deinde si quàm maximè ipsum Spiritum sanctum in illis nomi-

nat charitatem Apostolus*: Vnde patet, vtrum illam charitatem,* ipsum intelligit, qua Pater diligit Filium, & Filius Patrem: sed non magis indifferenti modo, & simili, ipsum charitatem nominauit: sicut etiam Filius vel Pater, vel tota simul Trinitas, charitas nominatur: quemadmodum & alia charismata attribuuntur singulariter Spiritui sancto: quæ nihil minus, & toti Trinitati, eodem modo congruunt. Cæterum & Filius sapientia quidem Patris nominatur, sed non ita illa sapientia est, qua Pater intelligit Spiritum sanctum, & hic Patrem: vt ex hoc concludatur ipsum Filium ex Patre simul & Spiritu sancto generatum esse.

* ipse

Ego itaque, vt ad te explicem passionem animi mei, multo difficilius habeo ad recipiendum, quod Patre & Filio diligentibus inuicem eorum dilectio constituit alteram personam ipsum Spiritum sanctum; quàm ad recipiendum, quod Spiritus sanctus, & ex Filio procedit. De hoc enim eius veritatis cupiditate cogitanti, nullæ mihi suspiciones intrant, ne fortè sit verum illud Aristotelis: quanto magis perquiro & cogitatione voluo: tanto incredibilius mihi videtur: nam de diuina scriptura non ita patet, vt animam per se verum quærentem, ab omni remoueat ambiguitate. Si verò à sacra scriptura, & fide nobis traditis, penitus recedentes ad naturalem rationem recurrere velimus; miror si vnum Deum simplicissimum in tribus perfectis personis, per solam naturalem rationem tanquam aliquid eorum, quæ mathematicè demonstrantur, inuenire poterimus.

Age ergo fidei ratione complectentes videamus quæ necessitas sit, vt Patris & Filij charitas, sit illo modo Spiritus sanctus. Itaque si idem simpliciter est Patri generare Filium, & diligere Filium; & generatio ergo est idem simpliciter quod charitas: qua Pater diligit Filium, & per consequens, ipsa Filii generatio, Spiritus sanctus est: quod non modicum mirandum est. Et maxime si genitum, principium est suæ generationis. Si verò aliud est Patri generare Filium, & diligere vel intelligere ipsum, adhuc magis est mirandum: quomodo generatio quidem qua Pater generat Filium, non constituit aliam personam: neq; intellectio, qua Pater intelligit Filium. Diligere verò ipsum non potest, nisi dilectio illa tertiam constituat personam: & maximè cùm sit possibile dicere, quod Spirator diligit & intelligit Spiritum, & Spiritus diligit & intelligit Patrem & Filium. Ex qua dilectione vel intellectione, nulla alia constituitur persona.

Item vnitatem & annexum Patris & Filii dicere Spiritum. ita vt

ex

ex vtroque esse concludatur: neque ipsa scriptura cogit me, & naturalis ratio mihi magis persuadet recipere, principiata vniri per principium: quam principia per principiatum. A quo enim multa habent esse, ab eodem etiam habere vnum, rationabile mihi videtur. Dicere verò, quod principiata habent ex principiis esse: principia verò habent ex principiatis vnum esse, omninò mihi videtur carere ratione. Si verò est alia ratio de his mea verior, quam ego nunc non intelligo; tamen quamdiu illam non intelligo, necesse est me teneri ab hac, quam nunc intelligo. Dicta quidem Scripturæ, quæ allegant, penè prædicta sunt. Ego verò neque ex his, neque ex aliis quibuscumque possum ad hoc intelligere indubitabilem omnino necessitatem, & penitus stabilientem meam mentem eorum adesse conclusionem.

Restat ergo quartum genus videre, quod ex communibus notionibus argumentationem propositi facit. Hæ quæ dicuntur communes notiones, siue, vt ARISTOTELI videtur, de sensibilibus per sensus imprimuntur animo, siue, vt PLATONI videtur, ipsæ sunt substantia intellectualis animæ: vtroque modo de his rebus sunt, quarum intelligendo dominati apprehendimus eas & tangimus, & quas intelligentes ipsa intellectione comprehendimus & circumplectimur. Proinde & illa, quæ ex eis ostenduntur, indubitabiliter demonstrata esse putamus. At vero quæ de Deo sunt, ea super substantialia, & super intelligentiam, & incomprehensibilia esse dicimus: & maximè ea, quæ de trino personarum dicuntur, credita quidem sacræ scripturæ traditione: naturales verò nostras intelligentias fugientia, eò quod nullus videatur in his, quæ à nobis intelliguntur, modus Trinitatis: indifferenter per omnia se habens. illi super intellectum Trinitati.

Quis ergo est ita tardus mente, vt putet, huiusmodi communes notiones, quæ correspondent his, quæ à nobis perfectè intelliguntur, rebus, omnes simpliciter etiam illis, quæ super nostram intelligentiam sunt, congruere? vbi neque quod sunt in naturalibus verè, iam etiam Mathematicis conueniunt, vel è conuerso; neque quod Arithmeticis vel Musicis rebus correspondent, iam etiam Geometricas, vel perspectiuas attingunt. Multò ergo minus putandum est super substantialia eisdem necessitatibus seruire cum his, quæ sub intelligentia nostra sunt. Non ergo necessarium est, omne quod prædicatur affirmatiuè vel negatiuè de illa re, quæ nostra intelligentia comprehenditur: hoc etiam de illa re quæ transcendit nostram intelligentiam similiter prædicari.

Ergo aut nulla huiusmodi communium notionum, & vsq; ad illam supersubstantialē & incomprehensibilem essentiā peruenit: aut aliquæ ita, & aliquæ non. Sed & hoc sufficit. Ergo & hoc cōcesso, quoniam aliqua discretione necessaria non habeo conspicere, quæ earum, quæ in entibus veræ sunt notiones, & ad superficiale & superintelligentiam transferendæ sunt, & quæ non, cum audio Latini ex huiusmodi propositionibus, de proposita quæstione syllogismum; etiamsi sint in omnibus entibus propositiones veræ, attamen nequiens satis discernere cuius generis sunt: vtrum illius quod ex entibus ad superessentiale conscendere valeat, an non, penitus ambigo & dubito, conclusioni huiusmodi syllogismi assentiri. Generaliter quidem, ita â me ostensum sit, ob quam caussam per eorū verba nondum mihi persuasum eis credere. Non erit peius fortè & aliquos particulares syllogismos eorum commemorare.

Audiui aliquando quosdam Latinos ita syllogisantes. Supponentes enim tanquā minorem propositionē, quod Spiritus sanctus realiter differt â Filio; & addentes tanquā maiorem, quod omnia quæ sine materia ab inuicē differunt, aut sicut contraria differunt, aut sicut habitus & priuatiò; aut sicut affirmatio & negatio, aut sicut relatiua. Deinde ostendentes quod horū tres præcedentes modi, illis diuinis personis minimè congruere valent: Concludebant ergo, quod secundum relatiua tantum Spiritus sanctus potest distingui â Filio, & ita per ordinem procedentes, veniebant ad finalē conclusionem. Sed me minimè per hoc mouerunt. Ventum enim ad angelos & animas, & mathematica & mathematicos numeros & horum maximè superficiales & solidos, multa vidi & sine materia plura intellecta & nullo prædictorum quattuor modorū ab inuicem discreta. Quamuis & si in omnibus entibus videretur maior propositio: adhuc restaret ambigere, vtrum illarum est propositionum, quæ & in entibus & in superessentiali verificari possunt, an non. Sed differt quidem Spiritus personaliter â Filio, non tamen secundum aliquem â nobis cognitorū in entibus modorum. Et estne vera illa Patrum sententia, quod in hac vita impossibile est distinctè & expresse cognosci illud, quo Spiritus differt â Filio? nō enim illud erit ausus aliquis dicere, quod necessarium est, aut sciri huiusmodi differentiam, & ad aliquam â nobis notarum reduci, aut nequaquam esse.

Item & talem audiui syllogismū: in quo tanquā minor propositio supponebatur. Quia sicut se habet spirare ad procedere; ita se habet generare ad generari. Tanquā verò maior assumebatur, quia generaliter

in

in omnibus entibus, si sit vt primum ad secundũ: ita tertiũ ad quartũ: & permutatim sumptis, est sicut primũ ad tertiũ, ita secundũ ad quartum. Et ex his concludebatur, quod sicut se habet spirare ad generare: ita se debet habere & procedere ad generari. Et quia dicebãt spirare & generare concurrentia simul in vna persona scilicet patre, non faciunt differentiã personalẽ. Non ergo procedere & generari ipsa per se differentes efficient personas. Et ita aliam aliquã personalẽ differentiam Spiritus ad Filium quærentes postremo veniebant ad concludendum, & ex Filio, ergo Spiritum procedere. Me neque hos sequi valente; perquirẽs enim in me ipso entia inueniebam in multis, maiorem propositionem falsam multis visis; & in substantiis & in quantitatibus, & in relatiuis. Sed primam positionem primi ad secundum, secundum verò primi ad tertium, & secundi ad quartum, non saluantibus proportionalitatem: quamuis vt paulo ante dixi, & si in omnibus quæ infra mentem nostram sunt, videretur huiusmodi esse verum: incertũ adhuc esset, vtrum & in illa re quæ omnem mentem excellit, verum sit.

Item & sic quidam argumentantur. Omnia sunt communia Patris & Filii, præter illa quibus aduersatur eorum inter se relatio. At verò spirantem potentem, non aduersatur Patris ad Filium, vel Filii ad Patrem relatio: spiratiua ergo potentia Patris & Filii. Ego verò neque huic syllogismo assentior; propter quod vtique habet vitium: quod enim quæritur, sumitur vt manifestum: in maiore enim propositione per communia & alia verba latenter petit principium.

Nullus enim eorum qui de conclusione ambigunt; maiorem concedet propositionem. Cum enim illa persona, quæ ita est vt à nullo sit, æqualiter habeat & generare & spirare: quæritur vtrum ex vtraq; hæc propria sunt eius simpliciter: neq; Filio, neq; Spiritu, ea habentibus. An ad Spiritum quidem propria sunt eius; ad Filium verò non ambo; sed solum generare; spirare verò commune habet cum eo.

Hoc itaque cum quæratur sumere simpliciter, quod Pater generare quidem habet solus, spirare verò cum Filio: quid aliud est quàm petitio principii, etiamsi non apertè ponat qui sumit, sed per communiora verba eundem occultet sensum?

Cæterum quid prohibet supponentem similiter quòd omnia sint communia spiratoris & Spiritus, præter illa quibus aduersatur eorum inter se relatio, per similia media concludere: quòd & Spiritus sanctus genitor est: ergo sicut hoc, ita etiam illud paralogismus est.

Item aliàs cum audiuissem sumentem quendam, vt manife-

stům Devm Patrem intelligere & velle, & ex intelligendo producentem Filium; de volendo autem Spiritum, & per quædam media alia, quæstionem concludentem: initio quidem penè credidi, tanquam benè esset dictum: paulò verò post animaduertens, quia, quomodo intelligit & vult Pater, eodem indifferenter & Filius, & Spiritus sanctus, & tota Trinitas intelligit & vult, & nihilo magis ex eis aliter Filius, vel aliter Spiritus emanat: nihil necessarium illum dixisse putaui, sed potius multa inconuenientia perspexi de huiusmodi sermone orientia.

Causæ quidem per quas non mihi videtur necessarium esse per verba eorum sciri vel credi Spiritum sanctum & ex Filio procedere hæ sunt.

Volo autem tibi ostendere, & qualiter me habeo erga dicta sanctorum nostrorum Patrum, qui id ipsum quod aiunt Latini in suis scriptis dicunt. Ego quidem inueni multos, qui hoc sapiunt, scilicet sanctum Avgvstinvm, sanctum Gregorivm * Nicenvm, sanctum Cyrillvm in dictis suis thesauris & in aliis suis dialogis; sanctum Athanasivm & quosdam alios. Sed illud arbitror me rectè cogitare; quod omnium quæ hi docent illa tantum necessitatem habemus recipere: quæ vel ex ipsa sacra scriptura, apertissimè & indubitabilissimè ostenduntur: vel per Concilium generale expresè examinata & determinata adepta sunt sententiam, vt debeant omnes ea admittere; vel etiam per nostram naturalem rationem, satis demonstrari valent. Quæ verò non talia sunt, non mihi videtur debitum esse ea admittere: neque periculum non credita & spreta nobis inferre. Non enim penitus illius auctoritatis æstimamus illos esse, cuius Prophetas & Apostolos, vt simpliciter quemadmodum illis, ita & his per omnia debeamus parere. Argumentum autem est quod Prophetæ quidem & Apostoli de nulla re sibi secundum rem ipsam contraria dicunt. Post hos verò Doctores nimis in multis & non paruis, & exponendo scripturam, & dogmatisando contraria sibi inuicem, secūdum rem ipsam dicunt: vt sine periculo nobis iam fiat, cui volumus assentiri. At verò Spiritum sanctum & ex Filio procedere, neq; per naturalem nostram rationem comprehensibile mihi esse videtur; neque ex ipsa sacra scriptura, sine omni ambiguitate certissimè ostendi, neque adhuc per generale Concilium, quod sciam, ratificatum est. Ergo etiamsi à multis sanctis id ipsum dicitur, nolle assentiri, nullum periculum mihi videtur esse. Restat ergo considerare auctoritatem Romanæ Ecclesiæ,

Nyssenum.

 siæ,

siæ, ne necessarium sit, quoniam mater est, & prima omnium Ecclesiarum credere simpliciter, quodcumque ipsa semper de Deo dogmatisat.

Sed ad hoc euenit mihi rursus hæsitare, ne fortè in dogmatibus fidei, quibus fidelis ab infideli distinguitur, non idonea sit illius Ecclesiæ auctoritas; sed requirendá etiam vniuersalis Ecclesiæ. Hoc autem dubito ex multis.

Primum, quòd in symbolo fidei non dicimus credere in Romanam Ecclesiam; sed in Catholicam. Quamquam quid prohibeat etiam illud nos dicere, si satis esset?

Deinde olim in diuersis orbis partibus, cùm multæ ortæ fuissent hæreses & quæstiones, & de Filio, & de Spiritu sancto, & de incarnatione: non referebantur quæsita ad Romanam Ecclesiam, vt ibi examinata & determinata omnibus tradantur: neque alij ad hoc solum respiciebant, quidnam illa Ecclesia de eis determinauerit: sed generalia aggregabantur Concilia & totius Ecclesiæ cognitio & sententia, de dubitatis vocabatur: cùm hoc esset multò difficilius quàm illud. Et quod magis est: neque iussu Papæ illa Concilia aggregabantur, sed pro vt apparet & per chronicas & imperiales epistolas, & per allocutiones ipsorum Imperatorum ad eos qui in illis Conciliis erant, imperialibus celebrabantur iussis. In quibus Conciliis, licet primum locum Papa obtinebat, vel eius legati: tamen Canones & determinata dogmata, non sunt exposita singulariter ex persona Papæ; sed ex persona totius Concilii.

Ad hæc igitur mihi respicienti, nimis necessarium videtur, & in præsenti quæstione, vt concurrat simul cum Romana Ecclesia, etiam totius Ecclesiæ auctoritas, atque cognitio. Siquidem & hoc ex debito necessitatis erit credendum. Quid igitur? ad credendum ne ex Filio procedere Spiritum sanctũ dico me hæsitare, ex solo verò Patre ipsum procedere, quod multi dicunt, arbitror rectè dictum? Multum deficio. Sed si potest dici, multò adhuc dubitabilius & incredibilius ad hoc me habeo.

Primùm enim per communes & naturales notiones ipsum demonstrari, per easdem vtique, quas & prius dixi caussas, impossibile mihi videtur. Deinde & in tota sacra & diuina scriptura nullum inuenitur dictum tale, per quod non dico apertè demonstrari; sed vel coniectura & suspicione percipi possit, quod ex solo Patre Spiritus sanctus procedit. Neque enim quoniam dixit Dominus, qui à Patre procedit;

ideò statim putari debet quia non ex ipso quoque procedit. Assuetum enim est ipsi saluatori, sua & Patris communia, Patri vt plurimum attribuere, non addentem verbo & se. Vt in illis: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur, & nemo potest venire ad me nisi Pater meus attrahat ipsum. Quamuis, quis negare præsumpserit, & ipsum Filium non plantare in pietate fidelium mentes, & ad salutem attrahere eas? Quare restat & de proposito ambigere, ne fortè simile sit illis, quæ Patri attribuuntur quidem, sunt aliis communia. Multa enim talia in Euangeliis reperiuntur: vbi etsi distinguendo dixisset, qui â solo Patre procedit: neque sic tolleretur omninò quærere, nè & ex eo procedat. Nam alio loco ait: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum; quamuis & ipse verus Deus existens. Et illud: Nemo cognoscit Filium nisi Pater: & Patrem nemo cognoscit, nisi Filius: quamuis & Spiritu sancto similiter cognoscente, & Patrem, & Filium. Quare & in illo si similiter dictum fuisset, posset vtique ambigi, nè forte ipsum tale esset, soli quidem Patri attributum, nihilominus autem & Filii existens. Adhuc autem etsi apertè fuisset dictum: Qui non â me; sed â Patre procedit; & ita nil minus ambigi posset. Multa enim communium dixit, neque se habere, neque facere. Mea doctrina, ait, non est mea, sed Patris: &; non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Et, sedere â dextris & â sinistris meis, non est meum dare vobis, sed his quibus paratum est â Patre meo: & horam illam, neque Filius nouit, nisi solus Pater. Quare si & illud similiter fuisset dictum, esset adhuc locus ambigendi; ne forte cum his sensu dictum fuisset, quamuis commune.

Vbi igitur & assuetum est Christo communia Patri attribuere, & neque distinguendo dixit, qui â solo Patre procedit: neque, Quod non â me: dubitabile prorsus & ambiguum efficitur, quomodo dixit hoc Saluator: vtrum vt intelligatur id solius Patris proprium esse, an volens commune, id est, sibi & Patris intelligi: quemadmodum & alia quæ similiter ab eo dicta sunt. Similiter & in symbolo fidei, quod Nicænum Concilium inchoauit, & CONSTANTINOPOLITANUM consummauit: legitur quidem ita simpliciter: Qui ex patre procedit. Sed vtrum ideò non addiderunt, & ex Filio, quoniam neque sapiebant hoc ipsi synodorum illarum Patres, nullatenus mihi certum patet.

Primum enim præter ea dogmata, quæ in symbolo sunt, multa

sunt & alia nimis necessaria ad fidem dogmata, & de DEO, & de prouidentia, de duabus naturis & voluntatibus & operationibus: de vna persona, de pœnitentia, de sacramento Eucharistiæ, de non esse præexistentiam animarum, vel principium substantiale malorum, & de multis aliis.

Circa quæ illos quidem Patres, verisimile erat rectè sapere, in symbolo tamen ipsa non posuerunt. Quare restat ambigere, ne forte & hoc illorum sit, quæ in symbolo quidem non dicuntur, aliter verò ab his creduntur. Quamquam sanctus ATHANASIVS, & magnus BASILIVS, & frater eius; qui dicuntur interfuisse prædictis Conciliis, manifestè videntur, idipsum quod Latini dicunt sapientes. An dicet aliquis corrupta esse horum scripta? sed ego & hoc incertò existente, merito vtique ambigo.

Deinde neque hoc seruauerunt omnino in symbolo, vt communia trium personarum vel duarum, assignent vt communia: propria verò sola vnicuique attribuant; sed è contrario in multis propter compendium, vt æstimo, fecerunt. Nam Omnipotens cum esset commune, Patrem omnipotentem dicentes, Filio vel Spiritui hoc non dederunt. E conuerso verò de Domino fecerunt, Filium & Spiritum Dominū dicentes: item *Factor* quidem omnium Spiritus sanctus est: sed hoc Patri & Filio tribuentes, de Spiritu nihil horum dixerunt. E conuerso verò viuificantem esse, & locutum esse per Prophetas, cùm essent communia, non Patri vel Filio, sed Spiritui reddiderunt. Rursus esse lumen de lumine, & DEVM verum de DEO vero; communia sunt Filii & Spiritus: illi verò de Filio, non de Spiritu hæc dixerunt. Quis igitur nouit, quod non similiter commune Patris & Filii sapientes esse, quod ex eis Spiritus sanctus procedit, satis putauerunt hoc ponere in Patre. Ego enim ex hoc neutrum concludi considero, neque quod ex solo Patre, neq; quod ex Filio procedit. Sicut neq; de illo superius commemorato Euangelico dicto.

Sed & nimis miror de illis, qui certum aliquid putant se ex his habere: de scriptis verò sanctorum nostrorum Patrum, quæ ad meas manus peruenerunt, trium vidi dicta, quæ videntur præbere ad propositum aliquam difficultatem: sancti DIONYSII AREOPAGITÆ, & sancti GREGORII Theologi, & sancti IOANNIS DAMASCENI. Vbi sanctus quidem DIONYSIVS ait solum esse fontem supersubstantialis Deitatis patrem. Theologus verò geminum radium Patris, nominat Filium & Spiritum sanctum.

DAMASCENVS verò dicit,quòd Spiritus non dicitur ex Filio. De quibus illud primum considero, quod etsi apertissimum esset, ipsos per hæc dicta sapere, quòd Spiritus sanctus ex solo Patre procedit, & non, & ex Filio; nondum hoc per Concilium generale expressè examinato & confirmato: nullum esset propter eandem vtique,quam & prius dixi, causam; nolle credere periculum: & cum his pluribus sanctis contrarium dicentibus,&explicantibus,& latius problema discutientibus: sicut Sanctus AVGVSTINVS,& Sanctus CYRILLVS, multaq; habentibus de sancta Scriptura dicta, non minimam suspicionem præbentia huius dogmatis. Et adhuc matre omnium Ecclesiarum, quæ nunquam superioribus temporibus deprehensa est aliquam hæresim defendere, idipsum affirmante. Quid potius his tribus credendum erit, semel hoc dicentibus & scripturarum testimonia huius ipsius minimè habentibus?

Deinde huiusmodi dicta penitus sunt ambigua. Et vt primum de primo dicam,quoniam si Spiritus sanctus procedit & ex Filio, Filius hoc habet ex Patre, & Pater est Fons, qui non ex alio habeat, vt sit Fons,vel ex alio emanat: Filius verò fit veluti fons de fonte,quemadmodum & principium de principio dicitur, incertum prorsus fit. quo sensu hoc dixit ille Sanctus; vtrum sapiens, quia ex solo patre procedit Spiritus: an & ex Filio quidem ipsum sapiens. Dicens verò illud Verbum, ac si diceret, solus fons supersubstantialis Deitatis, qui non emanat ex alio fonte,& ex quo alius habet, vt sit Fons, Pater est, apud quem est Fons Filius, vitæ, scilicet Spiritus. Ad vtrumq; enim sensum satis se potest habere illud verbum.

Rursus de gemino radio. Primo quidem dubitatur ille sermo, in quo hoc scriptum est, vtrum sit Theologi, multum enim distat ab eius stilo: deinde nihil prohibet & vtraque intelligi,& geminum radium esse Patris Filium & Spiritum, in quantum perfectè & ambo ex Patre habent *Esse*. Et rursus Spiritum & ex Filio procedere, eadem vna & simplici processione, qua & ex Patre procedit, vna existente in Patre & Filio spiratiua potentia; nullo mirando, si in visibilibus radiis huius exemplum non videtur. Incertum ergo fit ex hoc verbo, quidnam qui hoc dixit, de proposito sentiebat. Et maximè quod ipse Theologus dicens de Filio, quòd solus de solo; de quo nemo erat suspicaturus,nè forte secundum Deitatem,non ex solo sit Patre. De Spiritu sancto nusquam ait: solum de solo. Ex quo non paruam suspicionem præstat,ne forte & ex Filio sentit ipsum.

DAMA-

DAMASCENVS verò penè videtur ſola voce diſcrepare ab his, qui dicunt ex Filio Spiritum ſanctum procedere, non tamen & re. Ita ſe habere ad Patrem, Filium, & Spiritum, quemadmodum ad ſolem ſe habet radius & illuminatio: quæ vtraque quidem ſunt ex ſole. Per radium verò nobis illuminationem tradi ait. At verò idipſum penè eſt, & quod ſentiunt, qui & ex Filio Spiritum ſanctum eſſe dicunt. Sicut enim radius ſimul procedit de ſole, & accipit ex eo, vt emitteret illuminationem: ita & Filius, vt aiunt, ſimul natus eſt ex Patre, & accipit ab eo ſpirare Spiritum. Et ſicut ſiue dicatur illuminatio ipſa & ex ſole eſſe, & ex radio, ſiue ex ſole per radium, non tāquam ex duobus principiis ſole & radio, illuminatio eſſe dicitur: ita & ipſi minimè aiunt tanquam ex duobus principiis Spiritum ſanctum procedere, ex Patre Filioque; ſed tanquam ex vno. Quare & eadem penè videtur ſentire his, & DAMASCENVS.

At ſine hoc radii & illuminationis exemplo, dictum illud per ſe, quo dicit: Spiritus non dicitur ex Filio, ambiguum eſt. Non enim idem eſt dicere; hoc non dicitur, & hoc non eſt: in multis enim diſſonat, cùm ſint multa quæ non dicuntur, & ſunt. Velut ſi quis dixerit, Spiritum ſanctum non dici in ſcriptura, *Deum verum de Deo vero*. Ergo quoniam DAMASCENVS non dixit, quòd Spiritus ſanctus non eſt *ex Filio*; ſed quod non dicitur *ex Filio*: incertum vtique eſt quid de hoc ſentiebat: vtrum tantum neque ente, neque dicto; an tanquam non dicto, & ente. Sed de his ſatis ſit.

Videamus ergo & fortiſſimos ad hoc eorum ſyllogiſmos. Exponam autem eos non mea eruditione; ſed vt de verbo ad verbum eos exponit quidam noſtratum ſapientum, in ſuo contra Latinos tractatu. Ait enim ſic. Si Spiritus ſanctus procedit & ex Filio, vt aiunt Latini; contingit neceſſariò aut duo principia eſſe in Deitate; aut Patrem & Filium vnam eſſe reſpectu Spiritus perſonam. Duas enim ſcimus differentias eorum, quæ de DEO dicuntur.

Alia enim ſunt eorum ſubſtantialia & naturalia, quęcumque & diuiſim de qualibet perſona prædicantur, & ſingulariter ſimul de tribus; vt *Bonum*, *ſapiens* & ſimilia. Alia ſunt perſonalia, quorum ſingulum, aut de vna ſola perſona prædicatur: aut ſi prædicatur diuiſim de pluribus; impoſſibile tamen eſt, ſimul ſingulariter de eiſdem prædicari. Vt emanare ex alio, cum ſit perſonale, prædicatur & de Filio, & de Spiritu: & eſt, & Filius emanans, & Spiritus emanans; non tamen hi duo vnus emanans eſt; ſed duo emanantes. Vere enim impoſſibile eſt,

vnam personalem proprietatem de duabus personis, etiamsi sint eiusdem substantiæ, singulariter prædicari.

Quamuis enim aliqui duo idem audiunt, vel vident, vel intelligunt, vel volunt, vel quodcumque agunt: non tamen possumus dicere, quod vnus audiēs, vel videns, vel intelligens, vel volens est; sed duo. Ergo quoniam esse principium Spiritus, & spirare Spiritum, non est substantiallum proprietatum; sed personalium: non enim prædicatur de Spiritu, siquidem, vt ipsi aiunt, & de Filio prædicatur: necessarium est dicere Patrem & Filium duos Spiratores, & duo principia esse Spiritus sancti. Quod pro certo inconueniens est.

Si verò dicit aliquis, quoniam vno & simplici & eodem modo ex vtroque procedit, ideò vnus est simpliciter spirator Spiritus sancti Pater & Filius: ille necessario incidit in alterum inconueniens. De quibus enim vna numero personalis proprietas seu differentia singulariter prædicatur: illa vtique secundum vnam numero prædicationem eadem numero sunt. Quare? quia spiratorem esse personalis est proprietas seu differentia, aggregantur Pater & Filius secundum id ipsum quod sunt vnus Spirator ad vnam personam. Pater ergo & Filius in quantum ad inuicem referuntur, duæ personæ sunt. Per id verò quod vnus Spirator sunt, vna persona sunt.

Si verò dicit aliquis quòd sicut Pater & Filius vnus Deus est & vnus æternus, ita & vnus est spirator Spiritus sancti: Respondebitur, quod sicut Devm esse, & æternum esse & alia substantialia singulariter de Patre & Filio prædicata, repræsentant eorum vnam substantiam & essentiam: Magis autem per id quod eorum est simpliciter, & summe vna substantia: contingit & hæc substantialia singulariter de eis prædicari, ita & esse spiratorem; cùm sit personalis proprietas seu differentia & singulariter prædicetur de Patre & Filio, assignabit eorum vnam esse secundum hoc personam. Magis autem ex eo, quod esset secundum spirare eorum vna persona; contingeret hoc singulater de eis prædicari. Si verò hoc impossibile est, & illud ex quo ortum hoc est impossibile.

Hoc est illius argumentum, quod multi aiunt in nullo deficere* ad necessitatem à Geometrica demonstratione. Totum verò robur eius pendet ex duabus communibus notionibus, vna quæ ponit impossibile esse, vnam personalem proprietatem, de duabus personis singulariter prædicari. Altera verò quæ sumit de quibus vna numero personalis proprietas singulariter prædicatur: illa secundum idem ea-

*scilicet. Nugæ Græcanicæ.

dem esse numero. Et verè si scirem pro certo has notiones communes, veras esse, & in supersubstantiali essentia: reciperem vtiq; & conclusionem. Sed ego hoc nimis ignoro. Et eadem mihi eueniunt hæsitare, quæ & ad Latinorum syllogismos superius dubitabam. Nam etsi concedatur in his rebus, quæ sub mente nostra sunt, quarum videlicet intelligendo dominamur, & quas tangimus & comprehendimus veras esse dictas communes notiones, quod etiam ipsum multas potest habere contradictiones, quæ necessitas est, vt etiam in dissimilibus & aliter se habentibus rebus & nostras infirmas intelligentias infinities infinitè fugientibus, & ideo incomprehensibilibus, & superintelligibilibus eædem sint veræ? Si enim verè superius dicebamus, non omnes in entibus veras communes notiones, & vsq; ad supersubstantiale posse conscendere: vnde pro certò sciemus, hæc quarũ sunt, vtrum earum, quæ vsque illuc extenduntur, an non? Neque enim in notis rebus â nobis reperiuntur alia duo, quæ per omnia ita se habent inter se, sicut ibi Pater & Filius, inter se se habent. Fortasse enim & vnus est spirator Spiritus sancti Pater & Filius, & Deitate transcẽdente, etiam duas dictas communes notiones, nullo modo contingit vnam personam esse Patrem & Filium respectu Spiritus. Et qualiter non contingit hoc, nullum miraculum est nos ignorare: qui & confitemur nos penitus ignorare illud quo processio â generatione distinguitur. Item cùm necessarium sit, aut credentem & in diuinis veras esse prædictas communes notiones, deceptos putare, & S. Augustinum, & S. CYRILLVM, & alios, qui manifestè dicunt Spiritum sanctum & ex Filio procedere, aut his assentientem credere DEVM superiorem etiam esse prædictis duabus communibus notionibus. Hoc mihi multo tutius & religiosius videtur.

Videamus si placet & aliud eiusdem argumentum; quoniam ait: Pater & Filius, sunt & vnum, sunt & duo. Aut procedit Spiritus ex Patre & Filio, in quantum vnum sunt, aut in quantum duo sunt: Sed si in quantum duo sunt; erunt duæ processiones & duo principia: si verò in quãtum vnum sunt: quoniam hoc vnum est substantia & natura & Deitas; Pater ergo & Filius, per id quod vna sunt substantia & natura & Deitas, spirant Spiritum. At verò secundum id quod spirant Spiritum, & differunt ab eo. Pater ergo & Filius secundum vnam, quam habent substantiam & naturam & Deitatem, differunt â Spiritu. Non ergo Spiritus eiusdem est omnino cum Patre & Flio substantiæ & naturæ & Deitatis: quod contra fidem nostram est. Est au-

tem hic paralogismus, per id quod sum it *simpliciter* quod *secundum quid* conceditur. Latini enim neque per id quod duo sunt, Pater & Filius, aiunt ex ipsis procedere Spiritum. Neque secundum quod simpliciter vnum sunt; sed secundum id quod aliquid vnum sunt. Scilicet secundum vnam, quam habent spiratiuam potentiam. Quid igitur? illi secundum aliquid concedunt: iste simpliciter sumens *paralogismum* fecit. Est autem eiusdem & tale argumentum.

Nos, ait, Filium & Spiritum â solo Patre dicentes habere essentiam, quod per omnia entia conuincitur verum esse dicimus. In omnibus enim vnitas, dualitatis est principium. Illi verò Spiritum ex Patre & Filio esse dicentes, omnia entia contradicentia habent. Nusquam enim dualitas est principium vnitatis. In his primum quidem videtur numeri superficialis ab vnitate progressum conspicere, non tamen & linealis numeri progressum. In illo enim duo immediatè ex vno progrediuntur: in hoc verò & duo ex vno procedunt: & tertia vnitas ex prima & secunda procedit.

Sed ego neque propter fantasma superficialis numeri, ex solo Patre dicam Spiritum sanctum procedere; neque propter fantasma linealis numeri, & ex Filio affirmabo. Neque enim tutum neque religiosum puto, huiusmodi nostris imaginationibus tanquam regulis in supersubstantialibus vti.

Deinde Latini non aiunt dualitatem principium esse vnitatis; sed Patrem & Filium, per id quod aliquid vnum habent, vnum esse principium, non duo vnius. De syllogismis quidem illorum hæc dictá sufficiant. Hi enim sunt eorum quos vidi, qui videntur esse fortissimi. Cogito autem & ita. Quoniam Spiritum â solo Patre procedere, neque sensibile est, vt possit per sensum percipi: neque naturale, vel aliquid contingentium, vt possit ea quæ propriè dicitur opinione & imaginatione cognosci; sed est super sensum & sempiternum: necessarium est, vt sit rectè ei assentiendum, aut scientia aut fide hoc facere. Sed ego putare hoc esse scibile & demonstrabile & communibus nostris notionibus comprehensibile; carentis scientia arbitror esse. Restat itaque fides.

At verò illa talium dogmatum dicimus nos rectè credere, quæ dicente aliquo ingentem auctoritatem habente, & cui credere quidem est salutare; non credere verò periculosum, nos recipimus. Cui igitur tali ego credens non temerè mihi videbor hoc facere? sacræné scripturæ? at nihil tale ipsa loquitur. An generalibus Concilijs hoc

deter-

determinantibus & dogmatiſantibus? ſed neque hoc. An multis ſanctis exponendo ſacram ſcripturam hoc apertè & per multa tradentibus, & ex illa hoc habere aſſerentibus? & quomodo hoc poſſit dici? an poſtremò matri Eccleſiarum? at verò hæc contrarium dicit. Nonnè ergo ſummæ erit deměntiæ, dicere quidem credere aliquid de DEO, non habere autem aſſignare, cui credens rectè hoc admittit. An dicet aliquis, quod reliquum eſt, illuminatione quadam occulta & diuina ſe hoc ſenſiſſe? ſed ego nondum hanc adeptus ſum.

Habes & cauſas, per quas neque neceſſarium, neque tutum, neque alicuius prudentiæ æſtimo eſſe, & huiuſmodi aſſentiri dogmati. Quoniam verò ſuperius dixi: adhuc incredibilius me ad hoc habere, quàm ad illud quod Latini dicunt: volo tibi & hanc compaſſionem oſtendere.

Primum quidem video maioris eſſe audaciæ, negare non procedere & ex Filio Spiritum, quàm oppoſitū. Sancto enim DIONYSIO dicente, in ipſo de diuinis nominibus: non audendum totaliter de Sancta Trinitate intelligere aliquid vel dicere, præter ea, quæ diuinitus nobis per ipſa expreſſa ſunt per ſacratiſſima eloquia. Illi qui dicunt à ſolo Patre procedere Spiritum ſanctum, audaciæ huius vtique rei ſunt. Quod enim per ſacratiſſima eloquia oſtendi minimè poteſt, hoc auſi ſunt ipſi de Deo intelligere.

Latini verò multis in ſacra Scriptura dictis non paruam ſuſpicionem præſtantibus, & ex Filio Spiritum ſanctum procedere, ipſi vt credo, putantes, ex illis hoc ſignificari, erga ſacram Scripturam, reuerentia & religione, & volendo ad ipſam obedienter ſe habere, hoc recipiunt. Quare multum differt hoc ab illo. Nullius enim, vel minimæ audaciæ videtur eſſe.

Item non mediocris & audaciæ & præſumptionis procul dubio eſt, in dogmatibus de ſumma Trinitate, ſuam cognitionem ſanctorum & magnorum Doctorum cognitioni præponentem. At verò qui dicit ex ſolo Patre procedere Spiritum ſanctum, multis & magnis Sanctis, & præcipuè S. AVGVSTINO, & S. CYRILLO, qui latius & apertius oppoſitum docent, ſe ipſum neceſſariò putat ſapientiorem & religioſiorem. A Latinis verò nihil huiuſmodi peccatur, nullo ſanctorum à ſolo Patre procedere apertè & indubitabiliter tradente.

Deinde ſupponens in parte vtrumque falſum eſſe, & perquirens, vtrum falſum exiſtens, maioris ſit periculi, inuenio dogma Latinorum multò tutius. Hoc enim etiamſi ſit falſum, tamen addit ibi aliquid

liquid velut Deo dignum, nihil adimendo. Spiritui enim nihil detrahit. Non enim ex hoc minoris dignitatis, quàm Filius fit. Filio verò nihil auferens, * de his quæ habet, detrahens, addit, quod non solùm ipse perfectè est Spirator, verum etiam spiratorem genuit. Illud verò, quod Græci dicunt, siquidem falsum est, papé, quam magna blasphemia est? addens quidem nihil, detrahens verò, Filio quidem spirare Spiritum, Patri verò generare spiratorem. Et est simile, vt si quidam Scriptura tradentes erga quatriduanum LAZARVM Domini miraculum vnus diceret, non obiisse illum; sed passionem quandam circa cor ei accidisse, & visum esse mori. Dominum verò quarto die, passione illa ipsum liberasse. Aliùs rursus diceret triginta dierum mortuorum vel adhuc vltra resuscitatum fuisse â Domino. Vtraque enim falsa essent. Sed vnum detrahit, aliud addit illi miraculo, vt non sit æquale peccatum.

*nec patri.

Consequenter rursus perquirens, vtrum falsum existens rationabiliores possit habere in iudicio excusationes? inuenio multum interesse. Latinus verò, siquidem falsum dicit, reddẽdo huius rationem, multa poterit habere bona refugia. Quòd in diuina scriptura multa fuissent, quæ videbantur hoc concludere, & ipse voluisset reuerenter ad ipsam se habere: quòd ex fide, zelo, deuotione, amore ad ipsum dominum credebat, aduersus eum se blasphemare, nisi crederet ex ipso Spiritum sanctum procedere. Quod multi sanctorũ, qui in ipso iudici placuerunt, hoc apertè & per multa tradidissent, quod mater Ecclesiarum semper hoc docuisset. Ei verò qui alterius partis est, siquidẽ errat, neque aliquid horum conuenire ad excusationem in iudicio inuenio: neque aliud, vt ita dicatur, quicquam ratione dignum.

Item quoniam homines multa contra ea, quæ opinantur ex aliqua contentione, vel sui amore, vel alia quadam passione dicunt, perquirens ego, quos magis verisimile est â principio ex aliqua tali passione commotos dicere: vtrum Latinos, quod ex Filio; an Græcos, quòd hæresis & error hoc est, inuenio rursus eandem differentiam. In multis enim his nostris subditis illi Ecclesiæ, & multis hic æstimando se â * matribus iniuriam pati ad ipsam refugientibus, illaque excommunicatione & aliis iussis & omni modo coërcere, hic maiores ab iniuria conante: & hoc, vt verisimile est, his non parum displicente, istis quidem ex diffamando illam Ecclesiam in dogmatibus peccare, suæq; hoc persuadendo, videbatur aduenire magna malorum liberatio: & videlicet omnia secundum beneplacitum suum facientibus: nullus de

*maioribus.

cæte-

cętero illùc recurrere velit, atque illi rationabiliter videantur, iussis Papæ nolle obedire.

Itaque Imperatori hoc prouenit, quod prius non habebat, Patriarchas confirmare & proponere, & nullam relinqui Ecclesiam, quæ valeat ipsi in aliquo resistere. Ipsi verò Patriarchæ nouæ ROMÆ, vt vniuersalis nominaretur, & non secundus post primum, sed ipse primus in Ecclesia â consecratoribus æstimetur. Neutrum enim horum ante schisma erat. Latinis verò ex dicendo, ex Filio Spiritum sanctum procedere; neque aliquorum malorum liberatio; neque non præsentium bonorum acquisitio accedebat. Quare ex passione â principio commotos dicere magis Græcis quâm Latinis videtur posse contingere.

Ex his igitur & talibus, licet nondum visum est mihi fidem adhibere Latinorum dogmati, tamen multò videtur mihi rationabilius esse, non credi, quod Græci dicunt, quam illud. Tuum de cætero sit, quod & in principio precatus sum, te nobis in scriptis, reuelare & significare velle, quidnam est illud, quod tibi persuasit, & ex Filio Spiritum sanctum procedere, pro certo credere: & ex hoc hæreticos & schismaticos eos, qui non hoc sapiunt, nec confitentur putare. Amici omnes salutant te. Et epistola hac lecta coram eis, eadem & ipsi hæsitare, & â te petere se dicunt.

Epistola Domini BARLAAMI *Episcopi* GYRACENSIS *ad eundem* DEMETRIVM THESSALONICENSEM, *respondens ad petita; hortatur eum ad vnionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ.*

CVM accepissem, ô amicum mihi caput, tuam ingenuam & admirandam & disertissimam epistolam; legissemque & intellexissem, vt arbitror, quæ in ea sunt: ita tibi ad interrogata respondeo.

Ego neque prius sciebam, vtrum â solo, an non â solo Patre procedit Spiritus sanctus, neque nunc arbitror me scire. Puto enim huiusmodi problema & nunc & tunc, quemadmodum & tu in

epistola optimè dicere mihi videris, super omnem esse humanam & scientiam & mentem,& methodum & demonstrationem. Sed & prius credebam quod à solo Patre, & nunc rursus credo, quod etiam ex Filio. Recessi verò ex illa credulitate per easdem causas & easdem cogitationes, per quas & tu per multa ostendisti in eadem epistola, non debere te credere putasti his, qui à solo Patre dicunt; sed multò incredibiliores hos aliis esse debere discernis.

Quæ autem me ad firmiter credendum & ex Filio procedere Spiritum sanctum duxerunt,tria maximè sunt. Quorum duo & in tua epistola continentur: scilicet, quod multi nostrorum Patrum, & magnam opinionem habentium, sacram & diuinam exponendo Scripturam,ex ipsa aiunt se intellexisse,& ex Filio Spiritum sanctum procedere. Et ideò apertissimè & per multa in suis scriptis hoc docent, Sicuti S. Augustinus,S.Cyrillus. Et secundum quod etiam Romana Ecclesia, quæ & dignitate & dominio, & erga Scripturam diligenti studio superat omnes, quæ semper recta defendit dogmata:idipsum à principio docet & tenet. His enim duobus, ô amice, tertium additum,quod tu videris adhuc ignorare;quia etiam generale Concilium, de eodem ipso celebratum est in Lugdunis: quod hoc affirmans,contradicentes omnes pro hæreticis haberi statuit. Hoc inquam ab omni ambiguitate remanens,totum facit huius dogmatis. Ab hac enim synodo & habente & faciente,quæcunque oporteret habere & facere generalem synodum; examinato & determinato, & ex Filio procedere Spiritum sanctum: Qui hoc non recipit, tanquam iam Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem & dogma contemnens; iustè vtique & meritò schismaticus & hæreticus habebitur. Et credo, quod si fuisses de hac synodo informatus, non adhuc videretur tibi non necessarium esse, hoc recipere dogma. Et nunc quidem transmitto tibi, determinationem huius synodi, in fine epistolæ scriptam. Postmodum verò, si DEVS voluerit, mittam tibi & huius acta: ex quibus scire poteris,& quod generalis fuerit,& quod nihil eorum, quæ debebat habere & facere omisit.

De expositione verò nonnullorum dictorum scripturæ,ex quibus Latini suum concludunt dogma, de quibus dixisti,propter quod possunt habere duplam expositionem, te ambigere & non habere cui magis assentiaris: potes vtiq; & illud cogitare, quod illi quidem, qui exponunt ipsa, ita vt concludant & ex Filio Spiritum procedere, diuini viri sunt: Sanctus videlicet inter alios AVGVSTINVS & Sanctus

CYRIL-

CYRILLVS. Alios enim Latinorum Sanctorum, qui similiter eadem exposuerunt, omitto. Videris enim eos minimè inuenisse. Illi verò qui eadem ipsa aliter exponunt, addentes id ipsum minime posse esse, alium eorundem præter hunc intellectum, Græci sunt: qui post schisma Latinis contradicunt. Quoniam antiquiores Græci, qui similiter modernis Græcis eadem exponunt, nullo modo addunt, impossibile eorundem, & alium esse sensum. Scis quippe quod nimis in multis potest fieri, eorundem diuersos esse intellectus, non repugnantes sibi, & non omnes ab omnibus aperiri; sed alios ab aliis. Quales sunt repugnantes intellectus, & tu ostendisti in pluribus dictis & magis ad concludendam necessariis ex eis Latinorum conclusionem. Admittentes enim Latini integrè, & illum, quem dixisti, eorūdem posse fieri alium sensum: ita suum habuerunt. Quare cum sancti & beati viri: qui vtroque modo huiusmodi dicta intelligunt, & ex Filio procedere Spiritum sanctum ex ipsis concludunt, non tales verò sint illi, qui prout volunt, eadem intelligentes, illum sensum per quem processio Spiritus sancti, & ex Filio concluditur, negant: non debemus æqualem vtrisq; fidem adhibere. Quamquam illam per insufflationem Spiritus donationem, si parum diligentius considerabis; inuenies secundum Latinos sensum solum & minimè alium posse habere: nisi quis omnino coactè & sophisticè idipsum exponere voluerit.

Attende enim ita. Dixisti, aliter exponentes dicere velle ex hoc scripturam nos intelligere, quòd Spiritus non est maior Filio, & quod deificantia charismata, communia sunt & Filii & Spiritus. At vero ad hæc intelligenda vel credenda, sufficiebat tātum dicere: Accipite Spiritum sanctum: insufflare verò nihil ad huiusmodi sensum confert. Neque enim ipsa Spiritus substantia, neque eius ipsa gratia erat ille corporaliter de sancto ore exiens flatus, neque Apostoli absorbentes illum, gratiam acceperunt, cùm aliter non possent. Quid igitur volebat sibi insufflatio illa? siquidem & dicente ipso tantum: *accipite*, vel, *do vobis Spiritum sanctum*, habet quod Græcorum vult expositio? an certè, vt ait S. AVGVSTINVS, quemadmodum in multis scriptura de sensibiliter, & in tempore vel factis vel dictis, reducit nos ad intelligibilium & sempiternorum contemplationem, ita & signum hic aliquod hoc præbuit Saluator, reducens nos ex ipso ad intelligendam vel credendam intelligibilem, magis autem superintelligentiam, & ex se sui consubstantialis Spiritus processionem? Ergo si hoc solummodo rationabile est intelligi, rationabile certè quoq; credere est.

De syllogismis verò ipsorum & argumentis, quæ ais, non de necessitate concludere propositum, neque posse animæ *inquisitiuæ* ad plenum satisfacere: non enim hoc mirandum. Scis quippe quod in multis, vera conclusione existente, nimis prauè ad eam sermones fiant, non semper ex imperitia dicentium hoc contingente; sed aliquando ex ipsa propositæ rei natura: non abundante melioribus atque fortioribus sermonibus. Aliquando verò arbitrante ipso dicente per huiusmodi sermones audientibus maximè persuaderi posse. Sæpè enim contingit ea per quæ aliis persuadetur, apud alios ridicula putari. Item neque per quæ cuiquam est persuasum aliquid, per eadem semper aliis, semper persuaderi nititur; sed quia sequi eos æstimat, hac & ducere tentat. Ita igitur & Latinos noli putare his syllogismis & argumentis credentes tenere, quod dicunt: Ipsi enim hoc credunt ex tribus illis, quibus dixi & me ad id ipsum credere: re verò existente super rationem, & multis nolentibus ex dictis tribus similiter hoc credere, sed potius argumentis & syllogismis humanis & Deo condignis, oppositum ostendere conantibus: ipsi cupientes ad se hos conuertere, quæ vtique cogitant semper de proposito accommodata esse, ad refellendos eorum syllogismos, & ipsis fortasse persuadendum recipere, quod quæritur: hæc & dicunt, minimè, vt dixi, per eadem ipsi idem credentes; sed propter aliorum incredulitatem, ac per similes syllogismos contradictionem, huiusmodi coguntur vti sermonibus: per quos non est incredibile & multis persuaderi.

Caussa est igitur eius, quod ad acutum & inuestigatiuum tuæ *Deiformis* animæ defectuosi videntur eorum syllogismi, sublimitas propositæ quæstionis, efficaciores non suscipiens syllogismos: & quod eos faciunt ad habitum, vti coniectant, non credentium, & per similes syllogismos oppositum defendentium: vt etiamsi non ad plenum eis persuadetur; attamen multum confidere suis syllogismis, eis auferatur: & his qui sunt adhuc ad fidem infirmiores, auxilium quoddam præstetur; ne moueantur per similes syllogismos. Ceterum si omnes sentirent, ita dispositos, vt ego te ex tua epistola video, non vtique talibus vterentur sermonibus. Attende autem & sic.

Ecce humana mente ratiocinari de illa re, de qua ait sanctus DIONYSIVS, magis verificari omnium quæ dicimus, quæque intelligimus, negationes quàm affirmationes: commune iam est & Latinorum & oppositum defendentium Græcorum. Fides verò nequaquam communis est; sed Latini quidem habent assignare quæ di-

xi

xi tria, maximam habentia auctoritatem & dignitatem & magnitudinem ad fidem: quibus vtique religiosè credentes aiunt Spiritum sanctum & ex Filio procedere. Illi verò qui dicunt ex Patre tantum procedere Spiritum sanctum, ad nihil tale se reducere valent. Quare syllogismis omnibus circumscriptis, Latinis quidem remanet fides: his verò & fides & obligatio ablata est. Neque putes Latinos credentes Spiritum & ex Filio procedere, eiusdem Spiritus processionem vel similem putare Filii generationi; vel differentem quidem: aliqua verò penitus nota differentia, differre à generatione Filii. Et in hoc enim idipsum cum sanctis nostris Patribus, & ipsi credunt: vt quo differunt ibi generatio & processio, non omnimodo notum esse hominibus. Si verò in disputationibus ad Græcos, vt tu ais in Epistola, non videntur hoc seruare: scito hoc eos facere, sicut & ipsi Patres vestri faciunt: qui dicentes multis locis, nullum esse exemplum, vel in sensibilibus, vel in intelligibilibus summæ Trinitatis; tamen propter eos, qui nequeunt fide percipere Trinitatis Sacramentum: ad multa condescendunt exempla. Ita & hos aliorum incredulitas & infirmitas euocat, ad condescendendum ad aliquas notas similitudines, propter quas videntur discernere processionem à generatione: vt ex his ad conclusionem, quam fide oporteret teneri, perueniatur; non putantes absurdum, si eos, qui per simpliciter sanatiua curari non valent: per aliis nociua ipsos ad sanitatem possint reuocare. Sed de his quidem satis.

Necessarium autem arbitror adhuc & illud tibi ostendere: quod licet tria dixi superius esse, quæ coëgerunt me credere & ex Filio Spiritum sanctum procedere, hoc est, multos magnorum Sanctorum hoc apertissimè tradere, matrem Ecclesiarum hoc semper dicere: per generale etiam Concilium hoc fuisse affirmatum: tamen quodlibet horum, sine aliis per se visum non habens, reliqua duo opposita satis se habere considero, vt idipsum credatur. Et tu qui adhuc videris ignorare, Vtrum de hoc factum fuisset generale Concilium, si volueris tuas in epistola cogitationes, inter se coniungens aduertere, quid ex ipsis necessariò contingit, inuenies valde necessarium, & ex sola auctoritate Sanctorum, quos dixisti: vel ex sola Ecclesiæ Romanæ te credere, quod etiam ex Filio Spiritus sanctus procedit. Aduerte autem sic.

Dixisti te scire multos magnorum sanctorum exponendo diuinā scri-

tus incepisse Romanam Ecclesiam aliquid de dogmatibus fidei sapere & dogmatisare; quod prius neque docebat, neque sentiebat. Secundum est illud, nouiter dogmatisatum ita se habere opposite & repugnanter aliquid eorum, quæ vel in sacra Scriptura apertè dicuntur, vel in generalibus Conciliis expresse determinata sunt, vt cum hoc sit, nullo modo possit illud esse: & cùm illud sit, minimè hoc locum habeat. Rationabilissimum enim esset à talia dogmatisantibus diuidi.* Neutrum enim horum contingente, irrationabile velle omninò diuidi, relinquitur. At verò neutrum horũ in exordio schismatis Ecclesiæ Romanæ contigit. Nam de processione, & ex Filio Spiritus sancti, sancti illi, quibus Ecclesia Romana mox credens, hoc tenet, facti sunt ante inchoatum schisma, alii trecentis, alii quadringentis, alii verò & quingentis annis. Et vt vnum præ omnibus dicam; qui non transitoriè, sed de eodem ipso principaliter loquens, apertissimè id docet: magnum, inquam, AVGVSTINVM. Hic circa tempora THEODOSII Magni claruit, annos videlicet ante schisma & vltra quingentos: cuius ex tunc Ecclesia vtique Romana scripta habuit, cùm esset eiusdem linguæ, & dogmata veneratur.

* *Neutro.*

At verò dicere & ex Filio, nihil oppositum est, ad dicendum ex Patre. Non enim si procedit & ex Filio, tollitur procedere & ex Patre; sed potius illo prius concesso, & ex Patre procedere necessariò sequitur. Quæ vero ita se habent inter se, repugnantia non sunt. Ergo & diuina Scriptura prius dicente, ex Patre procedere Spiritum sanctum; & postmodum Conciliis idipsum dicentibus, Ecclesia Romana dicens & ex Filio, non dogmatisat aliquid illis repugnans, & dicta illorum interimens; sed potius tale: quo concesso, illud necessariò confertur. Nam sicubi adhuc dictum non fuisset, quod Spiritus procedit ex Patre, & crederetur Ecclesiæ Romanæ, quod ex Filio procedit: ex hoc vtique concluderetur necessariò illud. Nam si procedit ex Filio, qui omnia quæ habet, ex Patre habet: procedit ergo & ex Patre. Quare non tolluntur ex hoc, quæ prius credebantur; sed adhuc magis roborantur. Ergo si in principio schismatis, nihil nouum vel repugnans alicui eorum, quæ à tota Ecclesia credebantur, dogmatisare cepit Ecclesia Romana: quomodo non omnino extra rationem eius illi refutarunt communionem, vel quomodo non ex aliqua elatione & superbia, vel ambitione & auaritia, vel tali aliqua passione ipsi hoc passi sunt? neque enim illud, quod multorum est, dici potest, quod synodi-

eo canone prohibente, adimere aliquid vel addere, fidei ſymbolo, illi ab auſa aliquid addere meritò diſceſſerunt.

Primum enim nullus talis Canon in Conciliis inuenitur. Deinde non ante ſchiſma, nòn in huius principio, non paulo poſt, ſed multis poſt hoc annis, Eccleſia Romana, cùm per multas prius legationes, de eodem Græcos admonuiſſet & hortata fuiſſet â deterrimo ſchiſmate diſcedere, vt non habuit obedientes, denique Concilium ſuper hoc ſibi obedientibus celebrari faciens, hoc in ſymbolo non immerito addidit. Quoniam ſi ſimiliter tanta Chriſtianorum gens negaſſet non eſſe Filium omnipotentem, vel viuificantem: & multæ adderentur quotidie huic hæreſi: certè non careret ratione, ſi de hoc ſani Chriſtiani ad refellendam hæreſim in ſymbolo id ponerent. Nulla itaque præcedente rationali cauſſa, ob quam primi illi â matre Eccleſiarum ſe ſegregauerunt; certum eſt, quod & illi & omnes qui illos ſequuti ſunt, procul dubio ſchiſmatici ſunt. Nullos enim alios appellamus ſchiſmaticos, niſi illos, qui principalioribus & dignioribus in Eccleſia dogmatizantibus * oppoſitis ſe habens, ad aliquid eorum, quæ vel in ſacra Scriptura apertè dicuntur, vel in generalibus Conciliis expreſsè determinata ſunt, vel à tota Eccleſia communiter creduntur, â debita illis credentia & communione, propter quandam aliam paſſionem diſcedunt: ſiue multi ſiue pauci ſint: nihil enim intereſt, quoniam non multitudine & paucitate; ſed prædicta ratione ſchiſmaticus notatur, quoniam & hi complentes iure, & hoc nomine digni habiti erunt. Aut igitur oſtendant, quid Latinis dicentibus contingit ex ſermone ipſorum, neceſſariò Spiritum ſanctum non procedere ex Patre, vt ita tollatur, & quod in ſymbolo, & quod in Euangelio dicitur, & â tota Eccleſia creditur; aut ſi hoc impoſsibile eſt, ſciant ſe extra Catholicam Eccleſiam eſſe, & nullo â ſchiſmaticis differre.

* *oppoſitè ſe habentes.*

Quoniam verò ipſi vndique coarctati, poſtremò ad Euangelium & ad ſeptem generalia Concilia refugientes, putant ex illis excuſationem ſchiſmatis ſibi inuenire: dicendum eſt ad eos: quod ſi quidem, ô amici, matre Eccleſiarum peccante vel in Euangelium, vel in Concilia, ipſi ab ea receditis, rectè facitis: ſi verò illa nihil peccante, vel in Euangelium, vel in Concilia; ipſi nihilominus eius recuſatis communionem, nullum certè vobis vel ex Euangelio, vel ex Conciliis ſuffragium penitus eſt. Ergo perquirendum eſt diligenter, quid

eſt

est in Euangelium, vel in Concilia peccare? quod si putabitis, peccare in hæc, esse simpliciter dicere aliquid & dogmatizare de Deo, quod vtrumque non inuenitur vel in Euangelio, vel in Concillis, siue contrarium est alicui eorum, quæ ibi manifestè feruntur, siue non; hoc modo etiam omnes qui de Deo scribunt sancti in eadem peccant. Non solùm enim innumerabilia de Deo dicunt & dogmatizant; quæ verbo in Euangelio, vel in Conciliis non inueniuntur: verumetiam multa dicunt, quæ neque per sensum eorum, quæ ibi sunt, concludi valent. Non ergo peccare est in illa simpliciter dicere, quæ ibi qualitercumque non inueniuntur; sed addendum est si sint & repugnantia illis. Quare peccare in illa est dicere aliquid opposite se habens alicui eorum quæ ab illis dicuntur, vt alterum per alterum necessariò tollatur. Et hoc solum est, quod paradogmatizare appellamus. Ita enim solummodo peccare in dogmata, & paradogmatizare definito, omnes qui vnquam aliquid de Deo dixerunt, inculpabiles dimittemus.

At verò Romana Ecclesia, & ex Filio procedere Spiritum sanctum dicente, nihil penitus per hoc tollitur, vel eorum quæ in Euangelio continentur, vel eorum quæ in toto symbolo dicuntur, vel eorum, quæ per aliquod septem Conciliorum expressè determinata sunt. Quare & quomodo idipsum non concluderetur per aliqua sacræ Scripturæ dicta, neque per Sanctos aliquos traderetur: sed quoniam eorum quæ in Euangelio vel in Conciliis sunt, non destruit quidquam hoc dogma: certè Romana Ecclesia hoc dicens, neque in Euangelium, neque in Concilia peccat. His ergò qui à communione eius Matris existentis discedunt, nulla vel ex Euangelio, vel ex Conciliis excusatio huius acquiritur. Neque ergo aliunde proueniente eis alia excusatione: necessarium est schismaticos ipsos esse, & à Catholica cecidisse Ecclesia. Sed vt apertissimum id fiat, ponendæ sunt iuxta se cogitationes, & sermo ita sit concludendus.

Peccans est circa pietatis dogmata, quem & paradogmatistam & hæreticum vocamus: qui sapit & docet aliquid ita opposite se habens, ad aliquid eorum quæ vel in sacra Scriptura apertè dicuntur, vel per aliquod generalium Conciliorum expressè determinata sunt, vt cum hoc sit, illud tollatur: & illud cùm sit, hoc non possit esse. At verò Ecclesia Romana, nihil huiusmodi sapit vel docet. Non ergo circa pietatis dogmata peccat. Quare neque paradogmatizat, neque aliquam hæresim incurrit, & dignissimum

mum & dominantissimum & principalissimum & summum & primum locum in tota Ecclesia habente: nunc Orientales minoris & humilioris existentes in tota Ecclesia & dignitatis & gradus & ordinis, â debito illi honore & obedientia, & communione discedunt. At verò omnes quicumque in Ecclesia minoris & humilioris existentes dignitatis, gradus & ordinis: dignioribus, dominantioribus, principalioribus, prioribus, superioribus in Ecclesia; nihil in pietatis dogmatibus peccantibus, nullam hæresim incurrentibus, â debita illis reuerentia, obedientia, & communione discedũt: proculdubio schismatici sunt. Contingit ergo hos necessariò schismaticos nunc esse, quod est, separatos esse â Catholica Ecclesia.

Sed fortasse dicet aliquis ambigens: si amisit suam integritatem & perfectionem Ecclesia, & hoc non ex minima parte: Siquidem quinque eius principaliorum partium, â quibus tanquam sensibus quibusdam, vniuersum eius corpus completum erat; quattuor lapsæ sunt: prima verò tantum remansit; quomodo de cætero non existens integra, catholica est: vel cuius amplius corporis Ecclesia Romana caput est, ex quo illud quod initio vnitum erat ei, discessit ab ea, vel quomodo totaliter viua esse potest?

Ad hæc primum quidem oportet considerare, quod si quis eadem ipsa objiceret ad ipsos Græcos, qui dicunt se solos in fide viuere, & ex se solis completam esse Catholicam Ecclesiam, capite perdito, quæ vtique ipsi ad similiter ad eos obiecta respondissent: hæc nobis multò rationabilius ad hæc dicere conueniet.

Deinde siquidem animalis exemplum sequi voluerimus, non vtique verum est, propter horum schisma vniuersum Ecclesiæ corpus â capite dicere discessisse. Caput enim Ecclesiæ est, non totus Occidens & Septentrio; sed solius vrbis Romanæ Ecclesia, hanc habet dignitatem. Tot verò & tantæ aliæ Ecclesiæ Occidentales & septentrionales, & alia genera purorum Christianorum terræ firmæ & insularium cum ea remanserunt: vt hi quidem omnes correspondere valeant reliquo animalis corpori, & continuo capiti vnito. Hi verò Patriarchæ, qui eam reliquerunt, manuum vel pedum proportionem habeant: quæ abscisa â corpore, ipsa quidem de necessitate mortua sunt: corpori verò non semper interitum ferunt. Item, neque sicut in animalibus, loco corruptorum membrorum, caput alia condere nequit: ita quoque in Ecclesia est: sed semper capiti loco labentium, licet alia condere, vt semper ipsum sit cum integro corpore. Scimus enim quod

quod Papa quidem poteſt creare Patriarchas. Patriarchæ verò Papam creare non poſſunt. Et ideò hi quidem nunquam hoc tentauerunt: Romani verò Pontifices ante ſchiſma videntur & deponentes & promouentes Patriarchas.

Ergo quoniam nihil oppoſitè ſe habens Euangelio, vel Conciliis ſapit vel docet, prout oſtenſum eſt, non amiſit vtique creandi Patriarchas poteſtatem & virtutem.

Ergo cùm hi Patriarchæ abſque vlla ratione diſceſſiſſent ab illo, & in eorum diœceſibus habitarent multi Chriſtiani vniti illi, illo ſingulis horum à principio habendo huius iuſtam poteſtatem conſtituendi congruum Patriarcham, Eccleſia quidem Romana capitis rationem habens, & loco labentium membrorum alia ſemper condens; & viua vtique eſt, & integrum reliquum corpus vnitum ſibi habet: eos verò, qui eam deſeruerunt, ſine capite de cætero & mortuos eſſe neceſſe eſt. Quare ſi putas neceſſarium eſſe generalibus Conciliis ad totius complementum, & quattuor intereſſe Patriarchas, & audias poſt ſchiſma generalia aliqua Concilia per Papam eſſe facta: noli quærere, vtrum & ſchiſmatici Patriarchæ illis interfuerunt: ſed ſi eorundem Patriarcharum fide viuentes & vniti ſuo capiti Patriarchæ interfuerunt. Non oportet plus hoc quæri. Generalia enim Concilia non ex hæreticis & ſchiſmaticis; ſed ex orthodoxis & Eccleſię vnitis colligi debent. Hæc tibi, ô amicum mihi caput, reſpondere DEVS dedit. Det autem ipſe tibi reliqua.

Epiſtola eiuſdem Domini BARLAAMI *ad* ALEXIVM CALOCHETVM, *in qua oſtendit Græcos non obedientes Romanæ Eccleſiæ eſſe non ſolum ſchiſmaticos, verum etiam hæreticos.*

AVDIVI te admirari de me, quoniam eos, qui non communicant Eccleſiæ Romanæ ſchiſmaticos appello. Ego verò puto me rationabilius admirari de te, quoniam admirandum putas, ſi qui illo nomine vocantur, cuius definitionem perfectè ſuſcipiunt. Nam ſi volueris videre, quæ eſt ſchiſmatici ratio, inuenies hanc ijs qui à me ſchiſmatici vocantur, nihilo minùs quàm hominis rationem congruere. Ergo hoc ſit oſtendendum.

Cùm itaque in Eccleſia alii aliis ſint dominantiores, principalio-

res,& superiores: illi,qui minoris & humilioris existentes ordinis, & quibus conuenit sub dominio aliorum esse, & sequi alios,de nulla hæresi habentes iustè accusare maiores: diuidunt se ab illorum in religione societate; mox in seipsis schismatici condunt rationem: Nam & ipsi ad nullam aliam, quàm hanc definitionem aspicientes, eos qui euitant apud se maiorem communionem, schismaticos appellant; quales & tu non paucos scis in regnante ciuitate,eodem nomine propter nunc assignatam rationem, ab aliis vocari. At verò Romana Ecclesia *senissimum*,principalissimum,&summum in Catholica Ecclesia habente gradum; hi minoris existentes & inferioris ordinis: in tantum fugiunt illius communionem, quod neque eius sacerdotium putant verum esse sacerdotium, neque in Ecclesiasticis Sacramentis volunt illi communicare: atque plures eorum etiam simul comedere simpliciter cibum cum quoquam Latinorum verentur: ergo si Ecclesia illa incidente, quod absit, in hæretici rationem, hi ab ea abstinent; irreprehensibilis est separatio, & schismaticorum rationis imperceptibilis. Si verò illa nulla hæresi coniuncta hi fugiunt eius communionem, pure in rationem schismatici incidunt. Ergo quærendum est, quem nominamus hæreticum, cui communicare in aliquo delictum est: in nullo verò communicare, non solum irreprehensibile est, verum etiam necessarium: & quem post primam & secundam admonitionem oportet secundum Apostolum ad TITVM, nos euitare. Illius igitur, qui ita dicitur hæreticus, quærenda sit ratio, vt sciamus, vtrum conuenit aliquid eius Romanæ Ecclesiæ. Cùm verò idem sit hæreticum esse & paradogmatistam, & peccare circa pietatis dogmata: quærendum est,quis est paradogmatista? & quis peccat circa pietatis dogmata?

Itaque cùm tria sint, à quibus habemus huiusmodi dogmata, vnum, diuina Scriptura, secundum, vniuersalia Concilia, tertium, Sancti nostri Doctores, qui post Apostolos sacram nobis exposuerunt Scripturam: si illum vocabimus hæreticum, qui quodcumque vel de DEO, vel de alio quouis sapit & dicit: quod neque in sacra Scriptura, neque in Conciliis, neque in doctorum scriptis totaliter innenitur: non benè nominabimus; quia per hanc rationem etiam multi nostrorum sanctorum Doctorum hæretici essent: AREOPAGITA, THEOLOGVS, NYSSÆNVS, sanctus AVGVSTINVS: qui non solùm talia dicunt, quæ neque per sensum aliis conueniunt: alia penitus exist[illegible] tia,

tia, licet non oppoſita. Non ergo hac ratione hæreticum cognoſcimus, cuius communionem fugiemus: ſed eum, qui alia, præter omnes alios, de quauis re dicit, dum contraria & oppoſita ſuppoſitis non dicit, nondum tanquam hæreticum admonebimus. Neque enim peccat in manifeſta dogmata, qui ea non tollit. At verò & ſi quis nihil penitus eorum, quæ in ſacra Scriptura vel in Conciliis ſunt, commouens, tamen alicui ſanctorum Doctorum de quouis diſſonat; hunc audacem quendam & præſumptuoſum, & elatum & talia nominabimus, hæreticum minimè. Quoniam per hanc quoque rationem, multi Sanctorum eſſent hæretici, qui in multis & magnis ſibi inuicem contraria dicunt. Nam de ipſa proceſſione Spiritus ſancti, ipſi aiunt, quod DAMASCENVS, vbi dicit, ex Filio Spiritus procedere non dicitur, ſapit, quod nullo modo ipſe eſt ex Filio.

Sanctus verò CYRILLVS qui multis annis ante eum fuit, in ſermone de Spiritu, in dictis ſuis theſauris ſepties ait Spiritum ſanctum ex Filio & eſſe & exiſtere, & prodire: aſſignans & dicta Scripturæ, ex quibus id ipſum intellexerat. Sanctus verò AVGVSTINVS adhuc antiquior hoc exiſtens in ſuo de Trinitate negocio, & nimis longum de hoc protendit ſermonem, & in quarto, & in quinto, & in quintodecimo libro eiuſdem negotii. Quid igitur? hæreticum nominabunt DAMASCENVM, illis ſuperioribus ſe ſecundum ipſos contradicentem: vel potius & ſe ipſos iiſdem ſanctis tantis rebus contradicentes, an minimè? poteſt ergo fieri, quod is qui ſanctis de Deo diſſonat, nondum ſit hæreticus.

Quis ergo hæreticus eſt & paradogmatiſta? quem poſt binam admonitionem fugiemus? an certè ille, qui ſapit & dicit aliquid in dogmatibus, ita oppoſitum alicui eorum, quæ vel in ſacra Scriptura apertè dicuntur, vel in generalibus Conciliis expreſſè determinata ſunt: vt cùm hoc ſit, tollatur illud; & cùm illud ſit, non poſſit hoc eſſe: atque talis ad illa repugnantia, eſt ex ea, quæ vituperatur hæreſis. Ille verò, qui tale aliquid, neq; loquitur neque ſapit, in alio verò quouis peccat, admonendus eſt quidem, alio nomine nominatus, non tamen tanquam hæreticus fugiendus.

Igitur cùm hæc ſit illa ratio qua hæreticus notatur, videamus qualiter ſe habet ad eam Romana Eccleſia.

Duo ſunt, quæ eius accuſantes iuſtè aiunt ſe ab ea diuidi.

Vnum quod dicit Spiritum sanctum procedere & ex Filio. Aliud quod per azyma conficit. At per primum nihil eorum, quæ in Scriptura vel in Conciliis sunt, tollit. Dicente enim sacra Scriptura, quod ex Patre procedit Spiritus sanctus, & Conciliis omnibus id ipsum dicentibus, Romana Ecclesia dicens & ex Filio, non oppositum aliquid illi dicit, neque ejicit illud. Non enim si procedit & ex Filio, contingit necessariò, minimè procedere ex Patre; sed potius necessariò confertur. Nam si procedit & ex Filio, qui omnia quæcumque habet, ex Patre habet: procedit ergo & ex Patre. Non ergo tollitur, quod simul trahitur.

At verò neque aliud eorum, quæ in sacra Scriptura vel Conciliis sunt, tollitur, ex eo, quod dicitur, & ex Filio procedere Spiritum sanctum. Non ergo secundum hoc incidit in hæreticorum rationem illa Ecclesia. At neq; per azymum.

Primum enim nulli Concilio per hoc aduersatur, quoniam nullum de hoc aliquid determinauit. Deinde neque sacræ Scripturæ per hoc repugnat. Et non hoc nunc dico, quia panis ille, quem sacrificauit Dominus, azymus erat; & azymum in Scriptura gerit imaginem sinceritatis & veritatis, sed illud sufficit nunc, quod diuina Scriptura panem nominâte & azymum & fermentatum, & nusquam iubet hoc vel illud distinctè: certè neuter Scripturæ pugnat, neque *azymita*, neque *fermentarius*. Non enim quod nonnullorum est stultorum dicemus: quod ille est animatus, & iste inanimatus. Omnis enim panis sua ratione inanimatus est, & nullus animatus: diuina verò virtute conuersus nequaquam inanimatus, vel totaliter substantia panis; sed viua caro viuentis Christi: qui carnem & animam rationalem & intellectualem ex nobis pro nobis assumpsit. Neque ergo per processionem Spiritus, neque per azymum illa Ecclesia cadit in schismatici rationem: quoniam per neutrum tollit quidquam manifestorum. At verò propter hæc sola, & non propter aliud aiunt se diuidi ab illa. Non ergo illa Ecclesia hæretica est per illa, propter quæ ipsi dicunt se diuisos esse: quia secundum ea in definitionem hæretici non cadit. Restat ergo hos schismaticos esse necessariò, quoniam definitionis schismaticorum nihil omittunt. Quapropter hoc, vt puto, non amplius miraberis.

Vt autem neque si audiueris me hæreticum vocare eum, qui ex solo Patre asserit procedere Spiritum sanctum, admireris: volo tibi & huius rationem assignare.

Dice-

Dicebamus superius, hæreticum esse eum, qui in dogmatibus pietatis sapit aliquid & dicit, opposite se habens, vel ad diuinam scripturam, vel ad generale Concilium. At verò sacræ Scripturæ pugnari dupliciter est: vel cum aliquis rectè intelligit, quod ait Scriptura, & id ipsum proponit contraria illi dicere, æstimans illam mentiri; quod minimè est Christiani. Vel asserens Scripturam omninò se venerari, dicta eius, quibus contradicit, aliter quàm veritas se habet, intelligit & exponit, quod solum est hęretici. Ergo cùm inueniamus aliquem talē, pugnantem quidē diuinæ Scripturæ, non pugnare verò asserentē, ad quod nos iudicium referentes, indubitanter sciemus, quod pugnatur & iustè post binam admonitionem ipsum deuitabimus? An ad plures? Sed qui melius & diligentius intelligunt sacram Scripturam, pauciores sunt. An ad hos, qui in diuinis sapientiores & magis eruditi sunt? sed fortasse ille vnus est omnium sapientissimus: & potest fieri vt id ipsum verissimè omnium ipse intelligat. An ad digniores & dominantiores & principaliores? sed ait Scriptura; si fuerit reuelatum nouissimo, sileat primus. Vnde non semper necessarium est verius intelligere eum, qui primus est. An ad eos, qui nunquam aliàs hæresim aliquam incurrerunt? sed vnaquæque Ecclesia, quæ primitus in aliquam hæresim incidit, superioribus temporibus Catholica semper erat. Quare potest fieri eam, quæ prius semper orthodoxa erat, postmodum in hæresim cadere. An ad sanctos nonnullos, qui prout nos dicimus, Scripturas exponunt? Sed fortasse & hic cui contradicimus, Sanctus est. Et quemadmodum in illis alii aliis contradicentes, tamen hæretici non sunt, ita & hîc. Restat ergo ad iudicium generalis Concilii recurrere. At si viderimus illum ipsum sensum determinans quorundam dictorum Scripturæ, cui repugnantem sensum hic dogmatizat & tenet, indubitabile omninò fit ipsum hæreticum esse. Ergo si quis tale in dogmatibus dicit, vt non vnum vel duo, sed omnia supra dicta & generale Concilium in contrarium concurrant, ac in præiudicium simul omnium appareat ipsum sacræ Scripturę pugnare: hic est omnium manifestissimus hæreticus. Sed qui dicit ex solo Patre procedere Spiritum sanctum, talis est.

Et vt per prædicta omnia transeamus: Primum si quis quærit & proponit plurium iudicium, siquidem plures dicit, non rudes & illiteratos, sed legentes sacram Scripturam & intellectum lectorum vtcumque sequentes, non vtiq; inueniet hic tot tales, quot centenæ talium in illis inueniri possunt.

Si verò sapientiorum in diuinis & magis eruditorum iudicium præfers, in illis quidem infiniti inuenientur, ita in fine exercitati erga sacram Scripturam, vt audito aliquo ex ea dicto, habeat quilibet eorum statim assignare, & ex quo libro & capitulo est, & quis huius dicti sensus, & adhuc promptus sit; ad omnia dubitanda, probabiliter respondere. His cùm locutus fuissem, sæpè sapientissimis eorum, nondum aliquem talem inueni. Puto autem neque esse eorum talem aliquem. Si verò digniores & principaliores & dominantiores quæris? Ecclesia Romana est, quæ habet in vniuersali Ecclesia summum & dignissimum locum. Si verò eos, qui nondum aliâs in hæresim ceciderunt? ipsa sola est, de quinq; Ecclesiis, quæ iure potest hoc gloriari. Si verò Sanctos? inuenies sanctum CYRILLVM & sanctum AVGVSTINVM, dicta scripturæ exponendo, planissimè tradentes, & ex Filio Spiritum esse. Si verò generale Concilium? & hoc. Quia enim hi Patriarchæ Apostolicam deseruerunt Sedem, & imperialibus propositionibus se ipsos potius dederunt, & in schismatici rationem, vt ostensum est, ceciderunt: primum quidem Ecclesiarum mater, ne huiusmodi Sedes vacent, legitimis Pontificibus & canonicè sacerdotium habentibus; constituit & ordinat, cuilibet earum suum Patriarcham. Deinde post multos annos generale Concilium celebrans, de eodem ipso omnium assensu declarat, hoc per Scripturam concludi, Spiritum sanctum ex Patre, Filioque, tanquam ex vno principio, procedere. Quapropter, qui hoc negat, & contrarium sapit, generalis iam Concilii iudicio sacræ Scripturæ pugnat. Et propterea in hæretici definitionem, manifestè incidens, purus hæreticus est.

Hæc autem & ad te scribo, & ad alios dico, non maleuolentia aliqua, & contumeliosè, sed cupiditate, vt Ecclesia Christi vniatur, & ad seipsam redeat, & omnes Christiani in fide & veritate idipsum sapiant, & charitatis vinculo sibi inuicem copulentur, quod vt puto non in longum eueniret si hæc sola, quæ tibi scribo, in mentem omnibus venirent. Nam si persuasum fuisset eis in quo malo sunt, facile vtique & huius liberationem quærerent. Quare nihil, vt æstimo, beneuolentius pro omnibus communiter fieri potest, quàm si talia ad eos dicantur & scribantur.

Eiusdem

Eiusdem Domini BARLAAMI *Episcopi* GYRACENSIS *probatio per sacram Scripturam, quod Spiritus sanctus, & ex Filio est, quemadmodum & ex Patre.*

DOMINO nostro IESV CHRISTO iubente nobis, perscrutari Scripturas, duo hînc intelligimus. Vnum, quod pietatis dogmata non sola sunt illa, quæ ex verbis ipsis immediatè â Scriptura traduntur: Verum etiam sunt alia, quæ per sensum dictorum perscrutantibus nobis elucescunt. Aliud est, quod debitores sumus, non sola quę verbis promptè significantur tenere, verùm etiam illa, quæ per sensum eorum emergunt. Nam si præter ea, quæ verbo significantur, non apparent & alia ex dictorum sensu similiter illis existentia ad fidem necessaria, non vtique dixisset; perscrutamini scripturas. Ad facienda enim ea, quæ verbo immediatè significantur, illaque sola tenenda; non perscrutatione; sed lectione sola opus esset. Quare dixisset, *legite scripturas.* Idipsum intelligimus, & Apostolo ad Corinthios dicente: *Littera occidit, Spiritùs autem viuificat*: Litteram dicente id, quod promptè in Scriptura per vocem significatur: Spiritum verò id, quod per debitam *scrutationem* in Scriptura per sensum constatur. Ergo si quid eorum, quæ de DEO intelliguntur, ita se habet in Scriptura, vt id quidem recta facta inuestigatione per omnem appareat Scripturam: Eius verò oppositum neque ex voce, neque ex sensu Scripturæ necessariò concludatur, & adhuc sanctorum nostrorum Doctorum sint nonnulli qui exponendo diuinam Scripturam idipsum manifestè concludant & tradant; manifestum, quod necessarium est hoc admitti & credi: vt, inquam, in diuina Scriptura Spiritus sanctus neque quod substantia est, neque quod accidens est, scriptum est; sed esse illum substantiam ex omnibus de eo dictis in Scriptura concluditur: Esse verò illum accidens, nullatenus concludi potest.

Præterea sacri nostri Doctores, exponentes sacram Scripturam aiunt concludi ex ea, non tantùm ipsum substantiam esse, verùm etiam increatam substantiam, & consubstantialem Patri. Ergo necessarium est, & nobis hoc credere &

confiteri. Simile igitur huic est,& quod Spiritus sanctus habet esse ex Filio, sicut ex Patre. Hoc enim per sacram Scripturam legitimè inuestigantibus eam,apparet:& multi sacrorum nostrorum doctorum exponentes Scripturam, manifestè id ipsum enunciant: sicuti Sanctus AVGVSTINVS in multis suis scriptis, & sanctus CYRILLVS in dictis suis Thesauris, prout potest quicumque vult inspectis eorum operibus videre quod dico. Huius verò oppositum, quod est ex solo Patre procedere Spiritum sanctum, & non ex Filio, nullatenus per scripturam concludi potest.

Illi enim qui hanc defendunt opinionem, credunt se habere potissimum illud quod Dominus ait. Qui à Patre procedit, minimè verò per hoc concluditur, quod ex solo Patre: nimium enim interest dicere aliquid simpliciter, & dicere, id ipsum distinguendo, *quod solum*. In multis enim vnum est verum,aliud falsum;vtpote si dicatur Filium esse DEVM verum de DEO vero,verum est. Si verò dicatur solum Filium esse DEVM verum, de DEO vero,falsum est.Id ipsum & in aliis plurimis inuenies. Non ergo dicto,quod ex Patre procedit Spiritus,continuò per hoc necessariò concluditur, quod ex *solo*: sed quantum per hoc reliquum incertum est. Neque igitur ex dicto verbo, neque ex alio sacræ Scripturæ concluditur; quod ex solo. Quia verò & ex Filio est Spiritus,omnis diuinitus inspirata scriptura testatur. Incipiendum autem sit inde.

Argumentum primum.

DE ingenita persona, duabus personis habentibus esse, quæri potest: quidnam causæ est,quod ipsa principalis persona, in quantum est auctrix vnius principatarum personarum, adepta est proprium nomen,&vocatur ad eam Pater,in quantũ est verò principium alterius personæ,nullum nomen consequuta est, quemadmodum postmodum expositores nominauerunt Patrem,Spiratorem sancti Spiritus. Ipsa verò sacra Scriptura nullum nomen exposuit, quo oporteat Patrem respectu Spiritus appellari.Et non hoc quæro,vtrum alio modo habeat verbum esse de ingenita persona,alio verò Spiritus: nam & differentem esse modum, per quem vterque habet esse ex communi principio credo. Et quid interest inter duos hos modos, ignotum esse hominibus minimè dubito. Sed illud quæro: cur vnus modus habet speciale nomen, & vocatur secundum ipsum principalis persona

Pater;

Pater: secundum verò alium modum, quo est eadem persona principium Spiritus, nomen in Scriptura non est? hoc autem arbitror me non irrationabiliter quærere. Sed ad illud aspiciendo, quod apud nos Pater, Filius, generatio, generatum, & huiusmodi nomina propriè quidem de animalibus dicuntur & maximè de hominibus: ego verò vocibus prætermissis, ipsas res secundum ea, quæ nobis tradita sunt, contemplans, ac modum illum, quo Dei verbum habet esse ex Patre, comparans Filiorum apud nos generationi: video illum plurimum ei dissimilem: Quam verò similitudinem apprehendo illius ad hanc, eandem indifferenter video esse & modi: quo Pater principium est Spiritus. Attende enim. Vt primum de dissimilitudine eorum dicam.

SETH non ex solo est ADAM; sed ex eo & EVA: & non simul, neque per eundem modum. Verbum verò illic ex solo Patre est. Et SETH non est totus ex toto ADAM, sed id quod emissum est primitus ex ADAM, neque homo neque animal est, sed semen per quod in vulua matris SETH conditus est, neque ex toto ADAM prodiens. Illic verò totus Filius ex Patre toto.

Et hic natus SETH de temporali ADAM, non est sibi contemporalis. Ille enim præcessit, hic superuixit. Illic verò natum verbum de sempiterno Patre, coæternum est ei. Et hîc is, qui natus est, non est in generante: neque qui genuit in generato; neque duo vnus homo est: neque voluntas eorum semper vna; neque virtus & actio vna; neque eadem scientia. Illic verò Filius in Patre, & Pater in Filio, & duo vnus DEVS est, & vna eorum & voluntas & virtus, & scientia & extrinseca actio. In quo ergo diuina illa generatio similis est huic humanæ? an certè sicut hic est homo de homine, & consubstantialis de consubstantiali: ita illic verbum ex Patre est consubstantiale de consubstantiali, & DEVS de DEO? At verò & Spiritus sanctus id ipsum DEVS de DEO est, & consubstantialis de consubstantiali. Ergo in quo Filii generatio similis est hominum generationi: in eodem & Spiritus processio similis est eidem. Magis autem in quo Spiritus processio dissimilis est hominum generationi: in eodem & Filii generatio dissimilis est eidem; quamquam inter se differre credantur. Cur ergo illius dicitur Pater, istius verò nihil? an certè quoniam ingenita persona duarum personarum existens principium, vnius est sola, alterius verò non sola? ideo cuius quidem sola ipsa est principium, ad illam habet specificatum nomen, per quod maximè consubstantialitas eorum intelli-

 gatur,

gatur, & vocata est eius Pater: cuius verò non sola est principium, ad illam nomen non habet, ne commune proprium putetur. Et contingit secundum nomina è conuerso se habere in DEO quàm in ADAM, & EVA, & SETH. In his enim ADAM, cuius personæ solus causa est, ad illam nomen non habet, quo eius principium est, scilicet, EVÆ. Cuius verò non solus; sed cum EVA auctor est; illius nominatur Pater: Spiritu sancto huiusmodi permutationem nominum dispensante nobis prouidendo, ne carnales copulas, & fluxus, & abscissiones, & partus imperfectos, & huiusmodi passiones in Trinitate imaginemur.

Propterea ergo & ne commune proprium putetur, ingenita persona, habentis quidem personæ ex ea sola esse, nominata est Pater, ad illam verò personam, quæ non ex ea sola habet esse, nomen non habet. Ego quidem hoc credo; qui verò nititur contradicere his, dum non ostendit aliam rationabiliorem caussam, propter quam vnum est nominatum & aliud innominatum; arbitror eum nihil ad rem dicere.

Secundum Argumentum.

IN omnibus entibus, de quibus propriè dicimus imaginem & exemplar, cum semper imago inferioris rationem habeat ad exemplar, & in nullo æqualiter exemplari veniat: in Patre verò & Filio illic per omnia existat æqualitas & substantialis identitas: quid vult Scriptura diuina, quod Filium quidem nominat imaginem Patris, Patrem verò minimè imaginem Filii? an certè propter principii rationem? quoniam Filius ex Patre est, non Pater ex Filio. Quemadmodum & omne exemplar principium est suæ imaginis. Imaginem itaque diuina Scriptura nominans Filium inuisibilis Dei, simul ostendit, & quod ex eo est, & quod similis ei est: minoritate videlicet prætermissa, tanquam minimè conueniente. At verò, quemadmodum Filius dicitur imago Patris, non Pater imago Filii: ita Spiritus sanctus in eadem Scriptura dicitur imago Filii: non Filius imago Spiritus. Dicit enim Apostolus ad Romanos: *quos enim præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imaginis Filii sui.* Et ad Corinthios: *sicut portauimus imaginem terrestris: portemus & imaginem cælestis*, cælestem dicens Filium. Et iterum: *nos autem omnes reuelata facie glo-*

Rom. 8. 1. Cor. 15. 2. Cor. 3.

riam

riam Domini speculantes, in eadem imagine transformamur de gloria in gloriam, sicut à Domini Spiritu. Quod autem imago Filii dicitur in his Spiritus ipse sanctus, habemus per sanctum CYRILLVM in thesauris: in quibus ex eisdem verbis concludit ipse, quod Spiritus est, & est Filio. Ergo & nos id ipsum per eadem concludentes, & ex eo quod dicitur, Spiritus imago Filii: ex ipso etiam secundum superius assignatam rationem intelligentes, rectissimè & intelligimus, & concludimus, & dicimus.

Tertium Argumentum.

ITEM cùm DEVS sit incorporeus, & membra corporalia non habeat, quid est, quod Spiritus sanctus, spiritus oris eius dicitur? ait enim: *verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius, omnis virtus eorum.* An certè, vt ex hoc intelligamus Spiritum sanctum ex eo tanquam ex principio esse? sed sicut dicitur: Spiritus oris Spiritus Patris; ita idem ipse in eadem Scriptura dicitur Spiritus oris Filii. Ait enim ESAIAS de Filio: *& percutiet terram virga oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Et Paulus ad Thessalonicenses; *quem interficiet Dominus IESVS Spiritu oris sui.* IOANNES verò in Apocalypsi propter occidendi rationem tanquam gladium ancipitem eundem vidit. Ait enim de Filio: *& ex ore eius procedebat gladius anceps, vt in eo percutiat gentes.* Et post pauca: *& reliqui interfecti sunt in gladio sedentis super equum procedente ex ore eius.* Ergo diuina Scriptura nominans Spiritum sanctum, Spiritum oris Filii & gladium procedentem ex ore eius: quid aliud nos docet per huiusmodi signa; nisi quod Spiritus sanctus ex Filio est, sicut ex Patre?

Psal.32. Isai.11. 2.Thes.2. Apo.19. Ibid.

Quartum Argumentum.

ITEM Filius secundum ESAIAM *brachium* Patris dicitur: Spiritus sanctus in Euangeliis *digitus Dei.* Nam beatus MATTHÆVS narrat dixisse Christum: *si autem ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia, vtique peruenit ad vos regnum cælorum.* Sanctus verò LVCAS in eodem ait: *si verò in digito DEI eiicio dæmonia, vtique* per-

Isa.53. Matth.12.

peruenit ad vos regnum cælorum. Ergo digitus DEI Spiritus sanctus dictus est. Prætermissis igitur his quæ Trinitati ex his congruere non possunt: scilicet, quod aliud est totum, aliud pars: & aliud propinquius, aliud longius à communi principio: quid reliquum est intelligendum per has nominationes, nisi quod Filius quidem tanquàm brachium est ex solo Patre: Spiritus verò sanctus tanquam digitus est ex Patre, Filioque?

Quintum Argumentum.

ITEM in IORDANE Pater desuper testabatur Filio: ipse verò Filius subtus baptizabatur, Spiritus autem sanctus desuper descendens in specie columbæ, non obliquè de latere Christi stetit: quod esset vtiq; signum Filium & Spiritum ex solo Patre habere esse, tanquam æque diuisos; sed super eum stetit in medio videlicet duorum; quod est signum, communem ipsum eorum esse. Communis autem non vtique esset, nisi tanquam ex ambobus procedens, & id quod videbatur desuper columba à Patre descendẽs ad Filium, signum faciens: quod licet ab æterno Spiritus est ex Filio sicut ex Patre: tamẽ Filius hoc habet ex Patre: non Pater ex Filio. Nihil autem obstat huic speculationi quod dictum est, columbam manere super Filium. Nam manere in eo, & esse ex eo contraria non sunt. Sicut enim simul & in Patre est, & ex Patre: ita simul & in Filio & ex Filio.

Sextum Argumentum.

CVM sit vna substantia, virtus & actio Patris & Filij, & omnia quæ fiunt non magis à Patre quàm à Filio sint: quidnam caussæ est quod Pater in diuina Scriptura dicitur facere res Filio, & per Filium: Filius verò nihil dicitur facere Patre vel per Patrem? *Verbo* enim *Domini* ait Psalmista *cæli firmati sunt.* Et Euangelista: *omnia per ipsum facta sunt.* Et Apostolus: *Vnus Dominus IESVS CHRISTVS per quem omnia, & nos per ipsum.* Et alibi, *in nouissimis autem his diebus locutus est nobis in Filio, quem posuit hæredem omnium, per quem etiam sæcula fecit.* Quia verò è conuerso fecit Filius aliquid per Patrem, vel Patre; nusquam scriptũ est. Quamquam neque instrumentum Patris Filius est, vt dicatur Pater tanquam per instrumentum facere aliquid per ipsum & ipso. Neque

Psal. 32. Ioan. 1. 1. Cor 8. Heb 1.

que

que rursus quæ fiunt immediatè & propinquè fiunt à Filio: mediatè verò & longius à Patre; vt secundum hunc sensum dicatur Pater facere per Filium: nam immediatè à Patre & Filio, tanquam ab vno conditore, vno & simplici actu omnia fiunt: cur ergo illo modo scriptura de eis disputat? an vt intelligamus principium & quod ex eo est, quia esse eorum vnam simplicem substantiam, virtutem & actionem & omnia esse communia: ex Patre tanquam ex proprio principio, adest Filio, sed non ex Filio Patri: sed ad huius speculationis intellectum, Pater dicitur in Scriptura facere Filio & per Filium; huic verò è conuerso nusquam Scripturæ scriptum est. Similiter autem cùm sit Patris & Spiritus sancti vna simplex substantia virtus & actio, & neque instrumentum Patris sit Spiritus: neque illa quæ fiunt, propinquius à Spiritu quàm à Patre fiant: ipsum quidem Spiritum sanctum facere aliquid Patre vel per Patrem, nusquam Scripturæ scriptum est. Quia verò Pater facit res Spiritu, & per Spiritum, per omnem fertur scripturam. Spiritu enim Deus secundum psalmistam cœlos fortificat, & animas nostras confirmat. Et Apostolus ad Romanos: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*: & iterum: *qui suscitauit IESVM CHRISTVM de mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra, per Spiritum sanctum qui habitat in nobis*. Et ad Corinthios: *nobis autem reuelauit DEVS per Spiritum suum*. Et ad TITVM: *sed secundum misericordiam, saluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus sancti*: Et ad Hebræos: *Contestante Deo signis & portentis & variis virtutibus, & Spiritus sancti diuisionibus*. Et beatus LVCAS in actibus: *Domine qui Spiritu sancto per os patris nostri DAVID pueri tui dixisti*. Et rursus: *quomodo vnxit eum Dominus Spiritu sancto & virtute*. Et multa talia inuenies in Scriptura quærendo: huius verò è conuerso minimè. Et est certum quod est eadem caussa, vt ita de eis Scriptura disputet, quod esse communes & easdem ad creaturas actiones Patris & sancti Spiritus. Ex Patre tanquam ex principio adest Spiritui sancto, & non Patri ex Spiritu sancto.

Rom. 5. Rom. 8. 1. Cor. 2. Tit. 3. Heb. 2. Act. 4. Act. 10.

Vt enim hoc intelligamus, Patrem ait Spiritu & per Spiritum facere, Spiritum vero nunquam ait Patre vel per Patrem facere aliquid. At verò secundum eundem modum, quod Filius facit aliquid per Spiritum & Spiritu, omnis diuina Scriptura plena est: quod verò Spiritus aliquid facit Filio vel per Filium, nusquam Scripturæ dicitur. In Euangeliis enim Spiritu sancto dicitur Christus baptizare, & dæmonia ejicere: & Apostolus ad Romanos: *non enim ausus sum dicere aliquid*

Rom. 15.

liquid eorum, quæ per me non fecit Christus in obedientiam gentium in verbo & operibus, in virtute signorum & miraculorum, in virtute Spiritus sancti. Et ad Thessalonicenses: *quem interficiet Dominus* IESVS *Spiritu oris sui.* Et ad Hebræos: *quanto magis sanguis Christi qui per Spiritum sanctum seipsum obtulit immaculatum Deo.* Et in actibus: *vsque ad illum diem, in quo præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum quos elegit; assumptus est.* Et ESAIAS: *& Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Itaque quoniam Spiritus sanctus non est instrumentum Filii, vt per hoc dicatur Filius facere, eo & per eum; neque rursus quæ fiunt propinquius â Spiritu quàm â Filio fiunt. Vno enim simplici actu, & immediatè â Filio & Spiritu sancto: magis autem â tota Trinitate omnia fiunt. Quid vult Scriptura, quod Filium quidem dicit facere Spiritu & per Spiritum: Spiritum verò Filio vel per Filium facere aliquid nusquam dicit? an certum est, quod secundùm superius assignatam rationem consona sibi existente Scriptura causa est vt hæc ita scripta sint? Quoniam esse communes & easdem ad creaturas Filii & Spiritus sancti operationes: ex Filio tanquam ex principio adest Spiritui, sicut & ex Patre, & non Filio ex Spiritu: aut ergo est Spiritus & ex Filio; aut minimè seipsam Scriptura sequitur.

2. Thess. 2.
Heb. 9.
Act. 1.
Isai. 11.

Septimum argumentum.

ITEM Filius dicitur Verbum Patris, & ex hac nominatione, intelligimus eum, & coæternum Patri, & ex eo habere esse. Sicut autem Filius dicitur Verbum Patris, ita Spiritus sanctus, dicitur Rema Filii. Ait enim Apostolus ad Hebræos de Filio: *qui cum esset splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia Remate virtutis suæ.* Quod autem in his Rema virtutis Filii ipsum Spiritum sanctum nominat: patet ex aliis partibus Scripturæ. Certè enim quo Filius purgat animas, eiicit dæmonia, signa & portenta facit; eodem & portat omnia. At verò scriptum est, illa facere Spiritu sancto: ergo & Spiritu sancto & omnia portat. Dicitur autem in proposito dicto Remate suæ virtutis portare omnia, Spiritus ergo sanctus & Rema virtutis Filii idem est. Patet autem id ipsum & inde. Cui trium personarum vt plurimum in Scriptura viuificare attribuitur? sancto Spiritui. Ait enim Dominus: *Spiritus est qui viuificat.* Et Apostolus ad Romanos: *qui suscitauit* IESVM CHRISTVM *ex mortuis viuificabit & mortalia nostra corpora per Spiritum suum qui habitat in nobis,* Iterum: *si Spiritu opera carnis mortificaueritis,* viue-

Heb. 1.
Ioan. 6.
Rom. 8.
Ibid.

viuetis. Quis autem de tribus procedere dicitur? certè Spiritus. Quis adhûc dicitur esse os Patris? Spiritus. At verò ipse Dominus comprehendens simul viuificationem, processionem & os, ait: *non in solo pane viuet homo: sed in omni Remate procedente, per os Dei*. Ergo omne Rema procedens per os Dei in quo viuimus, ipse Spiritus sanctus est. Manifestissimum autem hoc fecit Apostolus ad Ephesios dicens: *& galeam salutaris accipite, & gladium Spiritus, quod est Rema Dei*. Nam cùm in lingua Græca gladius esset fœminini generis, & Spiritus neutri: non dixit *quæ est Rema Dei*, vt intelligatur gladius. Sed *quod est Rema Dei*, vt exinde intelligatur Spiritus: ac si diceretur in lingua Latina: *qui Spiritus Rema Dei est*. Rema ergo virtutis Filii, quo omnia portat, ipse Spiritus est. Et sicut vbi Filius dicitur, splendor gloriæ Patris, circumlocutiuè dictum est pro eo quod dicatur splendor Patris; ita & Spiritus sanctus dicitur esse Rema virtutis Filii pro eo quod dicatur Rema Filii. Ergo ex hac nominatione quid aliud potest intelligi nisi quod Spiritus ex Filio est? quoniam & omne Rema ex illo est, cuius esse dicitur.

Matth. 4.

Ephes. 6.

Notandum verò est & illud, quod cum logos dicatur in lingua Græca, & in voce & in corde, rema tantum in voce & ore: Spiritus quidem sanctus dicitur Rema per os Dei procedens, & Spiritus oris Dei: Filius verò logos quidem cordis Dei dicitur. *Eructauit enim*, ait, *cor meum logon bonum*, quod ex persona Patris dictum esse sanctus DIONYSIVS testatur: logos autem oris Dei non dicitur. De quibus vocibus tanquam mysticis quibusdam notis illud intelligimus, quod sicut cordis logos est ex sola mente: Rema verò vocis est ex mente & logo, qui in corde est: Ita Filius quidem ex solo Patre est: Spiritus verò sanctus ex Patre Filioque.

Psal. 44.

Octauum Argumentum.

SPIRITVS sanctus dicitur in scriptura esse & Patris & Filii. Ait enim Apostolus ad Romanos: *si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius*. Et ad Galatas: *misit Deus Spiritum Filii sui*. At verò, quæ sunt communia Patris & Filii, non aliter sunt Patris & aliter Filii, sed similiter & eodem modo: quod Dominus ostendit in aliquibus. Ait enim: *quæcumq; Pater facit, eadem & Filius similiter facit*. Et iterũ, *sicut Pater suscitat mortuos & viuificat: ita & Filius quos vult viuificat*. Sicut ergo facere & viuificare cõmune existens Patris & Filii, similiter est amborũ: ita

Rom. 8.
Gal. 4.

Ioan. 5.
Ibid.

& si quid aliud commune est Patris & Filii, eadem ratione & modo duorum est: salua videlicet illa distinctione qua intelligimus communia duorum ex Patre adesse Filio, non ex alio Patri: & idipsum significat Dominus dicens: *sicut Pater habet vitam in semetipso; ita dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Ergo habere vitam in semetipso commune existens similiter amborum: tamen ex Patre ab æterno Filius hoc habet. Quapropter quia Spiritus sanctus & Patris est & Filii, illo videlicet distincto tantum, quod Filius hoc habet ab æterno ex Patre vt eius dicatur Spiritus.

Ibid.

At verò ideo dicitur Spiritus sanctus, Spiritus Patris, quoniam ex eo. Si enim alius existens quàm Pater, non esset ex eo, non vtique diceretur eius esse. Significant autem & hoc Euangelistæ. Illi enim qui dicunt Spiritum Patris, non dicunt Spiritum ex Patre: IOANNES verò solus, qui post omnes Euangelion scripsit, Spiritum à Patre procedentem dicens, spiritum Patris in suo Euangelio minimè dicit. Putásne ignorabant vel illi, vtrum ex Patre est Spiritus: vel hic, vtrum Patris est? minimè. Sed certum est, quod & illi dicentes esse Patris Spiritum, per hoc significare volebant, quod ex Patre est: & hic dicens ipsum à Patre, eodem ipso & quod Patris est significat. Ergo si necessarium est Spiritum sanctum ita esse Filii, sicut est Patris: est autem Patris tanquam existens ex eo: est ergo & Filii tanquam existens ex eo. Est autem idipsum manifestum, & quia non conuertitur: multis enim in Scriptura nominibus Filius, cùm esset nominatus, in nullo eorum dicitur esse Spiritus, sicut ipse Spiritus dicitur esse Filii. Non enim vbi ait Apostolus *gladium Spiritus*, Filium nominat gladium; vt quidam intelligunt. Patet autem, ex superioribus. Cùm enim dixisset: *induimini & sumite armaturam Dei*, ac per hoc Patrem significasset; descendens infert: *& galeam salutaris accipite*, salutare nominans ipsum incarnatum Filium. *Videbit enim*, ait, *omnis caro salutare Dei. Et quia viderunt oculi mei, salutare tuum.* Deinde consequenter dicit *Et, gladium Spiritus.* Per hæc duo nomina, ipsum Spiritum significans. Meritò autem armaturam quidem attribuit Patri, Galeam verò & gladium Filio & Spiritui. Quoniam enim armatura est genus vel totum, galea verò & gladius, sunt species vel partes: & semper totum & genus principii rationem habet ad partes & species. Est autem & Pater principium Filii & Spiritus sancti. Iure armaturam quidem habentem principii rationem attribuit principalissimæ Patris personæ: galeam verò & gladium, quorum est armatura principium, Filio & Spiritui. quo-

Ephes. 6.

Ioan 3.
Luc. 2.
Ephes. 6.

quorum est Pater & principium. Non quia ibi genus & species & totum & partes sunt; sed solummodo secundum rationem principii, & eorum quæ ex eo sunt. Et quoniam caput principii habet rationem ad manum: capitis quidem arma attribuit Filio, manus verò Spiritui: vt exinde intelligamus Filium principium esse Spiritus. Sed quod sermo cepit dicere, illud est, quod Filius secundum nullum suorum nominum dicitur Spiritus, sicut ipse Spiritus dicitur esse Filii. Ergo vt verba non conuertantur, causa est, quod res non conuertuntur. Siquidem in Scriptura consona rebus verba redduntur. Non autem conuertentur, si Spiritus est, & ex Filio. Manifestum enim est, quod Filius non est ex Spiritu: Re mate autem secundum hunc modum non conuertente, meritò neque verba in Scriptura conuertuntur. Sed Spiritus dicitur esse Filii, Filius verò non dicitur esse Spiritus.

Nonum Argumentum.

MITTIT in Scriptura Pater Spiritum sanctum. Hic autem Patrem non mittit. Vnde quæri potest, quomodo qui vbique est, & omnia implet, mittitur alio? Vbi enim non est, vt illic mittatur? vel quomodo cui inseparabiliter est vnitus, ab eo aliò mittitur? vel qui penitus immutabilis est, & inalterabilis, quomodo in tempore aliquid patitur? Si verò dicet aliquis quod ipsa quidem Spiritus persona non mittitur; sed gratia eius missa ipse dicitur mitti? primum quidem dubitandum est, vtrum gratia Spiritus sancti ita mittitur, sicut ea quæ de loco in locum mouentur? deinde si alia non est gratia Spiritus quàm Patris? vna enim trium personarum est simpliciter gratia: & nullam habet Spiritus gratiam quæ Patris similiter non est. Quid familiarius & congruentius, communi gratia missa, Spiritus dicetur mitti à Patre, quàm Pater à Spiritu? nam si scriptum fuisset quod Spiritus misit Patrem, possemus similiter dicere, quod ipse quidem non mittitur, gratia verò eius missa dicitur ipse mitti.

Quid ergo vult Scriptura, vt introducat Patrem mittentem Spiritum; missum verò à Spiritu, minimè? an quia ille qui mittit ad illum qui mittitur, in quantum mittit, principii habet rationem? est autem & Pater principium Spiritus, mitti quidem Patrem à Spiritu incongruentissimè diceretur. Spiritum verò à Patre mitti, congruentissimè dictum est; vt per hoc Pater principium esse Spiritus significetur,

ficetur. Et est vtique Patrem ad nos mittere Spiritum, nihil aliud, quàm certum nobis facere, quod ex ipso intemporaliter est Spiritus: quia est quidem Spiritus intemporaliter â Patre. Nos autem hoc non intemporaliter cognoscimus, vel credimus, sed in tempore. Igitur quoniam in tempore hoc nobis manifestatur; scriptum est, ipsum Spiritum â Patre mitti ad nos, quod est manifestum nobis fieri ab eo, quod ex eo est. At verò similiter Patri & Filius mittit Spiritum, & non mittitur ab ipso. Licet enim dicat ESAIAS ex persona Filii: *misit me Dominus & Spiritus eius*. Et iterum *Spiritus Domini super me propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus misit me*: tamen qua natura conuenit Filio vocare Patrem Dominum, illa vtique & mitti â Spiritu se ait. Non enim dixit Spiritus Dei, vel Patris; *sed Spiritus Domini misit me*. Dominum verò Patrem, non secundum suam deitatem, sed humanitatem. Secundum ergo humanitatem in propositis dictis intelligitur mitti â Spiritu, & non secundum deitatem, quia humanitas eius est, quæ Deum Patrem Dominum suum vocat, & non deitas. Ergo quoniam commune est Patris & Filii mittere Spiritum, & non mitti ab eo: qua vtique ratione mittit Pater Spiritum, eadem & Filius mittit ipsum. Mittit autem Pater Spiritum, ostendens nobis quia ex eo est. Mittit ergo & Filius Spiritum significans nobis, quia ex ipso Filio ipse est. Aspice autem & Apostoli de hoc capitulo alibi diligentiam. Quia enim sciuit Filium quidem ex solo Patre, Spiritum verò ex Patre Filioque: ideo de Filio quidem dicit ad Galatas: *misit Deus Filium suum*; de Spiritu verò post pauca non ita dixit; *misit Deus Spiritum suum*, ne ex ipso solo significetur. Sed quomodo? *misit Deus Spiritum Filii sui*. Per vtrumque ambo significans; nam & dicendo, *misit Pater Spiritum*, significat, quod & eius est, & ex eo: & dicendo, *Spiritum Filii sui* significat: quod & ex Filio est, & ab eo mittitur.

Isai. 48. Esai. 61. Gal. 4.

Decimum Argumentum.

DAT hominibus Deus Pater Spiritum. Ait enim Dominus in LVCÆ Euangelio: *quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus se?* & Apostoli in actibus: *nos sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus, quem dedit Dominus omnibus obedientibus*

Luc. 11. Act. 5.

bus ipsi. Et iterum : *quis ego sum, vt impediam Deum dare Spiritum sanctum, credentibus in nomine* IESV? & IOANNES in prima: *in hoc cognoscimus, quia in eo manemus, & ipse in nobis, quod ex Spiritu suo dedit nobis.* Et Apostolus ad Galatas: *qui igitur dedit vobis Spiritum & operatur virtutes in vobis.* Et ad Ephesios: *Pater gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ & reuelationis.* Et ad Thessalonicenses: *sed Deum, qui & dedit Spiritum sanctum suum in vobis.* Quia verò Spiritus sanctus dat Patrem nusquam scriptum est, ergo inseparabilis & indiuisibilis cum esset Trinitas, dubitabile profectò efficitur, quomodo vna persona aliam dat, vel quomodo possibile est à nobis accipi Spiritum sanctum; non accipientibus simul & Patrem? si verò nihilominus Patrem, quàm Spiritum accipimus: quando Spiritum accipimus quæ ratio est, vt non similiter & Patrem à Spiritu dari scribatur? si verò dicet aliquis quod accipere Spiritum sanctum cum nos ab eo accipimur, & aliquam spiritualem operationem patimur ab eo, & spirituale aliquod donum ab eo accipimus, vel sapientiam, vel linguam, vel prophetiam, vel potestatem soluendi & ligandi, vel aliquid tale: & hoc est quod nos accipimus ipsum; quia è conuerso accipimur & bene patimur ab ipso inalterabili & immutabili eo manente.

Act. 11.
1. Ioan. 4.
Gal. 3.
Ephes. 1.
1. Thes. 4.

Est quidem, pro vt credo, Spiritus acceptio benè expressa, quod verò quæritur, nihilo magis inuentum est, vel dubium solutum. Nam si nihilo magis à Spiritu sancto accipimur, & beneficium patimur, & dona accipimus, quàm à Patre: æqualiter enim & similiter à tribus personis huiusmodi beneficia nobis eueniunt: Quæ causa est, vt cum huiusmodi beneficia æqualiter à Patre & Spiritu accipimus, Pater quidem dicatur dare nobis Spiritum sanctum, huic verò è conuerso minimè scribatur? an certè, quoniam semper ille, qui dat aliquid, in quantum dat, principii rationem habet ad id quod datur? Est autem & Pater principium Spiritus sancti. Dici quidem Patrem dari à Spiritu sancto; absurdissimè diceretur. Quia verò Pater dat Spiritum, congruentissimè dicitur, vt exinde intelligamus, illum quidem tanquam principium; hunc autem tanquam ex eo; & ita dicta in tempore datio Spiritus sancti, reducit nos ad sempiternam eius ex eodem processionem. At verò & Filius dat in Scriptura Spiritum sanctum. Insufflauit enim, & dixit discipulis: *accipite Spiritum sanctum.* Et in prima Catholica Epistola ait beatus

Ioan. 20.

1. Ioan. 3. IOANNES de Christo: *in hoc cognoscimus, quia manet in nobis de Spiritu quem nobis dedit.* Quia verò Spiritus sanctus dat Filium, nusquam scriptum est. Quoniam ergo dare Spiritum & non dari ab eo, commune est Patris & Filii: Communia verò indifferenter sunt communia: Similiter vtique intellecta datione & acceptione in Filio & Spiritu; sicut in Patre & Spiritu; necesse est ex eo ipso intelligere nos, quod Filius principium est Spiritus, & Spiritus intemporaliter est ex ipso.

Vndecimum Argumentum.

Ioel. 2. EFfundit in Scriptura sacra Pater Spiritum sanctum. Ait enim: *Effundam à Spiritu meo super omnem carnem.* De quo quis meritò dubitabit, quomodo effunditur, quod non est humidæ naturæ vel defluentis? vel quomodo patitur aliquid, quod penitus est impassibile? ac si vera est Patris & Spiritus sancti operatio; & est effundere operatio quædam: & ipse ergo se ipsum effundit. Sed quomodo cùm esset simplicissimus ipse ad seipsum facit, & à se ipso patitur? si verò dicet aliquis, quod effundi ipse dicitur: eo quod eius gratia effunditur, vt Actor. 10. scriptum est in actibus, *quod & in gentibus gratia Spiritus sancti effusa est:* hoc autem propter copiosam & abundantem donorum distributionem ad multos subitò transeuntem: sed cùm eadē sit gratia Patris & Spiritus sancti: quid magis communi gratia effusa, Pater dicitur effundere Spiritum, quàm Spiritus Patrem? huius autem solutio eadem vtique est, quæ & priorum. Quoniam enim ille qui effundit, ad id quod effunditur, in quantum effundit, principii habet rationem: Est autem & Pater principium Spiritus: Meritò communi gratia effusa Pater quidem dicitur effundere Spiritum; Spiritus verò Patrem non, vt ex huiusmodi vocibus dirigamur ad intelligendum quod Pater principium est Spiritus. Necesse enim est, vt sempiterna per ea quæ temporaliter in scripturis dicuntur; tanquam per quædam signa, secundum aliquam similitudinem significentur. At verò & Filius dicitur in Scriptura effundere Spiritum. Ait enim Apostolus ad TITVM: Tit. 3. *secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit ad nos copiosè per* IESVM *Christum Saluatorem nostrum.* Effundi enim ait Spiritum per Filium; quoniam id ipsum vt effundat Spiritum, habet Filius ex Patre, quod signi- Act. 2. ficatur ex alia Scriptura. Scriptum enim est in actibus, *promissione Spiri-*

tus

tus sancti accepta à Patre: effudit hoc quod nunc videtis & auditis. Quod verò Spiritus effundat Filium, scriptum non est. Quare & ex hoc Filium principium esse Spiritus concluditur.

Duodecimum Argumentum.

ACCEPTA ait *à Patre promissione Spiritus sancti, effudit hoc quod nunc videtis & auditis.* Hoc autem ait, non quia habet aliquid Pater, quod Filius non semper habet, & postmodum idipsum accipit à Patre. Nam intemporaliter cùm esset à patre natus, hoc ipso quòd intemporaliter ex eo natus est, ab æterno habens ex Patre omnia quæcumque habet, dicitur accipere à Patre; non quæ prius non habebat, sed æternaliter quæ ex eo existens habet. Quare quod scriptum est, accipere ipsum à Patre significatum est æternaliter ex Patre ipsum esse, & habere quæcumque habet. At verò sicut Filius dicitur accipere à Patre, & effundere Apostolis; ita Spiritus sanctus dicitur accipere ex Filio, & annunciare eisdem. Ait enim: *De meo accipiet, & annunciabit vobis.* Quare & hoc similiter significatum erit, quod ipse Spiritus sanctus ex Filio æternaliter est, & habet quęcumque habet: sicut & ex Patre. Hoc autem patet & per præcedentia verba: dixit enim: *cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Deinde quoniam per hoc quædam diminutio posset putari eius Filio: siquidem docere Apostolos omnem veritatem, rem tantam, ipse quidem non fecit: Spiritum verò sanctum hoc ait facturum fore. Infert: *non enim loquetur à semetipso; sed quæcumque audiet, loquetur: & quæ ventura sunt, annunciabit vobis.* Ac si diceret, quod ille vos ducat ad omnẽ veritatem, & annunciet vobis ventura: gloria mea est. Quoniam sicut ego accipiens à Patre effundam vobis; ita ille accipiens ex meo annunciabit vobis. Hoc est, sicut ego intemporaliter existens ex Patre ab eo intemporaliter habeo quæcumque habeo & facio: ita Spiritus de me intemporaliter existens, de meo habet omnia quæcumque habet & facit. Quare ducere vos in omnem veritatem, de meo acceptum intemporaliter habet. Quoniam in his quidem verbis ostenditur Spiritum sanctum esse ex ipso. Superius verò dixerat esse illum ex Patre, vbi ait: *qui à Patre procedit*; volens adhuc manifestius ostendere, quod commune est Patris & ipsius esse, videlicet, ex ambobus Spiritum inducit. *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt. Ideò dixi: quia de meo accipiet*, vt supe-

Act. 2.

Ioan. 16.

Ibid.

Ibid.

Ioan. 15.

Ioan. 16.

Ibid. rius dixerat; sed permutans tempus verbi, ait: *quia de meo accipit*: vt id ipsum quod accipit Spiritus ex Filio, nihil aliud significet, quàm esse intemporaliter ex ipso. Et aspice Scripturam scripturæ coaptando, admirandam analogiam. Filius accipiens à Patre, effundit Apostolis: Spiritus sanctus accipiens de Filio, annunciat Apostolis. Item Apostoli accipientes à Spiritu sancto annunciant mundo. Ait enim alia Scriptura: *Act. 1.* *accipietis virtutem ex alto superuenientis Spiritus sancti super vos; & eritis mihi testes in* IERVSALEM, *& vniuersa* IVDÆA *&* SAMARIA, *Ioan. 16.* *& vsque ad terminos terræ.* Id verò quod dictum est, *de meo accipiet*, pro eo dictum est, quod dicat *de me, vel ex me.* Vt per hoc intelligatur ipsa Filii persona, pro vt testantur Euangeliorum expositores, sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS, & beatus CYRILLVS.

Tertiumdecimum Argumentum.

Apoc. 22. AIT IOANNES in Apocalypsi: *Et ostendit mihi fluuium aquæ viuæ clarum tanquam Crystallum procedentem de Sede Dei & agni.* In his fluuium aquæ viuæ Spiritum sanctum est nominari, agnum verò Filium Dei, quoniam verò procedit Spiritus sanctus & ex Filio, non in quantum homo est Filius; sed in quantum Deus est, & eiusdem sedis Patri: Ideò ait procedere fluuium de Sede Dei & agni: quod est de natura illa, quæ est agnus synthronus Patri, vt per hoc significetur agnũ auctorem esse in quantum ipse agnus Deus est.

Decimumquartum Argumentum.

Ioan. 20. ITEM ait IOANNES in Euangelio de Christo: *insufflauit & dixit discipulis: accipite Spiritum sanctum.* Sed quomodo datur vel accipitur Spiritus sanctus vel eius dona? & quid est eum dari & accipi? & ad quales Deo decentes intelligentias per huiusmodi voces, oportet nos reduci, superius apertum est. Nunc autem insufflatum tantum examinandum sit. Certum est enim, quod dicens Dominus: *Ibid.* *accipite Spiritum sanctum*, non iubet Apostolis accipere illum corporeum & humanè de pretioso ore eius prodeuntem Spiritum, vt illum absorbentes possint dimittere, & tenere peccata. Ergo si fine insufflandi actu, dictis solummodo reliquis verbis, eandem Apostoli reciperent gratiam: quid volebat sibi insufflare? an ille quidem incorporeus Spiritus

tus sumptus extitit tanquam signum Spiritus sancti, sicut prius columba? Domini verò corpus tanquam symbolum deitatis, cui personaliter vnitum erat? temporalis verò & corporalis de ore eius flatus illius motus tanquam signum seu figura intemporalis & incorporeæ, & inseparabilis processionis Spiritus sancti, ex deitate Filii, vt per hoc intelligamus Spiritum à Patre procedentem etiam ex Filio similiter procedere? Huius autem duæ sunt probationes. Vna, quod etiam sanctus AVGVSTINVS, ita explanat & reducit istum locum Scripturæ. Alia verò, quod nisi ita aperiatur ille insufflatus, relinquitur absque ratione factus; quod est impossibile. Procedit ergo & ex Filio Spiritus sanctus: ideò enim prius insufflauit, deinde dixit; *accipite*: vt ostenderet, quod temporaliter hominibus dare Spiritum sanctum habet ipse ex eo quod æternaliter ex ipso procedit: quoniam illius est dare ipsum; qui quidem est principium eius substantiæ.

Decimumquintum Argumentum.

OPORTET autem post hæc comparare huic factę per nos demonstrationi, de processione Spiritus sancti, & ex Filio, sermones eorum, qui oppositum ostendere nituntur, & videre quantum intersit. Illi enim aut contumeliis, & blasphemiis nos percutientes, & tali specie sermonum vtentes, aut supponentes verba nostra, vel quorundam dictorum expositiones, vel argumenta, non sicut nos intelligimus & dicimus, & exponimus; sed sicut ipsi dicere nos & intelligere putant; aut etiam fingentes ipsi nostra verba, prout eis facilè sit destruere, ita aduersus nos sermocinantur.

Dictorum autem sacræ Scripturæ, per quæ nihil commiscentes eis nihil forinsecæ scientiæ possent ostendere, ex solo Patre esse Spiritum sanctum, nullam consequuntur facultatem. Nos autem in exposito hoc sermone contumelia omni abstinentes, & nihil calumniosè supponentes, per ipsa sacra eloquia nihil vanæ scientiæ assumentes; ostendimus, quod ex Filio procedit Spiritus sanctus. Quare si quis non sufficere putat hanc nostram demonstrationem; sed adhuc dubitat & veretur conclusioni assentiri: multò magis talis debet dubitare & timere recipere, quod ex

solo Patre Spiritus est, cùm huius nulla talis possit esse demonstratio. Nam timentem admittere, id quod per multa ostenditur: audacter affirmare, quod per nullum dictum sacræ Scripturæ apparet: passio est ratione penitus carens.

Decimumsextum Argumentum.

QVIA verò, sicut potest aliquid ostendi per diuinam Scripturam eorum quæ verbis ipsis non dicuntur; per sensum verò diuersimodè dictorum concluduntur; & præsens quæstio benè & sufficienter ostensa est: inde manifestum. Spiritus sanctus increatus & consubstantialis Patri & Filio esse creditur. Hoc non verbis ipsis diuina Scriptura dicente; sed per multa alia diligenter eam legentibus idipsum significante. At verò si quis voluerit illis demonstrationibus per quas ostenditur de Scriptura, increatum & consubstantialem Patri & Filio esse Spiritum sanctum, comparare has, per quas ostendimus Spiritum ex Patre, Filioque procedere: inueniet in nullo illis inferiores, sed ferè fortiores: diuina Scriptura maiorem facultatem ad has, quam ad illas, præbente; vt demonstrabo.

Omnium dictorum diuinæ Scripturæ per quæ Patres ostendunt increatum DEVM esse Spiritum sanctũ: hæretici adinueniebant aliam expositionem, licet non veram; sed ita persuasibilem, & tantam apparentiam habentem, vt eos qui non perscrutabantur Scripturas, neque ab ipso Spiritu iuuabantur: satis decipiant blasphemiæ consentire. Sed horum per quæ nos ostendimus Spiritum sanctum, & ex Filio esse, nulla alia expositio potest inueniri ita opposita aduersus nostram, vt illa credita; hæc necessariò excludatur. Habet enim se res ita, in quibus diuina Scriptura de Filio & Spiritu disputat, quæ inter ipsos sunt tradens. Decem quædam ponit non conuertentia, vt ostensum est: quæ per hoc nihil aliud significant, quàm Filium principium esse Spiritus. Vtpote. Nihil enim prohibet ea resumendo iuxta inuicem ponere.

Scriptum est, quod Filius brachium est Dei, & Spiritus digitus est DEI. Cumq; omnis digitus dependet de brachio, huius è conuerso scriptum non est.

Item, scriptum est quod Spiritus sanctus est oris Filii & rema eius. Sed Filius quia logos est Patris scriptum est: quia verò rema Spiritus, vel oris Spiritus, nusquam scriptum est.

Item

Item dicitur in Scriptura Spiritus ſanctus eſſe Filii & imago eius. ſed Filius quia Patris eſt, & imago eius ſcriptum eſt: quod verò Spiritus vel ſimpliciter vel imago, minimè ſcriptum eſt.

Item in Scriptura mittit & dat, & effundit Filius Spiritum: mitti verò vel dari vel effundi â Spiritu non dicitur Filius. Quamquam in Scriptura miſſus & datus â Patre dicatur.

Item Spiritu & per Spiritum facere Filius dicitur Deo decentia opera. Filio verò & per Filium, quia Pater facit ſcriptum eſt: quia verò Spiritus minimè.

Item accipit in Scriptura Spiritus ſanctus de Filio. Sed Filius ex Patre quidem accipere dicitur; ex Spiritu verò non ſcribitur.

Ergo vt hæc non conuertentia videantur in Scriptura, ſi quis non dicat cauſam eſſe, quod Filius principium eſt Spiritus, nullam aliam cauſam inueniet: quærens & cum his proceſſionem fluuii aquæ viuæ, de ſede Dei & agni; & poſt reſurrectionem inſufflatus; nihil aliud ſignificare poſſibile eſt, quàm Spiritum ex Filio eſſe.

Item contemplor etiam illud, quod qui olim contra pugnatores Spiritus certabant, non poterant reducere ſe ad ſeniores Doctores; qui communiter per ambas partes pro Sanctis haberentur, & Deum increatum eſſe Spiritum ſanctum in ſuis ſcriptis aperte traderent, vt illorum teſtimonio hæreticos compellant â blaſphemia diſcedere. Nos autem nunc habemus ſanctum Auguſtinum, beatum Cyrillum, ſanctum Athanaſium & plures alios: qui & primis honoribus ab his qui nobis contradicunt ducuntur, & Spiritum ſanctum & ex Filio eſſe apertè teſtantur. Quare multis modis nobis facilius eſt oſtendere, quod ex Filio Spiritus ſanctus eſt; quam antiquis Patribus oſtendere, quod Deus increatus Spiritus eſt.

Poteſt autem id ipſum oſtendi & inde. Certum eſt enim, quod ſemper incertiora & obſcuriora quærendorum per certiora & clariora nata ſunt oſtendi. Beatus verò Cyrillus in theſauris aduerſus hæreticos diſputando prius per Scripturam oſtendit & concludit, & ex Filio eſſe Spiritum ſanctum. Deinde per hoc concludit conſubſtantialem ipſum eſſe Patri & Filio. Quare in ipſa diuina Scriptura hoc eſt apertius & clarius illo.

Certum autem idipſum eſt, & per oppoſita. Nam & oſtenſiones eorum, qui conantur oſtendere ex ſolo Patre eſſe Spiritum, multò ſunt infirmiores illis, quibus pugnatores Spiritus vtebantur.

Illi enim non pauca verba habebant de Scriptura, quæ non de-

bitè lecta & intellecta, videbantur blasphemiæ eorum suffragari. Sicuti illa quod Spiritus sanctus mittitur, datur, effunditur, & â seipso nō loquitur; sed quæcumque audit, & desiderat: & pro sanctis inenarrabilibus gemitibus interpellat: & talia quæ non debitè examinata, seruilis videntur esse naturæ. Hi autem qui ex solo Patre affirmant, nullum penitus de Scriptura subsidium habent: non dictionem, non dictum, non symbolum seu figuram, non aliud, per quod, vel per quæ, eorum opinio stare posset. Quare nullum dubium est, quod nostra sententia bene per scripturam demonstratur, & hi, qui ea non credunt, hæretici sunt & â Catholica fide alieni.

Finis Epistolarum D. BARLAAMI *Episcopi Gyracensis de vnione Romanæ Ecclesiæ, & processione Spiritus sancti, contra* GRÆCOS.

ETHI-

ETHICA.

SECVNDVM STOICOS.

per

D. BARLAAMVM

DE SEMINARIA EPISCOPVM GYRACENSEM COMPOsita sub compendio.

Nunc primùm edita ex Bibliotheca Bauarica.

ETHICA
SECVNDVM STOICOS.
Compoſita per
D. BARLAAMVM DE SEMI-
NARIA EPISCOPVM GYRACENSEM
ex pluribus voluminibus eorundem Sto-icorum ſub compendio.

PARS PRIMA.

Beatitudo quid dicatur. Caput I.

HOMINVM, alium alio, ſecundum quod Homo eſt, melius viuere putamus. Et ſtatuum hominum, alium eligibiliorem, alium minus eligendum arbitramur. Ergo cum natura noſtra ſit finita, & non ſit infinitæ bonitatis capax; aliam alia meliorem vitam ratione ſumentes, non ad infinitum procedemus, ſed perueniemus poſtremò ad aliquem terminum bene viuẽdi: quem iam tranſcendere natura noſtra de ſui conditione minimè valeat. Quamuis enim non habeamus, quem aſſignabimus, purè ad eum perueniſſe: tamen quia ſubſtantiam & vitam natura limitatam habemus, neceſſe eſt etiam, ſummum gradum noſtræ perfectionis, & optimum ſtatum viuendi, ſecundum quod proportionalitas noſtra exigit: eadem natura præfixum & notum eſſe. Nam opinari finitam naturam, ad

ad infinitum proficere, & perfici suos non excedendo limites, posse non solum est contra communes notiones; sed etiam tollit omnem appetitum. Siquidem expetendorum extremum non est, vbi se appetitus nouissimè figat. Hunc igitur terminum, & hanc optimam, pro vt possibile est, hominis vitam, vno verbo, sicut & alii, beatitudinem appellantes; quæramus quid sit, & in quibus consistat. Inde autem suscipiamus exordium.

Vera Beatitudo Hominis, vt Homo est, Cap. 2.

VERAM hominis beatitudinem quærimus, talis autem non potest esse, nisi sit hominis vt homo est. Nam si assignabimus hominis beatitudinem, quæ non erit hominis, vt homo est; non erit vera. Ergo oportet vt constet ex omnibus illis bonis, quæ sunt hominis, in quantū homo est. Quia si ex aliis, & non ex talibus; non habebimus, quod quærimus. Etenim si non ex omnibus huiusmodi bonis constabit, non erit summum bonum. Quia si qua est beatitudo, cui desunt aliqua hominis, in quantum homo est; manifestum est, quod illis additis augebitur. Sed quod augeri potest: summum non est: Beatitudinem verò, quam quærimus, summum hominis bonum esse volumus.

Igitur ex omnibus dictis bonis constabit, ac verò ex solis. Quia si qua sunt alia bona hominis: non tamen vt homo est: manifestum est, quod illa addita illi beatitudini, quæ constat ex bonis hominis, vt homo est; non augebunt eam, vt propterea sit magis beatitudo hominis, vt homo est: quia in tali etiam compositione tota ex vtriusque generis bonis complexio; non diceretur, nec intelligeretur, nec esset beatitudo hominis, vt homo est, nisi ex parte illorum bonorum hominis, quæ essent bona hominis, in quantum homo est.

Vera beatitudo augeri non potest. Cap. 3.

VERA ergo beatitudo, additis illis augeri non potest. Et meritò: nulla enim aggregatio augeri potest, additione aliarum rerum genere diuersarum. Nec enim lineæ additis punctis; nec superficies additis lineis; nec solida additis superficiebus; nec diuersorum humidorum commixtio additis coloribus vel saporibus augentur.

Beatitudo hominis, vt Homo est, ex quibus potissimum constet. Cap. 4.

ERGO si bona hominis, vt Homo est, genere diuersa sunt, ab illis, quæ non sunt hominis, vt Homo est; manifestum est, quod beatitudo, quæ constat ex bonis hominis, vt Homo est, non augebitur adiectione illorum bonorum, quæ non sunt hominis, in quantum homo est. Itaque perfecta & summa hominis beatitudo, ex illis solis constabit; vt iam possimus formam huius beatitudinis breuissimè comprehendentes, talem eius definitionem, ad quærenda & demonstranda supponere.

Quid est Beatitudo hominis vera, & quid eius Miseria? Cap. 5.

VERAM Beatitudinem hominis esse cumulatam complexionem omnium bonorum hominis, vt homo est: ac per consequens: summam miseriam hominis esse cumulatam complexionem omnium malorum hominis, vt homo est: vt cui hoc inest miserrimus homo dicatur. Est autem beatitudo per se expetenda, & miseria fugienda.

Virtus quid. Cap. 6.

SVPPONATVR etiam & Virtutis definitio, quæ talis secundum omnes philosophantes est.

Virtutem esse optimam affectionem animi, ex qua proficiscuntur bonæ & laudabiles voluntates, sententiæ, actiones: quarum quælibet suo loco optima est; quæ & eos, in quibus est, bonos & laudabiles efficit.

A Beatitudine hominis, vt Homo est, omnes artes excluduntur. Cap. 7.

HIs præmissis, patet quod omnes & vniuersæ opificum artes excluduntur ab illis bonis quæ ad formam beatitudinis pertinent. Sicut enim in omnibus aliis illa bona intelligimus, vniuscuiuscumq; rei, vt illa res est; quæ ipsam rem bonam & laudabilem faciant, & à quibus

ipsa

ipsa res iure laudatur, & bona appellatur: Ita & hominis bona, vt Homo est, illa tantum intelligimus, quæ ipsum hominem bonum, & laudabilem faciunt, & à quibus iure laudatur, & bonus appellatur.

Vera beatitudo Hominis vt Homo est, in quibus potissimum sita. Cap. 8.

SED beatitudo hominis, sita est in illis bonis tantum, quæ sunt hominis, vt Homo est. sola ergo illa formaliter perficiunt beatam vitam, quę hominem verè bonum & laudabilem faciunt: & propter quę iure laudatur, & bonus appellatur. Sed ex nullà opificum arte hæc homo meretur. Quantumcumq; enim est Homo faber bonus, aut cerdo, aut scriptor: non tamen ratione huius artis bonus appellatur; velut sapiens homo, aut prudens, aut intelligens simpliciter laudatur. Ergo ad formam beatitudinis opificum artes minimè sunt vocandæ.

Scientia in bonis Hominis minimè locanda. Cap. 9.

SIMILITERQVE scientiarum, quarum finis est non extrinsecus effectus; sed intrinseca visio veritatis; licet in bonis ipsius mentis, vt mens est, omnis scientia computetur: tamen quæcumque tales sunt, vt ab eis non possit homo simpliciter bonus appellari; vel vt Homo sapiens & intelligens, aut prudens iure laudari: non sunt in illis bonis habendæ, quæ beatitudinem ipsius hominis, in quantum homo est, constituunt. Hominem enim non ipsam mentem aut rationem appellamus; sed, animal rationis & mentis particeps: cuius nunc beatitudinem quærimus; rem videlicet, qua optimè, dum viuitur, vita eius ducatur.

Quæ Hominibus & bestiis communia, non in bonis hominis, vt Homo est, collocanda. Cap. 10.

AT verò, nec quæcumque sunt, aut esse possunt, communia hominis & bestiarum, in illis bonis sunt habenda, ex quibus hominis beatitudo constat. Illa enim omnia, vt prædefinitum est, sunt bona hominis, vt homo est. Sed illa quæ sunt, aut esse possunt communia Hominis, & bestiarum; & per consequens quæ gratia istorũ requirũtur,

vt effectiua, aut conseruatiua,& si quæ eorundem virtutes esse dicuntur,non sunt bona hominis,vt homo est,& ideò nec in illis bonis sunt habenda,quæ ad beatitudinem pertinent.

Miserrimi definitio,aut quis verè Miser dicatur. *cap.11.*

ITEM, quia miserrimus Homo nec ille est,qui nusquam est;nec ille, qui homo non est:Equus enim non dicitur homo miserrimus:manifestum est,quod sunt aliqua communia hominis beati & miserrimi. Cùm verò miserrimus dicatur, qui habet omnia mala hominis,vt Homo est,ita vt nihil boni hominis, vt homo est, ei relinquatur: sequitur nihil eorum quæ sunt, aut esse possunt communia Beati & miserrimi, quæque gratia eorum requiruntur,bonum esse hominis, vt Homo est. Quare nec in illis huiusmodi sunt habenda, quæ definitione beatitudinis comprehenduntur.

Quæ in bonis Hominis iure habenda censeantur. *Cap.12.*

ITEM, si illa bona tantùm faciant per se hominem beatum, quæ ipsum hominem, vt ostensum est, bonum simpliciter & laudabilem faciunt, & propter quæ iure laudatur,& homo bonus appellatur: Omnia verò huiusmodi sunt voluntaria, & in potestate hominis iacentia,& amitti inuitis nequeuntia:Nullum ergo fragile,& caducum, & extraneum, in nostra potestate non existens, & extingui, & amitti potens inuitis: habendum est in eo genere, quod vita beata complectitur.

Bona corporeá externa, ad beatitudinem hominis, vt Homo est,non pertinent. *Cap.13.*

PATET igitur ex conclusis; quod nec indolentia,nec corporea voluptas, nec omnino aliquid eorum,quæ dicuntur corporea bona & externa; ad beatitudinem,quam quærimus pertinet. Horum enim alia sunt communia hominis & bestiarum : alia, beati hominis,& miserrimi.Et omnia communiter sunt extra nostram potestatem,& fragilia,

gilia, & caduca, & extingui, & amitti inuitis possunt. Et nec omnia simul, nec aliqua illorum sua præsentia hominem bonum faciunt, vel ab eis homo iure laudatur, & bonus appellatur. Ergo cum huiusmodi omnia exclusa essent à beatitudine: & ipsa corporea, & externa necessario excluduntur.

Quæ formæ beatitudinis includantur? Cap. 14.

ITAQVE circumscriptis omnibus aliis, de quibus dubitari possit, ne in forma beatitudinis includantur; relictis verò solis animi virtutibus, & eorum laudabilibus actionibus, quæ videlicet nec hominis, & belluarum; nec beati & miserrimi communes esse possunt: & amitti inuitis nobis non possunt; quæque verò hominem bonum & laudabilem faciunt, & â quibus homo iure laudatur, & bonus appellatur: manifestum est, quod in sola vita virtuosa beatitudo consistit; & virtus se ipsa est contenta, ad benè, beatéque viuendum.

Reliquorum verò, nihil ad veram beatitudinem pertinet; sed dum homo virtutibus est imbutus, & omnes suas cogitationes & actiones, & vitam virtutibus regulariter & moderatur, & dirigit: omnibus aliis rebus nascentibus & cadentibus, & quoquo modo se habentibus; nil adimitur aut additur ei, quo magis, minúsue sit beatus.

Secunda & tertia, quæ vocantur, num formæ quærendæ beatudinis includi debeant. Cap. 15.

DE scientiis quidem & artibus, nulli Philosophorum dubitant, vtrum necessarium sit aut omnes scientias, aut aliquas artes, in forma quærendæ beatitudinis includi. De dictis verò corporeis bonis & externis; quæ secunda & tertia vocantur, magna est quæstio.

Quidam enim nil præter virtutes, hominis bonum esse, in quantum homo est, non dubitant, sed adimentes prædictæ definitioni, postremam additionem, & simpliciter ponentes beatitudinem, complexionem esse omnium bonorum hominis: nituntur aggregare ad beatam vitam explendam; & corporea omnia, & externa; quasi sine istis nequaquam illa integra valeat esse. Qui vehementer errare conuincuntur, ex his quæ communiter & naturaliter de beata vita senti-

mus. Beatitudinem enim tanquam summum bonum omnes intelligimus; quo ipsa res summè bona suo genere efficitur. Ergo & summum hominis bonum intelligendum est, cuius præsentia homo summè bonus efficitur. Porrò virtutum præsentia, nullo adiuncto alio, summè bonus homo efficitur. Solæ ergo virtutes Beatitudinis obtinent principatum.

Beatus qualis esse debeat. Cap. 16.

ITem volumus illum, quem perfectè beatum intelligimus, tutum esse, inexpugnabilē, septum, munitum, suis bonis inerrabiliter cõfidentem, semper habere quod vult, & nunquam, quod non vult: nunquam dubitare, vtrum adest sibi integrè beatitudo, an non; nunquam timere, ne inuitus amittat eam; forti, & robusto, & excelso, & magno animo esse, semperq; in animo trãquillitatem, & securitatem, & placidissimam pacem, & constantem hilaritatem habere, & terroribus & angoribus, & mæstitia vacuum esse.

Quid in se contineat Beatitudo. Cap. 17.

HÆc autem omnia continet sententia confectæ conclusionis. Nam si quis, cùm sit virtuosus, ita conclusam de beatitudine sententiam, viuam & efficacem habet, & totum animum per omnes partes penetrantem, vt & omnis appetitus sit consonus illi, & aliqua repugnans opinio non sit in animo latens; quæ possit aliquando ad contrarium appetitum animum distrahere: Hic cùm nihil habeat in bonis nisi virtutem, & quod ea agatur: reliquarum verò rerum, nihil sibi bonum vel malum reputet; videatque quod solum bonum nouit semper sibi totum præsens, & amitti inuito non patiens: necesse est vt omnia illa ei contingant; quæ exposuimus communiter verè de beato intelligi. Talis enim tutus est, inexpugnabilis, inerrabiliter illis quæ sua bona scit, confidens: semper habet quod vult, & nunquam, quod non vult. Vacat enim vitiis, quæ non vult habere, & si terrores, & mæstitiæ, & angores, & aliæ perturbationes, quæ contingunt hominibus, propter corporeas & externas res: quia putant eas malas vel bonas esse, & pertinere ad suum bonum vel malum statum; manifestum est, quod si quis huiusmodi opinionem & appetitum ab iisdem

rebus.

rebus penitus remouerit; nihil quoquo modo acciderit, terrere & perturbare eum valebit, aut angi, & à constantia egredi, & mærere faciet. Et ideò semper erit tranquillus sibique placatus. Propterea fortis, magnanimusque, semper inuictus, â nullo frangi, & demitti animo patiens. Maximè enim scit humanas res contemnere, & ab eis nec efferri, nec frangi: qui eas nec bonas nec malas sui gratia iudicat. Similiter & quæcumque alia de beato intelligentes, prædictæ conclusioni plenè concurrunt.

Ad perfectam beatitudinem num secunda & tertia, sint necessaria. Cap. 18.

SI verò supponamus aliquem cum bonis animi etiam quæ dicuntur bona corporis, & externa omnia habere, & sit sibi illa in animo sententia insita, & appetitus sententiæ congruus, quod ista secunda & tertia ad perficiendam plenam beatitudinem sunt necessaria: impossibile est ei omnia illa concurrere, quæ de beato intelligimus. Et ideò per consequens, cum credat habere se omnia quæ suppetant ad beatam vitam, non erit tamen beatus. Nam cum sciat vires, valetudinem, sanitatem, velocitatem, venustatem, integritatem sensuum, vacuitatem doloris, denique vitam ipsam: Præterea regna, imperia, magistratus, dignitates, honores, facultates, copias, opes, potentias, diuitias, subditorum beneuolentiam, optimorum amicorum, & consanguineorum societatem: hæc omnia caduca natura sua esse; & simul inuito amitti posse, & eorum contraria euenire: quo modo beatus erit, si tot bonis, sine quibus non reputat integram beatitudinem sibi posse adesse, non confidit? Et tot quæ reputat esse mala, & beatitudinem violantia sibi impendere videt? Ita enim sapiens & intelligens, & illa bona permanere sibi, & non delabi appetens, cum vult esse semper beatus: quomodo non semper terrorum, & angorum, & sollicitudinis plenum animum habebit? At verò nec contemnere, & despicere res humanas facilè poterit: qui ad beatitudinem vel miseriam aliquod pondus eas habere crediderit. Sed sine despicientia rerum humanarum fortitudo & magnanimitas & excelsitas, non videntur posse in animo generari: quib. virtutibus instructus virtuosus in omni fortuna æquabilitatem conseruat. Carebit igitur qui beatum se esse putat, istis virtutibus.

Ac etiam poteſt contingere caſus;in quo,quum ſalua ſint ſibi omnia bona externa: tamen ipſe ignoret, vtrum ſalua ſint nécne; dubitabit ergo vtrum adeſt ſibi integra beatitudo. Ergo non habebit quod vult: vellet enim non dubitare. Concutietur ergo tranquillitas & pax animi iſtius â conſtantia ſua. Non ergo tutus, vt dominus bonorum ſuorum: non inexpugnabilis, non quietus; nec beatus ergo. Sententia ergo illa,quæ corporea & externa aggregat ad beatitudinem, quem ſupponimus eſſe beatum; facit non eſſe beatum: falſa ergo eſt: nihil enim verum eſt, ex quo impoſſibile oritur. Magis autem dignitas & ſplendor ſententiæ, quam defendimus,inde apparebit.

Collatio duorum non Beatorum. Cap.19.

SVPPONANTVR duo non Beati, ſimilem defectum in animo,in corpore, & in externis patientes: & illa quæ videntur eſſe excellentiora corporis,& externorum, nequaquam habentes,&aliquorum ex eis, quæ deſunt,deſperata ſit acquiſitio,& ita omnibus quę mētis, quæ naturæ, quæ fortunæ ſunt,per omnia adæquatis: ſit vni illorum perſuaſum, quod tota beatitudo in virtutibus animi vertitur: Alii verò tripartita illa ſententia,& habeant parem appetitum beatitudinis; manifeſtum igitur eſt, quod primus minus ægrè, & minus anxiè,& iucundius,& tranquillius ducet ſuam vitam,quam ſecundus; tribus ex cauſis; quod minora ſibi videt deeſſe ad plenam beatitudinem : & quod non eſt deſperata ſibi illorum acquiſitio : & quod eorum quæ habet, tanquam pertinentia ad beatitudinem, non exiſtimat aliqua eſſe in poteſtate fortunæ;quibus delapſis miſerior ipſe ſit. Ille verò nō modo plura deeſſe ſibi ad explendam beatitudinem videt,& de illis, quæ habet, aliqua ſentit, poſſe delabi, quo ipſe ſit miſerior, ſed etiam ad integram prouenire aliquando beatitudinem, deſperatum eſt penitus ſibi.

Virtutum acquiſitio vtri difficilior. Cap.20.

AT verò & acquiſitio virtutum plures habet in iſto difficultates, quam in illo. Prima enim difficultas eſt, poſſe cognoſcere,quantum bona animi,ad complendam beatitudinem,excellunt bona corporis,& iſta externa,& proportionaliter diſpartiri,& compenſare iſtis

appe-

appetitum beatitudinis.Ille verò noster,cum beatitudinis sententiam, & totum appetitum ad solas virtutes mittat: nil ei huiusmodi difficultatis est; quin etiam vehementiorem appetitum ad virtutes habet; quàm ille qui aliquas partes,paris appetitus, corporeis tribuit & externis. At & hoc manifestum est, quòd quanto amplius diliguntur corporea & externa: tantò magis impeditur ad acquirendas virtutes. Facilior est ergo nostro virtutum acquisitio.

In virtutum acquisitione vter fortior. Cap. 21.

NEc illud dubium est,quin ille affectus animi, qui ita sit constructus & firmus, vt possit in omni casu & fortuna, æquabilitatem conseruare; ita quod nec aduersitatibus frangatur; vel molle aliquid & abiectum, & effæminatum & anxium patiatur: nec secundis rebus effusa lætitia gestiat, leuitateque ad arrogantiam & superbiam se efferat: Iste, inquã, affectus melior & beatior sit,quàm ille, qui non tantæ constantiæ est:Sed manifestum est,quod duorum suppositorum virorum nostro facillimum est, exercitatione & consuetudine adiuncta, peruenire ad eiusmodi affectum. Illi verò tripartito,aut impossibile, aut difficillimum est. Ergo si nostra ista sententia in meliore omnimodè conditione facit esse hominem :quàm illa tripartita: non dubium est, quæ magis est approbanda.

Virtutum actio in quibus potissimum bonis consistat. Cap.22.

AT verò, nec illum errorem oportet incurrere, quod actiones virtutum,in solis bonis corporis & externis versantur: in contrariis verò non: vt si beatè viuere est virtuosè agere: hoc autem non potest esse, nisi in bonis corporis & externis, necessariò concludatur, quantò ista dilabuntur, tantò vitam beatam defici. Nam non est casus in vita, nec fortuna, nec tempus, in quo non possit vir bonus virtuosè agere. Decenter enim & rationabiliter cogitare, iacere, sedere, stare, ambulare, tacere, loqui, tribuere corpori necessaria, videre vel audire aliquid, membra corporis mouere, alicui assentire & parere; vel pro conseruanda constantia & fide dolores & damna non recusare: quibus non potest virtuosus vllo tempore omninò carere: actiones virtutum

 sunt,

ſunt, & à virtute proficiſcuntur. Omitto dicere quod fortitudo, & magnitudo, & excelſitas animi, in aduerſis rebus totam ſuam vim habent, ſcireque benè aduerſitatibus vti; ſummæ prudentiæ eſt. Nec non multa, quæ videntur eſſe negationis, locum habent ſummarum actionum. Cùm enim virtuoſus, pauper & ignobilis, deformis, & claudus & infirmus; nobiles & diuites admiretur, potentesque & ſanos: & ſe miſerum, & illos beatos, & fœlices reputet, & ideo odio eos habeat, & inuideat iis, cupiditateque immenſa ardeat, & angore & triſtitia, & mœrore tabeſcat, & deprimatur, diuinámque prouidentiam opinionis errore; aut nullam, aut iniuſtam eſſe exiſtimet: vir bonus & totus noſtræ ſententiæ, cum in ſimili caſu eſt, nil iſtorum patitur, nec reputat illos, in meliori eſſe conditione, quàm ſe. Et ideò tranquillo viuit animo, & minimè turbulento, & ad interiores actiones; & ſi quæ ſunt exteriores, maximè expedito. Tali igitur firmitati, & conſtantiæ, animíque actiones, quas poſſint agere virtuoſi diuites, & potentes: non ſunt poſtponendæ. Dum ergo bonus vir viuit & eſt, non vacat virtuoſis actionibus. Quare nec iſto modo corporis quæ dicuntur & externa bona, veræ beatitudinis partes erunt.

Diuiſio bonorum & corporis, & quæ externa vocantur. Cap. 23.

VT autem non videamur de nomine tantum laborare velle commoda nominantes, quæ omnes bona appellant: vt vocabuli mutatione à beatitudine videantur ſegregari; ita ſit procedendum.

Omnium, quæ bona corporis & externa dicuntur, alia referuntur ad noſtram ipſam ſubſtantiam. Quæ quidem ita ſe habent, vt ſine illis eſſe & viuere non valeamus.

Alia verò ad hoc habent ſuam vim, vt minus moleſtè & delectabilius vitam ducamus. Quæ quidem ad indolentiam vltimò & voluptatem, quæ per corporeos ſenſus percipitur, referuntur.

De membro primo. Cap. 24.

ERGO vt de primo membro prius dicatur; quia ſubſtantia noſtra & ipſum eſſe noſtrum bonum quidem nobis eſt: Tale verò bonum, vt non ſit aliqua pars formæ beatitudinis; ſed vt communiter, tam ſummæ miſeriæ, quàm beatitudini ſubjiciatur. Differt enim hominem

minem esse, & beatum hominem esse, & miserum hominem esse: vt ipse homo vtrique subjici valeat: sequitur necessariò, quod & ipsa bona corporea & externa; quæ, vt simpliciter simus & viuamus, requiruntur: similiter sint & nominentur bona. Vt videlicet, non in forma beatitudinis ponantur sed tanquam communia miseriæ beatitudini submittantur. Itaque sicut nostrum esse refertur quidem ad beatitudinem, non tamen vt pars; sed vt subiectum, sine quo forma non existit: simili modo, & illa bona, quæ ad ipsum nostrum esse referuntur, mediante ipso nostro Esse, ad beatitudinem referenda sunt. Igitur sicut qui est, in quantum est, non est beatior illo, qui non est: ita & qui habet plura, de huiusmodi bonis, non ideò est magis beatus, quàm qui habet pauciora. Beatus enim & minus beatus homo efficitur, additione & subtractione illorum bonorum; quæ sunt partes formæ beatitudinis. Nostrum verò Esse, & bona, quæ ad ipsum referuntur, non sunt partes formæ beatitudinis, pro vt ostensum est. Sed videatur, si placet, reliquum membrum præmissæ diuisionis.

Secundum membrum, Indolentia & Voluptas, non Beatitudo. Cap. 25.

ET primum ostendendum sit, quod Indolentia & Voluptas corporis in forma beatitudinis, poni minimè possunt. Nec enim cum virtutibus beatam vitam explere possunt: nec sine virtutibus. Quod si sine virtutibus, in summa sede poneretur: contingeret vitiosissimum hominem & penitus deprauatum & corruptum animum habentem atque impium & inconstantem; beatum esse; quod est contra communes notiones. At verò nec cum virtutibus beatitudinem efficere possunt, cum enim beatitudo sit optimus totius vitæ status: oportet, vt constet, non ex discrepantibus interdum & repugnantibus; sed ex concordibus semper & consonis. Bona enim omnia amicitia & concordia semper gaudet. Sed inter Indolentiã & Voluptatẽ, & virtutes magna repugnantia, vt plurimũ est. In plerisq; enim impossibile est Indolentiã & Voluptatẽ consequi: nisi omittamus honestũ & decorũ, & cõmittamus turpe & indecorũ. Nã si vbiq; velimus, quæ ratio Fortitudinis, Iustitiæ, Temperãtiæ, & omninò natura honesti existit, cõsequi: necessariũ est nõ solũ voluptates postponere; sed etiã magnos subire labores, & acerbos sustinere dolores. Et è contrario, si hoc statueremus in nobis, vt omnibus modis voluptatẽ corporis, & indolentiam

M. 2 seque-

sequeremur, nullum scelus esset, nullum facinus, nullum denique malum: ad quod suscipiendum licentia proposita, non impelleremur. Nec ergo cum virtutibus, nec sine, voluptas & indolentia in forma beatitudinis valent connumerari. Et ideò omnia corporea bona, & externa in quantum referuntur ad ipsam indolentiam & voluptatem, segreganda sunt â forma beatitudinis. Ostensum est autem esse hoc idem etiam, in quantum referuntur ad ipsam essentiam. Penitus ergo segregantur ab illis bonis, quæ formam beatitudinis constituunt.

De bonis & commodis quæ tripliciter eueniunt. Cap. 26.

ISTA itaque, quæ præter virtutes vulgò bona dicuntur, & â Stoicis commoda appellantur; & contraria, incommoda: triplici modo eueniunt. Ex virtute, ex culpa, ex neutro.

Ex virtute (vt â commodis incipiam) vt quæcumque homini ab hominibus propter virtutem tribuuntur. Vel, si quis optimum filium habet. Cùm ipse eum benè educauisset. Vel, res familiaris ex prudentia, sine iniuria acquisita & amplificata. Vel, sanitatis & virium ex abstinentia & diligenti regimine conseruatio, & si qua similia.

Ex culpa, vt si quis ex adulterio bonum genuerit Filium. Aut detrahendo iniuria suas res augeat, & si qua huiusmodi.

Ex neutro, vt quæcumque natura, fortuna, casu, successione, diuinitus: vel quoquo modo alicui sine opera sua eueniunt.

Incommodorum diuisio. Cap. 27.

ITEM de incommodis, eadem diuisio est. Nam ex virtute contingunt; vt quæcumque damna, doloresque alicui inferuntur, propter iustitiæ instantiam. Vel, si quis pauper est, cum suas facultates ad opera iustitiæ, & pietatis, & liberalitatis transtulisset, vel delabi eas studio meliorum rerum dimisisset.

Ex culpa contingunt, vt quæcumque alicui incommoda inferuntur, propter ab eo anteactas iniurias; & si ipse aliqua perturbatione concitatus; aut non propulsauit interitũ â charissimis cum posset; aut ipse intulit eis interitum. Aut rei familiaris, pigritia, inertia, igna-

uia delapſus; & corporis commodorum voluptatè deuicto, ex prauo regimine amiſſio, & multa talia.

Neutro. Quæ nec virtute, nec vitio, nec penitus ex aliqua opera contingunt: vt corporeorum naturales defectus, & quæcumque incommoda, caſu, fortuna, vel ab hominibus iniuria commotis inferuntur.

Commodum ex virtute veniens, expetendum eſt, & quare? Cap. 28.

EX tribus igitur modis, primus, quo virtute commoda vel incommoda, cum euenerint, ſua præſentia augent per ſe beatitudinem; ſed propter eorum circa eorum ſumptionem virtuoſam diſpoſitionem & actionem.

Secundus modus, quo ex culpa commoda vel incommoda ſumuntur; fugiendus & miſerabilis eſt; propter ſimiliter, circa eadem vitioſam diſpoſitionem & actionem.

Tertius modus, quo nec virtute, nec culpa, eadem contingunt, nec ad beatitudinem, nec ad miſeriã aliquid ponderis habet: ſed cum ſint ſumpta, quoquo modo commoda vel incommoda, qualiter eſt eis vtendum, dicetur, vbi de virtutibus tractabitur.

Non commoda; ſed affectus erga ea faciunt ad beatitudinem vel miſeriam. Cap. 29.

NVNC autem illud ſit manifeſtum, quod nec commoda beatitudinis, nec incommoda miſeriæ partes ſint; ſed affectus, & actus, & vſus virtuoſus vel vitioſus, circa vtraque acquirenda, ſumenda, tuenda, ferenda, vtenda, & amittenda ad beatitudinem vel miſeriam pertinet.

Sunt itaque commoda acquirenda, & tuenda, & vtenda, dum licet rectè hæc fieri: & minimè rejicienda; niſi aut ad comparandas, vel gerendas res meliores: aut ad ſeruiendum hominum, quorum decet, vtilitati. E contra verò incommoda aut ſunt rejicienda, aut æquo animo ferenda, niſi aut ad declinanda incommodiora & peiora: aut ad conſulendum decenter hominum vtilitati: ſed ad reliqua pergamus.

Honestum quid. Cap. 30.

POSITVM est in principio quod beatitudo per se expetenda. Et est ostensum, quod vita beata, idem est, quod virtuosa: vita ergo virtuosa per se est expetenda. Est autem & laudabilis, vt situm est in definitione virtutis. Sed quod est ita bonum, vt detracto omni emolumẽto, iure laudari & expeti per se ipsum possit: illud est, quod honestum sentimus. Vita ergo virtuosa, eadem est honesta. Et quia vita bona & beata, eadem est virtuosa: Vita ergo bona & beata, eadem est honesta. Et quia quod honestum est, idem esse bonum nemo dubitat: concluditur è conuerso, quod quæ honesta vita est, eadem est bona, & beata, & virtuosa.

Ac etiam, si decorum est, quod consentaneum est hominis excellentiæ, in eo in quo natura eius â reliquis animantibus differt; & ipsum decorum, & quod decet, idem virtuti & honestati efficitur.

Vtile, & Inutile, Quid. Cap. 31.

DEINDE de Vtili & Inutili dicendum sit. Duplici igitur modo vtrumq; dicitur. Vno, ipsa commoda vel incommoda, vt domus, equus, seruus, vires & similia: quæ videlicet ad idem cum honestis, vel ĩnhonestis non veniunt. Nullum enim cõmodorum aut incommodorum honestum vel turpe, quo ad hominis beatitudinem est.

Alio modo. Vtilia & Inutilia, dicuntur ipsæ hominis actiones, quæ sunt circa commoda vel incommoda sumenda, vtendà, disponẽda, ferenda, vel rejicienda. Quæ vtilia vel inutilia, eadem sunt quæ honesta & turpia. Nam si omnis turpis actio, â defectu virtutis proficiscitur: defectus verò virtutis lædit beatitudinem; ac nemini vtile potest esse, quod sit contra suam beatitudinem: nemini ergo turpis actio vtilis est. Porrò quod sine turpitudine vtiliter fit: idem rationabiliter & rectè fit. Sed quod rationabiliter & rectè fit, etiam honestè fit. Ex quibus concluditur, quod omnis vtilis actio, honesta est. Ac etiam si illud, quod honestum factu est, ad beatitudinem pertinet; summæ vtilitatis est; conficitur quod omnis honesta actio vtilis est. Sola ergo honesta & virtuosa vita, vtilis vita est. Et sola inhonesta & vitiosa inutilis. Igitur sex hæc. Bonum, Beatum, Virtute confectum, Honestum, Decorum & Vtile: Adde si vis Rectum, Rationabile: ad idem veniũt, & idem ferè sonant. Et ideò opposita eorum, scilicet, malum, miserũ, vitiosum, inhonestum, indecorum, turpe, inutile, peccatum, irrationabile:

bile: Adde si vis, prauum, flagitiosum, fœdum, tetrum, detestabile: omnia hæc eiusdem sunt calamitatis. Ex omnibus itaq; superioribus fit denique finalis conclusio, pro qua omnia in hac ratione præcesserunt, hæc:

Conclusio.

QVOD si quis vitã dicit virtuosam, & honestam, quomodocumque commoda & incommoda huic contingunt, modo non sua culpa: nihil deest illi ad veram beatitudinem, & per consequens, si quis est ita deprauatus, & corruptus, vt nec vestigium aliquod virtutis & honestatis in eo existat: huic quamquam omnibus abundet commodis, nihil deest ad summam miseriam.

Beatum nullum in hac vita secundum Platonicos. Cap. 32.

HIC quidam Platonici, immortalitati animorum operam dantes, & eorum quandam excellentem fœlicitatem imaginantes, eiq; vitam hanc comparantes; impossibile asserunt in hac vita, beatum hominem esse. Quibus multi assensum præbentes, nos à veritate reputant deuiare. Est autem inter nos & ipsos non in re controuersia; sed in nomine tantum. Non enim eandem rem vtrique beatitudinem appellamus, vt de eodem negatio & affirmatio sit. Namq; nos optimam vitam, quæ maximè composito competit, secundum quod hominis natura capax est, beatitudinem appellantes, & nil alienum vel incongruum ei addentes: hanc homines consequi posse asserimus.

Illi verò separatorum animorum beatitudinem considerantes: meritò ad illum hominem in hac vita existentem, negant peruenire posse. Ergo vtrumque verum est. Nec enim nos illa beatitudine, beati effici, vi naturali, dum viuimus, possumus. Nec illis nostra congruit, vel sufficit beatitudo.

Ac etiam iidem Platonici, multa bona; naturam, & artem, & consuetudinem excellentia, homines diuinitus consequi posse affirmant: sicut ipse Plato de Poëtica & Diuinatione, & Amore in Phædro tradit. Non tamen ideò prohibitum erit, vltimum terminum, ad quem ascendere potest vis naturalis, beatitudinem appellari: præsertim cum ita sit hoc vocabulum apud plures vsitatum, & non natura nomina rebus posita; sed vtentium beneplacito.

Beatitudinis diuisio, Cap. 33.

ITAQVE prima sit Beatitudo, ipse optimus vitæ status; quem vltimò ascendere possumus, transcendere verò vi naturali non valemus, de qua beatitudine in his libris tractatur.

Secunda sit, quæ prima supposita adhuc comprehendit: quæcumque excellentia bona acquirere homo etiam in hac vita, diuina aspiratione potest, vt Plato in Phædro docet.

Tertia sit, quæ suscipit post mortem sapientes, vt idem Plato in Phædone tradit.

Igitur quia illi secundam & tertiam merentur, qui primæ participes extiterunt; meritò de prima tantum hunc laborem duximus suscipiendum.

Naturalia bona, quomodo in nobis perficiantur? Cap. 34.

NOTANDVM verò sit & illud, quod secundum eundem Platonem, nec ipsa naturalia bona, perfici in nobis possunt, sine diuino auxilio. Nam ex quo omnia habent esse, ex eodem & suam perfectionem habere necesse est. Omnia verò secundum Platonem ex Deo habent Esse. Item in Timæo, cum proposuerat de natura mundi, & ortu, & connexione omnium â primo principio dicere: orauit, & diuinum ad proposita implorauit adiutorium: quamquam in illis, nil excellens naturale nostrum ingenium dicturus erat: sed non putat se illa consequi posse diuinitus non adiutum. At si secundum eundem in illo summo bono, totius bonitatis, perfectionis, & beatitudinis instar est; ita nostra substantia perficitur, ita beatificatur; si ad illud tendit, illud respicit, & illud imitetur.

Partis primæ Finis.

ETHI-

ETHICÆ,

SECVNDVM STOICOS.

DOMINI BARLAAMI DE Seminaria, Episcopi Gyracensis.

PARS SECVNDA.

Animi vis quotuplex. Cap. I.

DVPLEX est vis animi nostri. Vna qua intelligimus & verum inquirimus, & à falso discernimus, & à dubiis ad manifesta transimus: & in eis quid consequens, quid repugnans conspicimus. Et in agendis, quid vtile, quid inutile; quid bonum, & quid malum; & cui, & quantum; & quale inquirimus & iudcamus. Quæ vis cum sit intellectiua, Mens appellari solet.

Alia est, qua bona vel mala in agendis iudicata placent, vel displicent nobis. Et illa quidem acceptamus, amplexamur & amplectimur. Contraria verò aspernamur & fugimus, quæ vis, Appetitiua appellari solet. Huius autem motus vel actus in animo & benè & malè potest contingere. Quod vt discernatur, distinguenda sunt prius aliqua, quæ ad istum locum pertinent.

De vera & falsa opinione Boni & Mali. Cap. 2.

FALSA opinio in agendis bonis vel malis, multis modis accidit. Nam si quis opinatur, non bonum, bonum esse, vel è conuerso. Aut an sit bonum, minus tamen vel maius, quàm est illud, esse existimat. Aut per se bonum cum sit, ad aliud tantum, & hoc fortasse minùs bonum valere illud reputat. Aut cui bonum est, ignorat.

Similiter & de malo falsa est opinio eius. Vera autem sententia & verum iudicium, circa eadem est; cum in nullo prædictorum peccatur. Nam si & quod est bonum, bonum existimat; & quantum, & quale, & cui; non ignorat, similiter & malum, verum, & sanum esse huiusmodi iudicium omnes concedunt. Est itaq; falsum de quolibet iudicium simpliciter malum & vituperandum. Verum autem simpliciter bonum & laudandum.

Item sicut in corporeis oculis interdum contingit aliquid tale, vt acies videndi obtundatur; & ex aliquo motu quædam obumbratio, seu caliginatio, & obscuratio oculo accidat; ita quod, aut non possit, aut minus clarè, obscuriusque & deterius possit visibilia videre & discernere. Et hoc cum contingit huic sensui: pro malo ipsi reputatur. Bonum enim eius est, semper manere in suo vigore, & aciem videndi inuiolatam & expeditam conseruari. Alioquin conditio visus deterioratur. Ita menti hominis accidit nonnunquam aliquid tale. Ex quo quandam obumbrationem & obscurationem ipsa mens incurrit, & acies intelligendi ita obtunditur, vt munus intelligendi & iudicandi; aut minus, aut obscurius tardiusque consequi possit: & â re gerenda; aut omnino abducatur; aut in iubendo & monendo hominem ad exteriores actiones, decus & honestatem in eis aut non possit, aut difficilius & molestius conseruare possit. Quod accidens malum esse menti, quis mentem habens non intelligit? Ex similitudine igitur oculorum; docēdi causa appelletur huiusmodi accidens Obumbratio mentis, seu Caliginatio, vel potius Obscuratio.

Cùm autem mens ita stabiliter suum conseruat rigiorem; vt nihil de prædictis ei contingat, ex quo acies intelligēdi deteriorari quoquo modo possit: huiusmodi status; causa similiter docendi; appelletur Æqualitas.

Est itaque manifestum, quod obscuratio mentis est malum menti & vituperandum; Æquabilitas verò est bonum & laudandum.

Item cum animus noster habet appetitum, vel committendi

quod

quod non decet; vel omittendi quod decet; appelletur Malefica voluntas. Cum autem appetitus tendit ad agendum quod decet,& relinquendum quod non decet;appelletur Benefica voluntas.

Est itaque manifestum, quod Malefica voluntas est simpliciter malum & vituperandum: Benefica autem voluntas, est simpliciter bonum & laudandum. Ex tribus tamen segregatis malis,si oportet vnum sine duobus esse in animo: minimum malum est Mentis obscuratio. Quamquam enim ipsi menti, vt mens est, malum est,tamen associata cum vera in agendis sententia & benefica voluntate,quoad exteriores actiones, & maximè, in quibus continetur hominum societas; si tantum adsit eis Mediocritas; non modo non malum; sed magnum bonum est.

Maius verò malum est opinionis in agendis error. Hoc enim non tantùm ipsi animo per se malum est; sed etiam sine obscuratione mentis & malefica voluntate; teterrimas exteriùs actiones,& maximè in puniendo gignere potest.

De notatis verò tribus,pessimum est, separatum ab aliis Malefica voluntas. Quæ enim ita malefica est, vt inhæreat animo, etiam sine repentino & turbido motu mentis, atque falsa opinione, vt allegare ignorantiam nequeat: omnium malorum est pessimum, & minus aliis sanabile.

Malefica Voluntas, quotuplex. Cap. 3.

DVPLEX quidem est Malefica Voluntas. Aut enim causatur à repentina obscuratione mentis. Qua cessante recedit & illa, sicut in ira sæpe contingit. Aut insita est, in animo,& sine repentina mentis caligatione,quæ multò tetrior est;quàm illa;quæ simul obscurationi mentis oritur,& interit. Quare si oportet de malis minima eligere; multo eligibilior est, Obscuratio mentis, cum Benefica voluntate: quàm Malefica voluntas sine Obscuratione mentis.

De notatis autem bonis, vnum comparando sine aliis: minimum bonum est, mentis æquabilitas. Hæc enim licet per se bonum sit menti, vt mens est. : tamen separata à vera de agendis sententia & benefica voluntate, quo ad exteriores actiones; nullum bonum est.

Verum autem iudicium de bonis & malis, aliquantulum maius bonum est, separatum â reliquis duobus bonis. Nam etiam exterius aliquid boni, interdum per accidens efficit. Omnium verò optimum est Benefica voluntas. Et per se enim bonum est animo, & separata â reliquis duobus bonis, multas tamen bonas actiones exterius gignere potest.

Benefica voluntas quotuplex. Cap. 4.

EST autem duplex Benefica voluntas. Vna quæ causatur ab aliquo repentino, caliginosóue animi motu: quæ similiter oritur & occidit, sicut in lætitiis misericordiisque sæpè accidit. Alia est animo insita & permanens, & â viua atque efficaci ratione pendens: quæ de tribus propositis optima est.

Num tria prædicta, Verum iudicium, Æquabilitas mentis, & Benefica voluntas simul in animo, aut appetitiua vi concurrere possint? Cap. 5.

CVM itaque ex superioribus diuisionibus tria sint notata simpliciter bona, & laudanda in animo nostro: scilicet Verum iudicium bonorum & malorum, & Æqualitas mentis, & Benefica voluntas: potest fieri, vt cùm appetitiua vis, sit in agendo, simul prædicta tria bona in animo concurrant: vt quod placet, vel displicet, & verè iudicatum sit, & mens aliquam Caligationem non incurrat, & Benefica voluntas in animo sit. Quod cùm fit, Constantia appellatur. Potest autem fieri, vt opposita istis contingant: vt & malè de obiectis sentiat, & acies mentis obumbratione obtundatur, & voluntas malefica insit. Potest vero fieri, quod duo sint ex malis & vnum ex bonis: quod tripliciter variari potest, vel è conuerso: duo ex bonis, vnum ex malis: quod similiter tripliciter fit.

Prædictorum septem Complexiones. Cap. 6.

PRÆTER igitur Constantiam septem horum fiunt complexiones. Constantia nempè, quia æquabilitas mentis in actu appetitiuæ, cum vera obiecti sententia, & benefica voluntate, non dubium est, quin

quin simpliciter bonum & laudabile sit. Et quia sicut in prima parte prædefinitum est, beatitudo est cumulata complexio omnium bonorum hominis, vt homo est: Est autem & ipsa constantia, secundum assignatum sensum, bonum hominis, vt homo est: Ille ergo quem quærimus, quem perfectè beatum intelligimus, nequaquam carebit constantiæ bono. Semper igitur constans erit.

De perturbationibus: & quæ perturbationes appellentur? Cap. 7.

DE septem complexionibus; illæ, quibus comprehenditur obscuratio mentis: quod quadrupliciter contingit; perturbationes appellantur. Quarum quidem pessima est, cùm ita placet, aut displicet nobis aliquid: vt cum obscuratione mentis, sit in animo & falsa opinio obiecti, & malefica ad agendum voluntas. Minus verò mala est, quando cum obscuratione mentis, vnum reliquorum malorum inest, & alio animus vacat. Quod dupliciter fit; Illa verò perturbatio, minimum malum est, in qua obscuratio mentis cum vera sententia illius quod placet vel offendit, & benefica ad actionem voluntate, coniuncta est. Quare si quis, cum esset ita dispositus, vt incurreret illam pessimam perturbationem; mutauit suam eiusmodi dispositionem ad hanc perturbationem: quam minimum malum esse dixi: non parùm meliorauit suum animum.

Tres Complexiones reliquæ ad quid vtiles? Cap. 8.

RESTANT tres complexiones, præter constantiam & quadripartitam perturbationem.

Vna, cum æquabilitas mentis sit associata, cum falsa opinione, & malefica voluntate, quæ appellatur Clychiotes.

Secunda, cum æquabilitas mentis falsa opinione caret; malefica verò voluntate non: quæ appellatur Malitia.

Tertia est, cum æquabilitas mentis, caret malefica voluntate: habet tamen de obiecto falsam opinionem; quæ dicitur Asclia.

Perturbationum diuisio. Cap. 9.

DE perturbationibus autem, quoniam quadrupliciter variantur, vt dictum est; prima sit, quæ est obscuratio mentis, cum vero iudicio obiecti boni vel mali, & benefica voluntate. Quæ quantum ad exteriores actiones: si modò in eis conseruet mediocritatem, magnum bonum est.

Secunda sit, quæ est obscuratio mentis cum falsa opinione & benefica voluntate.

Tertia sit, quæ est obscuratio mentis cum vero iudicio, & malefica voluntate.

Quarta sit, quæ est obscuratio mentis cum falsa opinione & malefica voluntate. Quæ omnium perturbationum est pessima, sicut supra notatum est.

Earundem diuisio altera. Cap. 10.

ITEM secundum aliam diuisionem, quatuor genera perturbationum sunt. Quia enim omnis perturbatio est obscuritas mentis, suscepta ex opinione boni placentis, vel mali offendentis: Bona verò vel mala, quæ homini eueniunt; aut sunt iam præterita, aut præsentia, aut futura: Illa quidem perturbatio, quæ percutit & caliginat animum ex opinione præteriti, vel præsentis mali, dicitur Ægritudo. Quæ si nimia est, dicitur Angor: si verò ex opinione suscipiatur futuri; dicitur Metus vel Timor.

Item, si opinione præteriti vel præsentis boni contingit: multa quidem nomina, parùm differentia, vt Lætitia, Iucunditas, Delectatio & alia, sed sumatur Lætitia: si verò ex opinione futuri boni, dicitur Cupiditas, & Libido vel Desiderium. Vertitur etiam in opinatis bonis Dilectio & Amor.

Perturbationum definitio. Cap. 11.

DEFINIANTVR igitur ista quatuor genera sic: Ægritudo est perturbatio animi, ex opinione præsentis vel præteriti, mali; mordens animum & demittens. Metus, est perturbatio animi ex opinione impendentis mali; humilians atque frangens animum, & recessum quendam & fugam animi efficiens, & ad declinandum illud quod metuitur.

tuitur, hominem impellens. Lætitia est perturbatio animi ex opinione præteriti vel præsentis boni; quasi cum animus effusè exultat, quædam voluptas gestiens & elata, perfusam hilaritatem efficiens. Libido est perturbatio animi, ex opinione futuri boni, cum ad id, quod videtur bonum, inflammata rapiatur. Sunt igitur singulorum generum multæ & variæ species: quas non est necessarium præsenti opere discutere; sed tantum in eis notandum sit, quod sunt quædam quæ non possunt variari, per quatuor gradus superius assignatos; sed in vnum tantum cadunt, in quo obscuratio mentis est associata, cum falsa opinione, & malefica voluntate; qui modus omnium erat pessimus. Tales perturbationes itaque sunt, vt in genere Ægritudinis, Inuidentia, & Obtrectatio: & in genere Lætitiæ, Maliuolentia, Iactatio, & Superbia. In genere Libidinis, Inimicitia, Discordia. Hæ enim ex opinionis errore, semper, & malefica voluntate animum perturbant.

Sunt item aliæ, quæ per omnes variantur gradus: vt Misericordia, Pœnitentia, Ira, Amor, & innumerabiles aliæ. Nam, vt pro omnibus de vna dicam, cum sit Misericordia ægritudo animi ex opinione miseriæ alterius iniuria laborantis, potest fieri, vt qui perturbatur, nec verè opinatus sit de malo alterius; nec beneficam ad adiuuandum, cum posset, voluntatem habeat. Potest autem fieri, vt in opinione illius quidem quod perturbat, non falletur in opinando, habeat tamen ad adiuuandum beneficam voluntatem. Potest verò fieri, vt obscuratio mentis, in hoc accidenti, & ex vero iudicio pendeat, & bonæ voluntati coniuncta sit. Quod si in actione valeat mediocritatem conseruare: magnum bonum est. Idem de Ira, de Pœnitentia, de Amore, & de aliis intelligendum est. Nam quælibet, si obscuratio mentis, nec ex erroris opinione concitatur, & malefica vacat voluntate; & in actione mediocritatem consequitur: magnum bonum est. Habet enim in animo duo bona; scilicet, veritatem de obiecta re, & ad actionem beneficam voluntatem, gignitque extra optimam actionem. Cur verò non dixi maximum esse bonum; sed magnum: apparebit cum de constantiis dixero.

Constantia quid. Cap. 12.

CONSTANTIA itaque, quia est tranquillitas & æquabilitas mentis in eo quod iudicata bona vel mala acceptantur, & placent, vel displicent cum vera sententia, & benefica voluntate: varias & ipsa secundum temporalem varietatem bonorum & malorum, & nonnullas alias eorundem differentias partes habet. Non tamen propriis nominibus omnes assignantur; sed vt plurimum eisdem cum perturbationibus. Nam si mala, quæ constanter displicent, præterita sunt, & â se cõmissa, dicitur similiter Pœnitentia: si ab alio, dicitur Ira: si verò mala præterita vel præsentia aliis euenerunt, & passi fuerunt, vel patiuntur: dicitur Misericordia. Si ipse passus est, vel patitur mala; si animi: dicitur similiter Pœnitentia vel Misericordia: si corporis, & externa; dicitur Patientia. Si verò futura & impendentia sunt, dicitur Cautio vel Metus & Timor æquiuocè. Non autem differt, si in istis, quæ incommoda Stoici dicunt, mala vsu communi appellãtur: nihil enim ista distinctio interest propositæ quæstionis.

Item cum animus noster sentit se constanter fruitum vel fruentem aliquo bono, vel vehementer acceptat aliorum bonum: dicitur Contentio, Placabilitas, Gaudium; ac etiam æquiuócè dici possunt, quæ in tertio genere perturbationum dicebantur. Si autem constanter appetitus tendit ad futurum bonum, dicitur Voluntas, vel Desiderium æquiuocè, in quibus est & Spes. Est autem in bonis similiter Dilectio & Amor; Charitas verò species est voluntatis.

Perturbationum & Constantiarum differentia. Cap. 13.

VT autem pateat, quid intersit inter constantias & perturbationes æquiuocas; sumatur vnum pro omnibus, vt Amor. Ametur igitur primo aliquid; ita vt verè iudicatum sit bonum, & acies mentis ad intelligendum non obtundatur, & benefica voluntas sit in animo; quam dicebamus esse appetitum faciendi quod, & non committendi quod non decet. Et iste amor dicatur primi gradus desuper incipientibus; postmodum relictis in animo vera sententia & benefica voluntate caliginationem quandam, & obscurationem mentis in amando incurrat: & hic amor secundi sit gradus.

Item relicta in amando benefica voluntate, insit in animo, cum turbido motu mentis, etiam falsum iudicium, de eo, quod amatur: & sit huiusmodi amor tertii gradus. Si verò in amando iudicium quidem sanum est, de illo quod amatur; sed cum obscuratione mentis, etiam inest ad agendum malefica voluntas: quæ erat appetitus amittendi quod decet, & committendi quod non decet: dicatur huiusmodi amor quarti gradus. Si verò & in tribus animus amando deficit, cum est in animo obscuratio mentis, & malefica ad agendū voluntas, & falsum iudicium de eo quod amatur: sit huiusmodi amor quinti gradus. Manifestum itaque est, quod primi gradus amor, est simpliciter bonus & omnium optimus, & cadit in assignatam superius constantiæ definitionem. Reliqui verò quatuor graduum; quoniam in quolibet ponitur obscuratio mentis: comprehenduntur in genere perturbationum, secundum quod perturbatio superius definita est.

Est igitur omnium perturbationum optima, quæ secundo gradu posita est: deficit tamen â constantia in tribus: vno quod non conseruat claritatem mentis, in suo rigore; sicut constantia.

Secundo, quod constantiæ quidem facilè est propter mentis claritatem imponere exteriori actioni mediocritatem: ipsi verò perturbationi, propter mentis turbidam commotionem, idipsum ita facile non est.

Tertiò superat constantia, quod in ea benefica voluntas, cum â claritate mentis & viua ratione pendeat, est in animo insita & permanens; & ideò efficacior: & quod ab ea prudenter proficiscitur, nunquam ad pænitentiam adducit: illa verò benefica voluntas, quæ est in perturbatione, cum â repentino & turbulento motū causetur, sedatā mente sæpe cessat & ipsa. Non enim insita est, nec vinculis rationis constringitur. Et ideò sæpè contingit, vt quod rectè & laudabiliter factum fuerit, cum nubes recesserit, pæniteat hominem hoc idem fecisse: sicut in misericordiis nonnunquam accidit.

Quintus verò, qui positus fuit gradus, est simpliciter malus, & omnium pessimus. Nihil enim in eo boni est. Tertius & quartus, secundum quod participes sunt boni vel mali, sunt laudandi vel vituperandi: Si verò oportet â pessimo expositorum graduum perturbationis, gradatim & non repentè ad constantiam ascendere: primò subtrahatur malefica voluntas, vel falsa opinio: & istis prius detractis: postremò subtrahatur mentis obscuratio: & immediatè hac subtracta, eluceat in animo constantia; in qua cum æquabilitate mentis, & vera

est sententia, & benefica voluntas. Nam si à pessimo gradu perturbationis, primò subtracta obscuratione mentis, dimittantur in animo falsum iudicium, & malefica voluntas: augetur potiùs malum, quam diminuitur; & animus deterior fit. Exit enim à genere perturbationum, & incidit in malitiam Elychiotem & Apheliam, quæ in agendis malis multò excellunt perturbationes, & minus sanabiles sunt.

Quinque igitur graduum assignatorum, primus gradus, qui solus erat constantiæ, est summum bonum: secundus, magnum bonum; latet enim quod habet malum: tertius & quartus, sensibilem iam mixturam patiuntur. Quintus totaliter opponitur primo, & est simpliciter malum. Itaque cum & Ira, & Misericordia, & Desiderium, & Metus, & reliqua, quæ æquiuocè in genere constantiarum, & in genere perturbationum dici possunt, vt superius ostensum est, per quinque quodlibet simpliciter gradus, possit variari: vt primus sit constantiæ; quatuor verò perturbationis: manifestum est ex supra dictis, quantò melius & præstantius est quodlibet istorum; cum constanter contingit, quàm id ipsum si fieret turbulenter. Quod tamen cum ita contingit, quando magnum bonum est, quo ad actionem: & quando sensibiliter commixtum, & quando pessimum malum: satis & hoc, vt arbitror, superius est explicatum. Sed quia sicut prædefinitum est in primo libro: Virtus est optima affectio animi, optime animum ad agendum disponens: Nulla ergo virtus ad hoc habet suam vim, vt faciat aliquid mali animo contingere. At ostensum est, quod Obscuratio mentis, malum est ipsi menti: nulla ergo virtus, ad hoc habet suam vim, vt obscurationem & tenebras inferat vnquam menti, & obtundat eius aciem intelligendi. Sed nulla perturbatio est, sine mentis obscuratione; segregandæ ergo sunt perturbationes à choro virtutum. Quod & ita ostendi potest.

Demonstratum est superius, quod beatus, quem intelligimus, semper est constans; sed perturbationes omnes aduersantur constantiæ: vacabit ergo beatus perturbationibus: sed virtute aliqua non caret: nullius ergo virtutis perturbatio est.

Item, si constanter misereri multò melius est, quàm si idipsum turbulenter fieret, vt ostensum est: illud verò, quod à virtute proficiscitur suo loco & casu, optimum esse volumus; Virtus est ergo quærenda, quæ stabilitam conseruet constantiam: non perturbationis infirmitas: separantes tamen à choro virtutum perturbationes, non illud volumus vt ad Apheliam & Elychiotem, & malitiam incidat ani-

mus

mus; sed vt bonum constantiæ consequatur. Illis enim qui claram & viuam, & expeditam, & efficacem rationem expetendarum atque fugiendarum rerum, non habent; non penitus inutiles sunt perturbationes: aliarum enim rerum cupiditate, vel metu, lætitia, vel ægritudine commoti; multa bona in vita consequuntur, & mala euitant: sed ita dispositi simulacra virtutum, non ipsas veras virtutes æstimandi sunt habere. Itaque si nomine passionis velimus nominare, tam constantias, quàm perturbationes, manifestum, quod dicimus, passionum alias esse simpliciter bonas; aliàs, simpliciter malas: alias magis bonas quàm malas; & è conuerso: alias æqualiter commixtas, consequenter quadripartitæ diuisioni, non generum, sed graduum perturbationis. Si autem passionem in animo velimus nominare: nihil aliud nisi mentis ipsius obscurationem, & turbidam motionem, & obtusionem: cum semper sit bonum menti tranquilla claritas, & vigens acies intelligendi: non dubitabimus dicere, omnes passiones, esse animo extirpandas, & penitus euellendas: duntaxat nec insita malefica voluntas, vel ad necessarias & honestas actiones, tarditas in animo remaneat, nec opinionum temeritas, vt ad constantiam purè perueniatur.

Theophrasto quidem, post Aristotelem Peripateticorum principi, non videtur omnem perturbationem aduersam esse constantiæ: Sed sicut fames & sitis, & huiusmodi naturales contingunt homini sine falsa opinione, sine malefica voluntate, sine mentis obscuratione & simpliciter minimè mentis constantia læsa: Ita ait, & in animo secundum infirmas eius partes contingit nonnunquam ex aliquo casu turbida commotio, nec â falsa opinione pendens; nec maleficam voluntatem excitans; nec mẽti obscurationem inferens. Cuius commotionis signa, etiam in ore, in vultu, in oculis, interdum apparent. Hæc cùm sit perturbatio, minimè tamen constantiæ aduersatur.

Ad quę respondendum est; quod ista nõ aduersantur secundũ rem superioribus nostris de perturbatione rationibus. Nam si constantia vna definitione comprehensa est, si definitio eius per non æquiuoca verba est assignata: manifestum est, quod perturbatio quæ constantiæ aduersatur, de qua superiùs tractabamus, per quatuor gradus eã variantes, atq; in quatuor genera diuidẽtes: & illa perturbatio Theophrasti, quæ constantiæ mentis non aduersatur, æquiuocè perturbationis nomine fruuntur: ac etiam superior quadripartita perturbatio; qua obscurationem menti infert, prædicatur de mente. Est enim verũ dicere, in illa passione mentẽ hominis esse perturbatã. Perturbatio verò

Theophrasti, quia descriptam superius æquabilitatem mentis non lædit: non potest verè de mente prædicari. Dum enim æquabilitas mentis manet illæsa, non est dicendum, mentem hominis esse perturbatam. Ergo & ex hoc patet earum æquiuocatio. Itaq; terrestris canis definitione assignata, potest dici audacter omnem canem esse animal mortale, vel animal quadrupes: ita quadripartita perturbationis descripta definitione; per quam necessariò distinguitur. à quacumque alia æquiuoca perturbatione, veraciter potest dici nullam perturbationem sine mentis obscuratione esse, omnemque constantiæ aduersari, & simpliciter esse animo euellendam. Si qua enim est animi commotio, de qua hæc dici non possunt: illa in his libris non appellatur perturbatio.

De perturbatione Theophrasti Quæstio duplex. Cap. 14.

NEMPE de perturbatione Theophrasti, quæ non aduersatur constantiæ, duo sunt quærenda. Vnum. Vtrum contingit homini aliquando, an nunquam? aliud. Vtrum cadit in beatum, an non? nam cùm definitiones Obscurationis, & Æquabilitatis mentis superius sint descriptæ: iure dubitabit aliquis, Vtrum potest contingere in animo turbida commotio? quæ nec definitioni Obscurationis mentis in aliquo communicet, nec definitionem Æquabilitatis mentis in aliquo non lædat. An impossibile hoc est? Cuius quæstionis veritatem magis arbitror posse intelligi, si quis passiones animi sui respiciet: quàm si per demonstrationis verba sequatur.

Ad secundum verò manifestum est procúl dubio, quod si qua est commotio animi constantiæ mentis non repugnans: siue passionem, siue perturbationem, velit quis eam appellare: nullo modo beatitudinem lædit. Sed si voluntaria non est, sicut fames & sitis, secundum Theophrastum: nec ad virtutes, nec ad vitia penitus pertinet. Quasi dicatur: si nimia est; vitio danda est; si mediocris, virtuti: cuius enim voluntas nostra domina non est, illud qualitercumque contingit, nec beatum, nec miserum facit; vt in primo libro ostensum est. Si verò voluntaria est, & contingit in eo, quod aliquid placet vel displicet, pendetque â vera obiecti sententia & benefica voluntate, atque acumen mentis in aliquo non deteriorat; nec tranquillitatē concutit, etiā

sic

sic Theophrastus nomine tantùm discrepat â Stoicis: illam enim rem, quam nos laudabilem putamus,& pertinere ad beatitudinem arbitramur, & constantiam appellamus; eandem ille perturbationem abusiuè appellat. Nam sæpè contingit, quòd, cum differentes aliqua de aliquo vniuersaliter prædicant, affirmatiuè vel negatiuè, auditores si viderint prædicata, non omnibus, quæ sub nomine subiecti sunt, congruere: putant illos mentiri; ipsi magis decepti: ignorantes vsum verborum differentium. Nam si disputantes, ad illas tantùm res, nomen subiecti extendunt, quibus prædicata conueniunt; veram esse eorum sententiam, necesse est.

Vt igitur talem deceptionem, in istis nostris legendis, aliquis non incurrat; danda sit talis regula. In quacumque vniuersali propositione videbitur alicui, non omnibus, quæ nomine subiecti significantur, prædicatum congruere: scias nos more Stoicorum in illis tantùm rebus vti nomine subiecti; quibus prædicatum ferè coaptatur. Si plures verò res, eodem nomine, secundum alios significantur; quibus prædicatum inesse non potest: nihil ad Stoicos, sicut nec ad Geometras est aliquid, si alia res, præter ab eis definitum circulus appellatur.

Perturbatio an omnino euellenda? Cap. 15.

RESVMENTES igitur, de perturbationibus, dicimus, quoniam illam commotionem perturbationum in his appellamus, in qua mens â constantia egreditur,& obscuratur,& acumen intelligendi obtunditur: manifestum est; quòd non est resecanda vel moderanda: sed penitus euellenda. Nam in illis rectè mediocritas quæritur; in quibus vtrumque vituperandum est, & nimis abundare, & penitus carere. Sed perturbatione vacare, & minimè â constantia egredi, & acumen mentis illæsum conseruare: magnæ laudi dandum est. Conatus ergo noster, non ad amputandam perturbationem; sed omnino extirpandam dirigendus est.

Perturbationes, num extirpari possint. Cap. 16.

QVIA verò possibile est, deinde ostendendum sit. Duplex est opinio, quæ perturbat animum. Vna qua opinatur aliquis transeuntium,

euntium,& nouiter imaginationi incidentium,bonum vel malum esse, cum suis circumstantiis: quæ vt plurimùm falsa est: aut enim non bona, bona: aut, quæ parua sunt, magna æstimantes. Similiter & de malis vt plurimum perturbantur. Alia est, qua videtur rectum esse,vt perturbetur, quæ nunquam vera esse potest. Siue enim bonum est,siue malum quod incidit: nulla ratio est, vt ideò tantùm malum menti inferatur: neq; rectum vllo pacto esse potest,vt propter alia quæcumque mala vel bona,turpificetur,quod in nobis præstantissimuum est. Bonis enim custodiam; malis,remedia non mala: & præcipuè quibus mens læditur,admouendum est.Igitur quoniam falsæ opiniones sunt, quæ animos solent perturbare; de quibuscumq; verò falsè opinamur, impossibile est rectum & verum habere iudicium: Manifestum est, quod deletis animo illis opinionibus,&sententia totaliter mutata, nihil relinquitur,quod animum valeat perturbare. Possibile ergo est perturbationibus vacare.

FINIS.

Hum-

Humberti

SYLVÆ CANDIDÆ EPISCOPI S. R. ECCLESIÆ CARDINALIS, VIRI DOCTISSIMI, ET LEONIS IX. AD IMPERATOREM CONSTANTINOPOLITAnum Legati.

Aduersus Calumnias

MICHAELIS PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI ET LEONIS ARCHIEPISCOPI ACHRIDANI IN BVLGARIA.

Liber vnus.

Eiusdem Humberti,

Liber alius,

CONTRA NICETAM PE- CTORATVM PRESBYTERVM ET *Monachum Monasterii Studiani Constantinopoli.*

Accessit.

BREVIS RELATIO RERVM CONstantinopoli ab Apostolicæ Sedis Legatis gestarum.

Omnia

Ex Bibliotheca Serenissimi vtriusq; Bauariæ Ducis MAXIMILIANI *nunc edita.*

TRITHEMIVS DE ILLVSTRIBVS VIRIS GERMANIAE.

HVMBERTVS *monachus Tullensis, ordinis S. Benedicti, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & in secularibus literis nobiliter doctus, ingenio & eloquio clarus, quem Leo Papa Nonus propter scientiam literarum Romam secum duxit, & Episcopum Cardinalem ordinauit, missus ab eo Constantinopolim ad confutandas hæreses Græcorum, adeò Nicetam Pectoratum monachum in præsentia Imperatoris Constantini & Michaelis Patriarchæ confutauit & deuicit, vt librum suum quem contra Latinorum Ecclesiam conscripserat, anathematisaret, & eum manu propria igni comburendum iniiceret. Et quicquid ibidem disputando dixit aut fecit, luculenter conscripsit, sub nomine Romani & Constantinopolitani.*

Dialogorum more lib. 1. Scripsit etiam quædam alia.

Claruit sub Henrico Imperatore secundo. Anno Domini 1050.

HÆc Trithemius; qui tamen corrigendus, cũ Constantinum vocat Monachum, quem Monomachum vocare debuerat. Eadem correctio adhibenda est cum enumerans Scripta Leonis IX. Pontif. dicit: *Scripsit ad Constantinum ex Monacho Imperatorem Græcorum de Hæresibus exstirpandis librum vnum.* Idem error, si non grauior insedit Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, vbi etiam Constantinum Monomachum, appellat *Monachum.* Quæ seu Trithemii, quod credi-

tu difficile, seu exscriptorum, quod creditu longè procliuius, errata, tollere debebat ille, qui nuper Historica Trithemii vulgauit: si suo & Trithemii honori consultum volebat. Porrò has Humberti lucubrationes antea fuisse editas, vt nobis persuadeamus facilè adducimur, quia à non paucis citantur; & Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ Dialogum illum, cuius interlocutores ROMANVS & CONSTANTINOPOLITANVS, testatur excusum esse Coloniæ 1521. Nos tamen, etsi admodum cupita & quæsita non potuimus vllum Humberti typis descriptum exemplar indagare, aut adipisci. Quo factum, vt locus quidam græcè ex Damasceno ab Humberto citatus, sed à librario flagitiosissimè scriptus; emendari non potuerit: quem tibi erudite lector, emendandum committimus, si incidas in exemplar correctius, siue excusum; siue calamo exaratum.

Idem argumentum, quod Humbertus, eruditissimè tractauit Leo IX. in Epistola ad Michaëlem Patriarcham Constantinop. & Leonem Achridanum. Proderit etiam legisse eiusdem Leonis IX. Pontificis Epistolam ad Constantinum Monomachum Imperatorem: quæ est, Epistola septima inter Epist. Leonis IX. Tom. 3. Epist. Decret. Pontif. Rom. vbi Humbertum & Socios eius his verbis Imperatori commendat. *Hinc iam tuæ gloriæ præsentes Filios nostros, Sanctæq; Romanæ & Apostolicæ Sedis nuncios per omnia commendamus, quatenus, vt decet, liberaliter suscipiantur, reuerenter habeantur, benignè & honestè tractentur, rationabiliter patienterque audiantur, atque quantocyus nobis laudabiliter remittantur, ne tantum laborem illos frustra arripuisse pigeat, & nos mandasse pudeat.* Epistolam Michaëlis Leonisque Achridani, vt & scriptum Nicetæ, excudendum curauimus, prout in Bauarico Codice reperimus: quia interest has calumnias exstare; vt veritatis lux in contrarii oppositu magis emineat.

* Achridani.
* Mephites.

*CALVMNIA Episcoporum Michaëlis Constantinopolitani, & Leonis * Arridani pernicaciter exhalantium pestiferas * mefites diuersarum hæreseon, aduersus Sanctam Romanam Ecclesiam Apostolicamq; Sedem: imo contra omnem Latinam & Occidentalem Ecclesiam. Hæc quidem calumnia græco sermone edita, & Ioanni Kannensi Episcopo in sugillationem omnium Latinorum directa: cum fuisset Trani exhibita fratri Humberto sanctæ Ecclesiæ Syluæ Candidæ Episcopo, in latinum est translata eius studio, atq; delata Domino Leoni Nono. Quæ etiam hic ad cautelam multorum & notitiam, non autem ad vtilitatem aliquam inserta, cunctis scire volentibus, fideliter est conseruata.*

* Achridæ.

MICHAEL VNIVERSALIS PATRIARCHA NOVÆ ROMÆ, ET LEO ARCHIEPISCOPVS* ARRIDÆ METROPOLIS BVLGARORVM, DILECTO FRATRI IOANNI KANNENSI EPISCOPO.

DEI magna dilectio & iocunda compositionis viscera flexêre nos scribere ad tuam Sanctitatem, & per te ad vniuersos principes Sacerdotum & sacerdotes Francorum, & Monachos & populos, & ad ipsum reuerendissimum Papam, & memorari de azymis & sabbatis, quæ mystice indecentes custoditis, & communicatis Iudæis. Etenim azyma & sabbata ipsi custodire â Moyse iussi sunt: Nostrum verò Pascha Christus est. Qui vt non iuxta legem inueniretur aduersarius, & circumcisus est, & legale Pascha celebrauit primitus. Sic illo discedente nostrum nouum operatus est. Et hoc manifestum est in Euangelio secundum Matthæum, de mystica cæna loquens Euangelista, sic quoq; inquit: *Prima autem die azymorum accessere discipuli ad Iesum dicentes ei: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? Qui ait: Ite ad ciuitatem ad quendam & dicite ei: tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Et post pusillum. *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim. Et edentibus*

Matth. 26.

bus illis dixit: Amen amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est: Et post pusillum dicente Iuda: *Nunquid ego sum Rabbi?* dicit ei: *tu dixisti.* Huc vsque o Dei homines vniuersa legalis Paschæ sunt. Deinde ea quæ mystici & nostri sunt addidit: Euangelista enim dixit: *Edentibus autem illis accepit Iesus panem, fregit & dedit discipulis suis & dixit: accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens: bibite ex eo omnes: hic est sanguis meus noui testamenti.* Dicendo enim, *noui* ostendit, quomodo ea quæ veteris fuerunt testamenti, cessauêre. Aspicite quomodo panem corpus suum sub nouo testamento vocauit. Vos quidem panem, nos ἄρτον dicimus. Ἄρτος autem interpretatur eleuatus & sursum portatus à fermento & sale, calorem & eleuationem habens. Azymæ autem nihil distant â lapide sine anima & luto lateris deorsum coniunctæ terræ & sicco luto comparatæ. Quas Moyses cum amaritudinibus comedere miseris Iudæis semel in anno legem constituit: quoniam malæ passionis & tribulationis symbola sunt, at nostrum pascha gaudium & lætitia totum est: & extollit nos ab humo propter gaudium ad cælum, sicut & fermentum propter proprium calorem, panem, qui panis omni suauitate repletus est. Azymæ vero neque sal, neque fermentum habentes, lutum est aridum: Aut non audistis Iesum dicentem discipulis suis; Quia *vos estis sal terræ?* Et quoniam *Simile est regnum calorum fermento quod accipiens mulier abscondit in farinæ satis tribus vsque dum fermentaretur totum.* Mulierem sanctam Ecclesiam vocat. Satis vero tribus modis repletis, Patrem & Filium & Spiritum sanctum: Quorum nequaquam lutulentæ azymæ sunt participes. Dicit enim & Dauid de Christo: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Qui ante Abraam & Moysen, cæli & terræ & cæterarum creaturarum agnoscens Deum, exurgens obtulit illi panem & vinum. Ideo dicit diuinus Apostolus: *Quoniam si consummatio per Leuiticum Sacerdotium erat, non secundum ordinem Melchisedech Sacerdos Christus diceretur.* Et quia *translato sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat,* quæ lex lutulenta constituit azyma Iudæis custodire.

Matth. 5. & 13.

Psal. 109.

Heb. 7.

Idem ipse magnus Paulus ad Corinthios prima Epistola ex his loquens ait: *Fratres ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniam dominus in nocte qua tradebatur, accepit panẽ & gratias agens fregit & dixit: accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & de calice: Hic est calix*

1. Cor. 11.

nouum testamentum in meo sanguine: hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis in meam commemorationem, mortem domini annunciabitis. Azymæ verò neque commemorationem habent Dei, neque mortem illius annunciant, sicut Mosaicæ & ante mille quadringentos annos ex lege constitutæ: Et per nouum testamentum, hoc est, per sanctum Euangelium & per Christum maledictæ & derelictæ.

Sabbata verò quomodo in Quadragesima Iudaice obseruatis? Aut non audistis Euangelistam loquentem: Quia transeuntes discipuli in Sabbatis cœperunt iter agere euellentes spicas & comedentes? Dicebant autem Iudæi ad Christum: *vides quid isti fecerint in Sabbatis?* qui dixit: *Etiam: Aut nescitis quid egit Dauid cum esuriret ipse, & qui cum eo erant? quomodo intrauit in templum, & panes propositionis comedit:* & cętera. Et quia *Sabbatum propter hominẽ factum est, non homo propter Sabbatum.* Qui & dicebant, *quoniam homo iste non est ex Deo, qui sabbatũ non custodit.* Et iterum loquente Christo in Sabbato, & qui manum habebat aridam, similiter & eo qui dæmonis Spiritum habebat, in Sabbato mundato, & murmurantibus Iudæis & similia dicentibus, dicit Christus: *Hypocritæ vnusquisque vestrum non soluit asinum à præsepe, aut bouem suum & ducit adaquare?* Et paralytico similiter quem sanum fecit. Et ideo hi qui Sabbata cum Azymis custodiunt, neq; Iudæi, neq; Christiani sunt, sed similes sunt Leopardo: Sicut dicit magnus Basilius, cuius capilli nec nigri sunt, nec albi omnino.

Matth. 12. Mar. 2. Ioan. 9. Luc 13.

Quomodo autem & suffocata hi tales comedunt, in quibus sanguis tenetur? An nescitis, vt omnis animalis sanguis anima ipsius sit, & qui comederit sanguinem, animam comedit? Et idcirco secundum hoc nec gentiles ex toto sunt. Illi enim occidunt, aut plagantes comedunt.

Item Alleluia in Quadragesima non psallitis, sed semel in pascha tantummodo: quod interpretatur, *dominus venit, Laudate, Hymnum dicite, & benedicite ei.* Ergo secundum hoc neque *Domini dominum*, neque *Benedictus qui venit*, psallitis. Et istud vero Alleluia Hebraice dictum est.

Cur tantam deceptionem horum talium non aspicitis, nec intelligitis, neque corrigitis populos & vosmetipsos, sicut qui debent iudicari ex his à Deo? Non derelinquitis quod dicitur, quod hoc Petrus, & Benedictus, & Paulus & cæteri docuerunt? Decipitis vos ipsos & populum in istis. Quæ verò scripsi ea sunt, quæ Petrus & Paulus & cæteri

cæteri Apostoli & Christus docuit: & sancta Ecclesia Catholica suscepit & custodit religiose. Quæ & vos correcti custodite. Azymas verò & custodias Sabbatorum projicite miseris Iudæis: Similiter & suffocata barbaris gentibus, vt fiamus puri in recta & immaculata fide, & vnus grex vnius pastoris Christi. Cuius in cruce diuino sanguine inebriati laudamus puri pure Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Vniuersa Mosaicæ legis & ab eo custodita derelinquentes, sine Deo Iudæis, qui velut cæci perquirentes Christum lumen amiserunt, permanentes in vmbra, sicut insipientes perpetuo. Hæc autem homo Dei, & multotiens ipse cum populo agnoscens docuisti esse, & correctus scripsisti multis similem consuetudinem habentibus. Et vt habeas salutem animæ tuæ, mitte principibus sacerdotum & sacerdotibus, & adiura, vt per hæc seipsos corrigant, & Dei populum, vt Dei mercedem in istis habeas. Et si hoc feceris, propono & per secundam scriptionem maiora & perfectiora his tibi scribere, fidei vera ostensione & firmamento animarum pro quibus Christus posuit animam suam.

TEXTVS PRÆFATORVM SYCOPHANTArum explicatur.

INCIPIT *responsio Fratrũ Humberti sanctæ Ecclesiæ Syluæ candidæ dicti Episcopi, instar dialogi ab ipso latine conscripta apocrisariatus sui tempore Constantinopoli. Et iussu Imperatoris religiosi & Orthodoxi Constantini Monomachi* * *Græcè edita, sub nominibus Constantinopolitani & Romani: anno Domini millesimo quinquagesimo quarto.*

*Græcè.

* PRÆFVLGENTE gratia sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, in cuius manu nos & sermones nostri, hinc iam aggredimur responsum in literis & cauillationibus vestris: vt palam sit nos illius summi Petri disciplina eruditos, qui dixit: *Sitis parati semper ad satisfactionem omni*

*ROMANVS

1. Pet. 3.

poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe: cum modestia & timore conscientiam habentes bonam: vt in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem. Quod figurate per Moysen Dominus innuit, vbi vectes quibus arca portaretur circulis ipsius semper inesse præcepit: nec vnquam extrahi ab eis, ne qua mora fieret quotiescumque arcam eleuare necesse esset. Arca siquidem sanctam Ecclesiam: circuli eius diuinam scripturam: Vectes eius præpositos Ecclesiæ significant, quos semper expedit sacræ Scripturæ insistere: ne pudenter tunc velint discere, quando iam ad exaltationem sanctæ Ecclesiæ debent quæstiones quorumlibet enodare. Vnde calumniam vestram seriatim discussuri, ab ipsius initio non pigritamur ordiri.

Insuper vt manifestius vestra dicta à nostris secernantur, vestra obelis, nostra autem asteriscis, prænotantur. Sed tandem videamus quale sit illud vestræ calumniæ procemium, quo laborastis auditorem vestrum efficere beneuolum: ita dicendo.

CONSTANTINOPOLITANVS.

† Dei magna dilectio & iocunda compassionis viscera flexerunt nos scribere ad tuam sanctitatem, & per te ad vniuersos principes Sacerdotum, & Sacerdotes Francorum & Monachos & populos, & ad ipsum Reuerendissimum Papam: & memorari de Azymis & Sabbatis, quæ mystice indecenter custoditis & communicatis Iudæis. Etenim azyma & sabbata ipsi custodire à Moyse iussi sunt.

ROMANVS.

* Ex hac vestra præfatione, sicut profitemini, crederemus vos, salutem totius Latinæ seu Occidētalis Ecclesię pro sola magna Dei dilectione quærere: si sciremus vos vestram vestrorumque non negligere. Cum verò vos ipsos & vobis commissos negligatis, vt nefandos Iacobitas, imo Theupaschitas, seu alias hæreticorum pestes, inter vos & penes vos habeatis: neque eorum consortia, neque colloquia, neque conuiuia seu pariter orare deuitetis: Quomodo saltem suspicabimur, vos aliqua dilectione Dei aut proximi præmonitos compati nostræ perditioni, sicut putatis? Et quare ad præceptum gloriosi Pauli, sic aures præcordiorum obdurastis, vt dicentem non aduertatis? *Hæreticum hominem, post vnam & secundam admonitionem deuita.* Vnde ipse Paulus sciens, quod nulla pars esset fideli cum infideli, Irenæum & Philetum deuitauit, & Timotheo Alexandrum Ærarium deuitare præcepit. Cur etiam non animaduertitis beatum Ioannem contestantem fidelibus: *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite eum re-*

Tit. 3.

2. Ioan.

cipere

cipere in domum, nec Aue ei dixeretis. Qui enim dicit Aue, communicat operibus illius malignis? Ast vos quasi omnia munda immũda sint vobis: oculis contra vos & vestra clausis sanctam Romanam & omnem Occidentalem Ecclesiam pollutam hæresi & Iudaismo proclamatis, & velut quandam abominationem deuitatis. Ex qua tam cæca & hactenus inaudita audacia ad hoc prorupistis, vt cunctorum hæreticorum quos adhuc deprehendere valuimus, temeritatem transcendatis. Quamuis omnino singulæ hæreses suis adinuentionibus aliqua Ecclesiæ membra fatigauerint: nulla tamen adhuc ad tantã vesaniam erupit, vt opinionem suam primæ & apostolicæ sedi ingerere præsumpsisset, cum interpositione anathematis. Recensete si placet ab initio Christianitatis vsque ad nostra tempora cunctarum hæreseon volumina; & videbitis an aliqua earum præsumpserit talia. Et cum non inueneritis, saltem tunc resipiscite, ne quod absit, permaneatis viciniores præcursores illius Antichristi, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur. In cuius arrogantiæ monte consistentes, & ex supercilio eius omnia subter vos iacere reputantes, dicitis vos flexos visceribus compassionis, scribere cunctis Sacerdotibus Francorum & reuerendissimo Papæ. Sed non solum Romani & Francorum Sacerdotes, verum etiam omnis latina Ecclesia de monte domus domini clamat, vobis contradicens. *In domino confido: Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* Tamen eum quem Papam reuerendissimum dixistis: reuereri & non detestari debuistis. *Psal. 11.*

Quod autem impudenter calumniamini nos communicare Iudæis, obseruando typicè azyma & sabbatum, frenesi inueterata arbitramur adeo vos perdidisse sensum, vt nec factum vestrum respiciatis nec dictum. Quapropter suademus vobis vt ad cor redeatis & animaduertatis quid in Exodo Moyses iubeat de azymis: *Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperum comedetis azyma, vsque ad vicesimam primam eiusdem mensis ad vesperum. Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus vestris. Qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cætu Israël, tam de aduenis quam de indigenis terræ. Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitationibus vestris comedetis azyma.* Item vnde superius: *septem diebus azyma comedetis. In die prima non erit fermentatum in domibus vestris. Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël, à prima die vsque ad diem septimam.* *Exod. 12.*

Dies prima erit sancta atque solennis & dies septima eadem festiuitate venerabilis, nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent, & obseruabitis azyma. Item in sequentibus, scilicet in capitulo tertiodecimo eiusdem Exodi dicitur: *Septem diebus vesceris azymis, & in die septima solennitas domini erit. Azyma comedes. Septem diebus non apparebit apud te aliquod fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.* Item: *solennitatem azymorum custodies: Septē diebus comedes azyma sicut præcepi tibi: in tempore messis nouorum.* Et in Leuitico: *mense primo, quarta decima die mensis ad vesperam Phase domini est: & in quinta decima die mensis huius solennitas azymorum domini est. Septem diebus azyma comedetis, dies primus erit vobis celeberrimus sanctusque, omne opus seruile non facietis in eo, sed offeretis sacrificium in igne septem diebus. Dies autem septimus erit celebrior & sanctior, nullumque opus seruile fiet in eo.* Et in Numero. *Mense primo quarta decima die mensis Phase domini est, & quinta decima die solennitas. Septem diebus comedetis azyma. Quorum dies prima venerabilis & sancta erit: omne opus seruile non facietis in eo, offeretisque holocaustum domino: vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos & immaculatos septem, & sacrificia singulorum, & similam quæ conspersa sit oleo. Tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem, & decimam decimæ per agnos singulos, id est, per septem agnos, & hircum pro peccato vnum vt expietur vobis.* Et in Deuteronomio: *obserua mensem nouarum frugum & verni primum temporis, vt facias Phase domino Deo tuo quoniam in isto mense eduxit te dominus Deus tuus de Ægypto nocte: Immolabisq; Phase domino Deo tuo de ouibus & de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi. Non comedes in eo panem fermentatum: septē diebus comedes absq; fermento afflictionis panem, quoniam in pauore egressus es de Ægypto, vt memineris diei egreßionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ. Non apparebit fermentatum in omnibus terminis tuis, septem diebus, & non remanebit de carnibus eius quod immolatum est vesperi die primo mane.*

Exod. 13. Leuit. 23. Num. 28. Deuter. 16.

Hæc omnia si ita Iudæis carnalibus carnaliter obseruanda veteris legis lator cælitus censuit: constat hæc secundum carnalem obseruationem omnino aliena à nobis. Quia in illis septem diebus quotidie fermentatum in omnibus finibus & terminis nostris & domibus inuenitur, apparet atque comeditur. Nec ipsos septem dies aliter quam reliquos totius anni in azymis obseruamus: nec apud nos perit de cætu nostro anima illius; quicunque tam de aduenis quam & de indigenis terræ comederit fermentatum in diebus supra dictis. Sed nec velut

ipsi à decima die mensis primi sumptum agnum masculum annicu-
lum ex pecoribus vsque ad quartum decimum seruamus, nec ad ve-
speram immolamus, vt sanguine eius postes signemus; nec carnes eius
assas igni accincti & calciati, tenendo baculos in manibus, nocte co-
medimus festinanter, cum azymis panibus & lactucis agrestibus. In-
super non offerimus incensum holocaustum domino in his diebus
quotidie in igne vitulos duos de armento, arietem vnum, agnos anni-
culos immaculatos septem: & sacrificia singulorum, & similam con-
spersam oleo: neque hircum pro peccato, vt expietur pro nobis. In
quo ergo communicamus Iudæis? & in quo solennitatem azymorum
custodimus? An forsan quia solennes eosdem dies & feriatos habe-
mus, & à quarta decima luna vsque ad vicesimam primam obserua-
mus? Et cur eadem vos obseruatis? nisi quia aliud nobis innuunt, ali-
ud illis? Illis enim data sunt in memoriam egressionis suæ de Ægypto:
nobis autem in memoriam spiritualis egressionis nostræ ex hoc mun-
do, vt vacemus & videamus, quoniam ipse est Deus qui nos de tene-
bris vocauit in admirabile lumen suum, conresurgere, & consedere
nos faciens secum in cælestibus, & vt instar lunaris globi incipiamus
lucem cordis nostri, id est, rationem à terrenis auertere, & ad cælestia
conuertere, sicque sapiendo & quærendo quæ sursum sunt, reuiuisca-
mus Deo, & moriamur mundo. Sic quoque omnia, quæ superius nos
carnaliter obseruare negauimus, domino annuēte spiritualiter, & ob-
seruamus, & omnimode cupimus obseruare, procul dubio credentes,
quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: Beato
Paulo sic protestante: *Hæc omnia in figuris contingebant illis: Scripta sunt
autem ad correctionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt.* 1. Cor. 10.

Nunc ad obseruantiam sabbati veniatur: De quo ita in Exodo
præcipitur: *Memento vt diem Sabbati sanctifices: Sex diebus operaberis,
& facies omnia opera tua. Septima autem die sabbatum Domini Dei tui. Non
facies omne opus tu & filius tuus & filia tua, seruus tuus & ancilla tua,
iumentum tuum & aduena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit
Dominus cælum & terram, & mare & omnia quæ in eis sunt, & requieuit
die septimo. Idcirco benedixit Dominus diem Sabbati, & sanctificauit eum.* Exod. 20.
Item in eodem: *Sex diebus operaberis: die septimo cessabis arare & mete-
re.* Igitur in huiusmodi obseruatione Sabbati, vbi & qualiter commu-
nicamus Iudæis? Illi enim in Sabbato otiosi & feriati nec arant, non
metunt, nullumque opus ex more faciunt, sed festum habent & con-
uiuium, & requiescunt serui & ancillæ eorum, boues & iumenta. Nos Exod. 34.

vero nihil horum obseruamus, sed omne opus facimus, sicut & in præcedentibus quinque diebus, & ieiunamus sicut & in proxima sibi feria sexta ieiunamus. Vos vero si non iudaisatis, dicite cur Iudæis in simili obseruantia Sabbati communicatis? Sabbatum certe ipsi celebrant, & vos celebratis: Epulantur ipsi, & soluunt semper in Sabbato ieiunium. Illi in sua quadragesima soluunt à ieiunio omne Sabbatum, præter vnum, & vos in vestra quadragesima soluitis à ieiunio omne Sabbatum præter vnum. Illis duplex est causa Sabbatum celebrandi, scilicet ex præcepto Moysi, & quod contristatis discipulis, ipsi fuerunt de morte Domini, quem non credebant resurrecturum, in hac die gauisi. Vnde quia cum Iudæis Sabbatum, & nobiscum celebratis diem Dominicum, videmini in tali obseruatione imitari sectam Nazarenorum, qui sic recipiunt Christianismum, vt non dimittant Iudaismum. Latina autem Ecclesia compatiens passo & sepulto Domino, congaudet resurgenti in die Dominica, quando Iudæos nimia occupauit mæstitia, & custodes sepulchri conati sunt corrumpere pecunia. Vnde nos traditionem Apostolicam vsque in hodiernum diem de Sabbato retinentes, & vsque in finem retinere cupientes, hic subscribere curauimus, quid super hoc sanxerint & confirmauerint nostri antiqui & venerabiles Patres. Ex quorum numero beatissimus Papa Syluester, magni Constantini Augusti spiritualis pater inter alia dixit: *Si omnis Dominicus dies resurrectionis gratia est colendus in gaudio Christianorum: omnis ergo Sabbati dies sepulturæ deputandus est in execratione Iudæorum. Omnes enim discipuli Domini Sabbato fletum habuerunt sepultum Dominum suspirantes, & Iudæis exultantibus lætitia inerat: Apostolis autem ieiunantibus, tristitia imperabat: Tristemur itaque cum tristantibus de sepultura Domini, si volumus cum ijsdem de Domini resurrectione gaudere. Neque enim fas est vt destructiones ciborum & cerimonias Iudæorum, more Iudaico obseruemus.* Hæc & his similia dicente sancto Syluestro, non placuit quibusdam Orientalibus ista traditio Apostolicæ sedis, sed magis elegerunt celebrare Sabbatum cum Iudæis: Cuius sententiæ concordans sanctus Papa Innocentius ait: *Sabbato ieiunandum esse, ratio euidentissima demonstrat: Nam si diem dominicum ob venerationem resurrectionis Domini nostri Iesu Christi non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac sexta feria propter passionem Domini ieiunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam atque lætitiam temporis*

illius

illius videtur inclusum. Quod vtique constat Apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse, quod vtique non dubium est, & in tantum eos ieiunasse biduo memoratur, vt traditio Ecclesiæ habeat isto biduo Sacramenta penitus non celebrari. Quæ forma vtique per singulas hebdomadas est tenenda propter quod commemoratio diei illius semper est celebranda. Quod si putatis semel atque vno Sabbato ieiunandum, ergo & dies Dominica & sexta feria semel in Pascha erit vtique celebranda. Si autem Dominicæ diei ac sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est, dementis est bidui agere consuetudine, Sabbato prætermisso, cum non disparem causam habeat à sexta videlicet feria in qua Dominus passus est, quando & apud inferos fuit, vt die tertia resurgens redderet lætitiam, post biduanam præcedentem tristitiam. Non ergo nos negamus sexta feria ieiunandum, sed dicimus in Sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis in his qui Christum secuti sunt indixerunt, qui die Dominica exhilarati, non solum ipsum festiuissimum esse voluêre, verum etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse duxerunt. Hinc iam reliqua vestra dicta discutiamus.

CONSTANTINOPOLITANVS.

† Nostrum vero Pascha Christus est. Qui vt non iuxta legem inueniretur aduersarius, & circumcisus est, & legale Pascha celebrauit primitus. Sic illo discedente nostrum nouum operatus est.

ROMANVS.

* Quod Christus vestrum Pascha sit, sciatis nos ita concedere, si eum asseritis etiam nostrum, imo totius Catholicæ Ecclesiæ Pascha esse. Quod si, quod absit, pertinaciter contradixeritis, auscultabimus ipsum Dominum nostrum Iesum Christum sic suos præmonentem de Pseudochristis & Pseudoprophetis. *Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut ecce illic: nolite ire neque sectemini.* (Matth. 24.) Quod verò dicitis Dominum Iesum celebrato vetere Pascha, nouum discipulis suis celebrandum tradidisse: quis sapiens id negat? Sed illud quod dicitis Dominum nostrum Iesum Christum ideo circumcisum & vetus Pascha celebrasse, ne iuxta legem inueniretur Deo contrarius: quis vnquam ausus erit astruere nisi manifestus hæreticus? In hoc enim videmini peruerse cum Marcionitis & Manichæis sentire alium Deum veterem legem, alium nouam dedisse, & vt apertius dicam, Deum malum & Deum bonum multis introducere. Et ne illi malo, hoc est, Deo tenebrarũ, bonus iste Deus lucis inueniretur aduersarius,

& circumcisus fuit & celebrauit Pascha vetus. Et quasi deuitans illius Tyranni, velut fortioris se, iram incurrere, ad tempus simulauit se legem eius obseruare. Sed absit tam pestiferum virus à fidelium auribus & cordibus, vt vel suspicetur aliquis aliquid aliquando simulasse omnipotentem & simplicissimam veritatem, quæ est Christus Deus noster: aut alium veteris legis esse, alium nouæ auctorem, cum ipsa veritas protestetur dicens: *Nolite putare quoniam veni soluere legem aut prophetas: non veni soluere legem sed adimplere.* Et psalmista dicat: *Etenim benedictionem dabit legislator.* Deinde subiunxistis.

Matth. 5. Psalm. 83.

CONSTANTINOPOLITANVS.

Matth. 26.

† Et hoc manifestum est, sicut in Euangelio secundum Matthæum de mystica cæna loquens Euangelista, sic quoque inquit: *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? Qui ait: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Tempus meũ prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Et post pusillum: *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis, & edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est.* Et post pusillum dicente Iuda: *Nunquid ego sum Rabbi?* Dicit ei: *Tu dixisti.* Huc vsque Dei homines, vniuersa legalis Paschæ sunt. Deinde ea quæ mystici & nostri sunt, addidit Euangelista & dixit: *Edentibus autem illis, accepit Iesus panem, fregit & dedit discipulis suis & dixit: accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratias egit & dedit eis dicens: Bibite ex eo omnes: hic est sanguis meus noui testamenti.* Dicendo enim, *noui*, ostendit quoniam ea quæ veteris fuerunt testamenti cessauerunt.

ROMANVS.

* Hæc omnia non à vobis, sed à veracibus Euangelistis conscripta, & ab omnibus orthodoxis patribus constanter prædicata credimus, & ipsum dominum nostrum Iesum Christum quarta decima luna ad vesperam Pascha vetus perfecisse, & mox nouum inchoasse prædicamus. Quapropter sequentia videamus.

CONSTANTINOPOL.

† Aspicite quomodo panem corpus suum sub nouo testamento vocauit, sicut viuificum & plenum Spiritu, & sicut caloris demonstratiuum. Vos quidem panem, nos ἄρτον dicimus. Ἄρτος autem interpretatur eleuatus & sursum portatus à fermento & sale calorem & eleuationem habens. Azymæ autem nihil distant à lapide sine anima & luto lateris deorsum coniuncta terræ & sicco luto comparatæ, quæ cum amaritudinibus Moyses comedere miseris semel in diuina lege constituit: quoniam malæ passionis & tribulationis symbola sunt significatiua.

*In

ROMANUS

* In hac vestra disputatione, illud tantum approbamus, quod Dominus Iesus panem benedictum & fractum in memoriam sui sub nouo testamento corpus suum vocauit. Et quod omnis panis huiusmodi, viuificet & det vitam mundo, vtpote plenus spiritu & calore Dei viui, & quod nos panem, vos ἄρτον dicitis, reliqua verò vehementer detestamur, & velut hæreticam vanitatem & audaciam olentia atque resonantia, anathematizamus. Quis enim audebit panem quemlibet absque mysterio, quod supra diximus, asserere plenum Spiritu & animatum, nisi discipulus Manichæi? Ipsi enim delirando, sicut vere pleni insania, impudenter asserunt, panem & vinum, lignum, lapidem & vestem cæteraque talia animam habere. Illud quoque quod azymum negantes panem esse, per etymologiam eius nominis, quod est ἄρτος, conamini nos vincere: sciatis omnino vanum & puerile. Quia & à linguarum peritis diuersæ etymologiæ dantur ex vno nomine secundum humanum placitum, magis quam secundum naturam rerum. Et in omnibus scripturis inuenimus panem indifferenter dici, siue fuerit azymus, siue fuerit fermentatus. Quod hinc demonstrare incipimus.

Primo omnium, ecce Manna tam in lege & Prophetis & Psalmis, quam in Euangelicis & Apostolicis litteris, panis, id est, ἄρτος vocatur. Sicut in Psalmo: ἄρτον οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς, ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγεν ἄνθρωπος: quod latine dicitur: *panem cæli dedit eis, panem angelorum manducauit homo.* Et in Euangelio: κύριε ἀεὶ δῶς ὑμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον. Et in Exodo: οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος ὃν ἔδωκεν ὑμῖν κύριος. Si ergo manna quod erat album & minutum sicut semen coriandri, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ, gustusque eius quasi similæ cum melle, auctoritate diuina dicitur panis, siue ἄρτος, quod vtique nullam similitudinem, aut verum saporem panis habebat; quomodo azymæ possit tolli nomen panis, non videmus, qui vtique natura, forma, & sapore omnimodis panis est & dicitur, præsertim cum Angeli apud Abraam & Loth subcinericos panes, ἄρτους ὑποτέφρους dicantur comedisse. Angelusque Heliæ legatur in desertum attulisse. Sed quid multa? In lege & in Euangelio inuenimus τοὺς ἄρτους προθέσεως, id est, *panes propositionis*, quos azymos fuisse nemo dubitat, qui legis Mosaicæ aliquam notitiam retentat. Vbi dicitur: *omnis oblatio quæ offertur domino absque fermento fiet: nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio domini.* Et in Deuteronomio Moyses azymum vocauit, ἄρτον ταπεινώσεως, id est, *panem afflictionis.* Sermo quoque

Psal. 77. Ioan. 6. Exod. 16. Leuit. 2.

Ezech. 4. Domini ad Ezechielem factus dixit: *Et tu Fili hominis sume tibi frumentum, ordeum, fabam, lentem, milium & vitiam, & mitte in vas vnum, & facies tibi panes.* Ecce tam hic quam in subsequentibus panes dicuntur, vbi nulla fermenti mentio habetur: in tantum vt subcinericius, hordeaceus ibidem vocetur. Veruntamen vt de vestris aliquid dicamus: Audite quid Ioannes Monachus Damascenus in laude Dei genitricis dicit: ἐπεὶ ἄυτε τῶν βροτῶν ὐσία διὰ σῦ ὁμιλίσασα θείῳ πυρὶ ὡς * ἔγκυμα πάναγνε παρθένε ἐξ οὗ ὤπτης θεοτόκον ἀληθινὸν διαφυλάξαντα. Quin etiam volumus, vt dicatis fermentatusne an azymus sit, de quo Salomon ait: *Suauis est homini panis mendacij.* Et, *panis absconditus suauior est*, scilicet quem mulier stulta repromittit. Et hic enim & illic non azymus, sed ἄρτος dicitur. Et quia nos ad hoc trahere nititur tota vestra disputatio, vt pro eo tantum quod Matthæus dixit: λαβὼν ὁ ἰησῦς τὸν ἄρτον, id est, *accepit Iesus panem*, incipiamus credere fermentatum & non azymum discipulis suis in memoriam suæ passionis Dominum dedisse, sciatis istam sententiam vestram satis infirmam esse: Si aliud non habetis, quod possit vestræ parti fauere. Omnis enim sententia ex opinione procedens, est dubia. Quæ autem ex scientia procedit, certa omnimode & rata. Vnde si aliam sententiam firmiorem non habetis, hac sola tam ambigua nostrum consensum vobis non vendicabitis. Quia vt superius copiose monstrauimus, azymus sicut fermentatus dicitur ἄρτος. Quin etiam Matthæus, qui Hebraice scripsit Euangelium, non dixit: λαβὼν ὁ ἰησῦς τὸν ἄρτον, sicut Græcus, sed vt Hebræus Hebræis, *Lacah Iesus Lechem.* Lechem autem Hebraice etiam azymum vocari in Deuteronomio cognoscite, vbi sic habetur: *Lechem oni*, id est, panem afflictionis, atque panes propositionis *Lechem pauini* dicuntur. Vnde in Psalmo, manna quoque similiter vocatur, vt *Lechem albicini achal is*, quod interpretatur, *panem angelorum manducauit homo.*

* ἄζυμα.

Prou. 20.

Prouer. 9.

Matth. 26.

Psal. 77.

Tam copiosis ergo trium principalium linguarum exemplis onerustam etymologiam vestram, ex nomine quod est ἄρτος sapienter considerate, & azymo nostro fermentatum vestrum præferre cauete. Quia si non obstinata mente manifestæ veritati resistitis: & si vetus & nouum Testamentum aperte non impugnatis, nobiscum sentire & profiteri habetis azymum panem fuisse, quem ipse Dominus Iesus in cæna primis Ecclesiæ suæ fundatoribus distribuit in memoriam suæ passionis. Nam sicut sufficienter supra ostensum est, in septem Paschæ diebus fermentatum, nec inueniebatur, nec apparebat in cunctis domibus

mibus seu finibus Israël. Et apud quemcumque fuisset inuentum, iusta animaduersione velut diuinæ legis transgressor, absque recrastinatione peribat de cætu Israëlitarum. Quod si credimus verbis veritatis dicentis: *Non veni soluere legem, sed adimplere*: credendum etiam & prædicandum est Dominum Iesum nec vnum Iota, aut vnum apicem legis præteriisse, & vt totius transgressionis expertem insidiatorib. suis dixisse: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Alioquin nec ipse peccata multorum tulit, nec pro transgressoribus orauit vt non perirent: nec pro nobis passus, sed pro sua præuaricatione iuste punitus: præsertim qui nec solius legis transgressor inuentus est, fermentato apud se tunc reperto, sed insuper multos discipulos reos mortis effecit, cibans illos fermentato. Videte quorsum euadat hæc vestra disputatio: Nempe si in solennitate azymorum dicitur quolibet vsus fermentato, vere mortuus asseritur in peccato suo, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore ipsius. Insuper administratis Iudæis materiam magnam sibi placēdi super interfectione Domini, & permanendi in errore suo, & fidem nostram euacuandi: si gloriantes nomine christiano obiecerint Christo, quod Iudæorum nemo objicere præsumpsit, nec tunc nec modo, nisi forte vestro edoctus magisterio. Quamuis enim principes Sacerdotum & omne Concilium quæsissent falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent, & nec in verbis eius inuenissent: tamen tale aliquid, quale vos objicitis, nullus eorum obiecit. Quod si fuisset obiectū, solum vnum sufficeret ad perdendum illū. Nec iam Pilato dicentis *accipite eum vos, & secundum legē vestram iudicate eum*, dicerent: *Nobis non licet interficere quemquam*, quia ipsi præcepto legis interfecissent fermentati participem. Deniq; tota in Iesum calumnia ex interrogatione Pilati & responsione Iudæorum facillime potest animaduerti iuxta Euangelium Matthæi & Marci, vbi interrogāte Pilato: *Quid enim mali fecit?* clamauerunt: *Crucifigatur*: Porro Luca attestante, omnis multitudo tradentes Iesum Pilato dixerūt: *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.* Quibus paulo post ait Pilatus. *Nihil inuenio causæ in hoc homine*: Et illi: *Commouit populum per vniuersam Iudæam incipiens à Galilæa vsque huc.* Deinde post aliqua dixit eis Pilatus: *Obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam mortis inuenio in homine isto in his in quibus eum accusatis, sed neque Herodes. Corripiam ergo illum & dimittam.* At illi postulabant vt crucifigeretur. Ioannes autem

Matth. 5. Ioan. 8. Ioan. 18. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

Ioan.18. refert, Pilatum sic dixisse Iudæis: *Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc?* Qui dixerunt ei: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Et post aliqua dicente eis Pilato, *Accipite eum vos & crucifigite.* Responderunt. *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filiũ Dei se fecit.* Nonne tot testibus iniquis in dominum insurgentibus & iniquitate mentienti sibi, suffecisset hoc vnum vestrum mendacium, si constaret eis saltem hoc solum? Nonne instarent Pilato & dicerent: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia fermentatum in Pascha comedit? aut certe apud eum apparuit? Et forte dicetis eum clam egisse hoc. Absit. Quia non solum de factis suis, verum & de dictis ait ipsi Pontifici percunctanti; *Ego palam locutus sum mundo: Ego semper docui in Synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui me audiuerunt quæ dixerim ego.* Nunquid etiã dominum domus in qua Pascha celebrabat sanctæ legis præuaricatio posset latere? quem constat paternarum traditionum æmulatorem apprime fuisse. Quod si forte & hunc latere potuit, aut certe ipse consensit: nunquid & Iudam complicem malignorum Iudæorum latere potuit: qui iuxta psalmistam: *Vnanimis* eius *Dux & notus* & præsertim dispensator fuit? Quem ipse Dominus dilecto Ioanni demonstrans ait: *Ipse est cui intinctum panem porrexero.* Et cum intinxisset panem dedit Simoni Iscariothis. Ecce hic bis dixit ἄρτον, quem vos non nisi fermentatum accipitis. Quod si ita est, quæ res prohibuit infelicem Iudam demonstrato ipso fermentato, prodere sanguinem magistri palam, quemadmodum volebat prodere clam? Aut quid necesse habuit desperando dicere: *Peccaui tradens sanguinem iustum?* cum tradendo transgressorem legis auerterit à se & à populo furorem Domini, & gratiam promeruerit? Vt enim præceptum legis diuinæ super hoc breuiter tangamus, perpẽdite quid in Deuteronomio latius dicatur. *Si Propheta quilibet siue frater tuus, filius aut filia, vxor vel amicus quem diligis vt animam tuam, voluerit clam persuadere tibi vt auertaris à cerimoniis legis, non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei tuus oculus vt misereaaris & occultes eum, sed statim proditum populo interficies, vt auertatur dominus ab ira furoris sui, & misereatur tibi, multiplicetque te sicut iurauit patribus tuis.*

Psal.54. — Ioan.13. — Math.27. — Deut.13. (marginal references)

Hic ne quid minus factum videatur, etiam vestratium ridiculæ opinioni obuiamus: qui non inuenientes, quo nam sanctarum Scripturarum funiculo scapham assertionis suæ pertrahant ad alicuius stabilitatis litus, fluctuando pertrahuntur in illud diuinę omnipoten-

tiæ pelagus. Namque sciscitantibus nobis vnde dominus Iesus fermentatum in cæna habuerit, cum in omnibus finibus Israel non inueniretur; Respondent: Si creditur omnipotens, potuit subito vndecunque fermentatum exhibere, aut certe ipsum azymum benedicendo fermentare. Quod quam sit friuolum, nemo non intelligit. Quia quocunque modo apud eum in ipsa solennitate fermentatum apparuisset, legis transgressor fieret, plane dignus puniri, qui in sanctæ legis contumeliam fermentatum tractasset. Sed etsi quolibet modo id fuisset factum, aliquis Euangelistarum tantum narraret miraculum, non inferius illo, quo aqua conuersa narratur in vinum. Et cum tam subtiliter gesta siue dicta in ipsa cæna describunt vt etiam aliqua velut minus necessaria videantur recitare: Sicut illud est de contentione prioratus inter discipulos facta, siue quod dominus ipse præceperit vendi tunicam & emi gladium: Quomodo tam obstinato silentio reticuere tam necessarii Sacramēti initium, & vt ita dicamus, omnimodam metamorphosim, & qualem vos somniatis? Neque enim fuerat negligenter commemorandum, quod totius Ecclesiæ extat fundamentum, & vsque secundum Christi aduentum retinebit Christianitatis statum, per quod in Christo manemus & ipse in nobis. Vnde vos assertionis vestræ difficultatem passi, laboratis nobis præiudicium facere ex omnipotentia Christi. Sed vobis fideliter & constanter respondemus. Quamuis omnia quæcunque voluit fecerit, & faciat dominus Iesus, hoc facere non potuit, sicut quondam de lapidibus panem facere non potuit. Si quæritur, cur? Breuiter respondetur, quia noluit. Sed vnde scitur, quia noluit? quia non transgredi potuit, nec transgressus est legem, quam non venit soluere sed adimplere. Itaque vnum è duobus eligatis necesse est: Aut enim fermentato abiecto in solennitate azymorum legem impleuit, aut suscepto fermentato legem soluit, propter quam adimplendam se venisse mentitus inuenietur, quod absit. Porro de omnipotentis Dei coomnipotente Filio, ita habetur in Ioannis Euangelio: *Non potest Filius facere quicquam à se.* *Ioan.5.* Qui etiam secundum Marcum in patria sua non poterat virtutes multas facere. *Mar.6.*

Hinc nil tergiuersationum vestrarum prætermittentes, quia consideratis vestro fermentato secundum legem & Euangelium iuste contradici: astruere conamini Dominum non celebrasse Pascha cum Iudæis, quarta decima Luna mensis primi, sed priusquam fieret legalis abiectio fermentati. Et hoc probare contenditis ex Euangelio

Ioan. 18. Ioannis qui ait: *Et ipsi non introiuêre in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha.* Quod quanta absurditate dicatur, saltem ex hoc perpendite: quod Christũ transgressorem legis non cauetis denuo pronuntiare, si Paschæ tempus noluit obseruare. Præsertim cum Lucas referat: Quia *cum facta esset hora discubuit.* Quamuis enim bis posse celebrari Pascha lex concedat, tamen quartam decimam lunam omnimodis obseruãdam denuntiat. Et mundis quidem quartam decimam lunam primi mensis, immundis autem quartam decimam secundi mensis. Et quicunq; aliter præsumpsisset, de medio populi sui periret. Quod si quæritur, quare Ioannes decimam quintam lunam, id est, à Pascha secundam dixerit *Pascha*? cum videatur dicere debuisse: Et ipsi non introierunt in prætorium vt non contaminarentur, sed vt manducarent azyma: quorum prima erat dies ipsa? Sciatis indifferenter ab Euangelistis dici *Pascha* & *azyma*. Nam licet Dominus discipulis dixerit: *Scitis quia post biduum Pascha fiet*: Matthæus tamen ipsius diei in cuius vespere fiebat Pascha mentionem faciens, inquit: *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Vbi vis paremus tibi Pascha comedere?* Cui concordans Marcus ait: *Erat Pascha & azyma post biduum.* Et post pauca: *& primo die azymorum, quando Pascha immolabant.* Vbi si indifferenter non accipiuntur Pascha & azyma, vt modo Pascha pro festo azymorum, modo festum azymorũ intelligatur pro Pascha: Quomodo stabit: *Erat Pascha & azyma post biduũ?* Nam iuxta opinionẽ vestrã debuit sic scribi: Erat Pascha post biduũ & azyma post triduũ. Sed beatus Lucas omnẽ huiusmodi dissoluens controuersiam inquit: *Appropinquabat dies azymorum, qui dicitur Pascha.* Et quia cum eo qui proprie dicebatur Pascha, subsequentes quoque septem dies azymorum abusiue nuncupabantur Pascha, quẽ diem vellet specialiter intelligi in sequentibus luce clarius ostendit dicens: *Venit autem dies azymorum in qua necesse erat occidi Pascha.* Quod plane in quarta decima luna fiebat ad vesperum, quando agnus occidebatur. Quem etiam Pascha dici sic Euangelista perhibuit, vt ipsum Pascha occidendum diceret. Idem quoque in actibus Apostolorum narrat, quod Herodes captum Petrum misit in carcerem, volens post Pascha producere eum populo. Qui quod Pascha dicat mox subiungens declarat. *Erant autem dies azymorum*: Nec mirum. Cum etiam Exodi tertio Dominus tria festa præcipua habere præcipiens, Pascha tacuit: solennitatem azymorum tantum custodiri iussit, quæ prætermisso Pascha obseruari nequit. Porro Ioannes qualiter intelligi vellet

Margin notes: Luc. 22. — Ioan. 18. — Matth. 26. — Ibidem. — Marc. 14. — Luc. 22. — Ibidem. — Act. 12. — Exod. 3.

quod

quod ait: *vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*, paulo post ait: *Erat autem parasceue Paschæ hora quasi sexta.* Parasceue Paschæ, præparatio Paschæ interpretatur: quando iam præparabatur vel instabat celebritas magni diei Sabbati, qui celebrior reliquis Paschalibus diebus apud Iudæos habebatur: adeo vt ob reuerentiam eius, gentilis hominis cohabitatione, vel introitu prætorij pollui vererentur. Et insuper ne in cruce remanerent corpora in Sabbato: præcauerent. Nec repugnat vero quod Pascha solennitas azymorum dicitur: quandoquidem ipsum Pascha cum azymis edebatur, nec per totum diem illum, sicut scriptum est, apparebat fermentatum in finibus illis vsque ad vesperum octauæ diei, quam habebant celeberrimam. *Ioan. 18. Ioan. 19.*

Insuper harum trium solennitatum continuati octo dies pro vno die sunt habiti, sicut de Scenopegiæ diebus Domin' dicit: *vos ascédite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum hunc*: qui tamen postea iam die festo mediante, dicitur ascendisse, & in nouissimo magnæ festiuitatis die stetisse & clamasse: *si quis sitit veniat ad me & bibat.* *Ioan. 7. Ibidem.*

Ecce vestris opinionibus reluctati forsitan plus necessario fuimus verbosi: sed hinc minime debemus reprehendi, quia causam humano generi super omnia necessariam voluimus euacuari. Si Dominus Iesus legem potuisset transgredi, inanis enim esset fides nostra, inanis & prædicatio nostra, quia posset doceri peccatum Adæ obfuisse humano generi, mortem autem Christi nihil profuisse. Nunc sequentia videamus: vbi postquam vanis declamationibus, vt supra monstratur, ἄρτον interpretati fuistis eleuatum & sursum portatum à fermento & sale, calorem & eleuationem habentem, horrenda cæcitate, abominati azyma dixistis:

† Azyma autem nihil distant à lapide sine anima & luto lateris deorsum coniuncta terræ, & sicco luto comparata. *CONSTANTINOPOL.*

* Heu heu heu Domine Deus, ecce compleri videmus principis Apostolorum præsagium nostris temporibus. *Ex vobis*, inquit, *erunt magistri mendaces, qui inducent sectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negant. Superducentes sibi celerem perditionem, & multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphematur, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorũ non dormitat.* Cuius sententiæ cócordans Doctor gẽtium ait Timotheo: *Hoc scito quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi,* *ROMANVS. 2. Pet. 2. 2. Tim. 3.*

blasphemi,& cætera. Et post pauca. *Quemadmodum Iamnes & Mambres restiterunt Moysi,ita & isti resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Sed vltra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit:* Vnde & vos impudenter detrahentes azymis, etiam illi viuifico mysterio redemptionis nostræ inauditas iniurias irrogare non timetis. Nec mirum si in secretis cælestibus acies mentis vestræ caligat: quandoquidem in terrenis tam peruerse errat, vt azymum quod visu & tactu atque gustu simul & vsu quotidiano panem comprobat, lapidem seu siccum lutum lateris credat. Et ô quam dignam erroris sui mercedem vestra vesania reciperet, si vobis retrusis, & omni consolatione humani victus fraudatis, lapidem seu siccum lutum lateris apponeret aliquis pro azymis? Ibi proculdubio in summo discrimine vestro discceretis plurimum distare lapidem siue laterem ab azymis, & quod lapidibus seu lateribus paries, azymis autem confirmetur cor hominis. Quæ quamuis humanam vitam temporaliter sustentent, tamen sine anima esse sicut & fermentatum nullus negare audet, nisi Manichæus demens. Nam in corporis Christi mysterio indubitanter vitalis esca fit perpetuo. Sed dum nitimini Apostolicæ sedi derogare super azymis, putredine inueteratæ hæresis vos scatere monstratis, asserendo panibus inesse animam fermentatis, etiam absq; mysterio aliquo dominicæ passionis.

Quod autem calumniamini azyma deorsum terræ coniuncta, non negamus, vulgo hæc eadem sic parari lapidibus aut argilla superposita: non sicut dicitis, terræ coniuncta. Verum hæc ad communes vsus hominum & cæterorum animalium transeunt. Nam ad magnam Christi mensam non accedunt; sed illud solum quod Diaconi cum Subdiaconis seu ipsi Sacerdotes sacris amicti vestibus cum melodia Psalmorum consperśum, & in ferro paratum ex Secretario proferunt. Nempe sicut Apostolici actus indicant: Diaconi specialiter constituti sunt super hoc opus. Petro dicente: *Non est æquum relinquere nos verbum Dei, & ministrare mensis.* Vos autem sicut facere nos reprehenditis, nec in lapide aut argilla seu aliquo metallo vestrum fermentatum paratis. Ergo aut in aqua paratis, aut de cælo manna venit vobis, quod ad humanos & diuinos vsus habetis.

Act. 6.

Sed ad reliqua friuola vestra veniamus. Non inuenitur Moyses dixisse, azyma malæ passionis & tribulationis symbola fuisse, sed *lechem oni*, id est, *panem afflictionis*: nõ quod naturaliter aliquid afflictionis in se habeat, sed quod Hebræis ad memoriam reuocet, quia ab Ægyptiis

Deut. 16.

Ægyptiis exire compulsi conspersam farinam, antequam fermentaretur asportarint in humeris: Quæ vt superius sufficienter disseruimus, nihil nos tangunt iuxta carnalis obseruantiæ ritus. Ideo discutiamus quod sequitur.

CONSTANTINOPOLITANVS.

† Nostrum vero Pascha gaudium & lætitia totum est,& extollit nos ab humo propter gaudium & cælum, sicut & fermentum propter proprium calorem panem: Qui panis omni suauitate repletus est. Azymum vero, neque sal, neque fermentum habens, lutum est aridum. Aut non audistis Iesum dicentem discipulis suis? *Vos estis sal terræ; Et simile est regnum cælorum fermento, quod accipiens mulier, abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum?* Mulierem sanctam Ecclesiam vocat. Satis verò tribus, hoc est, tribus modiis repletis, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, quorum nequaquam lutulentum azymum est particeps.

ROMANVS.

* Optamus vobiscum celebrare Pascha, quod totum sit lætitia, & plenum gaudii, in terra scilicet viuentium, quia hoc nemini concessum est in terra morientium, vbi & de præteritis scandalis subest gemitus,& de futuris metus. Vnde si cupitis de continuo Pascha postmodum gaudere, in isto, animo non sitis interim sine timore. Sed sicut Psalmista monet: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* *Psal. 2.* Et instanter cum Apostolis petite vt gaudium vestrum sit plenum. Illud etiam quod asseritis, id est, Pascha vos ab humo sustollere ad cælum præ gaudio, ita agere debet omnino. Quia si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextra Dei sedens. quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: Sin aliàs, iam non leuatur anima vestra ad Deum, sed contra Deum.

Sane quoniam vestrum gaudium comparatis fermento, quod suo calore panem extollit, ambigimus iam quale illud gaudium sit, quia fermentum in bono accipi vix inuenimus, nec fermentatus panis absque consecratione est suauitate aliqua plenior azymis panibus, quos pleriq; sibi salubriores & sapidiores arbitrantur: sed qualis fuerit propositio, aperit hæc vestra conclusio.

CONSTANTINOPOLITANVS.

† Azymum verò neque sal, neq; fermentum habens, lutum est aridum.

ROMANVS.

* Iteratis contumeliis in tantum azyma lacessitis, vt pene omnibus visibilibus & inuisibilibus naturis iniuriam irrogetis. Si enim, vt definistis, lutum aridum est, quidquid neque sal, neque fermentum habet; Ergo beati Spiritus & animæ iustorum, siue ipsa quatuor ele-

menta, ex quibus omnia visibilia existunt, lutum sunt: quoniam neque sal neque fermentum habent. Nec suffecit vobis tantum nefas euomuisse, nisi insuper Dominum testem vestræ opinionis producere tis, quasi pro sola commendatione & confectione vestri fermentati dixerit discipulis suis: *Vos estis sal terræ, & simile est regnum cælorum fermento*: Ergo quia verba quæ sunt Spiritus & vita, ad literam placet vobis intelligere: placeat etiam vestro fermentato aliquid palmitum & sinapi adiungere. Nam idem Dominus dicit discipulis: *Vos estis palmites*: Et: *Simile est regnum cælorum grano sinapis*: quod scilicet calorem administrat quem tantopere tota vestra calumnia in fermento collaudat. Noueritis tamen ipsam de fermẽto abscõso expositionẽ vestram Catholico dogmati contrariam. Si enim mulier illa Ecclesiam signat, & tria sata sanctam Trinitatem: Vbi & quando & ad quid Ecclesia in ipsa beata Trinitate fermentum abscondit? An forte quisquam summo & incommutabili bono Deo quidquam augmenti aliquando conferre potuit aut poterit? Quapropter conuenientius parabolam hanc exposuissetis, si regnum cælorum sanctam Ecclesiam significare dixissetis. Fermentum autem doctrinam Apostolicam, tria sata tres filios Noe, quibus post diluuium mensuratur farina, id est, totius humani generis massa. In qua vtique mulier, id est, coeterna Deo Patri sapientia facta ex muliere, doctrinam Apostolicam quasi fermentatum recondidit, & regnum cælorum, id est, præsentem Ecclesiam ex diuersis nationibus coadunauit.

Matth. 5. & 13.

Ioan. 15.
Matth. 13.

Iam quia post multiplices azymorum obtrectationes ad hoc prorupit vestra insolentia, vt in ipsa terribilia & viuifica Sacramenta redemptionis nostræ apertis contumeliis irreuerenter insurgat, & azymũ exclamet lutulentũ, & nequaquam sanctæ Trinitatis participes esse: Respondere cogimur deinceps vobis stultis iuxta stultitiam vestram, ne vobis sapientes esse videamini. Certissime sciatis quod gloriatio vestra stercus est & vermis, hodie enim extollimini, & cras non inueniemini, & secundum Psalmistam vt puluis ante faciem venti comminuemini & vt lutum laterum delebimini iuxta prouerbium Sapientis, de stercore boum lapidandi, & velut stercus in via conculcandi sicut & antecessores vestri hæretici ac præcursores Antichristi. Vt enim in libro beati Iob dicitur: *Ex quo posuit Deus hominem super terram cognoscitur laus impiorum breuis esse, & gaudium hypocritæ ad instar puncti*: Vnde quia in eo putatis vos sapientes, si aliorum institutionibus detrahitis: hinc par pari referemus, quod vestram impudentiam mordebit: vt retrahat à reuerendorum Sacramentorum iniuriis.

Psal. 17.
Eccles. 22.

Iob 20.

Salua ergo vt dignum est reuerentia corporis Domini nostri Iesu Christi, & in fermentato & in azymo, perquiramus an fermentatũ ad humanas mensas præparatum syncerius ac mundius sit, plebeio azymo. Et primo omnium fermentatum repetamus, vt perspecta diligenter eius scaturigine verax iudicium de puritate fermentati habeamus. Necesse est enim vt riuus fontis qualitatem & naturam sequatur. Ita enim originem fermenti inuenire cupimus, sicut hominis cuiuslibet originem ipsam matrem omnium terram. inuenimus. Nam si hominis originem alium hominem dixerimus: iam propago non origo erit, quomodo nec fermentum fermenti origo esse poterit. Sicut enim sententia vulgi extat, fermenti origo fit, cum aut spuma musti seu fex cuiusdam rusticæ potionis quæ apud Gallos *ceruisia* dicitur, vel certe ius elixati ordei, aut ciceris, siue lac ficulneæ, vel pecorum corruptum, injicitur conspersæ farinæ. Cum ergo spuma, fex, elixatum leguminum & lac ficus vel pecorum corruptum apud homines computentur inter sordida: constat fermentum sordibus non carere per omnia. Massa autem cuicunque fermentum injicitur, necesse est corrumpatur: sicut ait sapientissimus Paulus: *modicum fermentum totam massam corrumpit.* Vbicunque autem corruptio tam in diuinis quam & in humanis litteris dicitur, ibi etiam deterioratio seu vitiositas aliqua substantiæ accidisse comprobatur. Vnde si non potest aliquando corruptio in bonam partem intelligi, nulli dubium est, quin fermentato azymum mundius sit, quod nullam corruptionem fermenti admittens, ex munda farina tantum & pura aqua conficitur. Fermentum quoque si aliquamdiu in massa negligitur, tanto acrore eam corrumpit, vt vltra humanis vsibus non prosit. Deinde panis fermentatus paruo situ efficitur mucidus, quod rarissime incurrit azymus, vtpote planus & solidus, non tumidus & cauernosus, vti fermentatus. Qui licet magna ex parte impar sit nostris laudibus, tamen per omnia par est vestris moribus. Ipse enim fermento veteri corruptus deprehenditur acidus, cauernosus & tumidus. Et vos haud secus humana opinione corrupti, loquacitate apparetis acidi, calliditate cauernosi. Et vt diuinæ scientiæ vacui, humana scientia inceditis inflati: Iuxta illud dictum Apostoli: *Scientia inflat.* Cui etiam supradicta vitia inesse ibidem Apostolus attestatur Timotheo dicens: *Si quis aliter docens, & non acquiescens sanis sermonibus Domini nostri IESV CHRISTI, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verbo-*

1. Cor. 5. & Gal. 5.

1. Cor. 8.

1. Timot. 6.

rum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt. Quod vero fermentum sicut præfati sumus, in diuinis & humanis litteris, in malum ponatur: dominus in Euangelio testatur: *Cauete,* inquiens, *à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Et Paulus, *Expurgate,* inquit, *vetus fermentum,* Et paulo post. *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ.* In secularibus quoque litteris Satyricus effęminationem & corruptos mores Romanorum redarguens ait:

Matth. 16. *1. Cor. 5.* *Ibidem.*

Persius.

Quid didicisse nisi hoc fermentum, ex quo semel intus
Innata est rupto iecore, exierit caprificus?

Et si omnes scripturas perscrutati fueritis, nunquam & nusquam fermentum in bonam significationem poni inuenietis, nisi in vno loco Euangelii, vbi regnum cælorum fermento simile dominus dicit: Doctrinam videlicet Apostolicam significans. Si vero omnes reuoluatis Scripturas, nunquam & nusquam inuenietis azyma poni in significationem contrariam, sed aut sinceritatem aut veritatem significare, sicut Apostolus ait: *Epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.* Vnde vestra duplicitas suo fermentato contenta Romanæ & Latinæ simplicitati azymum extorquere desinat. Ne si fuerit pertinax, anathema marantha cum suo fermentato fiat, & prophetam sibi exprobrantem audiat: *Ite ad Bethel & impie agite, & sacrificate de fermentato laudem.*

Matth. 13.

1. Cor. 5.

Amos 4.

Nunc videatur quænam Ecclesiarum maiori diligentia & subtiliori significatione dominici corporis proprietatem vel veritatem imitetur. Romana quippe & Occidentalis Ecclesia à ministris sacri altaris in secretario confectum offert azymum, quod ex grano frumenti & limpida lympha per ignem fuerit præparatum, significans se in vna mediatoris Dei & hominum, hominis Dei Iesu Christi, persona, tres perfectas credere, & venerari substantias: humanam scilicet carnem, animam rationalem, & verbum Dei Deum. Et granum quidem assimilari carni, quam de sola Virginis carne, quasi ex grano matris terræ, sola virtute cælesti, non autem aliqua commixtione virili factam omnipotens diuinitas animauit. Puriorem substantiam, id est, animam, quasi aquam præclaram & nobilem ei infundens. Quas geminas substantias ab ipsius virginalis conceptionis exordio verbum Dei rite suscepit, & mediante suæ diuinitatis calore, tanquam igne sibi construxit & consolidauit. Taliter præparatus azymus fideli inuo-

catione totius Trinitatis, fit verum & singulare corpus Christi. Non sicut Theupaschitæ volunt corpus Patris & Filii & Spiritus sancti. Quod & vos videmini sentire, dicentes, Patris & Filii, & Spiritus sancti particeps, non esse azymum, sed subaudiatur, sicut fermentum est particeps eorum. Ex qua praua sententia si non vultis cum Theupaschitis damnari, nolite in ipsa commemoratione Dominicæ passionis aliquod participium seu communionem præter solam consecrationem vel cooperationem concedere, sanctæ & impassibili Trinitati, quia mors solius humanitatis Filii Dei in illo Sacramento visibili, vt Apostolus ait: *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Ipse quoque Dominus Iesus in speciali commemorationis suæ priuilegio discipulis distribuens panem, ait: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Meum, inquam, quod Spiritus sancti, septemplici gratia subnixum, ipsa sapientia Dei Patris æterni ædificaui mihi templum quadraginta & sex diebus in vtero & ex vtero intactæ Virginis: quodque mox pro vobis & pro multis per passionem crucis in mortem resoluendum, omnipotens Trinitas post triduum suscitabit, non permittens sanctum suum videre corruptionem. *Meum*, inquam, hoc est Filii Dei & Filii hominis, qui vadit sicut scriptum est de illo. Quapropter sicut prædiximus tota beata Trinitas in consecratione Eucharistiæ cooperatur, sed sola mors Christi in fractione eius & in vsu annuntiatur.

1. Cor. 11.

Matth. 26.

Hinc iam quæ apud vos habeatur disciplina & cautela, supra tanto mysterio aduertamus. Vos aliquando pretio fermentatum à quocunque viro, seu fœmina præparatum habetis, in tantum vt nonnunquam ab ipsis publicis negotiatorum tabernis emptũ panem ad Dominicam mensam transferatis. Quem tractatũ illotis & sordidis quorumlibet manibus negare non potestis. Qui sane iuxta nostram narrationem, quinq; substantiarum particeps est, id est, fermenti, farinæ, salis, aquæ & ignis. Quarum omnium significationes congruas in illa simplici & sincera carne saluatoris, si habetis, date nobis. Par est enim vt de fermento nobis rationem reddatis, quemadmodum nos de azymis vobis: ne forte, quod absit, peruersitas Manichæorum, ad fulciendum errorem suum asserat, has quinq; substantias in sacrificium Christianorum assumi, propter quinq; antra tenebrarum, quæ fingunt mentiendo sibi. Date quoq; euidentem causam illius circumcisionis, qua coronulam panis ad sanctum sacrificium ferro leuatis, cum immaculata hostia, immaculatũ corpus Domini aptius videatur significare,

care,& integritas panis,integritatem Ecclesiæ, quæ corpus Christi si: participatione eius integerrimi corporis. Quod qualiter fieri debeat, Paulus,Corinthiis ita prædicat: *Panis quem frangimus,nonne participatio Domini est? Quoniam vnus panis, vnũ corpus multi sumus omnes, qui de vno pane & vno calice participamus.* Vnde & Dominus panem accepisse benedixisse & fregisse,non autem legitur ante vel postea incidisse. Deinde quod sanctum panem vitæ æternæ in calice intritum cum coclcari sumere consuestis, quid opponitis? Neq; enim ipse Dominus panẽ in calice vini intriuit, & sic Apostolis dedit dicens: accipite & cum coclcari comedite: Hoc est enim corpus meũ. Sed sicut sancta Romana Ecclesia vsq; nunc obseruat: Panem integrũ benedixit & fractũ singulis particulatim distribuit dicens: *Accipite & comedite,hoc est corpus meum.* Quibus postquã cænatum est,calicẽ porrexit dicens: *Bibite ex eo omnes.*

1. Cor. 10.

1. Cor. 11.
Matth. 26.

Quam reuerendam angelis & hominibus institutionẽ etiam sancta Sion, prima scilicet Ecclesia, vsq; ad hæc moderna tẽpora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit: adeo vt quidam Hierosolymitanorum pontificum datis epistolis significauerunt, quantũ illorum institutio discrepet à Græcis. Sic enim scriptũ reliquerunt: *Ex ipsa sancta ciuitate Hierusalem,quæ & sancta Hierosolyma,exiit fides Christiana: in ipsa quoq; sancta Sion & sancta resurrectio primæ Ecclesiæ dicuntur & veraciter habentur. In ipso sancto & venerabili loco adimpletur diuina & immaculata oblatio Domini nostri Iesu Christi, sicut decet per ordinem.* Et puto quia benefaciunt ibi, quod non nisi integras & sanctas ponunt ipsas oblationes in sanctas patinas, nec quomodo Græci habent lanceam ferream qua scindunt in modum Crucis ipsam oblationẽ,id est,proscomide. Porro in præfatis sanctis Ecclesiis, cum ipsa sancta patina sanctã anaforam,id est,oblationẽ exaltant. Etenim veræ & aptę sunt ipsæ oblationes,tenuesq; ex simila. Lanceã vero ferream nesciunt, nisi quæ lat⁹ Domini nostri Iesu Christi aperuit. Coclear vero cum quo communicent, sicut in Ecclesia Græcorũ,minime habent,quia nõ ita commiscent ipsam sanctã communionem in calice,sed sola communione communicant populum. Itaq; & in magnis & in paruis Ecclesiis hunc morẽ traditum sibi à sanctis Apostolis habent omnes Christiani ipsius prouinciæ. Græci autem cohabitantes eis,alij sic,alij qualiter à suis acceperunt. Ad hęc si quid ex sancta & venerabili Eucharistia in Hierosolymitanis Ecclesiis superfuerit, nec incendunt, nec in foueam mittunt, sed in pixidem mundam recondunt,& sequenti die communicant ex ea populũ,quia quotidie communicant ibi, eo quod conueniunt illuc ex diuersis prouinciis

uinciis Christiani, qui propter fidem & maximũ amorẽ filij Dei communicare ibi desiderãt, quia & locus ipse venerabilior & sanctior est omnibus locis, in omni terra. Et ibi est sepulchrũ sanctũ & honorabile Dñi nostri Iesu Christi, & sanctus Caluariæ locus. Subterrare autẽ vel infodere sanctã Eucharistiã in terra, sicut quidã dicuntur agere, aut in lagenã mittere, aut effundere illã, negligentia magna est & nullus timor Dei. Etenim fides Christianorũ, ipsa impolluta & diuina mysteria sunt: Secundũ quod Christus dixit: *Qui manducat carnem meã & bibit sanguinem meũ, vita viuit in æternum.* Sed de his hactenus: præcipue cũ vos ipsi possitis hæc colligere subtilius ex tenore Epistolæ illius: quam istis ex Græca latinã perfecimus. Vbi luce clarius intelligi datur eundẽ ritum diuini sacrificij sanctã Hierosolymitanã Ecclesiam obseruasse antiquitus: quam sacrosancta Romana Ecclesia obseruare non cessat hactenus. Siquidẽ tenues oblatas ex simila præparatas integras & sanas sacris altaribus nos quoq; superponimus, & ex ipsis post cõsecrationẽ fractis cum populo cõmunicamur. Et tunc demũ calice meri & liquidi cruoris potamur: quandoquidẽ nemini discipulorũ nisi Iudę proditori intinctũ panẽ à Dño porrectũ inuenimus: significante, quod eum esset traditurus: pari modo etiã residuũ Dominicæ oblationis reponimus. *Ioan. 6.*

Iam quia sufficiente authoritate noui & veteris testamenti constat Dñum nostrum Iesum Christum commemorationẽ suæ passionis recolendã in azymis discipulis, sub ipsa cęna cõmendasse, sicut hodieq; sancta Romana & Latina Ecclesia noscitur recolere: Dicere debetis cuius institutionẽ in fermentato tam obstinate defenditis. Nempe quicumque, seu qualiscumq; ille fuerit iuxta beatũ Iob compositus Deo, qui est ipsa iustitia & sapientia, nec iustus, nec sapiens erit. Nec potest fieri, vt quilibet conuenientius aut verius commendare præualuisset sacrosanctum mysteriũ fidei, q̃ ipse qui tradidit semetipsum pro nobis oblationẽ & hostiã Deo in odorem suauitatis: agnus immaculat⁹, qui tollit peccata mundi. Cui comparata, imperfecta, cuius inscientia summa est ignorantia. Quapropter euentilemus reliqua dicta vestra. *Iob. 9.*

†Dixit autem Dauid de ipso: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Qui ante Abraam & Moysen cæli & terræ & ceterarum creaturarum agnoscens Deum, exurgens obtulit illi panem & vinum. Ideo dicit diuinus Apostolus. *Quoniam si consumatio per Leuiticum Sacerdotium erat, non secundum ordinem Melchisedech Sacerdos Christus diceretur. Et quia translato Sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat.* Quæ lex lutulenta constituit azyma Iudæis custodire. *CONSTANTINOPOLITANVS. Psal. 109. Heb. 7.*

Idem ipse magnus Paulus ad Corinthios prima Epistola ex his loquens sic ait: *Fratres ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Quoniam Dominus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: accipite & comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & de calice:* Hic calix nouum testamentum est *in meo sanguine, hoc facite quotiescunq; bibitis in meam commemorationem, quotiescunq; manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.*

1. Cor. 11.

ROMANVS. *Quamdiu vestigia doctiloqui Pauli fideliter tenuistis, omnino irreprehensibiliter cucurristis. Sed mox vt præcurrere tentastis, miserabiliter corruistis. Quibus non suffecit aberrasse, nisi in super Doctorem gentium in fide & veritate maluissetis post vos reluctantem trahere, quam illius vestigia repetendo errorem vestrum euadere. In super inauditū præiudicium eidem facitis, quando suis dictis eum impugnando azyma lutulenta pronuntiatis, quæ tam ipse quam omnis catholicus esse sinceritatis & veritatis asserit. Illam deinde Etymologiam vestram super pane contra nos defensando, complicem vestrum tantum apostolum laboratis efficere, quasi in eo quod veraces Euangelistas secutus ait: *accepit panem*, non nisi fermentatum voluisset insinuare. Quod si fieri potuit, inanis pdicatio & labor tāti Apostoli erit. Euacuabitur mors Christi, quia iam non tradidit semetipsum pro nobis, sed iuste interiit sicut transgressor legis. Verum quam sit hæc vestra Etymologia friuola, satis abundeq; ostenditur supra.

1. Cor. 11.

Iam videamus quorsum pertrahere conamini tantum Apostolum suæ assertionis funibus.

CONSTANTINOPOLITANVS. †Azyma vero neq; commemorationem habent, neq; mortem annuntiant, sicut Mosaica & ante mille quadringentos annos ex lege constituta, & per nouum testamentum, hoc est, per sanctum Euangelium & per Christum maledicta & derelicta.

ROMANVS. *O Sacrilega temeritas, ô virosa & maniosa Manichęorum dicacitas, ô ab omnium viribus & cordibus procul abigenda impietas. Eone pertraxistis Apostolum, vt in tantæ perfidiæ barrathrum præcipitaretis vobiscum? Ecce illud pestiferum ouum, quod tamdiu parturistis, repente peperistis: Ex quo qui comederit morietur: vt Esaias Propheta dicit: *& quod fuerit confotum, erumpet in regulum.* Ecce vt claret, dolorem concepistis, iniustitiam parturistis, iniquitatem peperistis, & contra ipsam veritatem & omnes diuinas paginas mentiti impudenter latratis ipsum filium Dei legem & azyma quæ constituerat, maledixisse.

Isaiæ. 59.

dixiſſe. Sed ô ſancta, ô bona, o venerabilis lex cum vniuerſis mandatis, & obſeruationibus tuis, quicunque te & tuæ vſque ad vnum iota maledixit, maledicit aut maledicet: ſit ille maledictus. Potuitne aut debuit Dominus noſter ſic ingratus eſſe vt tam fidelem & deuotum præconem & conſtantiſſimum teſtem ſuum, aliqua maledictione confunderet? qui non ceſſauit tota ſua intentione, ſignis, mandatis, ſacrificiis, ceremoniis, atque verbis gloriam eius conclamare. Et vbi didiciſtis quod Dominus legi & azymis maledixerit? Forſitan dicturi eſtis, vbi nouū Paſcha tradidit diſcipulis ſuis, aut vbi ſurrexit à mortuis. Sed vt ſuperius liquido cognoſcitur, & ipſis benedictis & fractis nouū Paſcha inſtituit: & ipſa ſuæ reſurrectionis die à duobus inuitatus in Emaus Caſtello, accepit panem, benedixit, & mox ἐγνώσθη αὐτοῖς ἐν τῇ κλάσσει τοῦ ἄρτου: id eſt, *cognouerunt eum in fractione panis*: quem omnimodis azymum fuiſſe conſtat, quia vſque ad octauas Paſchæ nullo modo fermentatum in omnibus finibus Iſrael apparebat. Sane quod ipſe factus ſub lege legis teſtimonium habuerit, dicit Iudæis: *Scrutamini Scripturas in quibus vos putatis vitam æternam habere, & illa ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Et iterum. *Si crederetis Moyſi, crederetis & mihi: de me enim ille ſcripſit.* Vnde in alio loco proteſtatur ſe non veniſſe, ſoluere legem, ſed adimplere. Cuius quodlibet minimum mādatum quiſquis ſoluerit, etiam in regno cælorum, hoc eſt preſenti Eccleſia, minimus foret: ne dum illam futuram aliquo modo introiret. In qua factor & doctor legis magnus vocaretur. Ipſa quoq; ſuæ reſurrectionis die, duobus ſupra dictis diſcipulis, incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis, interpretabatur Scripturas, quæ de ipſo erant. Deinde vndecim congregatis dixit: *Oportebat implere omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſis & in Prophetis & in Pſalmis de me. Et quia oportebat pati Chriſtum, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pænitentiam & remiſsionem peccatorum per omnes gentes.* Ecce breuiter Saluator innotuit incarnationis ac paſſionis ſuæ humilitatem, atque reſurrectionis gloriam omniumque gentium vocationem, & per baptiſmum ſaluationem, in veteri teſtamento præmonſtratam, & in nouo fuiſſe exhibitam, vt merito Euangelium nihil aliud ſit dicendum, quam legis expoſitio. Quæ lex velut baiula & nutrix Chriſti & Eccleſiæ, id eſt, ſponſi & ſponſæ, capitis & corporis in plenitudine temporum præuia Euangelicæ gratiæ & veritatis lucerna publicis viſibus reuelauit, quod diu in ſecretis cubiculi occultauit, tunc repente illius ſpecioſi forma præ filiis hominum omni creaturæ reſplenduit: vbi

Luc. 24.

Ioan. 5.

Ibidem.

Matth. 5.

Luc. 24.

per sanctos Apostolos, quibus aperuit sensum vt intelligerent scripturas, mysterium cunctis retro seculis absconditum, in omnem terram, & vsque in fines orbis transmisit. Maledicendus ergo est vterus ille, qui Spiritu Dei grauidatus ab initio parturiuit omnia Sacramenta Christi & Ecclesiæ, tandemque in fine seculorum peperit ipsum Euangelium prædicandum vbique? Siquidem vetus Testamentum efficit, vt per nouum libera fronte prædicetur partus Virginis, & credatur resurrectio ex mortuis, atque per lignum & aquam & Spiritum reparatio humani generis: alioquin deleto veteri Testamento nouum euanesceret, fabulaque putabitur, nec retineri poterit absque charactere suo, quoniam nec paries stabit sine fundamento. Quod ipse Dominus suis factis & dictis supposuit, & Apostolis seu prædicatoribus suis inspirauit narrationis suæ cursum firmare anchora Testamenti veteris. Cuius auctoritate primus magister Ecclesiæ profitetur certiorem esse illa voce, quam super Dominum transfiguratum factam audiuit. Vnde firmissime credendum est, & liberrime profitendum, quod quicunque veteri Testamento contradicit, etiam noui aduersarius existit, quod velut rota in medio rotæ inesse veteri Sanctus Ezechiel vidit.

Deinde quasi subiectum vel fundamentum est vetus Testamentum, cuius ædificium vel superior pars constat Nouum, quod necesse est deficiet vel corruet, deficiente vel corruente subiecto, cui insidebat: Et subiecto quidem seu fundamento permanente, permutantur supersidentia sæpe: intereunte autem vel ruente, nequeunt pariter non interire vel ruere. Hoc vtique Dominus vtriusque Testamenti lator intelligi volens cum posset omnipotenti voluntate vacuas sex hydrias in nuptiis vino de nihilo repente creato implere: maluit tamen certi mysterij gratia prius aqua easdem hydrias à festi ministris vsque ad summum impleri, & post solo nutu suo, mirabile vinum fieri. In quo prouido redemptoris nostri facto, dicimus, aquam non substantiam suam, sed qualitates, id est, saporem & colorem, & si quæ sunt huiusmodi permutasse, vt animaduertamus ipsum Dominum vetus Testamentum quo sex mundi ætates, per ministerium priorum patrum repleuerat non euacuasse, sed innouasse, nec inde quidquam reprobando minuisse, sed quod ei inerat & latebat, approbando exhibuisse. In quibusdam enim sola permutatione temporum seu varietate excepta Lex & Euangelium idem concorditer clamant, verbi gratia. Lex prædicit: *Prophetam suscitabit vobis Dominus* *de*

Deut. 18.

de fratribus vestris: Et, *Ecce virgo concipiet & pariet Filium.* Euangelium prædicat: *Propheta magnus surrexit in nobis*: Et *Virgo concepit & peperit Filium.* In quibusdam etiam tempore & themate saluo commemorant voces pietatis & impietatis. Vt est: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Et: *Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum.* Porro si alicui insipida videtur talis lympha, nouerit nullo vitio lymphæ istud sibi contingere, sed nimio palati sui stupore. Animalis enim homo, non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia siquidem est illi lex Dei, nec nouit ex ea mentis ventrem salubriter replere, sed pernitiose distendere. Spiritualis autem qui iudicat & discernit omnia cum nostro architriclino Paulo fideliter decantat: *Scimus quia bona est lex si quis ea legitime vtatur*: Et illud: *Scimus quoniam lex spiritualis est.* Quod si lex spiritualis est, ministratio Spiritus fit spiritualiter examinata, & ministratio mortis carnaliter discussa. Quamuis enim lex suapte natura sit vita, vitio tamen hominum mors fit, sicut idem Apostolus dicit: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? absit. Sed peccatum non agnoui nisi per legem.* Et post pauca: *itaque lex quidem sancta & mandatum sanctum & iustum & bonum: Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? absit. Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem.* Et rursus: *Inuenio igitur legem volentem mihi bonum facere, quoniam mihi malum adiacet.* Tandem si sapienter audistis quæ præmisimus, resipiscite ab iniuriis legis, quam sanctam, & mandatum sanctum & iustum & bonum affirmat Apostolus: ne medicum demonstrantem morbos & curare volentem, videamini obruere lapidibus, tanquam freneticus.

Isaie.7. *Luc.7.* *Luc.1.* *Psal.21.* *Ibidem.* *1.Tim.1.* *Rom.7.* *Ibidem.*

Porro numerosa patrum coniugia, & ex tribu sua, atque carnalia sacrificia & circumcisionis seu variarum purificationum cerimonias, ciborumque differentias, noueritis temporaliter carnalibus aut permissa aut iussa: vt eos talium iugo vel licentia mandatorum retineret, ne ad idololatriam seu ad cætera flagitia corruerent: Spirituales autem significatione bonorum futurorum quæ in his promittebantur, iugiter subleuaret, vt aduenientia à longe conspicerent & deuote salutarent. Quod licet huiusmodi obseruationibus pro loco & tempore viderentur nimium dediti, vt sua condescensione paulatim brutas plebes per signa traherent ad res: tamen quid in his senserint, ex his beati Dauid dictis liquet: *Si voluisses sacrificium dedissem vtique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.*

Psalm.50.

Psal. 55. Psal. 49. Vnde rursum ait: *In me sunt Deus vota tua.* Cuius personam suscipiens carnali populo contestatur dicens: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde altißimo vota tua.* Nonne huic & reliquis patribus aqua legis, colorem & saporem mutauerat? quæ pallida & insipida carnalibus apparebat. Quippe his frigebat, quæ illis sic calebat, vt iam tunc cum discipulis Iesu dicere possent: Luc. 24. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via & aperiret Scripturas?* Littera enim legis per Moysen datæ, carnales occidebat, cuius Spiritus gratia & veritate per Iesum Christum facta Spiritualis viuificabat, vt illi timore temporalis mortis ac si frigore contracti, inde pallerent: vnde isti amore æternæ vitæ, quasi calore vegetati rubebant, & cum Paulo libere proclamant: Rom. 13. *Plenitudo Legis est dilectio.* In cuius duobus præceptis charitatis pendere veritas perhibuit. Quod si Deus charitas est, Deo procul dubio aduersatur, quisquis aliquid legi Moysi subtrahere conatur, quam ipse totam in charitate pendere testatur. Quæ charitas gemina carnalibus & terrenis ceremoniis contecta, velut quidam bisulcus hamus vermiculis seu volaticis plumis insertus & in pelagus humanæ captiuationis cælitus demissus vagos & vacuos cælestium homines, inescatos visibilibus, inuisibili mucrone traiecit, & traiectos ad sinum Angelicæ libertatis retraxit: dicentes Deo in canticorum canticis: Cant. 1. *Trahe me post te.* Et: *vulnerata charitate ego sum.* Sic dum homo adhæret Deo & homini proximus, decentissima linea, & tanquam aurea mandatorum diuinorum catena, pariter ad paradisum retrahuntur.

Deinde quanta instantia Eufration Rhodiorum Episcopus legem veterem contra Seuerianos hæreticos defenderit: ex subiectis verbis ipsius liquet: vbi inter nonnulla alia dixit: *Fundamenta domus præclaræ circa squalida loca sunt posita, vt ea quæ sunt superius nullas contumelias stercorum patiantur: superiora ergo domus laquearibus auratis, parietibusque pictis, & vario marmorum metallo sunt edita. Inferiora vero humori terreno vicina: degesta etiam superiorum vniuersa suscipiunt. Quid ergo nunc faciemus? Si auferimus inferiora, superiora corruunt: tamen si destruenda erunt inferiora: non hoc alius poterat, nisi Dei Filius facere. Videamus ergo vtrum ipse destruxerit, hoc quod nos dicimus permanere. Putatis, inquit, quia veni legem soluere aut Prophetas? Non veni legem soluere sed adimplere.* Et vos ergo saltē his & aliis proprii Doctoris vestri vocibus reuocati ab iniuriis sacratissimæ legis cessate: ne ab eodem & ab omnibus Catholicis anathema cum Seuerianis sitis.

Sed ne forte adhuc vobis nimium placeatis ex opinationibus vestris, cum nihil teneatis, diligentius recapitulemus dictum Apostoli, quem supra violenter ad vestrum suffragium attrahere tentastis. Quia ait: *Si consummatio per Sacerdotiũ Leuiticum erat: populus enim sub ipso legem accepit, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundum Aaron dici? Translato enim Sacerdotio, necesse est vt legis quoq; translatio fiat.* In quibus verbis, sicut superius ostenditur, nil aliud intelligitis consummationem, nisi consumptionem, id est, abolitionem & finem, non qui perficit, sed qui interimit. Quod longe aliter esse idem Apostolus edocet dicens: *Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti.* Vnde quoniam aliter dicitur finiui panem, aliter finiui telam: accipiamus necesse est Christum finem legis, consumantem non consumentum: perficientem non annihilantem: complentem non euacuantem. Quod finis ab initio seculi promissus, & in fine exhibitus, dum penderet in Cruce pro nobis sacrificium vespertinum & vltimum factus: sciens quia iam omnia consumata sunt, vt consumaretur scriptura dicit: *Sitio.* Qui cum accepisset acetum dixit: *Consumatum est*: Et inclinato capite tradidit spiritum. Vbi certe nec Euangelista dicit; vt consumeretur, sed vt consumaretur scriptura: Nec ipse Dominus, consumptum est, sed consumatum est. Ad quam morientis vocem, velum templi scissum est vsque deorsum, vt iuxta Apostolum accedentibus ad Christum velamen vsque tunc positũ in lectione veteris testamenti significaretur ablatum. Quę consumatio non per Leuiticum Sacerdotium fuit, quia attestante Apostolo: *nihil ad perfectum duxit lex.* Ex quibus Apostoli verbis, ne forte resumatis ansam calumniandi: attendite quia non dixit, nil boni fecit lex, sed, nil perfecit. Habuit enim vt idem Apostolus ait iustificationes culturæ & sanctum seculare, & tabernaculum manufactũ & Pontifices præsentium bonorum qui per alienum sanguinem semel in anno introëuntes sancta sanctorum sanctificabant inquinatos ad emundationem carnis. A quibus munera & hostiæ offerebantur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem solummodo in cibis & potibus & variis baptismatibus & iustitiis carnis, vsq; ad tempus correctionis impositis. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis, neq; per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta, quando per Spiritum sanctum semetipsum

[Margin: Heb. 7. — Rom. 10. — Ioan. 19. — Ibidem. — 2. Cor. 3. — Heb. 7. — Heb. 9.]

obtulit immaculatum Deo, & mundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti. Equidem ſecundum legem plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eo ꝙ maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium, qui ſolus proprio ſanguine ſemel æternam redemptionem perfecit, quam illi alieno ſanguine inceſſanter imitantes imperfectam repreſentabant. Quæ vt acceſſit, omnis ille Sacrificiorum ſeu Cerimonialium carnalium curſus iure conquieuit. Neque enim deinceps pluribus Sacrificiis indigem⁹, quia in vno æternam redemptionem inuenimus, quæ per Leuiticum Sacerdotium incepta, per Pontificatum Domini Ieſu conſtat perfecta, qui non ſecundum Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech, ideo Sacerdos dicitur, quia panem & vinum offerendum atque ſumendum in veritate carnis & ſanguinis ſui conſtituit fidelibus ſuis. Cuius generatio inennarrabilis de patre ſine matre, de matre ſine patre: nec initium dierum nec finem habens, ſolus verus Rex iuſtitiæ & pacis. Cui quia conuenientius aſſimilatur Melchiſedech, non ſolum ex vno Sacrificio & genealogia, ſed etiam ex prænomine, quàm Aaron, dicitur Sacerdos Chriſtus ſecundum ordinem Melchiſedech, non ſecundum Aaron. Deniq; Melchiſedech ille, nec corpus & ſanguinem ſuum in pane & vino diuinitati obtulit, nec ſine parentibus aut initio & fine fuit: neq; ſubſtantialiter Rex iuſtitiæ & pacis, ſed quod hæc omnia ſcripturæ de illo homine aut tacuerunt aut dixerunt, in manifeſtiori ſignificatione noſtri Melchiſedech: cuius ille ſicut & Aaron vmbra non veritas fuit. Ad quem translato Sacerdotio, neceſſe eſt vt legis quoque fiat translatio, à littera ſcilicet occidente, ad Spiritum viuificantem, à vetuſtate ad nouitatem, ab imperfectione ad perfectionem, à ſeruitute ad libertatem, & Filiorum Dei adoptionem, à Iudæis ad gentes, quibus Apoſtolus ait: *Non accepiſtis Spiritum ſeruitutis, iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* Quia vtique lex translatione eſt alterata, non facta alia: immutata, non eſt mutata: acceſſu gratiæ cumulata, non eſt receſſu ſuo exinanita. Sicut Dominus ſuis inquit: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Nunquid dixit: niſi reprobaueritis aut omnino reliqueritis iuſtitiam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum? Sed quoniam iuſtitia illorum erat tantum à malo opere abſtinere: voluit Dominus in hoc ſuorum iuſtitias ſuperabundare: vt non ſolum malum ab opere, ſed inſu-

Rom. 8.

Matth. 5.

insuper à cogitatione satagerent resecare. Nam illis ex lege bonum erat non occidere nec mœchari, istis autem super hoc ex gratia optimum & perfectum, non irasci nec concupiscere. Ideo lex ramos malitiæ succidit: gratia vero etiam radices eius euellit. Et sicut in resurrectione hoc ipsum corpus humilitatis nostræ & non aliud reformabitur, sic & lex ipsa per Euangelium reformata in toto mundo prædicatur. In qua vtique reformatione quamuis plurimum decus augeatur naturæ, tamen integritas in nullo aufertur, quando ad similitudinem grani seminatum corpus animale, surget corpus spirituale, & seminatum in infirmitate surget in virtute. Hac quoque reformatione cœlum & terra transibunt, non interibunt, transferentur non auferentur. Nec moueamur à nostro sensu, nec terreamur, si nonnulla legis Sacramenta exhorret animalis sensus: quandoquidem ipsius sancti Euangelij nonnulla mysteria exhorruit hactenus, in tantum, vt Domino dicente: *Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis panem Filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: etiam maxima pars discipulorum eius ab eo discessissent, dicendo: *Durus est hic sermo. Quis potest eum audire?* præterea nouum Testamentum ideo dicitur, quia procul dubio æterna sunt quæ pollicentur, sicut malis supplicium æternum: bonis vitam æternam. Nam quantum ad recitationem seu conscriptionem, ipsum Euangelium in nouissimo die omnino præteribit: Vbi deinceps nec scriptura aliqua necessaria erit. *Ioan. 6.*

Cæterum si ad rem pertineret, monstraremus non mille quadringentos annos tantum sicut scripsistis, sed mille quingentos & amplius annos ab institutione azymorum per Moysen vsque ad passionē Christi decurrisse. Sed cum nostræ intentionis sit, Romani ritum Sacrificij approbare: Chronographis relinquimus opinionem vestram de præfato annorum numero reprobare. Itaq; si azyma quemadmodū astruere conamini per Christum & eius Euangelium fuerunt maledicta, reprobata & derelicta, & ideo deinceps non debere offerri in Sacrificio Domini, quia per Moysen constituta sunt Iudæis: Sciatis fermentatum quoq; constitutum per Moysen Iudæis. Sicut in Leuitico dicit: *Hæc est lex hostiæ pacificorum. Offeret panes fermentatos cum hostia gratiarum, quæ offertur pro pacificis.* Idem Moyses in eodem. *In Pentecoste offeretis ei panes primitiarū de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domino: offeretisq; cū panibus septem agnos.* Sal quoq; quem tantopere prædicatis in fermento per Moysen ita constituit Iudæis in Leuitico: *Leuit. 7.* *Leuit. 23.*

Leuit. 2.

Quidquid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal foederis Domini Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal. Quapropter si à nobis non debent offerri azyma quia Mosaica sunt, nec à vobis debent offerri fermentatum & sal, quia æque Mosaica sunt. Et quia ab Apostolo audientes: *Vetera transierunt, ecce facta sunt noua,* insipienter putatis omnia veteris Testamenti reprobata & penitus destructa & ad nihilum redacta Sacramenta: hinc iam perpendatis necesse est, ad quantas difficultates properet hæc vestra opinio. Deniq; si vetera non proficiendo, sed deficiendo transierunt, vnde vobis templum, altare, sacrificium, candelabrum, cortinæ, sanctum Chrisma, & thymiama, aspersionis aqua, thuribulum, & cętera sancti ministerij vasa seu ornamenta aut vestimenta Sacerdotalia? Vnde vobis Encænia, Pentecostes & Pascha seu Quadragesima? vnde vobis Pontifices, Sacerdotes & Leuitæ ac reliqui Ecclesiastici gradus ex ordine? Vnde primitiæ & decimæ? Postremo, vnde vobis dilectio Dei & proximi? ac reliqua mandata Decalogi? Quia ergo secundum vos ita noua facta sunt, vt vetera relicta sint omnino, & per Christum maledicta: abiiciantur procul dubio ab eius Ecclesia, quæ supra diximus omnia, & plura quæ reticuimus alia, & veteribus contraria fiant iam noua. Odio habeatur Deus & proximus, pater & mater inhonoretur, homo occidatur, omnes mœchentur, furentur, mentiant, concupiscant, adulterent, coniugia nulla sint, omnis homo ad proximam sanguinis sui, & quæ ei affinitate iungitur, accedat. Ad summũ quoque, nec comedatur, bibatur nec dormiatur, sed relinquatur quidquid vetus testamentum exhibuit & exercuit, tam in cultu Diuino, quam in vsu humano, & videbitis quia nec bestiæ eritis, nedum homines, imo ab eo quod est aliquid transibitis ad nihil.

2. Cor. 5.

2. Cor. 5.

Nos potius Catholica aure intendentes tanto Apostolo dicenti: *Si qua ergo noua Creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt noua.* Corde credimus & ore confitemur, vetera à vetere homine transeundo ad nouum hominem Iesum Christum, noua facta esse, quemadmodum idem Apostolus mox secutus curauit declarare: *Omnia autem ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Christum.* Cuius singulari nouitate innouantur omnia cęlestia atque terrestria: quando quidquid ad cultum Dei seu ad commodum sui vetus ille populus cælitus acceperat, ad nouum transtulit. Qui ideo nouus dicitur, quia ab vmbra ad veritatem, à signis ad res, à timore ad amorem, à seruitute ad libertatem, à filiis iræ ad filios gratiæ, à carne ad spiritum est translatus. Vnde dicit Apostolus: *Vos non estis in carne sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat*

Ibidem.

Rom. 8.

habitat in vobis. Et quomodo in carne non erant, quos Epistolis instruebat, nisi secundum quod ipse ait: *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus.* Hinc rursus inquit: *Nemo vestrum sibi viuit, & nemo sibi moritur*: Et: *Viuo, iam non ego, viuit vero in me Christus.* Sic itaq; nobis & omnibus in nouitate Spiritus ambulare satagentibus, noua facta sunt omnia, templa scilicet & altaria, sacerdotes, sacrificia, candelabra, thuribula, cibus & potus, & quæque carnalis Israël tam in supellectile quam in mandatis retinebat, vetera vt eadem & non eadem sint omnia, instar vtique Aquilæ, quæ dum naturaliter renouatur, iuuentus eidem accedit & senectus, non substantia ab ea recedit. Pari tenore prædicamus azymum Christianorum longe distare ab azymo carnalium Iudęorum, quos ad vmbram veritatis obseruandam & captandam, sola promissio & desiderium terrenæ fælicitatis inuitabat: vt est longæuitas, abundantia frugum, successio filiorum, perditio inimicorum & cætera. Nos vero corpus veritatis ex azymo & in azymo rite venerantes atque retinentes, ore & corde prægustamus iam quam suauis est Dominus: vnum petentes ab ipso, & hoc requirentes, vt maneamus in eo, & ipse in nobis in æternum. Sane si mutare vultis fermento azymum, mutate quolibet aliquo liquore vinum: quo sicut ex azymo Christus & vetus Pascha finiuit, & nouum inchoauit. Si enim recipitis vinum, azymum cur abjicitis?

2. Cor. 10. Rom. 14. Gal. 2.

Quod vero passio & mors Christi conuenientius annuntietur azymo quam fermentato, ex hoc comprobatur, quod Dominus ipse azymo discipulis memoriam sui agendam tradidit: & quod in lege panis afflictionis dicitur: vt per hoc præmoneamur affligere animas nostras, & pariter offerre sacrificium Deo Spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum: illud Apostoli recolentes: *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operemini,* &, *si compatimur & conregnabimus.* Porro quæ per legem fuerunt vsque ad tempus correctionis imposita carnalib. Iudæis, Paulus breuiter colligens, ait: *Munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis & potibus & variis baptismatibus & iustitiis carnis.* Carnales ergo victimæ atque purificationes variæ in lege, in quibus maxima erat circumcisio, & cæteræ iustitiæ carnis, vt est, differentia ciborum, festiuitas tabernaculorum: non arare in boue simul & asino, nec serere agrum diuerso semine, & his similia: quæ nihil sanctitatis conferebant conscientiis, excepta deuotione obedientiæ & admonitione spiritualis munditiæ, data sunt vsque ad præfinitum tempus à

Philip. 2. Rom. 8. Heb. 9.

Patre, quando per Filium suum factum sub lege, redemit eos qui erant sub lege. Cuius carnales iustitias euadens idem Apostolus ait: *Quæ mihi aliquando fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, & non solum detrimenta, sed etiam stercora, vt inueniar in illo non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed quæ ex fide* IESV CHRISTI. Quod Colossensibus quoque denuntiat dicens: *Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum.* Hactenus defendisse legem Moysi & azymum Eucharistiæ CHRISTI sufficiat. Iam discutiamus vestra quæ restant.

Philip. 3.

Collos. 2.

CONSTANTINOPOLITANVS. † Sabbata vero quomodo in Quadragesima Iudaice obseruatis? Aut non audistis in Euangelio dicētem, quia transeuntes discipuli in Sabbatis cæperunt iter agere, euellentes spicas & comedentes. Dicebant autem Iudæi ad Christum: *Vides quid isti faciunt in Sabbatis?* Qui dixit: *Etiam. An nescitis quid egerit Dauid cum esuriret ipse & qui cū eo erant, quomodo intrauit in templum, & panes propositionis comedit?* & cætera. *Et quia Sabbatum propter homines factum est, non homo propter Sabbatum.* Qui & dicebant: *Quomodo homo iste est ex Deo, qui Sabbata non custodit?* Et iterum loquente Christo in Sabbato ei qui manum aridam habebat: Similiter & ei qui dæmonis Spiritum habebat in Sabbato mundato, & murmurantibus Iudæis & similia dicentibus, dicit Christus: *Hypocritæ vnusquisque vestrum non soluit asinum à præsepi, & bouem suum in Sabbato ducit ad aquare?* Et Paralytico similiter, quem sanum fecit. Et ideo qui Sabbata cum azymis custodiunt, neque Iudæi neque Christiani sunt, sed similes sunt Leopardo, sicut magnus dicit Basilius, cuius capilli nec nigri sunt, nec albi omnino.

Matth 12.

Ibidem.

Ioan. 9.

Luc. 13.

ROMANVS. * Quod nos Sabbata nec intra nec extra Quadragesimam Iudaicè obseruamus, sufficienter monstratur superius. Vos autem si non Iudaizatis, cur saltem Quadragesimæ non parcitis? ne cum Iudæis feriati & epulantes ieiunium Christi in Sabbato dissoluatis. Vnde testimonia Euangelica quæ posuistis, omnino refragantur vobis, suffragantur vero nobis. Denique nos vt discipuli Iesu non solum iter agimus in Sabbato & spicas euellimus, sed insuper piscamur, & quidquid oportet operamur, & hora competenti comedimus. Vos quod legitis discipulos spicas transeundo comedisse, à luce prima in vesperum studetis variis delitiis & multo mero crapulam continuare. Nec mirum. Cum istic quoque obliti Etymologiæ vestræ ex nomine, quod est

ἐσ᾽ ᾧτος, dixistis Dauid comedisse panes propositionis : id est, τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως, quos negare non potestis fuisse azymos, si qua scientia veteris legis remansit apud vos. Deinde quoniam Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum. Nullo conuiuio aut otio honoratur apud nos tanquam Dominus, sed oneratur ieiunio & labore, veluti deuotus seruus Dominica sepultura occupatus. Mox succedēte die quā specialiter fecit Dominus solēniter exultamus & lætamur, quia in ea Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors vltra illi non dominabitur. Qui etiam pro custodia Sabbati, non timemus à Christo notari hypocrisi, quoniam in eo non tantum manum aridam, sed & totum corpus curandum offerimus Deo, & Medicis. Nec tantum bouem, & asinum soluimus à præsepio, & ducimus adaquare, sed etiam arare.

Ast vos volentes esse legis Doctores, nec intelligentes quę loquimini, neque de quibus affirmatis, assertionem vestræ opinionis, sic conclusistis.

CONSTANTINOPOL.

† Et ideo qui Sabbata cum azymis custodiunt neque Iudæi sunt, neque Christiani sunt, sed similes sunt Leopardo, sicut magnus dicit Basilius: Cuius capilli nec nigri sunt, nec albi omnino.

ROMANVS.

* O mirabilis Græcorum Philosophia, ô ars Pelasga, ô Atheniensis & Academica perspicacia. Vnde tibi tantus stupor & vertigo repentina? Vere triplici fune lingua tua diuinitus est ligata. Nam Græci Sapientiam quærunt, quam simplex prædicatio Christianæ fidei stultam effecit, sicut Dominus repromisit: *Perdam Sapientiam Sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi Sapiens? vbi Scriba? vbi conquisitor huius sæculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam huius sæculi?* (1. Cor. 1.) qua stultitia vos repleti, nec secundum diuinas paginas definiuistis aliquid, & magnum Basilium secundum humanas monstratis definiuisse nihil. Falsissimum enim est, vt qui sabbata & azyma custodiunt, nec Iudæi nec Christiani sint. Quia verissime Iudæi sunt qui sabbata & azyma custodiunt carnaliter. Sed & illud in infinitam dubietatem recidit, nec vllo modo consequens erit, vt Leopardus sit tantum, cuius capilli nec nigri nec albi sunt: quia præter hunc innumerabilia animalia sunt, quorum pili nec albi nec nigri sunt. O egregij Scrutatores diuini eloquij, ô dociles discipuli magni Basilij. ex cuius præclaro fonte nihil nisi lutum haurire præualuistis: cum hinc inde vobis resonaret riuus ille cælestis

lactis æterni mellis, Romanam & omnem Occidentalem Ecclesiam vocans dominam, & obsecrans succurrere perditioni Orientis. Nunc gratis subuertere Latinam Ecclesiam molietes, armamini contra nos, quasi Basilij sententia, quæ multo vecordior inuenitur illa ridicula Tiresiæ Prophetia: *Quidquid dicam aut erit aut non.* Nempe accidit vobis illud Satyrici prouerbium:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Prouerb. 17. Atque vtinam tacuissetis, vt putaremini sapientes: ceu Sapientia dicit: *Stultus si tacuerit, sapiens putabitur.* Modo autem stultitia vestra omnibus nota est. Hinc reliqua perspiciamus.

CONSTANTINOPOL. † Quomodo autem & suffocata hi tales comedunt, in quibus sanguis tenetur? aut nescitis vt omnis animalis sanguis, anima ipsius sit? Et qui comederit sanguinem, animam comedet? Et idcirco secundum hæc nec gentiles ex toto sunt, illi occidunt aut plagantes comedunt.

ROMANVS. * Cur ex lege istud secundum vos per Christum maledicta & derelicta, mandatū nobis opponitis? Nunquid vobis solis licet quidquid libet, vt modo ad legis patrocinium humiliter recurratis, & modo ab ea superbe tanquam anathematisata resiliatis? Nonne vetus lex & non Euangelium interdicit, vt omne suffocatum & captum à bestia non comedatur? *Quia anima omnis animalis in sanguine est.* (Leuit. 17.) Constat vtique hoc mandatum ex illis esse, quæ carnali populo ad qualemcunque munditiam seu iustitiam carnis, non ad aliquam sanctitatem mentis data sunt ad tempus. Est enim de cibo: vnde Apostolus dicit: *Nemo vos iudicet in cibo*: (Coloss. 2.) Ac si aperte diceret: Nemo vos velut Iudæos discernat ab his inter quos habitatis, in differentia scilicet ciborum, & in reliquis quæ idem Apostolus adiecit. Quod autem hic, *Iudicare*, dixerit discernere, in Epistola ad Romanos liquet, vbi de diuerso ieiunio quorundam loquens ait: *Alius iudicat diem inter diem, alius iudicat omnem diem.* (Rom. 14.) Quapropter sicut idem ait: *Alius credit se manducare omnia.* Is qui manducat quædam obseruans morem suæ patriæ & prouinciæ, & præcepta maiorum suorum, manducantem non iudicet. Tu enim quis es, qui iudicas alienum seruum? qui salua fide & pura conscientia comedit, quidquid à maioribus suis comedendum accepit? vt enim Dominus ait: *Non quod in os intrat coinquinat hominem.* (Matth. 15.) Et secundum Apostolum, *omnia munda mundis. Coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum mens & conscientia.* (Tit. 1.)

entia. Quod Romanis denuntians ait: *Scio & confido in Domino Iesu, quod nihil commune per ipsum nisi ipsi, qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Et post pauca: *Qui discernit, si manducauerit, condemnatus est: quia non ex fide: omne autem quod non est ex fide peccatum est.* Sed quamuis omnia munda sunt, tamen secundum eundem Apostolum: *Malum est homini, qui per offendiculum manducat aliquid*, quod frater modicæ fidei & adhuc infirmus in fide credit immundum, & propter hoc non comedendum. Cui condescendere debemus in abstinentia escarum huiusmodi, vt possimus cum Domino lucrari: ne religionem Christianam, pro aliqua esca incipiat abominari: & cibo nostro perdatur frater, pro quo Christus mortuus est.

Rom. 14.

Ibidem.

Ibidem.

Nos ergo quamuis à Domino & ab Apostolis licentiam habeamus manducare omnia; quæ nec nostræ nec fraternæ saluti officiunt: consuetudine tamen Prouinciarum & præceptis maiorum nostrorum hactenus detenti, deuitamus comedere nonnulla, non quia mala aut immunda sunt, sed quia aut nobis aliquo modo non expediunt, aut longo vsu in naturam iam verso horrent. Nonne Draco populis Æthiopum in esca datus dicitur? Et nonnullæ nationes quibusdam vescuntur, quæ aliæ penitus abominantur. Cur hoc? Nisi quia vnaquæque gens in suo sensu abundans, quædam sibi assumpsit, quædam reiecit. Vnde nos quoque absque culpis in antidotis plurima percipimus, quæ ex serpentibus & ex aliis quæ execramur animantibus assumpta esse non dubitamus. Quod ergo infirmo qualiscunque medicina, hoc fame pereunti qualiscunque esca. Et sicut abominandus infirmus non est, artificialiter refectus sanguine & cadauere aliquorum reptilium, sic nec fame tabescens si sanguine & suffocato, naturaliter sustētat miserabiles artus, potens etiam ad litteram cum beato Iob dicere: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* Omnis enim creatura Dei bona, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Et vos peregrinos, egenos & pauperes CHRISTI, nec inter gentiles computatis, quibus nil est mundum, quia aliquando qualicunque cibo retinent à Deo sibi datum præsentis vitæ munus? Quare non potius signatæ arcas pecuniæ & promptuaria eructantia ex hoc in illud aperitis, & dispergitis pauperibus, vt iustitia vestra maneat in æternum, & iam non sit eis necessitas præsumere cibum insolitum? Nunc autem vsuris & oppressionibus mise-

rorum ditati & elati, calumniamini si egens omnium sustentetur aliquo quod vos impinguati & crapulati abominamini: non attendentes Dominum misericordiam malle quam sacrificium. Qui primo mẽsis hominum post Cataclismum admouit omnia. Deinde certę significationis gratia, vsque ad tempus remouit aliqua, quasi immunda, cum vtique omnia fecerit valde bona, & rationalis craturę vitium abominabile sit apud Deum; non quęlibet irrationalium creaturarum: voluntas quoque hominum aliquando sibi quędam vendicat, aliquando alienat. Ceu Romani paucis annis ante Constantinum magnum porcinæ carnis esum per Aurelianum Imperatorem sibi vendicarunt. Et Græci vsque nũc vrsinam alienant. Et certe si humanum super his interrogetis iudicium, immundior erit porcus reptilibus sordibus atque olido consuetus viuere cæno, quam vrsus saginatus glande atque reliquo suo pabulo. Sed siue nos siue vos, quod à maioribus nostris accepimus, aut vsu tenemus comedendum, sic obseruemus, vt is qui non manducat, manducantem non spernat: & qui manducat, nón manducantem non iudicet.

Considerate tamen ad quantam stultitiam deuoluta sit vestra scriptura & sapiẽtia, quæ cum ab hominibus exquirere deberet finem præceptorum DEI, id est, charitatem de corde puro & conscientia bona & fide non ficta: hoc solum exquirendum putat, an aliquando comederint carnem vrsinam. Cuius vsum quamuis non admittatis, admittentibus tamen pro crimine reputare non debetis: quibus Euangelica & Apostolica auctoritas omnia edenda constituit.

Nec hoc dicentes suffocatum & sanguinem nobis contra vos defendentibus: Antiquam enim consuetudinem seu traditionem maiorum nostrorum diligenter retinentes, nos quoque hæc abominamur: adeo vt sanguine vel quocunque morticinio aut aquis seu quacunque negligentia humana præfocato, apud nos aliquando vescentibus absque extremo periculo vitæ huius, pænitentia grauis imponatur: pro eo maxime, quia antiquas consuetudines & traditiones maiorum quæ non sunt contra fidem, leges Apostolicas arbitramur: nam de cæteris, quæ aucupio aut canibus seu laqueo venantium moriuntur, Apostoli præceptum sequimur: *Omne quod in macellum venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Domini est terra & plenitudo eius. Quod etiam in conuiuium gen-

1. Cor. 10.

tilium

tilium vocatis concessit dicens: *Si quis infidelium vocat vos ad cœnam & vultis ire: Omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Dominus quoque pro mercede prædicatoribus suis prouidens alimoniam dixit eis: *In domo recipientium vos manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt.* Ecce Dominus non dixit quædam apud illos comedite, sed indifferenter, *quæ apud illos sunt.* Quapropter omnis homo scientiam habens, si simpliciter edit & bibit, quidquid in macellum venit, aut quod sibi apponitur, nullatenus est culpandus, nisi inde aliquam immunditiã conscientiæ suę contrahat. Quia non quod intrat in os, sed quod procedit de ore coinquinat hominem. Nec esca aliqua est in vitio, sed immoderatus appetitus. Verum ne scandalizetur frater infirmus in fide, qui putat aliquid commune vel immundum esse. Si quis dixerit hoc suffocatum est, vel morticinium, non est comedendum, vt Apostolus de idolothyto ait: *Si quis dixerit, hoc immolatum est idolis, nolite manducare, propter eum qui indicauit, & propter conscientiam. Conscientiam autem dico, non tuam sed alterius.* Multa siquidem vsu aut traditione maiorum ita obseruamus, vt aliter facientes omnino abhorreamus, sicut est, non lotis manibus manducare. Quod quamuis iuxta sententiam veritatis, non coinquinat hominem, tamen velut immundum exhorrere solet homo hominem, non lotis manibus manducantem.

Ibidem.

Luc. 10.

1. Cor. 10.

Sed forsan dicturi estis: non solum in veteri, sed & in nouo Testamento ab Apostolis traditum gentibus, vt abstineant à sanguine & suffocato. Nec nos nescimus, tamen pro loco & tempore nonnulla carnalia veteris legis mandata Apostolos obseruasse scimus, quando adhuc quasi in matutino crepusculo tenebræ & lux consulgebant, & intuentium oculos, nunc huc, nunc illuc reducebant. Sic Apostoli in Iudæa commorati aliquando claritate Euangelij expergefacti, ab vmbra legis recedebant, aliquando necessitate vel consuetudine torpentes in eam recidebant. Denique forte associarunt sibi Matthiam, & templum in quo adhuc sanguis animalium offerebatur, orationis gratia frequentabant. Ipse quoque vertex Apostolorum Petrus, modo cum gentibus comedebat, modo ab eis timens se subtrahebat. Cuius Coapostolus Paulus, quamuis dixerit Galatis: *Si circũcidamini Christus vobis nihil proderit,* tamen dilectũ disci-

 pulum

pulum propter sub introductos falsos fratres circumcidit, & cum aliis purificatus in templo sacrificium legis exhibuit. Sed vbi ab angustiis Iudeę exclusi amplitudine gentium fuêre potiti, mox quasi cathenis seruitutis palam erepti, quotquot ad spiritualem gratiam attrahebant, à carnalibus ceremoniis legis auertere non cessabant. Quod procul dubio ex pręcedentibus & subsequentibus verbis Pauli intelligitur, vbi sic protestatur: *Spiritus manifeste dicit: quia in nouißimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & his qui cognouerunt veritatem: Quoniam omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Ecce tantus Apostolus, raptus vsque ad tertium cęlum & in ipsum Paradisum, proclamat omnia munda mundis, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, quia per verbum Dei & orationem sanctificatur. Et vos qui estis, qui attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dęmoniorum in hypocrisi loquimini mendacium, scripta Latinis populis destinantes, vt relinquant mandata Dei, & quę grauiora sunt legis, Iudicium scilicet & misericordiam & fidem, & sequântur traditiones & opiniones vestras, quasi nullos vsque nunc habuerint prędicatores ac patres, ac necesse habeant à vobis doceri, quę sint Elementa sermonum Dei.

1. Timoth. 4.

Nempe inter alia ignaros omnium conamini instruere, quid & qualiter pręparatum comedant, & eos asseritis nec gentiles esse nec Iudęos nisi obediant. Quia vt dicitis, gentiles occidunt, aut plagantes comedunt: quasi Latini soliti sint animalia viua aut integra comedere. Nunquid Archimagiri omnibus nationibus delegati estis? Et si forte alicui fame deficienti animę obsonium vel victus desit, auis autem & ouis adsit, sed ferrum absit, satius erit eum inedia deficere, quam quouis ingenio ea mactare & comedere? Itaque doctrinis variis & peregrinis nolentes abduci, *Scimus & confidimus in domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est:* sicut Paulus dicit. Deinde optimum est gratia stabilire corpus non escis, quę non profuerunt ambulantibus in eis. Sed iam insistamus reliquis.

Rom. 14.

CONSTANTINOPOLITANVS.

† Etenim Alleluia in Quadragesima non psallitis, sed semel in Pascha tantummodo, quod interpretatur *Dominus venit, laudate, hymnum dicite, & benedicite eum.* Ergo secundum hoc neq; *Laudate*, neq; *Benedictus qui venit*, psalitis. Et istud vero Alleluia Hebraicè dictum est.

ROMANVS.

* Scimus Alleluia Hebraicè dictum, & Latine interpretari *Laudate Deum*, sed quod etiam, *Dominus venit*, aut, *Benedictus qui venit*, interpretetur, nescimus, nec nisi à vobis hactenus audiuimus. Porro ipsum Alleluia sicut calumniamini, non solummodo in Pascha cantamus, sed omnibus totius anni temporibus, exceptis nouem hebdomadibus, quibus id intermittere à patribus nostris accepimus: scilicet quibus negligentias aliorum temporum diluere attentius debemus. Sicut enim quondam populus in eremo peccatum idololatriæ in seipso puniturus, & Niniuitæ pœnitentiam in prædicatione Ionæ acturi, omnem ornatum suum & delitias deposuerunt, & saccum & cinerem sibi imposuerunt, nec tam peregrinis verbis ac exquisitis seu dulcisonis melodiis, sed propriis sermonibus & incompositis, siue amaris eiulatibus ad Dominum clamauerunt: Sic & venerabiles patres nostri agere consueuerunt. Vnde ornamenta & delitias diuitis linguæ, tempore quadragesimæ deponentes, pauperrimum habitum nostræ linguæ nobis imponimus, & stulti facti propter Christum, nihil nos scire iudicamus, nisi ipsum Crucifixum. Cuius districtum præ oculis habentes iudicium vinculati & grauati peccatis: tanquam idiotæ, vix audemus vel in nostro idiomate interpellare Deum. Nam ex libro Sapientis didicimus: quia *non est speciosa laus in ore peccatoris.* Et tamen tunc iugiter hymnum dicimus Domino, atq; *Benedictus qui venit*, psallimus, & omnem Creaturam ad laudem eius die noctuq; inuitamus dicentes: *Laudate Dominum*, sed vt prædixim' patria voce tantum. Tunc quoq; alium angelicum hymnum intermittimus, id est, *Gloria in excelsis Deo.* Denique hi duo solummodo hymni ab Angelis in nouo testamento inueniuntur decantati. *Alleluia*, scilicet, & *Gloria in excelsis Deo.* Quos pariter in Septuagesima intermittimus: quia peccato veteris hominis à conuentu angelicæ iubilationis expulsi in huius miseræ vitæ Babylonem; super flumina eius sedemus & flemus, dum recordamur illius Sion, in qua Deum decet Hymnus: dicentes aduersariis nostris: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Si quidem vetus homo, vetus & non nouum Canticum cantare potest, donec post hanc laboriosam vitam, quæ significatur per Quadragesimam, renouetur in agnitione secundum imaginem eius qui creauit eum, per resurrectio-

Eccli. 15.

Psal. 136.

nem Iesu Christi ex mortuis. Nec tamen *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*, in Quadragesima intermittimus; quamuis sit hymnus angelicus & in nouo Testamento decantatus, qui & in veteri prius fuit dictus, fidem videlicet perfectam patrum humiliter Deo offerens, nullum autem meritum bonæ operationis eorum attollens. Sic & nos interim in hac nostræ peregrinationis Quadragesima, scientes nos per fidem & non per speciem ambulare, de sola fide apud Deum præsumimus supplici confessione dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*: Cui de operibus diffidentes, cum Psalmista proclamamus: *Non intres in iudicium cum seruis tuis, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

Isaiæ. 6.

Psal. 142.

Quod autem nouem hebdomadibus *Alleluia* intermittimus, non incongrue per nouem hebdomadas nouem ordines Angelorum accipimus. Quorum decimus ordo per superbiam corruens, Angelicum numerum imminuit, & fœlicitatem perturbauit. Qui condolentes suæ diminutioni, & parem ruinam timentes sibi, à perfecta laude creatoris fuere præpediti. Quorũ recuperationi & consolationi consulens omnipotens Creator primum hominem de limo terræ formauit. Qui sui generis multiplicatione damna cęlestis patriæ resarciret, atq; Angelorum gaudia suppleret. Qua spe Angelicus chorus ad modicum exhilaratus, nec mora, ex lapsu ipsius hominis fuit conturbatus. Vnde ille nouem ordinum concentus in laude Creatoris remansit imperfectus, donec in Christo resurgente resurrexit prolapsus ille Protoplastus. Ibi augmento sui collegij & meliori spe angelicus exercitus gauisus, in nouum *Alleluia* consurrexit totus, & in eo perstat deuotus. Quem & nos pro modulo nostro imitantes, à Septuagesima, quando lapsus Protoplasti in Ecclesia recitatur, *Alleluia* nouem hebdomadibus intermittimus, scilicet in Pascha, vbi Christ' resurgens à mortuis, tristitiã nostrã in gaudiũ vertit, & *Alleluia* reddit. Quod vtiq; si non aliquando Latina Ecclesia decantaret, reprehendi à vobis non deberet: cum tamẽ in sua lingua laudem Domini personaret. Nunc quæ sit ista vestra superbia miramur, quæ latrat, Latinos non pertinere ad Deum, si Hebraicè aut Græcè non persoluant & hymnum & debitum officium, cum etiam Latina lingua principaliter confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Ipsa quidem cum Hebræa & Græca titulum Crucifixi Domini compleuit, & quæ erat nouissima facta est prima: ferro & fide vsque ad aduentum maligni Antichristi & benigni Iesu Christi defendens sibi terrenam & cælestem potestatem.

Hinc

Hinc iam diu calumniis vestris reluctati, breuiter attingamus intentionem vestri Epilogi.

† Cur tantam deceptionem horum talium non aspicitis, nec intelligitis, neq; corrigitis populos? sicut qui debentur iudicari à Deo? Non derelinquitis quod dicitur, quoniam hoc Petrus & Benedictus & Paulus & cæteri docuerunt? Decipitis vos ipsos & populum in istis. Quæ vero scripsi, ea sunt quæ Petrus & Paulus & ceteri Apostoli & Christus docuit, & sancta atque Catholica Ecclesia suscepit & custodit religiose, quæ & vos correcti custodite.

CONSTANTINOPOLITANUS.

*Sicut sufficienter monstratur superius, conuerso ordine & versa vice procederent hæc rectius: scilicet si vos seductos, seductores & mature iudicandos à Domino diceremus. Quia volentes esse Doctores, nec intelligentes quæ loquimini, neque de quibus affirmatis, sanctorum Apostolorum & Catholicorum puram Doctrinam, humana præsumptione fermentatis, omnino decipientes vos & alios in istis. Quæ autem nunc vobis scripsimus, Christus docuit, & Apostoli ipsius, quæ ab eis & à sanctis patribus sancta & Catholica suscipiens Ecclesia, religiose obseruat hactenus, quæ & vos correcti obseruate, si non vultis à Christo anathema esse. Porro Benedictus Monachorum pater egregius in nullo à vobis est detrahendus, quia fide, doctrina & vita præcipuus, nec ad dextram nec ad sinistram aliquando declinauit à recta via, nec terminos quos patres posuerunt, est transgressus, nec Leopardum curauit definire, sed regulam discretione plenam cœnobitis tradere. In qua & si constituit esum carnium infirmis, & fæmoralia in itinere positis, absit tamen vt arbitraretur, hæc duo peiora esse fornicatione, quam quidam vestratium adeo sibi defendunt, vt publice profiteri, nec erubescant nec metuant, tale esse fornicari, quale est quolibet pomo vesci & refici. Vnde & fornicantes Sarabaitas venerantur: fæmoralibus vero & carnibus in necessitate vtentes cænobitas omnino detestantur. Sed quid dicit Propheta? *Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum.* Nunquid vas electionis beatus Apostolus Paulus alicubi definit: Neq; carnibus aut fæmoralibus vtentes regnum Dei possidebunt? Qui tamen plerisque locis vehementer inculcat dicens: *Nolite errare, neque adulteri, neq; molles, neq; masculorũ concubitores regnũ Dei possidebunt.* Item: *fornicatores &c.*

ROMANUS.

Isaiæ. 5.

1. Cor. 6.

Heb. 13.

1. Cor. 6. *res & adulteros iudicabit Deus*: Et, *omne peccatum quodcunq; fecerit homo extra corpus est: Qui autem fornicatur in corpus suum peccat.*

CONSTANTINOPOLITANVS. † Azymas vero & custodias Sabbatorum proiicite miseris Iudæis: Similiter & suffocata barbaris gentibus, vt fiamus puri omnes in immaculata & in recta fide, & vnus grex vnius pastoris Christi. Cuius in Cruce diuino sanguine inebriati, laudamus puri pure Patrem & Filium & Spiritum sanctum: vniuersa Mosaicæ legis & ab eo custodita derelinquentes sine Deo Iudæis. Qui velut cæci perquirentes Christum, lumen amiserunt, permanentes in vmbra sicut insipientes perpetuo.

ROMANVS. * Superius monstrauimus copiose, nec Sabbata vel azyma nos Iudaice obseruare: nec suffocata gentiliter manducare, sed Apostolicam Catholicamq; fidem, principaliter retinere, nec procaciter refugere, sed humiliter fugere ad vnum vnius summi boni pastoris ouile, qui posuit animam suam pro ouibus suis: quas, vocem suam non alienorum recognoscentes & sequentes carne sua instanter cibat & sanguine potat, vt corde, ore, & opere collaudent sanctam & indiuiduam Trinitatem. Vnde super omnia dolemus veteres anias vestro de pulmone hactenus non potuisse reuelli. De quibus in actibus Apostolorum dicitur: *Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi addiscere aut audire aliquid noui.* Sed iam profanas vocum nouitates deuitando, veterem pelliculam quantocius abiicite, ne quod absit dicatur vobis sponsi voce: *Si ignoras te, egredere & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos*: illos scilicet quos ipse pastor in fine à sorte humilium ouium separat: quia lasciui & petulci, hic se vi superbiæ exaltare non cessant.

Act. 17.

Cant. 1.

Deinde si vniuersa Mosaicæ legis relinquimus Iudæis, nulla honestas aut sanctitas remanebit nobis: ceu ex superioribus recolligere potestis. Relinquantur ergo eis sola carnalia mandata, & sanctum seculare, in quibus cæci quærunt quid inuenire, dum vmbram sectantes, exulant à luce. In qua vmbra numeratur & Sabbatum vestrum Apostolo dicente: *Nemo vos iudicet in cibo aut potu aut in parte diei festi, aut Neomeniæ aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum.* Porro sicut sine Deo sunt Iudæi, sic & omnes hæretici. Verum ne quid sit minus, quod sequitur attendamus.

Coloss. 2.

CONSTANTINOPOLITANVS. † Hæc autem huiusmodi multotiens & ipse cum populo agnoscens docuisti eos, & correctus scripsisti multis talem consuetudinem habentibus. Et vt habeas salutem animæ tuæ, mitte Principibus Sacerdotum & Sacerdotibus, & adiura vt per hæc seipsos corrigant & populum,

pulum, vt mercedem & in istis habeant. Et si hoc feceris, propono & per secundam scriptionem maiora & perfectiora his scribere tibi fidei vera ostensione & firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suam.

ROMANVS. * O viri cordati perpendite hic & cauete hæreticorum callidam subreptionem; qui per benedictiones & dulces sermones, seducunt corda innocentum. Ecce his specialiter Tranensem Episcopum Ioannem, cui talia scripsistis, alloquentes, oleo peccatoris caput eius impinguare satagitis dicentes: *Hæc autem huiusmodi multotiens cum populo agnoscens docuisti eos & correctus scripsisti multis similem consuetudinem habentibus.* Sed nos è contrario per Salomonem dicimus vobis: *Os quod* Sap. 1. *mentitur occidit animam.* Neque enim præfatus Episcopus correctus à obis aliquando talia populum docuit, aut cuiquam super his scripsit. Quod si fecisset, correctus à nobis fuisset, cur corruptus non autem correctus à vobis talia præsumpsisset. Sed ille qualiscumq; sit in opere, sanus tamen hactenus extitit in orthodoxa fide iuxta capacitatem suæ intelligentiæ. Vnde nullis vestris susurrationibus acquiescens, adhuc persuaderi non potuit, vt alicui Sacerdotum has vestras nænias pro correctione illorum & populi cum adiurationibus mitteret. Et ipse non solum nullam mercedem in his haberet, sed insuper gradus sui periculum incurreret. Cui etiam si vobis in vestris nugis obediat, aliud mercedis repromittitis: Scilicet vos secundo ei scriptum iri maiora & perfectiora his, vera fidei ostensione, ac firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suam. In quibus plane promissis antiquum ritum hæreticorum retinetis, quorum sermo sicut cancer serpit, & pollicetur curiosis fastigium perfectæ scientiæ, vt pertrahat ad baratrum extremæ stultitiæ. Quorum vanitatem Sapientia Dei per Salomonem proprie demonstrans ait: *Mulier stulta & clamosa, plenaq; illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suæ, in excelso vrbis loco, vt vocet transeuntes per viam, & pergentes itinere suo. Quis est paruulus? declinet ad me. Et vecordi locuta est: aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Et ignorauit quod Gigantes ibi sunt & in profundis inferni conuiuæ eius.* Prouerb. 9. Hic plane hic vestri efficax depictor est, qui maiora & perfectiora ad ostensionem fidei & firmamentum animarum pollicemini inuitando paruulos & vecordes ad aquæ furtiuæ dulcedinem & panis absconditi suauitatem. Vere omnino aqua furtiua est in qua rebaptisatis Latinos Catholice baptisatos, quod nullus Catholicus adhuc præsumpsit, scilicet vt rebaptisaret aliquos, in nomine sanctæ Tri-

nitatis,ab ipsis etiã hæreticis baptisatos. Vere omnino ad nescio quem panem absconditum inuitatis,quando viuifica & terribilia Sacramenta corporis & sanguinis Iesu Christi profanis pedibus conculcatis.

Hæccine sunt illa maiora & perfectiora, vt tanta oblatio imponatur altari, quanta nequeat à ministris, vel à populo sumi, & idcirco debeat subterrari aut in puteum ad hoc præparatum proiici? Hæccine quoq; sunt illa maiora & perfectiora, vt nouus maritus & recenti carnis voluptate resolutus & totus marcidus, Christi ministret altaribus, & ab eius immaculato corpore sanctificatas manus, confestim ad muliebres transferat amplexus? Hæccine sunt illa perfectiora, vt mulieribus Christianis in partu vel in menstruo periclitantibus Communio denegetur? aut paganis baptismus interdicatur? & paruulis morituris ante octo dies regeneratio per aquam & Spiritum sanctum subtrahatur? In quo vtiq; crudeliores Herode, non tantum in corpore sed & in anima quotidie trucidatis paruulorum innumerabilem populum & destinatis ad ignem æternum. Nunquid etiam inde est quod hominis morituri imaginem affigitis Crucifixæ imagini Christi, ita vt quidam Antichristus in Cruce Christi sedeat ostendens se adorandum tanquam sit Deus? Nunquid & illud inde est, quod peius sit Monachos fæmoralibus indui & carnibus vesci quã fornicari? Ideone clauditis Ecclesias Latinorum & dirigitis scripta per totum orbem, vt ad hæc maiora & perfectiora pertrahatis omnem Christianum populum? Non sunt hæc talia, ostensio veræ fidei, sed adinuentio Diaboli. Nec sunt firmamentum, sed destructio animarum. Pro quibus omnibus & aliis, quos longum est scripto prosequi erroribus, nisi resipueritis & digne satisfeceritis, irreuocabile anathema hic & in futuro eritis à Deo, & ab omnibus Catholicis, pro quibus Christus animam suam posuit.

Explicit Responsio.

INCI-

INCIPIT CVIVSDAM NICETÆ PRESBYTERI ET MONACHI MONASTERII STVDII LIBELLVS CONTRA LATINOS EDITVS, & ab Apocrisariis Apostolicæ sedis Constantinopoli repertus.

NICETA presbyter & monachus monasterij Studiorum, qui prænominor Pectoratus: Romanis de azymis & Sabbatorum ieiuniis, & nuptiis Sacerdotum.

Bona est dilectio ad proximum: ô omnium gentium sapientissimi & nobilissimi Romani. Ex habitudine enim dilectionis ad proximum, & humilitas abundat ad eum qui habet illam. Ipsa autem abundans efficit participem sui, omnia diligere, omnia sustinere, vt ait diuinus Apostolus, & non inflari aduersus proximum suum aliquando, neque ea quæ ipsius solius sunt quærere, aut zelum habere aduersus eum & altercationem & æmulationem. Omnia enim hæc dilectionem persequuntur & humilitatem, & faciunt hominem non secundum Deum ambulare, sed secundum hominum libitum. Quod & Paulus arguit dicens: *Cum sit inter vos zelus & contentio & discordia, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Propter quod rogo vestram charitatem, humiliari vos propter Dei præceptum, & audire à nobis indignis & minimis.

1. Cor. 13.

1. Cor. 3.

Requirentes enim ab illis qui ex diuersis Prouinciis Romanorum peregrinant̃ hic de azymis, quid dicem⁹ de his in dilectione Christi ad vos? Qui azymorũ adhuc participant sub vmbra legis sunt, & Hebræorum mensam comedunt, non autẽ rationalem & viuã Dei mensam, & nobis qui credidim⁹ supersubstantialẽ. quemadmodũ superius exigere supersubstantialẽ docti sumus panem. Quid enim est supersubstantialis, nisi quia nobis est consubstantialis? Alter autẽ nullus est nobis consubstantialis panis, sed corpus Christi, q̃ consimile nobis est secundum

carnem humanitatis ipsius. Si autem animata est nostræ massę substantia, qua verbum induit se: Ergo non consubstantialem nobis panem comeditis, quia azymorum participamini. Azyma enim inanimata sunt, sicut ipsa rerum natura declarat atque liquidius edocet. Intermixtum enim modicum fermentum in farina & commixta sibi, ipsa vnam efficit seipsam propter fermentum, viuifica quadam virtute, & calefacit eam, & mobilem quasi viuam operatur. Quod in azymo fermento Pharisæorũ, quod effugere nos sermo admonet, neq; effectum est aliquando, neq; fiet omnino. Diuini enim effecti sumus participes naturæ, cuius & participamur quotidie, qui communitatem habemus cum Christo, sicut dicit & Petrus vertex: *Gratia vobis & pax multiplicetur in cognitione Dei, & Iesu Domini nostri*: Et post pauca: *Vt per eam efficiamini diuinæ participes naturæ*, non autem fermento azymi interfectorum Dei. Diuinam autem naturam, quisquis rationis est dominus, dicet aliquando azymum, & mortuum fermentatum Iudæorum, quod in sacrificio vos Deo offertis, quod in figura veræ & viuæ carnis Domini comeditis? Quomodo vnitatem habebitis cum Christo, viuente Deo, mortuum vt dictum est, & infermentatum fermentum comedentes, legis vmbræ, non noui testamenti? Si enim & hoc dixeritis, sed non sic se habet. Inquit enim dilectus Christi discipulus: *Si dixerimus quia communitatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & non facimus veritatem: Si autem in lumine ambulamus sicut ipse est in lumine, communitatem habemus adinuicem, & sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato.* Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat. Et quomodo habebit societatem cum Christo, qui est in lumine Noui sui testamenti & gratiæ? Nam qui in lumine ambulant gratiæ, panem comedunt qui est corpus Christi: & bibunt sanguinem immaculatum eius, & ita habent ad inuicem, & cum Christo societatem, purificati sicut dictum est, ab omni inquinamento. Azymum autem non est panis: Neque enim compositus, neque per se ipsum perfectus est, sed indigens, semiqueperfectus indigens plenitudine fermenti. Panis autem compositus, per seipsum perfectus est, & plenissimus, sicut ille qui totum habet in seipso plenitudinis.

Matth. 16.

2. Pet. 1.
Ibidem.

1. Ioan. 1.

Animaduertite & attendite, quia in azymis nulla est viuens virtus, mortua enim sunt; in pane autem, hoc est, corpore Christi, tria sunt viuentia, & vitam præbentia eis, qui ea digne comedunt: Spiritus, aqua & sanguis, ceu & ipse, qui super

pectus

pectus Christi in cœna recubuit Ioannes, contestificatur in eo verbo: *Tres sunt qui testimonium dant, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres in vno sunt*, videlicet in corpore Christi. Quod & secundum tempus Dominicæ Crucifixionis declaratum est, cum aqua & sanguis ex immaculata costa ipsius effluxit: lancea percussa carne ipsius, sanctus Spiritus viuificusque in Deificata carne eius permansit. Quam comedentes in pane, qui immutatus est per Spiritum & effectus est corpus Christi, viuimus in ipso, tanquam viuam & Deificatam carnem edentes. Sic autem & sanguinem viuum & calidissimum eius bibentes cum effluente aqua ex immaculata costa eius, mundamur ab omni delicto, feruenti replemur Spiritu. Calidum enim vt videtis velut ex latere Domini calicem bibimus, quia ex viua carne & calida spiritu Christi calidissimus nobis sanguis & aqua emanauit. Quod in eis qui azyma comedunt nequit fieri.

1. Ioan. 5.

Si autem mortuum fermentum comeditis ô sapientissimi, vt sermo declarauit, cuius rei gratia gloriamini dicentes: *Quia non sicut vos sale & fermento atque aqua farinam temperamus, & sic facimus oblationem azymorum nostrorum, sed aqua sola & farina & igni azymum conficimus, & in tribus his puram facimus nostram oblationem.* Percontamur igitur vos, hæc tria, aquam & farinam & ignem ad quid accipitis, & cui effigiem esse hæc æstimatis? Carnis Domini? Sed non inquit dilectus Christo Ioannes, *Tres sunt qui testimonium perhibent*, aqua & farina & ignis. Sed quid? *Spiritus & aqua & sanguis, & hi tres in vno sunt*, videlicet in corpore Christi vt dictum est, quod nos comedentes vnimur incarnato propter nos & immolato Christo incorporati, & velut caro eius sumus ex carne ipsius, & os ex ossibus eius, sicut scriptum est. Si autem ad increatam & incorpoream naturam sanctæ Trinitatis assumitis: erratis cadentes in hæresim eorum, qui asserunt Deum passum, qui dicunt compassum verbum carni, & eandem ipsam deitatem sustinuisse passionem. Non enim pariter Trinitas incarnata est, Pater & Filius & Spiritus sanctus, vt conspiciantur in ea hæc tria, aqua vt dicitur, farina & ignis, & vt in figura ipsius faciatis azymum & sacrificium offeratis, sed vnus ex Trinitate Filius, & Verbum Dei incarnatum est, ex castissimis sanctæ Virginis carnibus homo effectus, & omnia ordinationis suę perficiēs, crucifixus est carne, non passa diuinitate ipsius. Carne igitur crucifixus tradidit nobis edere per panem, carnem suam, quam in Spiritu sancto ita viuam dicimus: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis fractum est in remissionem peccatorum.*

1. Ioan. 5.

Ephes. 5.

Quid ergo vobis in Christo fratribus nostris & legi quæ maledicta est in Christo? quoniam adhuc azymum fermentum eius comeditis? noua creatura sumus in Christo. Vetera transierunt: Paulum audite dicentem: *Ecce facta sunt omnia noua.* Si autem hæc comedere decernitis iustum: cur non & circumcidimini? Christus circumcisus est, cur non & purificamini? Paulus etiam & hoc fecit: & alia etiam omnia similiter seruate veterum, sicut & hi, ea quę legis sunt faciunt, per quos nomen DEI in gentibus blasphematur, sicut est scriptum: *Non bona est gloriatio vestra,* vt & ego quæ Pauli sum loquar ad vos: *Nescitis,* inquit: *quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Et panis tandem non azymum efficitur. Sed quid hic dictus Apostolus scribit ad Corinthios? Nunquid vt vos æstimatis, de celebratione, quam vos in azymis celebratis? Nequaquam. Sed quoniam illi hoc despiciebant, quod aliquis nouercam acceperat, & in antiquis consuetudinibus falsæ scientiæ suæ gloriabantur, volens autem eos conuerti Paulus & ex vetere remouere malitia: venit per similitudinem hanc, fermenti dico & massæ, ostendit eos, quoniam vnum malum tanquam modicum contemptum, magnam in toto corpore Ecclesiæ faciet læsionē. Propterea inquit adjiciens: *Et non luctum habuistis, vt auferatur de medio vestri, qui hoc opus operatus est?* Potest enim, inquit, iniquitas ista ad omnes vestras vrbes transire, & tanquam modicum fermentum totam massam fermentat: sic omnes apprehendi & fermentari, & vnam massam maioris iniquitatis operari. *Expurgate,* inquit: *vetus fermentum,* peccati: Tollite hunc è medio vestri: vt efficiamini Christo noua conspersio, sicut estis baptisati, id est, vel azymi vel puri: mortificati mundo & desideriis carnis. Etenim Pascha nostrum hoc est, quoniam vt eriperet nos ex iniquitate ac morte, immolatus est Christus. Quare de re sic ait: *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis:* hoc est, puræ vitæ & fidei, qua in Deum credimus & veraces oratores eius efficimur. Sic magnus Gregorius Theologus hoc verbum accepit, ô sapientissimi, ea quæ mentis Apostolicæ sunt intelligite, & non quemadmodum hoc vos accepistis, de azymorum festiuitate & participatione. Si enim de azymis & de celebratione eorum Corinthiis Paulus præcepisset, & eos in azymis epulari iussisset, non promulgasset cum vndecim, & omnem reducens Ecclesiam fidelium in ordinem, in septuagesimo Canone, cum excommunicatione præcepisset omnibus, huiusmodi causam à Iudæis nullatenus accipi: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus*

1. Cor. 5.
Rom. 2.
1. Cor. 5.
Ibidem.
Ibidem.
Ibidem.

conus, aut omnino ex numero Clericorum ieiunauerit cum Hebræis, aut epulatus fuerit cum eis, & acceperit festiuitatum eorum munera, vt sunt azyma, aut aliqnid huiusmodi, deponatur: Si autem laicus, sequestretur.

Si autem dicitis: Quia ab Hebræis non accipimus, sed domi facere consueuimus, cur hoc? siue ab illis accipiatis siue domi faciatis azyma sunt. Et iuxta hoc grauiorem pœnam habebitis, quoniam relinquitis agere, quæ iussa sunt vobis à Christo, & Apostolis ipsius: facientes velut illi, qui sub seruitute legis sunt, qualia Iudæi faciunt in vmbra & tenebris legis sedentes, nullatenus dicenti Paulo credentes: *Fratres vnusquisque in eo ordine quo vocatus est in ipso permaneat.* Non enim inuenietis omnino in diuina Scriptura, quoniam azymum dictum sit à Christo aut Apostolis eius, cum administraretur ab illo noui Testamenti mysterium. Paulus enim Corinthiis scribens dicit: *discernere vos oportet calicem benedictionis quem benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panem quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est? Quoniam vnus panis, vnum corpus, multi sumus. Etenim omnes ex vno pane participamur. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: Quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem,* & non azymum, *& benedicens fregit & dixit: accipite & comedite hoc est corpus meum, quod pro vobis frangetur. Hoc facite in meam commemorationem.* Et non semel dixit panem, sed etiam sæpe. Non hic solus dixit, sed & cæteri Apostolorum, & Matthæus quidem ait: *Cœnantibus autem illis atque comedentibus accipiens Iesus panem*: Aspicis panem, & hic inquit, *& benedicens fregit, & dedit discipulis suis & dixit: sumite & comedite, hoc est corpus meum.* Similiter autem & hoc Marcus inquit, & reliqui: & nequaquam azymum ab eis commemoratur.

1. Cor. 7.

1. Cor. 10.

1. Cor. 11.

Matth. 26.

Marc. 14.

Quoniam quidem oportebat pati Christum secundum diem legalis Paschæ, in qua & agnus ab Hebræis immolabatur. Oportuit enim fieri Pascha ab interfectoribus Dei in sexta feria, in qua tandem & quarta decima Luna erat iuxta primum mensem, in quo contingit euenire VDXXXIIII annos: Cyclus enim solis erat XVIII. & V. vt non adhuc traditus præuenisset proprium Pascha discipulis tradere: recũbens in cæna secundum vesperum quinti diei; Postquã cænauit accepit panem, fregit, tradidit Apostolis mysterium noui Testamenti in nocte quinta, in qua traditus est à Iuda: Sicut scriptum est. Sed quid dicit Lucas Apostolus? *Accepit panem & benedicens fregit.* Ecce & Lucas accipere panem Christum dixit, & non azymum. Non enim adhuc erat sextæ feriæ dies. Tertia decima erat Luna in illa quinta feria, & non erat azymum, neque adhuc ablatio fermentati.

Luc. 22.

Azyma enim in quinta decima Luna promulgata erant in lege, vt in quarta decima die ad Vesperam agnus immolaretur, & in quarta decima die Lunæ primi mensis Pascha appellaret lex, quintam decimam diem primum azymorum & Sabbatum nominaret. Prô dolor insipientiam illiteratorum. Et non erat azyma in quinta feria, cum esset Luna tertia decima & non quarta decima. Secundum quintam decimam Lunam fuerat institutum azyma fieri, sicut & agnus ad vesperam quartæ decimæ diei iussum est immolari, secundum quam immolatus est Christus, agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Si autem Christus immolatus est, & crucifixus in decima quarta die Lunæ, feriæ sextæ, in Sabbato autem erat festum azymorum, quando azyma comedit? etiam Apostolis sic facere in nouo Testamento tradidit: Quomodo dicitis ab Apostolis accepisse vos facere azyma iam post resurrectionem à mortuis? Non videtis quia manifeste ex rebus arguimini, quoniam non tunc azyma, cum mysteria noui Testamenti traderet Apostolis Christus?

Leuit. 23. Ostendam vobis hoc ex legislatione Moysi: Loquitur enim: *Hæ sunt festiuitates Domini & ipsæ sanctæ quas vocabitis in temporibus suis, in primo mense in quinta decima die mensis huius festum azymorum Domino: & in quarta decima die mensis intra medium ad vesperũ erit Pascha Domino: & in quinta decima die huius mensis festum azymorum Domino. Septem enim diebus azyma comedite.* Ecce enim ex legislatione Moysi didicistis, quoniam non tunc azyma, quando post cœnam secundum diem quintæ feriæ Christus tradidit per fractionem panis noui Testamenti mysterium. Ante festum autem azymorum hoc fecit, cum esset tertia decima dies mensis. Quinta decima enim die mensis, vt legislatio habet Moysi, erat festum azymorum. Et Christus in feria sexta crucifixus, secundum quartamdecimam diem mensis, quando debebant Iudæi immolare agnum: Sabbato autẽ secundum quintamdecimam diem mensis, cum esset festum azymorum, in sepulchro iacuit sepultus. Azyma ergo dum non essent ante festum azymorum in toto anno ipso: Septem enim diebus comedebant azyma Iudæi, ceu instituit Moyses: in quintadecima die primi mensis incipientes festum horum; vbi reperta sunt azyma quando cum discipulis suis cœnam comederet Christus? Si enim sicut dicitis, à Domino Apostoli acceperunt azyma, & illi iterum tradiderunt vobis hæc in figura corporis Christi in mysterium noui Testamenti: dum nec ablatio panis fieret secundum constitutionem Moysi, neque erant tunc azyma, vbi reperta sunt? Quomodo

modo obliuiscimur legislationum Moysis? Septem namque solis diebus facere tradidit vobis. Sed vos in toto anno conculcatis instituta Moysis. Et Christus non venerat soluere legem sed adimplere.

Valde enim veritati obsistitis fratres. Si enim traditum vobis fuit ab Apostolis comedere azyma: quomodo Agathon sanctissimus Papa vester, præsessor cum esset sextæ Synodi sub Constantino Imperatore, & diuinus Gregorius Agragantinorum Episcopus non abstinuere: cum sicut huius Synodi diuini Patres aduersum azyma legem constituissent, à nemine fidelium hoc fieri? Et vt ostendam vobis horum legislationem contra azyma, adjicio rationi, & canonem ipsorum sic habentem in vndecimo capitulo: *Nemo in Sacerdotali constitutus ordine, aut laicus, ea quæ apud Iudæos sunt azyma comedat, aut cum eis cohabitet, aut in infirmitatibus inuitet, aut medicinam ab eis accipiat, vel in balneis cum eo lauetur. Si quis hoc agere initiauerit: siquidem Clericus fuerit deponatur, si autem laicus sequestretur.* Qui azymum conficit & comedit, & si non acceperit hoc à Iudæis, sed imitator fuerit in hoc, vt Iudæus intelligit, & extra legem est, quemadmodum & si circumciderit quis seipsum, aut à Iudæis circumciditur, simul & in scientia est illis, Canonesque & instituta Apostolorum, sanctorum Patrum transgrediens, & irrita omnia facit, vt ratio nostra demonstrauit. Sed de azymo sufficienter vobis quod prohibitum sit ab omni Scriptura diuina demonstrauimus.

Age nunc quia cetera demonstrauimus vobis, & subito memoriæ suggestum est vobis de Ieiunio Sabbatorum, quoniam insultatis nobis: Vnde ieiunare Sabbata, ex qua sancta Scriptura accepistis? Ab Apostolis? Nequaquam. Apostolorum vertices in quinto quidem libro ordinationum, qui de Martyribus inscribitur, iuxta Clementem, *Quartam feriam & sextam, præcepit nobis ieiunare Dominus. Vnam quidem propter traditionem, alteram propter paßionem. Ipsum autem ieiunare Sabbatum, non tradidit nobis ieiunare, quoniam non oportet, propter illud solum, in quo Creator omnium sub terra fuit.* Vnde iuxta calcem eiusdem libri, iterum sic loquitur: *Omne quidem Sabbatum & omnem Dominicum celebrandum esse dicimus. Gaudere enim oportet in his & non lugere.* Septimo quidem libro earum constitutionũ iuxta vicesimum quartum caput hoc inquiunt: *Sabbatum namque & Dominicum celebramus, quia illud quidem diuinæ operationis est memoria: hic vero resurrectionis. Vnum vero tantum Sabbatum custodiendum est in toto anno Sepulturæ Domini: quo ieiunare oportet. Quando enim Christus in sepulchro iacuit, discipuli potentiorem*

circa eum fletum habebant, quam gaudium ex memoria diuinæ operationis. Veruntamen hæc mystice per Clementē Papam constituentē, non steterunt hic, sed scientes magnam damnationē esse ieiunare Sabbata, excōmunicatione valida, ligāt ex hoc Ecclesiam. Dicit enim in sexagesimo quarto Canone. *Si quis inuentus fuerit Dominicum diem ieiunans, aut Sabbatum præter vnum solum, deponatur. Si autem Laicus sequestretur.*

Hoc autem exequentes & qui in sexta Synodo Patres, conuenienter huic sic promulgant sancte, præsidente Synodo Agathone Papa Romæ, & Gregorio cum eis Agrigantinorum Episcopo præsente. *Quoniam quidem dicimus eos qui in Romanorum vrbe sunt in sanctæ Quadragesimæ Ieiuniis eadem Sabbata ieiunare extra traditā sibi Ecclesiasticam consequentiā: placuit sanctæ Synodo obseruare Romanorū Ecclesiam immobilem Canonē dicentem: Si quis Clericus fuerit inuentus*, & cætera quæ deinde scribit. Hæc igitur sicut cernitis Apostolicis constitutionibus & Canonibus fideliū Ecclesiam ligat cum Papa Romę Agathone. Vos vnde aliter & ex quo ieiunare Sabbata accepistis? Quin etiam oblationem perfectæ Missæ per omnē diem facere in sacris diebus ieiuniorum, siue Sabbato siue Dominico die: vnde assueuistis? & à quo Doctore accepistis? Ex Apostolis? nullatenus. Apostoli enim ex hoc posuere Canonē sic loquentem: *Si quis Episcopus aut Presbyter vel Diaconus aut Lector aut Cantor, sanctā non ieiunauerit Quadragesimā, quartamq; & sextam feriā, deponatur, nisi infirmitate corporis impediatur.* Ministrantes ergo atq; cōplentes ministrationem sanctæ Missæ secus tertiā horam diei, in qua & promulgatū est offerri sacrificium: quomodo ieiunium vsq; ad horam diei nonā obseruatis? soluentes hæc in tempore ministrationis Missæ? Nequaquam. Si autem hoc impossibile est, maledictione plectemini.

Qui in Gangreno fuere Patres Concilio cap. 19. talia effantur: *Si quis continentiā sine corporali necessitate elatus fuerit & constituta ieiunia in cōmune & obseruata ab Ecclesia dissoluerit, præsumēdo sibi perfectā rationem, anathema sit.* Similiter Patres qui in Laodicēsi fuēre Concilio, secundū quinquagesimū Canonē sic effati sunt, *quia non oportet in Quadragesima Martyrū natalitia celebrare, sed sanctorū cōmemorationē facere in Sabbatis et dominicis dieb'.* Et iuxta Quadragesimū octauū Canonē itē aiunt ipsi: *ꝙ non decet in Quadragesima panem offerre nisi in Sabbato & Dominico solo.*

Et qui in sexto vniuersali Concilio conuenerunt Patres similiter iuxta quinquagesimum secundum Canonem sanciunt cum sanctissimo Agathone Papa dicente sic: *In omnibus sanctis Quadragesimæ ieiuniorum diebus, sine Sabbato & Dominico die, & sine sancto annuntiationis die,*

fiat

fiat Missa ex antesanctificatis oblationibus. Sic ergo accipientes nos Sabbato &dominica die, secus tertiam diei horã, in qua & Spiritus sanctus descendit super discipulos, immolantes: in ipsis sanctificamus munera, ex quibus sufficientia in tota hebdomada conseruamus. In aliis autẽ diebus hebdomadis iuxta tempus horę nonæ diei concludentem omnẽ ministrationem in consummationẽ Completorij, agimus nos Sacerdotes cum Diaconib⁹ ingressum, thuribulũ solũ ferentes. Et post lectionẽ Prophetarũ constitutas orationes à magno Basilio facientes, & munera transferẽtes appositionis altario & orantes cum ipsis. Insuper autẽ & traditã nobis à Domino orationẽ dicentes, exaltamus præsanctificatum panem, & damus præsanctificata sancta Sanctis, & vniti communione pane & calice mysteriorũ Christi. Et ita agentes gratias Deo, relinquimus eos atq; dimittimus ex congregatione, sumentes nos communem mensam per folia & legumina, & calidã aquam qui voluerint. Sunt autẽ & alij qui sola communione & benedictione per totã perseuerant hebdomadam. Vos autẽ referentes per vnumquẽq; diem perfectã in Quadragesima ministrationẽ, quæ congrua est iuxta tertiam horam diei offerri, positos transgredimini Canones Ecclesiæ. Et in hoc maledictioni Patrum subiacetis, sicut dictum est.

Quis ille est q̃ tradidit vobis prohibere, & abscindere nuptias Sacerdotũ? Quis ex doctorib⁹ Ecclesię hanc vobis tradidit prauitatẽ? Siquidem nisi nupserit manus impositionis accipiet. Et ita ad nuptias ruit, qui ordinatus est innuptus, legitime. Hoc & secundũ Canones facitis, huiusmodi nuptias prohibentes? Si autẽ ante habuerit vxorem ille qui ordinandus est Sacerdos, perseuerauerítq; in castitate magnaq; vita, nuptias eius soluitis, transgredimini, vt ex præcepto Apostolicorũ Canonũ ostendam vobis. In sexto n. libro Clementis ordinationum. quę ab eo conscriptæ sunt, iuxta septimũ decimum caput Apostoli hæc dicunt: *Episcopũ & Presbyterum & Diaconũ dicimus, qui vnã habent vxorẽ, ordinari, quamuis viuant eorũ coniuges, quamuis defunctæ, non licet eos post manus impositionẽ innuptos esse, nec insuper ad nuptias ire, aut si nupserint, alteras amplecti, sed sufficere quas habent cum ad ordinationem venerunt.* In quinto sanctorũ Canonum ita fatur in 2. cap: *Episcopus aut Presbyter aut Diaconus vxorẽ suam non abjiciat obtẽtu religionis: Si autẽ abiecerit, sequestretur. Perseuerans a. deponatur.* In quadragesimo vero Canone, inquiũt palã: *Propriæ Episcopi res:* Et post pauca: *Ne occasione Ecclesiasticarũ rerũ cadere Episcopũ ab eis, quæ sunt Episcopi, in mulierẽ et pueros & propinquos, ne per occasionẽ eorũ, ea quæ Ecclesiæ sunt subtrahat.* Et deinde *Siquidẽ*

sunt qui prohibeant Sacerdotes legitimis conuenire coniugibus. Non ita vertices Apostolorum exposuerunt Ecclesiasticos Canones. Si autem dicis mulierem Ecclesiam dixisse Apostolos: tunc infidelis apparebit sermo tuus & vacuus, cum sacris Canonibus ipsorum, qui à nobis prædicti sunt, non abjicere Episcopos & Presbyteros occasione religionis, vxores sanxerunt, & vt caderent res Episcoporum ex potestatibus eorum propter filios & mulieres ipsorum.

Si autem aliquis dixerit de sancta & vniuersali Synodo, quod Papam Romæ sanctissimum Agathonem vt sæpissime diximus præsessorem habuit, ipsa centum septuaginta Patrum, sub Constantino Imperatore Nepote Eraclij & Patre Iustiniani: Quomodo non obstitit diuinus Agathon sanctæ Synodo sancienti aduersus hos impios quos vsq; nũc habetis? Si vero ab Apostolis haberetis has traditiones, obsisteret forsitan, & non suscepisset hęc, quæ apud nos ab ea promulgata sunt. Papa cum esset vester, quoniam adulteras cognoscebat traditiones ipsas & extraneas ab Apostolorum doctrina: propterea pariter cum Patribus sacræ sextæ Synodi, sicut de azymis & ieiuniis Sabbatorum & sacræ Missæ mysteriis, sic & de nuptiis Sacerdotũ promulgauit dicens in decimo tertio capite: *Quia in Romanorum Ecclesia in ordine Canonis tradi cognouimus, præsentes Diaconi aut Presbyteri dignas fore manuum impositiones confiteri, vt non amplius à suis disiungantur coniugibus: Nos antiquum exequentes Canonem Apostolicæ diligentiæ & ordinationis: sanctorum virorum copulationes secũdum legem & amodo valere volumus, nullatenus à coniugum copulatione dissoluentes aut priuantes eos ab inuicem, secundum tempus congruum locationis. Quia vero si quis dignus inuẽtus fuerit manus impositione Diaconus vel Subdiaconus aut Presbyter, hic nullatenus prohibeatur ad huiusmodi gradum ascendere, coniugi cohabitaturus legitime: neque in tempore ordinationis exigatur confiteri ad legem propriæ locationis propter propriam vxorem.* Et post pauca: *Si quis ergo præsumpserit extra Apostolicos ordines motus quendam sacrorum Presbyterorum & Diaconorum priuare à copulatione legitimarum mulierum, à communione sequestretur. Similiter si quis Presbyter aut Diaconus collactaneam suam occasione religionis proiecerit, separetur: perseuerans autem deponatur.*

Vnde igitur vobis, & ex quibus hæ horribiles infirmitates superuenerunt ô viri Romanorum sapientissimi, & omnium aliarum gentium nobilissimi? Æstimo quod quidam ex Iudæis in tempore Apostolorum credentes, vana lucra cupientes, & pecuniarum amatores reperti, volentes multos fidelium abstrahere ex Euangelio: hoc est,

ex fidei prædicatione, corruptis dum prædixissent eis, in hoc & Christianitas & Iudaismus corrupta sunt. De quibus Ioannes fatus est: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis permansissent vtique nobiscum*, de his qui circa Simonem & Deman, Nicolaumque & Cleobium subtexendo. Reliqui autem verticum in septimo libro institutionum iuxta sextum decimum caput liquidius dixerunt: *Scimus enim*, inquit, *quia hi qui circa Simonem & Cleobium & Iudam, conscripserunt libros in nomine Christi & discipulorum eius, circumferunt ad seductionem vestram, & eorum qui diligunt Christum, & nos seruos ipsius.* Et in veteribus quidam conscripserũt libros apochrifos Moysi & Enoch & Adam, Esaiæ & Dauid, & Heliæ, & trium Patriarcharum, corruptiones facientes atque veritatis inimicos libros. Sed & Paulum Domini Apostolum hæc præscientem vt æstimo, sic ad vos ascendisse huiusmodi seductores, dolum texentes vobis, Philippensibus scribit: *Videte canes, videte malos operarios, videte abscisionem*: Et Timotheo iterum: *In vltimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus & doctrinis dæmonum, in hypocrisi loquentium mendacia, & incedentium propria conscientia, impedientium nubere, & abstinere à cibis quos Deus creauit.* Et ea quæ exinde. Propter quod & Tito præcepit: *Argue eos*, inquit: *duriter vt sani sint in fide non attendentes Iudaicis fabulis & præceptis hominum subuertentium veritatem.*

1. Ioan. 2. | Philip. 3. | 1. Timoth. 4. | Tit. 1.

Quamobrem diligentissimè inquisiuimus de cætero circa hæc ô fratres, ne aliquando ex his quæ dicta sunt & redarguta vobis mendacia, dico nunc azyma, Sabbatorum ieiunia, nuptias Sacerdotum, & in ieiuniis oblationes accipiatis: sed scientes nunc, quod primum est eorum, ex omni à Deo inspirata scriptura: fugite quæ huiusmodi sunt actitare, cum sitis Ecclesia Dei & totius orbis semper splendidus oculus, aut vniti nobis vestris confratribus: quos per iam dicta scidistis, cum sitis corpus Christi: reuelata facie gloriam Domini in concentu & vnitate cum orthodoxa fide conspeculemur, & imaginem eius transformemus in nobis, viua demonstratione, & ipsius ad gloriam sempiternam, sicut à Domini spiritu, quoniam ipse est caput nostræ Ecclesiæ corporis: & in eo sicut in vno corpore, omnes nos coniungimur.

Hæc vobis Romanis. Si ergo possimus vos cum sitis homines ad credulitatem nobiscum reducere per ea quæ diximus, & docendo

vos ex diuina ſcriptura arguimus; gratia DEI, & vobis ſcientibus bene Spiritui ſancto credere & proſequi rationem iam dictam ex ſcripturis. Si vero aliter tenetis, date nobis teſtimonia ex diuina ſcriptura conſiſtentia: in quibus volo beneuolos vos eſſe, vt ſuper ſedes intelligentiæ requieſcatis, & nos ſcientes obedire in ennarrabili rationi ſpiritus, docere omnia quæ ad vos ſcripſimus. Salutamus vos in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui eſt gloria & potentia, cum Patre & Spiritu ſancto, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Finis libelli Nicetæ Presbyteri & Monachi monaſterij Studij, contra Latinos.

INCI

INCIPIT RESPONSIO SIVE CONTRADICTIO IN EVNDEM LIBELLVM à FRATRE HVMBERTO EPISCOPO SYLVÆ candidæ.

SI diligenter sanctæ Calcedonensis Synodi quartum considerasses caput, quiete monastica & ieiuniis atque orationibus in monasterio tuo contentus, nequaquam Ecclesiasticis rebus communicasses, nec importunitatem intulisses. Quapropter sexcentorum triginta patrum, concordi decreto à communione es suspensus, ne per te nomen Domini blasphemetur. Decet enim vnamquamque professionem se sub mensura sui habitus & gradus cohibere: ne conturbet Ecclesiastici dogmatis ordinem totum, dum non suo contentus officio, præripere quærit alienum. Sed vę tibi Sarabaita, qui nulla cœnobitali examinatus disciplina, voluntate atque voluptate ductus propria, contra sanctam & Romanam & Apostolicam Ecclesiam & omnium sanctorum patrum Concilia horribiliter latrasti, stultior asino, frontem Leonis, & murum adamantinum frangere tentasti. In quo vtique conatu, non es victor erroris, sed victus errore: nec presbyter, sed inueteratus dierum malorum, & puer centum annorum maledictus. Potius dicendus Epicurus, quam Monachus. Nec credendus es degere in monasterio Studij, sed in Amphitheatro aut Lupanari. Qui etiam vere prænominaris Pectoratus, quoniam cum serpente antiquo super pectus tuum graderis. Quod sicut quidam Patrum dixit: *Quicumque vult intrat & soluit asinum*: Ex abundantia enim cordis os loquitur. Deinde detestabilior omni veneficio, labia mortiferi poculi melle charitatis & bono odore humilitatis imbuens, ex prædictis virtutibus delectabile exhibuisti procœmium: vt prægustata dulcedo faceret incunctanter absorberi fel draconū & reliquū veneficium. Sed vę ei qui potat amicum suū potione turbulenta. Quam ideo necessariā duximus subtiliori linteo colatū ire, vt modus concinnationis eius, & potentia aliquatenus

possit deprehendi, & deinceps caueri, quia ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.

Ecce in ipso liuoratus tui vestibulo tria proposuisti; de azymo scilicet, de Sabbato, & de Sacerdotum nuptiis. Ex quibus tot & tanta euomuisti, vt in peruertendo diuinas sententias non inferior videaris peruersis & rabiosis canibus Iuliano & Porphyrio. Deniq; diuini eloquij scalam ad cœlos subrectam, quantum in te fuit, retorsisti ad inferos, ne cũ Angelis scanderes ad Catholicos, sed cum Apostatis descenderes ad hæreticos. Inde est quod sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis sacrificio detrahens falsissime definiuisti nos mensam Iudæorum comedere. Quod satis ostenditur in superiori nostra narratione, vbi commentis complicum tuorum, Michaëlis scilicet Constantinopolitani & Leonis Acridani voluimus obuiare. Nec est necesse eadem nos totiens repetere. Quia stuppæ collectæ & paleæ conicctæ zizaniisque collectis vna potest flamma sufficere. Vnde eá tantum decreuimus leuiter succendere, quæ solus videris plus illis congessisse.

Itaq; quod dixisti consubstantialem & super substantialem idem esse, omnino est futile. Quia Dominus Iesus, quamuis nobis humanitate sit consubstantialis, diuinitate tamen, qua est Patri consubstantialis, est nobis supersubstantialis: Sic & humanæ mensæ panes, licet sint consubstantiales sibi mensæ, tamen diuinæ panis supersubstantialis est eis. Et ô mentite Deo & aperte impugnator sancti Euangelij, vbi & quando dixit veritas, veracis Patris Filius; *Cauete ab azymo fermento Pharisæorum*? Nunquid *azymum* quolibet modo potest dici, *fermentum*, quando azymum dicatur, eo quod absq; fermento sit? & vbicunque fermentum fuerit, necesse est vt aut fermentum efficiat, aut fermentum permaneat? Cum ergo fermentatum non sit sine fermento, nec fermentum aliquando possit esse sine ipso, quomodo saltem somniare ausus es, azymum fermentatum? Sed quamuis talia dicendo telas araneæ texueris, muscas & culices seu vermiculos aberrantes his irretire poteris: non autem columbas simplices & oues recognoscentes vocem sui auctoris.

1. Ioan. 1.

Deinde ô subuerse subuersor subuertere conatus sententiam Apostoli Ioannis dicentis: *Si dixerimus quia societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur & non facimus veritatem*, & ceteris nequius vsus es hoc eius testimonio, quam adulter oculo & latro ferro, quæ vtique bona sunt. Illi enim lædere tentant aliquos: tu perdere cunctos. Vnde & sic concludis. *Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat.*

ambulat. Sed idem Ioannes intentionem tuam enarrans, luce clarius demonstrat, quid dixerit, subiungens: *Qui odit suum fratrem, in tenebris est, & in tenebris ambulat.* Hic plane liquet, quod non ab Apostolo sancto, sed ab Apostata Angelo accepisti, vt diceres: *Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat,* quia tota Epistola illa, nec fermentatum nec azymum commemorat, sed solum charitatem. 1. Ioan. 2.

Post hæc non minori sacrilegio abusus, alio testimonio eiusdem Apostoli dicentis: *Tres sunt qui testimonium perhibent in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt,* peruerse conaris ad panem mensæ Christi transferre, quod ille de baptismo eius voluit intimare. In baptismo siquidem hæc tria sunt, & vnum baptisma efficiunt Et Spiritus quidem sanctificat, aqua abluit, sanguis redimit. Si quodlibet horum defuerit, baptismus non erit, sicut venerabilis Pater Augustinus ait: *Tolle aquam, non est baptismus, tolle verbum non est baptismus. Sed accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* Tu autem nequam Pectorate, nequiter interpretando & deprauando sententiam recumbentis super pectus Iesu dixisti: *Et in hi tres in vno sunt,* scilicet in corpore Christi, quod dilectus eius, nec sensit nec scripsit, sed, *hi tres vnum sunt,* secundum superiorem de baptismo sensum. 1. Ioan. 5.

Parua sunt hæc & pene nulla ad comparationem sequentis blasphemiæ, qua asserere laboras, quod tempore Dominicæ passionis & Crucifixionis, quando sanguis & aqua de latere eius exiuit, sanctus & viuificus Spiritus in deificata eius carne remansit. Quod si constiterit, mortuus non fuit. Si mortuus non fuit, neque resurrexit. Si non resurrexit: inanis est fides & prædicatio nostra, quia nec nos resurgemus. Et sicut Apostolus ait: *Si ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest si mortui non resurgunt?* Vt quid enim quotidie tanta patimur? Comedamus & bibamus: imo bestialiter viuamus, cras enim vt bestiæ moriemur. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores omnibus sumus hominibus: Sed absit hoc ab omni genere humano. Nam idem præclarus Euangelista, qui hoc ipsum præsens vidit, attestatur, carnem Christi vere exanimatam in cruce fuisse dicens: *Et inclinato capite emisit Spiritum.* Porro Marcus & Lucas dicunt eum *expirasse.* Vnde & in Symbolo confitemur *mortuum & sepultum:* Alioqui sepeliri non debuit, qui mortuus non fuit. Obmutesce canis, linguam canis improbe morde, Christus enim vere mortuus est propter delicta nostra & propter iustificationem nostram resurrexit à mortuis primitiæ dormientium. 1. Cor. 15. Ioan. 19.

Ecce pestifera doctrina, ecce Diabolica suggestio, cuius tu signifer effectus conaris opiniones & adinuentiones tuorũ contra traditionem Apostolicam & contra manifestam veritatem defendere dicendo: aquam calidam & sanguinem de viuo & calido Christi corpore exisse, & ideo Græcos aquam feruentem sanguine eius iure miscere. Quod totum longe aliter est. Nam veraces Euangelistæ concorditer narrant Dominum nostrum hora nona in cruce mortuum, & sero à Ioseph postulatum depositum de ligno & sepultum. Ipso enim emittente Spiritum velum templi & petræ scissæ sunt, terra mota, monumenta aperta, & multa corpora sanctorum resurrexerunt. In tanta itaque perturbatione & quasi naufragio totius Creaturæ, non solum latus Domini non fuit apertum lancea, sed etiam hi qui prius ei insultauerunt, & ad spectaculũ illud conuenerant; viso terræ motu & his quę fiebant pectus suum percutientes, reuertebantur. Adeo vt ipse Centurio, cui traditus fuerat ad puniendum, diceret: *Vere Dei filius erat iste.* At vbi tumultus mundi conquieuerat, & securitas aliqua rediit, cum iam sero esset, Pharisei rogauerunt Pilatum, vt propter solennem diem Sabbati, frangerentur Crucifixorum crura & deponerentur. Tunc quoque Ioseph rogauit Pilatum, vt tolleret corpus Iesu. Pilatus vero mirabatur si iam obiisset. Et accersito Centurione, vbi cognouit Iesum iam mortuum, donauit corpus Ioseph. Porro milites ad præceptum Pilati fregerunt crura prioris & alterius latronis. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua quibus formaretur Ecclesia: quemadmodum ex costa Adæ dormientis formata est Eua. Ecce si hora nona obiit, & sero iam de cruce deponendus, lancea percussus fuit: Sanguis fuit ille, naturaliter calidus non fuit, toto corpore iam præmortuo & frigido. Quod si aliquo modo caluit: Euangelium quare tantum miraculum & Sacramentum tacuit? Vnde vos noui Symmystæ volumus dicatis, an sanguis tantum, aut aqua tantum, an simul vtrumque caluerit? Si sanguis tantum, quare aquam calefacitis; si aqua tantum, quare ex ea calefacitis sanguinem Christi? Si vtrumque simul, quare vtrumque simul non calefit? Sed cuius visu vel tactu potuit discerni, quodlibet horum duorum ex vno vulnere simul erumpentium, calidum aut frigidum fuisse? Præterea si aqua illa caluit, quare & aqua baptismatis, non calefit, cum præcipue ipsa baptismum pręfigurauerit, sicut sanguis redemptionem? Volumus autem scire, qua inten-

Matth. 27.

intentione costam Christi immaculatam dixerit? Si pro sanctitate & innocentia? optime. Si autem pro eo quod impenetrabilis ferro fuit? pessime: quia de vero vulnere verum non phantasticum sanguinem pro nobis fudit. Et non de costa, sicut tu scribis, sed de latere, quia os sanguinem non solet emittere, nec os comminutum fuit ex Dominico corpore.

Cæterum quod panis sit, & dicatur etiam azymus, & quod non cum Theupaschitis in sacra oblatione erremus, & quod non azymum veteris legis, sed sinceritatis & veritatis comedamus, quodque vetera transierunt, & facta sunt noua, satis ostenditur in alia nostra Epistola.

Tu vero maledicte & maledictus sermo oris tui, sanctam legem, sicut Seuerianus, maledictam dixisti. Nec mirum, cum etiam panem tuum, laudare supra modum cupiens, nimium vituperasti illum dicens: *modicum fermentum totam massam corrumpit, & panis tandem non azymum efficitur.* Deo gratias quia azymum non efficitur de massa fermento corrupta, sicut tuus panis. Nam corruptio nunquam & nusquam in bonum accipitur: quia vbicumque corruptio, ibi etiam substantiæ deterioratio. Quin etiam cum exponeres sententiam beati Pauli, quam post tot orthodoxos patres, nobis nolumus ab hæreticis exponi, quamuis nolens azymum laudasti dicens: *Sicut estis baptisati, id est, azymi & puri.* Si ergo secundum tuam confessionem baptisati sunt azymi, quid sunt non baptisati, nisi fermentati, id est, corrupti?

Dic tamen vbi & quomodo Paulus cum vndecim Apostolis Canones illos cum excommunicatione exposuit, quorum tu nobis Septuagesimum caput obiicis? omnino nesciens quid loquaris? *Si quis,* inquiens: *Episcopus aut Presbyter aut Diaconus, aut omnino ex numero Clericorum ieiunauerit cum Hebræis, aut epulatus fuerit cum eis, & acceperit festiuitatum eorum munera, vt sunt azyma, aut aliud huiusmodi, deponatur: laicus autem sequestretur.* Etiam si hoc capitulum ex libris authenticis prolatũ esset, nullo modo nos tangeret, quia nec cum Hebræis ieiunamus, nec cum eis epulamur aut festiuitatum eorũ munera aliqua accipimus. Quod autem tu vesane subiungis: *Siue ab illis accipiatis, siue domi faciatis, azyma sunt.* Id iaculum tibi retorquem' dicentes: *Siue cum Hebræis Sabbato epulemini, siue domi, epulatio est.* Sane hoc dignius contra vos dirigeretur, quia vos nihil aliud in Sabbato quam solennitatem Iudæo-

rum, nos autem in azymo longe aliud Sacramentum retinemus & amplectimur. Si enim interrogemus Iudæos, quid celebrent in Sabbato? Respondebunt: *Requiem Domini*. Si Græcos? idem & non aliud dicent. Ergo sub seruitute legis sunt. In cuius vmbra & tenebris consederunt.

Deinde post inanes latratus super vocabulo panis, reduxisti nobis annos ab initio mundi, vsque ad passionem Christi: quando secundum te Cyclus solaris erat XVIII. & Lunæ V: vt hoc saltem figmento, possis euadere cum fermento tuo, quasi iuxta hanc supputationem tuam, occurrat in cæna Domini luna XIII. in qua nondum fermentum abiecerat plebs Hebrça. Sed nos choronographis & calculatoribus talia relinquentes, maxime cum apud Græcos & Latinos atque Hebræos diuersæ de temporibus habeantur rationes: Hoc tantum dicimus, quia Christus nec vnum iota aut apicem veteris legis resoluit. Vnde & XIIII. Luna ad vesperum quinta Sabbati Pascha celebrauit, & mox eadem nocte comprehensus, crucifixus est quinta decima Luna, id est, sexta Sabbati, quæ specialiter dicebatur prima dies azymorum. Quamuis & in tota præcedente die, id est, quarta decima Luna fermentatum non appareret in omnibus finibus Israël. Nam & agnus cum azymis comedebatur. Quod si iuxta tuam assertionem Christus Pascha fecit tertiadecima Luna cum fermentato, dupliciter reus fuit: iuste puniendus secundum legem, quia Pascha fecit in tempore non suo, & quia cum fermentato. Quapropter mors eius nihil nobis conferet, qui non pro nostris sed pro suis peccatis interiit, scilicet quia fuit transgressor sanctæ legis. Sed de his alias copiose disseruimus.

Deinde si exceptis septem diebus Iudæi toto anno fermentatum vt asseris comedunt, quis conuenientius debet argui, Ille qui minimo tempore eos imitatur in azymis; an ille qui toto anno in fermentatis? Absit tamen vt eorum carnalem ritum in aliquo imitemur.

Verum quoniam Labyrintheo errore duceris, vt nunc qua exibas intres, nunc qua intrabas exeas, iterum eandem viam teris dicens: *Si traditum vobis fuit ab Apostolis comedere azyma, quomodo Agatho Papa vester, præsessor sanctæ sextæ Synodi, cum Gregorio Agragentinorum Episcopo & aliis patribus, contra azyma ne fierent legem statuit?* Audi. Stulte, vane, non tantum ab Apostolis, quantum ab ipso Domino

mino nostro Iesu Christo traditum est nobis azyma, non de Phase Iudaico comedere, sed de Pascha Christiano percipere.

Nec rei tenemur illo quod obiecisti XI. cap. sextæ Synodi dicens: *Nemo in Sacerdotali constitutus ordine, aut Laicus ea quæ apud Iudæos sunt azyma comedat, aut cum eis habitet, aut in infirmitatibus eos inuitet, aut medicinam ab eis accipiat, vel in balneis cum eis lauetur. Si quis hæc egerit, siquidem Clericus fuerit, deponatur, si autem laicus, sequestretur.* Quis nostrum rogo azyma, quæ apud Iudæos sunt, comedit? Quamuis enim etiam reliqua capituli huius obseruemus, illud tamē super omnia de azymis obseruamus.

Sed quid dices? Nonne magnus Basilius à Ioseph Iudæo medicinam multotiens accepit? tu autem sicut Diabolus Psalmum, ita exponendo capitulum subiunxisti: *Qui ergo azymum conficit & comedit, quamuis hoc non acceperit à Iudæis, imitator tamen Iudæorum est, sicut & is qui circumciditur.* Perdes Domine omnes qui loquuntur mendacium. Nunquid omnibus omnino Christianis interdicitur, ne aliquando alicubi azyma comedant, sicut interdicitur, ne se aliquando circumcidant? Quare hoc? quia in his imitantur Iudæos? Concedimus tamen circumcisionem solum fuisse Iudæorum: veruntamen azyma omnium gentium, quæ tu malitiose non solum à diuina, sed à humana mensa omnino repellis. Sed quid facies ô fermentate? Iudæi ceu superius asseruisti exceptis septem diebus toto anno fermentatum comedebant, & aliquando offerebant. Nunquid & hoc tolles hominibus?

Hinc videamus si non estis Sabbatiani, quos commemorant Patres sanctæ quintæ Synodi. Reprehendens enim nos cur ieiunemus Sabbatis? dicis: *quarta & sexta feria iugiter ieiunandum; vna propter traditionem altera propter passionem Domini, Sabbato autem nunquam nisi vno.* Et hoc asserere conaris ex apocryphis libris & Canonibus pari sententia sanctorum Patrum repudiatis. Nam Clementis liber, id est, itinerarium Petri Apostoli, & Canones Apostolorum numerantur inter apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreuerunt regulis orthodoxis adiungenda. Vnde nos quoque omne apocryphon abjicientes, dedignamur audire eorum fabulosas traditiones, quia non sunt vt lex Domini. Quapropter his omissis, in altera Epistola, vide quid senserint de Sabbato beati & antiqui Pontifices Romam, Syluester & Innocentius, quorum sententiæ sententia Agathonis, quamuis sanctissimi nullatenus præfertur. Sed absit vt aliquando

contraria eis Agatho sensisset. Et tamen in hoc, sicut & in aliis falleris, quod eum præsessorem illius Synodi fuisse dicis: cum tantũ legati eius eidem Synodo præsederint. Cuius gesta hic summatim placuit inseri.

Tempore Constantini filij Constantini Imperatoris, anno imperij eius septimo decimo, Agatho Papa ex rogatu Constantini Heraclij & Tiberij Principum piissimorum, misit in regiam vrbem legatos suos. In quibus erat Ioannes Romanæ Ecclesiæ tunc Diaconus, longe post Episcopus, pro adunatione facienda, sanctarum Dei Ecclesiarum. Qui benignissime suscepti, à reuerendissimo fidei Catholicę defensore Cõstantino: iussi sunt remissis disputationibus Philisophicis, pacifico colloquio de fide vera perquirere, datis eis de Bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum Patrũ, quos petebant libellis. Affuerunt autem & Episcopi CL. præsidente Gregorio regiæ vrbis præsule & Antiochiæ Machario. Et conuicti sunt qui vnam voluntatem & operationem astruebant in Christo, falsasse Patrum Catholicorum dicta per plurima. Finito autem conflictu, ea hora tantæ aranearum telæ in medium populi ceciderunt, vt omnes mirarentur. Ac per hoc significatum est, quod sordes hæreticæ prauitatis depulsæ essent. Et Gregorius quidem correctus est, Macharius autem cum suis sequacibus simul & prædecessoribus, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo & Petro anathematizati: & in loco eius Theophanius Abbas de Cicilia Episcopus factus. Tantaq; gratia legatos Catholicæ pacis comitata est, vt Ioannes Portuensis Episcopus, qui erat vnus ex ipsis, Dominica octauis Paschę Missas publicas in Ecclesia sanctæ Sophiæ coram Principe & Episcopo ipsius vrbis latine celebraret. Eo tempore Damianus Ticinẽsis Ecclesiæ Episcopus sub nomine Mansueti Episcopi Ecclesiæ S. Michaëlis, satis vtilem recteq; fidei Epistolam composuit, quæ in pręfata synodo, non mediocre suffragium tulit.

Recta autem & vera fides hæc est: vt in Domino nostro Iesu Christo sicut duæ sunt naturæ, hoc est, Dei & hominis, sic etiam duæ credantur esse voluntates siue operationes. Vis audire quod Deitatis est? *Ego, inquit, & Pater vnum sumus.* Vis audire quod humanitatis? *Pater maior me est.* Cerne secundum humanitatem eum in naui dormientem. Cerne eius diuinitatem cum Euangelista dicit: *Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.*

Ioan. 10. *Ioan. 14.* *Matth. 8.*

Hæc est sexta Synodus vniuersalis Constantinopoli celebrata & Græco sermone conscripta, temporibus Papæ Agathonis: exequente ac residente piissimo principe Constantino intra palatiũ suum, simulq;

lega-

legatis Apostolicæ sedis & Episcopis CL. residentibus: Qui omnes quidem hæresim damnauerunt. Tunc piissimus princeps Constantinus interrogauit eos, qualiter Romana Ecclesia de sacrificio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi ordinem teneret. Illi responderunt: *In calice Domini non debet solum offerri vinum sed aqua mixtum. Nam si solum vinum offertur, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Et si aqua pura offertur, sola plebs incipit esse sine Christo. Quādo vtrumq; admiscetur, id est, vinum & aqua, tunc Sacramentum Spirituale perficitur. Oblatio vero quæ in sacrificium Altaris offertur, nullam commixtionem aut corruptionem fermenti debet habere, sicut beata Virgo Maria absq; omni corruptione Christū concepit & peperit. Hinc in Ecclesia mos obtinuit, vt sacrificium Altaris non in serico aut in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus Domini fuit in syndone munda sepultum. Sic & oblatio munda debet esse à fermento, iuxta q; in gestis Pontificalibus à beato Syluestro legimus esse statutū.* Tunc placuit piissimo principi Constantino hæc traditio Apostolicæ sedis. Ecce istius & sex ceterarū Synodorū omnibus sanctis Patribus & Orthodoxis Imperatoribus, per omnia placuit fides & traditio Apostolicæ sedis. Et tu quis es, cui displicēt? Sed volumus dicas. Videtur ne tibi congruum, vt omni quarta & sexta feria ieiunes propter traditionē & passionem Christi, & propter sepulturā nullo Sabbato, nisi vno? Cum ergo omni Dominica celebres resurrectionem, omniq; quarta & sexta feria ieiunes propter traditionem & crucem; cur non & omni Sabbato propter sepulturam, cum de celebrando Sabbato nullam rationem teneas, nisi quam Iudæi, scilicet quia in eo requieuit Deus? Qui vtiq; fatigatus non est verbo creans quidquid voluit: Sed in hoc nostrā requiem præfigurauit. Quod si vno Sabbato in toto anno ieiunandū est, propter sepulturā Christi, ergo & vna quarta feria propter traditionē, & vna sexta feria propter passionem in toto anno, est ieiunandum. Vna quoq; Dominica propter resurrectionem celebrandá.

Non autem mirum si Agathoni Papæ & sanctis Patribus sextę Synodi vestra imputatis deliramenta, & quæ aut corrupistis aut finxistis capitula, cum etiam ipsi Domino Iesu & Apostolis eius imputetis figmenta. Vnde nos scientes sextam Synodum ad destruendā hæresim Græcorum Monothelitarum, non autē ad tradendū Romanis nouas institutiones congregatam: Capitula quæ nobis sub eius authoritate opponitis, omnino refutamus, quia prima & Apostolica sedes, nec aliquando ea accepit, nec obseruat hactenus: & quia aut sunt nulla, aut vt vobis libuit, deprauata sunt. Deprauastis Ioannis Chrysostomi

atque Gregorij Theologi aliorumque orthodoxorum Patrum dicta: & exhibuistis in eadem Synodo sexta. Nempe à prima Synodo Nicena vsque ad hanc sextam trecenti & amplius anni dicuntur euoluti. Et quomodo in Nicena & reliquis quatuor Synodis vniuersalibus nulla mentio fit de tam necessariis rebus? Nunquid vsque ad sextam Synodum Græci & Latini rationem Missæ ac ieiuniorum ignorauerunt? & per sexcentos & amplius annos à passione Christi in talibus errarunt? An forsan Græci hæc nouerunt, & Romani ignorauerunt? Sed ex Missalibus Romanorum libris, ab omni Ecclesia Occidentali, antiquitus receptis, euidenter cognoscitur: Quam rationem ieiunij & Missæ habuerint sub reuerendissimis Pontificibus, Syluestro scilicet auctore Nicenæ Synodi, Gelasio damnatore vestri Acacij, maximeque Gregorij Dialogo, compatre Imperatoris Mauritij. In cuius libris Missalibus omnis dies quadragesimæ habet specialis Missæ plenarium officium, & excepta Dominica, nullus dies eius soluit susceptum ieiunium, quā traditionem si temptasset Papa Agatho aliquatenus remouere Romanis, non audiretur ab eis. Quia licet ipse magnus extiterit, præfatis tamen decessoribus suis sicut tempore, ita scientia & auctoritate minor fuit. Quamobrem caput quo asseritis eum promulgasse, vt si quis Clericus ieiunaret Sabbatum prętér vnum deponeretur, magis dicendum est Nazarenorum esse quam Apostolorum: Cherinti & Hebionis, quam sextæ Synodi & Papæ Agathonis. Cui sane capitulo Epistola Pauli aperte contradicit, vbi ait: *Nemo vos iudicet in cibo aut potu aut in parte diei festi, & Neomeniæ & Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum.* Vnde Romani proprio auctori & magistro gentium in fide & veritate obedientes, nulli Sabbato festum vel otium dependunt: sicut nec Neomenia, quia profecto Iudaica sunt, & vtique vmbra futurorum.

Coloss. 2.

Porro vnde acceperimus omni die ieiuniorum perfectam Missam facere, supra curauimus ostendere: nec timemus caput quod dicitis Apostolorū de his qui non ieiunauerint Quadragesimam, quarta quoque & sexta feria, qua, excepta grauissima infirmitate, sollicite cuncti ieiunamus diebus Quadragesimæ, adeo vt interdum decennes pueros nobiscum faciamus ieiunare: nec soluimus per Sabbata Quadragesimalem abstinentiam, quam Dominus noster non soluit in quadraginta ieiunij sui diebus. Nec solueremus etiam in die Dominica, quemadmodum nec ipse, nisi præ gaudio resurrectionis eius hoc interdixisset ab initio omnium Catholicorum Patrum sententia, etiam

iam cum anathemate. Quos secuti sancti Patres Gangrensis Concilij dixerunt: *Si quis non diiudicans diem Dominicam, ieiunauerit tanquam in eius contemptu, anathema sit.* Vbi certe sicut eis attestantur omnes autentici libri, non contradicunt ieiunio Sabbati, sed Dominicæ diei.

Sed ô perfide Stercorianista, qui putas fideli participatione corporis & sanguinis Domini Quadragesimalia atque Ecclesiastica dissolui ieiunia, omnino credens cælestem escam velut terrenam per aqualiculi fœtidam & sordidam egestionem in secessum dimitti, plane sentis cum Arrio. Qui cum pro aliis blasphemiis in filium Dei, tum etiam pro ista foueam delapsus in atram, visceribus fusis vacuus quoque ventre remansit. Et vbi est Saluator qui dans discipulis panem â se benedictum & fractum dixit: *Accipite & comedite hoc est corpus meum.* In quo quid traderet, alibi dicit: *Panis quem ego dedero, caro mea est, pro mundi vita.* Et, *caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Quomodo verus? Quia qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Et quæ est vita æterna? Nempe Christus Iesus, sicut ipse dicit: *Ego sum via, veritas & vita.* Qui ergo panem Dei manducat, carnem Dei Christi manducat. Qui autem carnem eius manducat, Christum manducat; qui Christum manducat, procul dubio vitam æternam manducat, ergo ô pestifer Leno antiqui serpentis, qui conaris astutia tua corrumpere sensus Christi sponsæ, quæ est Ecclesia, vt excidatur â charitate tanti & talis sponsi, credis nos vitam incorruptibilem comedentes, corrumpere integritatem ieiuniorum, velut aliquo cibo corruptibili?

1. Cor. 11.
Ioan. 6.
Ibidem.
Ioan. 14.

Horremus quidem dicere, sed compellimur â tua impudenti improbitate. Conaris Christum, imo ipsam vitam per degestionem, sicut cænum olidum demittere in latrinam. Et vbi est, quod dixit: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo?* Sine qua refectione, quia non habetur vita, ipsa vita quæ est Christus quasi quodam iureiurando protestatur dicens: *Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis panem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nunquid hic dixit; Si manducaueritis carnem meam & biberitis sanguinem meum dissoluetis ieiunium? Et vtinam hoc solo Sacramento, non ad iudicium nostrum, omni hora reficeremur. Sed quia corpore corruptibili, & nimia miseria conscientiæ nostræ grauati, etiam bonum nostrum nequimus sufferre, â sanctis Patribus certe ad percipiendum tantum Sacramentum, præfixæ sunt horæ. Quod ne vilescat carnalibus, & in percipiendo escam Spiritus sub-

Ioan. 6.
Ibidem.

murmuret aliquis carnis appetitus, cum summa parcitate prægustamus; videre tantummodo cupientes quam suauis est Dominus, cuius panis non vult, sicuti nec manna fastidium. Nec dubitãdum in quantulacunq; portione eius fideles manducare sibi totã vitam, id est, Christum, infideles autem mortem, id est, iudicium suum, vtpote qui rei fiunt corporis & sanguinis Domini. Deinde quotidie siue tertia siue nona, siue quacunq; hora fiat à nobis Missa, non fit nisi perfecta. Nec reseruatur ex oblatione eius pars aliqua, vt per dies quinq; agatur inde Missa imperfecta. Quia nec S. Apostoli leguntur quidquam ex illo primo corporis & sanguinis Christi mysterio sub ipsa cæna distributo reseruasse: nec actus corũ indicãt eos aliquando tale quid egisse, aut præcepisse. Quinimo, sicut Lucas narrat: *Erant fideles perseuerantes in doctrina Apostolorũ & communicatione fractionis panis.* Quæ communicatio qualiter & quibus diebus fieret, post pauca demonstrat dicens: *Quotidie perseuerantes vnanimiter in templo & frangentes circa domos panem sumebant.* Ecce verax Euangelista testatur sub Apostolis fideles quotidie orasse & panẽ fregisse. Et vos qui estis qui dicitis duobus tantũ diebus hebdomadis Missã perfectã fieri debere? reliquis verò quinq; imperfectã? Nempe hic in panis fractione & cõmunicatione, non nisi perfectam actionẽ Missæ, debemus accipere, quemadmodum & ipsum Dominũ legimus, non imperfectã sed perfectã commemorationem suis discipulis tradidisse, in pane à se benedicto & mox fracto atq; distributo. Non enim benedixit tantũ & seruauit frangendũ in crastinũ, nec fregit tantũ & reposuit, sed fractũ statim distribuit. Vnde B. Alexander Martyr & Papa Quintus ab Apostolo Petro, passionẽ Domini inserẽs Canoni Missæ, non ait: hoc quotiescũq; feceritis; Sed: *Hæc quotiescunq; feceritis*, id est, benedixeritis, fregeritis & distribueritis, *in mei memoriam facietis*. quia quodlibet horũ triũ, si sine reliquis fiat, sci. benedictio sine distributione aut fractio sine benedictione & distributione, perfectam Christi memoriã non repræsentant, sicut distributio nulla sine benedictione & fractione. Quod autem quotidie & quotacunq; hora diei, non autẽ sola tertia perfectã Missam agimus, auctoritatẽ tenemus ex verbis ipsius Domini iuxta B. Paulum dicentis: *Hoc facite quotiescunque sumitis, in meã commemorationem.* Vnde mox idẽ Apostolus secutus adiecit: *Quotiescunq. manducabitis panẽ hunc & calicem bibetis, mortẽ Domini annunciabitis.* Et quã diu? *Donec veniat*: scilicet iudicare viuos & mortuos. Putasne alicubi dixerit: hoc facite hora tertia in meam commemorationem? Non vtique, sed nullã horam aut tempora excipiens dixit:

Act. 2.
Ibidem.
1. Cor. 11,
Ibidem.
Ibidem.

Quotiescunq; Nec ipse Paulus ieiunia aliqua aut certam quamlibet euolutionem annorum attendens ait: Quotiescunq; per tot annos hora nona manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis; sed indifferenter: *Quotiescunque*, Et, *donec veniat*.

Nec nescimus sanctos Patres diei Dominicę & præcipuarum solennitatũ Missas hora tertia celebrasse solitos, propter Spiritus sancti effusionẽ hora tertia in discipulos, & hoc mandasse ad posteros, quatenus illa vnius actio Missæ gemino priuilegio insigniretur, Resurrectione videlicet Christi & aduentu Paracliti, vtq; propter gaudium festi temperius relaxarẽtur cunctis frena ieiunij. Veruntamen alia causa est Dominicæ diei, ac solennitatum, alia ieiuniorũ: Si ergo hora nona aut vespertina diebus ieiuniorũ, perfecta agitur Missa, nulla procul dubio inde contrahitur noxa, quia & Dominus in cœna ad vesperũ primã & perfectam administrationem tanti Sacramenti discipulis instituit, & hora nona Spiritũ tradens sacrificiũ vespertinum expansis manibus in cruce, & præmissa oratione ad Patrẽ consumauit. Propterea quamuis hora tertia & nona propter supradictas rationes sint aptiores Missarũ actioni: quotiescunq; tamen horis aliis fiunt occupatione itineris aut gratia cuiuslibet necessariæ rei, in memoriã fiunt Christi: Nec violatur inde integritas ieiunij. Quod vtiq; B. Thelesphor' Papa à Petro septimus sentiens, etiã nocte Natiuitatis Domini Missas celebrari instituit, nec vllam resolutionẽ ieiunij ante horam tertiam & diurnã Missam inde fieri, sicut vos peruerse putatis, timuit. Dicite autem si potestis, cur Sabbatum & ceteræ extra Dominicam feriæ hora tertia Missam debeant habere, cum in eis Spiritus sanctus non legatur descendisse? Itaque nos sicut supra ostenditur diuina auctoritate subnixi, nec ieiunia resoluimus in celebratione Missę, quotacunq; hora diei fit: nec in aliquo natalitio Martyrũ, sed nec in Annuntiatione Marię Virginis. Et ideo nullius vniuersalis Synodi percellimur anathemate. Cæteri autẽ quamuis sanctorum Patrum conuentus, & si potuerunt de vtilitate & conuersatione Ecclesiarum suarum tractare, nullas tamen traditiones vniuersali Ecclesiæ præfigere. De Papa quoq; Agathone omnino scimus, quia nec sextæ Synodi per seipsum præsedit, nec aliquibus capitulis eius subscripsit, nisi quæ promulgata fuerũt aduersus Monothelitarum hæresim. Vos videte vnde hæc quæ proponitis habeatis, quia Ecclesia Romana talia hactenus ignorauit. Nec credi potest post tot annos Romanũ Pontificẽ Gręcis promulgasse aliquas de Missa obseruationes. Deinde ritũ vestræ Missæ discere non curamus, quia minimã cautelã & maximã negligentiã ei inesse cognoscimus, dum sanctũ pa-

nem frangentes & ſumentes, hinc inde decidentes micas non curatis. Quod etiam ſolet contingere, dum patinas ſanctas foliis palmarum & porcorum ſetis fricatis inhoneſtè. Multi quoq; veſtrum tam irreuerenter corpus Chriſti reponunt, vt pixides inde cumulent, & ne decidat aut ſupereffluat, manu inculcant. Reliquias quoq; oblationis velut communes panes, nonnunquam vſq; ad faſtidium ſumunt. Et ſi ſumere non ſufficiunt ſubterrant, aut in puteum projiciunt. Si autem, vt dicis, panem iam pridem oblatum & ſanctificatum exaltatis altera die, vnam oblationem videmini bis offerre. Et cur non attendiſtis in Epiſtola Papæ Clementis, cuius traditiones vt putatis contra nos defenditis, quod ibi promulgaſſe putatur? *Certè*, inquit, *tanta in altario holocauſta offerãt, quanta populo ſufficere debeant. Quod ſi remanſerint, in craſtinũ non reſeruentur, ſed cum timore & tremore Clericorum cautela & diligentia conſumantur.* Ad hæc quod aſſeris vos ab ipſa ſancta communione ſtatim ad communes cibos tranſire, non ſic ſenſiſſe idem Clemens inuenitur in præfata Epiſtola, vbi de his qui reſidua ſacrificij conſumpſerint ſubiecit: *Qui autem*, inquit, *reſidua corporis Domini quæ in Sacrario relicta ſunt conſumant, non ſtatim ad communes accipiendum cibos conueniant, ne putent ſanctæ portioni eſſe commiſcẽdos cibos, qui per aqualiculi egeſtus in ſeceſſum funduntur. Si igitur mane Dominica portio in Sacrario edatur, vſq; in ſextam ieiunent miniſtri qui hæc conſumpſerint. Et ſi tertia aut quarta, ieiunent vſq; in veſperum.* In quibus ſane verbis liquet, quod non ſolum hora tertia, ſed etiam mane hora quarta Miſſas fieri licet, quodq; ex ſacrificio ieiunium non ſoluitur, dum illic dicitur, vt qui conſumpſerint ieiunent vſq; ad ſextam vel veſperum: alioqui quomodo ieiunabunt, ſi ex ſacrificio ieiunium ſoluerunt? Deinde abſtinentiam pauciſſimorum nobis prædicantes, tacetis ingluuiem multorum, qui aut parum aut nihil Quadrageſimalis ieiunij Deo offerunt, dum à primo mane, vſq; veſperum crapulari non metuunt, nec erubeſcunt. Aliqui etiam ad Eccleſiam legumina & alia obſonia deferentes inibi comedunt, nec Paulum attendunt dicentem: *Qui eſurit domi manducet*: Et: *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* At nos Quadrageſimam vnius ſeptimanæ quam dicitis ſancti Theodori, neſcientes, ſolã Quadrageſimam Domini noſtri Ieſu Chriſti quadraginta diebus diligenter obſeruare contẽdimus, quã vt aliquis excepta graui infirmitate in aliquo infringat, ſufferre nequimus. Nec licet cuiquam apud nos, ſicut apud vos, poſt vnam refectionem quicquam pomorum aut herbarum diebus ieiuniorum percipere.

1. Cor. 11.

Hinc

Hinc perpendentes à te tam peruerse defendi adulteria, potius quam nuptias Sacerdotum: arbitramur ab inferis emersisse principem huius hæresis nefandum Diaconum Nicolaum. De quo Epiphanius vester sic scripsit: *Quarta Nicolaitarum à Nicolao hæresis est adinuenta, vno ex septem diaconibus ab Apostolis ordinato. Iste cum zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, docere cepit indifferenter vti coniugibus, non solum laicos, sed etiam qui Sacerdotij fungerentur officio. Hos damnauit sanctus Euangelista & Apostolus Ioannes, & iussit, vt quicumq; cum eis, vel sermonem colloquij miscuissent, ex hoc ipso communione priuandos. Docens rationabiliter à mundi origine Deo castitatem plurimum placuisse. Tunc etiam in seipso Christum Dei filium castitatis gloriam dedicasse, cum virginem poßidens matrem, virgo mansurus, nullum discipulorum suorum commixtione etiam legitima coniugij vti permisit dicens: Si quis vult post me venire abneget semetipsum sibi & tollat crucem suam & sequatur me. Vnde idem Dominus Iesus in Apocalypsi præcipiens Apostolo Ioanni scribere Angelo Ephesi inter alia inquit: Hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Hinc etiam Angelo Pergami dicit: Habeo aduersum te pauca, quia habes illuc tenentes doctrinam Baalam, qui docebat Baalac mittere scandalum coram Filiis Israël, edere & fornicari: ita habes & tu tenentes Doctrinam Nicolaitarum.*

Suffecerant quidem hæc ô Nicolaita Niceta ad conuincendum errorem tuum, sed quia Canonibus sub nomine Apostolorum editis, nos vrgere videris: exponere tibi tua capitula decreuimus, quamuis ea inter apocrypha vsq; nunc magna ex parte computauerimus, vt aperte cognoscatur nec Apocryphis nec authenticis vos vestras ineptias posse defendere. Ante omnia autem comprobamus te esse mentitum ipsi veritati, in eo quod dixisti, nostros prius ordinari, deinde vxores sortiri. Quia apud nos nec ad Subdiaconatus gradum quisquam admittitur, nisi perpetuam continentiã etiam à propria coniuge profiteatur. Nec post gradum cuiquam vxorem ducere vnquam conceditur. Sed tu Ecclesiam Dei volens efficere Synagogam Sathanæ & prostibulum Balaam & Iesabel, cum Nicolao dicis: *Episcopum & Presbyterum & Diaconem dicimus, qui vnam habet vxorem, ordinari: quamuis viuant eorum coniuges, quamuis defunctæ. Nec licet eos post manus impositionem innuptos esse, nec insuper ad nuptias ire, aut si nupserint alteras amplecti, sed sufficere eis quas habent, cum ad ordinationem venerunt.* O abominabilis Cynice, quomodo non erubuisti tantum nefas euomere? Ergo non licet aliquem post manus impositionem sine vxore esse? Si ita est, ipse Ioannes Apostolus & Paulus & Barnabas & omnis continens in

gradu Ecclesiastico in culpa est procul dubio. Vnde necesse est, vt futurus Episcopus, Presbyter, Diaconus & Subdiaconus, prius vxorem sortiatur, quæ sibi sufficere debeat ad carnales amplexus. Nunquid laicis non sufficit vna? nisi forte discipulis maligni Muhamed, cuius farinæ totus es. Tu quoq; quia Presbyter es, sine vxore esse non debes secundum assertiones tuas.

Sed iam videamus capitula quibus putas posse defendi adulteria Sacerdotum, non coniugia. *Episcopus*, inquam, *Presbyter aut Diaconus vxorem suam non abiiciat obtentu religionis. Si autem abiecerit, sequestretur, perseuerans autem deponatur.* Omnino confitemur non licere Episcopum, Presbyterum, Diaconem vel Subdiaconem vxorem propriam causa religionis abiicere à cura sua, scilicet vt ei victum & vestitum prouideat, non vt cum illa ex more carnaliter iaceat. Sic & sanctos Apostolos legimus egisse, beato Paulo dicente: *Nunquid non habemus potestatem, sororem mulierem circumducendi sicut fratres Domini & Cephas?* Vide insipiens, quia non dixit: Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi, sed circumducendi, scilicet vt de mercede prædicationis sustentaretur ab eis, nec tamen foret deinceps inter eos carnale coniugium. Præterea cur aliquis laicus vxoratus dubitabit ad Ecclesiasticos gradus ascendere, cum ei vna, sine qua esse non debet, possit ad carnales amplexus sufficere? Et quare tu qui tantopere Clementis capitula proponis, Epistolam eius de qua superius diximus, non attendis? Ibi enim ita dicitur: *tribus gradibus diuinorũ commissa secretorum sunt Sacramenta, id est, Presbyteris, Diaconibus & Subdiaconibus.* Et post nonnulla. *Ministri altaris ad Dominica tales eligantur officia, qui ante ordinationem coniuges nouerunt, scilicet si semper continere voluerint. Quod si post ordinationem contigerit ministrum propriæ inuadere cubile vxoris, secretarij non terat limina, nec sacrificij portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausta vel oblationes suscipiat, nec ad Dominici corporis portionem accedat. Aquam Sacerdotum porrigat manibus, ostia forinsecus claudat: Minora tantum gerat officia, vrceum sane ad altare non suggerat.*

1. Cor. 9.

Porro Synodus Nicæna omnino venerabilis & autentica, sic de suis actis, id est, subintroductis habet: *Omnimodis interdicit sancta Synodus, & neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque villi omnino Clericorum permittit habere secum mulierem extraneam, nisi forte mater sit sororue aut amita. In his namq; personis & horum similibus omnis suspicio declinatur. Qui autem præteragit, periclitabitur de ordine suo.*

Beatus

Beatus quoq; Papa Innocentius latius hinc scribens: Exuperio Episcopo Tholosano dicit: *Proposuisti quid de his obseruari debeat, quos in Diaconij ministerio, aut in officio positos incontinentes esse aut fuisse generati filij prodidêre. De his & diuinarum legum est disciplina, & beatæ recordationis viri Siricij Episcopi monita euidentia commearunt, vt incontinentes in officiis talibus positi, omni honore Ecclesiastico priuarentur, nec admitterentur accedere ad ministerium quod sola continentia oportet impleri.* Idem ad Victricium Episcopum: *Præterea quod dignum & pudicum & honestum est tenere Ecclesia omnimodo debet, vt Sacerdotes & Leuitæ cum vxoribus suis non coëant, quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur: Scriptum est enim sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus Deus vester. Nam priscis temporibus de templo Dei anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus vtique propter sobolis successionem, vxorius vsus fuerat relaxatus: quia ex alia tribu & præter semen Aaron ad Sacerdotium nullus fuerat permissus accedere. Quanto magis hi Sacerdotes vel Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent quibus Sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel à sacrificiis diuinis aut baptismatis officio vacent. Nam si Paulus ad Corinthios scribit dicens: Abstinete vos ad tempus, vt vacetis orationi; & hoc vtique laicis præcepit: multo magis Sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi iuge officium est, semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere: qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia exaudiri posse se credit? cum dictum sit: Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum. Sed fortasse hoc licere credit, quia scriptum est: vnius vxoris virum, non propter permanentiam in concupiscentia generandi hoc dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integros corpore non admisit, qui ait: vellem autem omnes esse sicut & ego. Et apertius declarat dicens: Qui autem in carne sunt Deo placere non possunt. Vos autem iam non estis in carne, sed in Spiritu. Et habentem filium non generantem dixit.*

Leuit. 11. | 1. Cor. 7. | Tit. 1. | 1. Timoth. 3. | 1. Cor. 7. | Rom. 8. | 1. Timoth. 3.

Et venerabilis Papa Siricius: *Fœminas non alias esse patimur in domibus Clericorum, nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem Synodus Nicena permisit.*

Sanctus deinde Leo Papa mirabilis doctor & sanctæ Calcedonensis Synodi auctor, omnem ambiguitatem huius rei abscindens ait: *Lex continentiæ eadem est altaris ministris, quæ Episcopis atque Presbyteris*

teris. Qui cum essent Laici, siue Lectores, licite & vxores ducere & filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos peruenêre gradus, ceperunt eis non licere quæ licuerunt. Vnde vt de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant sic habere: quo & salua sit charitas connubiorum, & cessent opera nuptiarum.

Ecce isti cum Petro & per Petrum effecti clauigeri regni cœlorum, ita confringunt omnes clauiculas infernalium portarum: vt nulla iam supersit hæresi Nicolaitarum.

Sed ne quid minus factum dicas, seriatim & aperte prosequemur, quid Romana Ecclesia in gradibus Clericorum agat. Clericos tantum Ostiarios, Lectores, Exorcistas, & Acolythos, si extra votum & habitum Monachi inueniuntur & continentiam profiteri nolunt, vxorem virginem ducere cum benedictione Sacerdotali permittit: non autem viduam & repudiatam; quia propter hoc solum deinceps nec ad subdiaconatum prouehi poterunt, nec laicus non virginem sortitus vxorem, aut bigamus, ad Clericatum. Quod si quis præfatorum ordinum desiderat ad Subdiaconatum ascendere, nequibit hoc sine consensu vxoris suæ, vt de carnali deinceps fiat coniugium spirituale, nemine eos ad hoc cogente. Nec permittitur postea vxor iungi eidem suo marito carnaliter, nec cuiquam nubere in vita aut post mortem illius, alioqui anathematisanda est, sicut & Diaconus & Sub diaconus & Presbyter aut Episcopus deponendus suam repetens, aut extraneam ducens: iuxta quod in Neocæsariensi Concilio orthodoxi sanxêre Patres.

Talibus ergo traditionibus vsque nunc sancta Romana Ecclesia & Apostolica sedes omni mundo refulsit: nec aliquando Iudaicis fabulis & Apocryfis scripturis acquieuit, sed per primos Apostolorum in ipso summo angulari lapide Christo Iesu fundata, nullis hæresibus cessit, nec prohibuit à coniugio laicos: sed sacri altaris ministros & Apostolicam perfectionem professos Monachos.

Illa tamen Ecclesia quam Arrius corrupit, Macedonius prostituit, quæ genimina viperarum, id est, Nestorium, Eutychen, Monothelitas & Theupaschitas & reliquas hæreticorum pestes peperit, adhuc à Nicolai hæresiarchæ complexibus abstrahi non potuit, adeo vt ad sacri altaris ministerium ordinandos interroget an habeant vxores. Qui respondentes se non habere: compelluntur primum ducere, & sic impositionis manum accipere, vt noui mariti, & recenti carnis voluptate toti resoluti & marcidi, & inter sancta sacrificia cogitantes, quo-

modo

modo placeant vxoribus, immaculatum Christi corpus tractent atque populo distribuant, indeq; sanctificatas manus ad tractandum membra muliebria mox referant, & sit sicut populus sic & Sacerdos, & tandem populi sicut Sacerdotes mali.

Quapropter parcite iam vobis, & nolite attendere spiritibus erroris & Dæmoniorum doctrinis, vt nobiscum de vera pace, quæ Christus est, hic & in futuro gaudeatis.

Tu vero miserrime Niceta, donec resipiscas, sis anathema, ab omni Christi Ecclesia, cum omnibus qui tibi acquiescunt, in tam peruersa doctrina. Nam volens esse legis diuinæ doctor, non intelligis quæ loqueris, neque de quibus affirmas, & stultus ipse, sapientior tibi videris septem viris loquentibus parabolas. Sed saltem aliquando disce tacere, qui nunquam loqui didicisti.

Explicit responsio Fratris Humberti Episcopi contra Nicetæ blasphemias.

INCIPIT BREVIS ET SVCCINCTA COMMEMORATIO EORVM QVÆ GESSERVNT APOCRISARII SANCTÆ ROMANÆ ET APOstolicæ Sedis in Regia vrbe, & qualiter anathematizati sunt Michaël cum sequacibus suis.

ANNO vndecimo imperij Constantini Monomachi indictione VII. ipso die natiuitatis beati Ioannis Baptistæ, aduenientibus à Domino Papa Leone Nono Apocrisariis sanctæ Romanæ sedis, Humberto scilicet Cardinali Episcopo Syluæ Candidæ, & Petro Amalphitanorum Archiepiscopo; Friderico quoque Diacono & Cancellario, ad Monasterium Studij intra vrbem Constantinopolitanam. Niceta Monachus, qui & Pectoratus, ante præsentiam præfati Imperatoris & procerum eius, insistentibus ipsis nuntiis Romanis, anathematizauit quoddam scriptum sub suo nomine contra sedem Apostolicam & omnem Latinam Ecclesiam editum, & prætitulatum De azymo, de sabbatho, & de nuptiis Sacerdotum. Insuper anathematizauit cunctos, qui ipsam sanctam Ecclesiam Romanam negarent primam omnium Ecclesiarum esse, & qui illius fidem semper Orthodoxam præsumerent in aliquo reprehendere. Post hæc statim in conspectu omnium, ad suggestionem eorundem nuntiorum Romanorum, iussit idem Orthodoxus Imperator præfatum incendi scriptum, sicque fuit discessum.

Sequenti autem die prædictus Niceta vrbe est egressus, vltro adiit legatos ipsos intra palatium Pigi. A quibus accipiens perfectam suarum propositionum solutionem, iterum sponte anathematizauit omnia dicta & facta vel tentata aduersus primam Apostolicam sedem. Hic sic ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus. Porro dicta vel scripta eorundem nuntiorum aduersus diuersas calumnias Græcorum & maxime contra scripta Michaëlis Constantinopolitani Episcopi & Leonis Acridani Metropolitani Episcopi, &

pi, & sæpedicti Nicetæ Monachi, iussu Imperatoris in Græcum fuêre translata, & in eadem vrbe hactenus conseruata.

Tandem Michaële præsentiam eorundem & colloquium deuitante, atque in stultitia sua perseuerante, præfati nuntij XVII. Cal. Augusti adierunt Ecclesiam sanctæ Sophiæ, & super obstinatione illius conquesti, Clero ex more ad Missas pręparato iam hora tertia diei Sabbathi, chartam excommunicationis super principale Altare posuerunt sub oculis præsentis Cleri & populi. Inde mox egressi, etiam puluerem pedum suorum excussere in testimonium illis, dictum Euangelij proclamantes: VIDEAT DEVS ET IVDICET. Hinc ordinatis Ecclesiis Latinorum intra ipsam Constantinopolim, & anathemate dato cunctis qui deinceps cõmunicarent ex manu Græci Romanum sacrificium vituperantis, in osculo pacis accepta Orthodoxi Imperatoris licentia donisq; Imperialibus S. Petro & sibi, alacres cepêre reuerti XV. Cal. Augusti; sed nimia instantia precum Michaëlis, spondentis tunc demum se conflicturũ cum eis, Imperator compulsus à Solembria litteris suis eos reuocauit XIII. Cal. Augusti. Quo etiam die festinantes regressi deuenerunt ad palatium Pigi. Quos præfatus Michaël Hæresiarcha comperiens rediisse, quasi ad Concilium conabatur adducere in Ecclesiam sanctæ Sophiæ, sequenti die, vt ostensa charta quam omnino corruperat transferendo, obruerentur ibidem à populo. Quod prudens Imperator præcauens, noluit haberi aliquod Concilium, nisi & ipse adesset præsens. Cumq; hoc ei omnimodis Michaël contradiceret, iussit Augustus ipsos nuntios confestim arripere iter. Quod & factum est. Porro vesanus Michaël dolens suas non procedere insidias, concitauit Imperatori vulgi seditionem maximam, velut nuntiis cooperata fuerit eius voluntas. Vnde Imperator coactus, interpretes Latinorum Paulum ac filium eius Smaragdum cæsos & detonsos Michaëli tradidit; sicque tumultus ille conquieuit. Verum Imperator post nuntios Romanos directis suis, exemplar excommunicationis verissimum à ciuitate Russorum remissum sibi accepit, ciuibusq; exhibuit, ac tandem Michaëlem falsasse chartam legatorum comperit atque conuicit. Itaq; commotus, amicos & affines ipsius honoribus priuatos à palatio eliminauit, contraque ipsum vsq; nunc graues iras retinuit.

Denique exemplar chartæ excommunicatoriæ est tale:

HVMBERTVS DEI GRATIA CARDINAlis Episcopus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Petrus Amilfitanorum Archiepiscopus; Fridericus Diaconus & Cancellarius, omnibus Catholicæ Ecclesiæ filiis.

SANCTA & Romana prima & Apostolica sedes ad quam tanquam ad caput solicitudo omnium Ecclesiarum specialius pertinet, Ecclesiasticæ pacis & vtilitatis gratia ad hanc Regiam vrbem, nos Apocrisarios suos facere dignata est, vt iuxta quod scriptum est, descenderemus & videremus vtrum opere completus sit clamor, qui sine intermissione ex tanta vrbe conscendit ad eius aures, aut si non est ita, vt sciret. Quamobrem cognoscant ante omnia gloriosi Imperatores, Clerus, Senatus & populus huius Constantinopolitanæ vrbis, & omnis Ecclesia Catholica, nos hic persensisse magnum, vnde vehementer in Domino gaudemus bonum: & maximum, vnde miserabiliter contristamur, malum. Nam quantum ad columnas Imperij & honoratos eius atque ciues sapientes, Christianissima & Orthodoxa est ciuitas. Quantum autem ad Michaëlem abusiuè dictum Patriarcham, & eius stultitiæ fautores, nimia zizania hæreseôn quotidie seminantur in medio eius. Quia sicut Simoniaci donum Dei vendunt, sicut Valesij hospites suos castrant, & non solum ad Clericatum, sed insuper ad Episcopatum promouent. Sicut Arriani rebaptizant in nomine sanctæ Trinitatis baptizatos, & maxime Latinos. Sicut Donatistæ affirmant, excepta Græcorum Ecclesia, Ecclesiam Christi & verum sacrificium atque baptismum ex toto mundo periisse. Sicut Nicolaitæ carnales nuptias concedunt, & defendunt sacri Altaris ministris. Sicut Seueriani maledictam dicunt legem Mosis. Sicut Pneumatomachi vel Theumachi absciderunt à Symbolo Spiritus sancti processionem à Filio. Sicut Manichæi inter alia, quodlibet fermentatum fatentur animatum esse. Sicut Nazareni carnalem Iudæorum munditiam adeo seruant, vt paruulos morientes ante octauum à natiuitate diem baptizari contradicant, & mulieres in menstruo vel in partu periclitantes communicari, vel si paganæ fuerint baptizari prohibeant, & capillos capitis ac barbæ nutrientes, eos qui comam tondent, & secundum institutionem Romanæ Ecclesiæ barbas radunt, in communione non recipiant. Pro quibus erroribus & aliis pluribus factis suis, ipse Michaël litteris Domini nostri Papæ Leonis admonitus resipiscere contempsit. Insuper nobis nuntiis illius, causas tantorum malorum, rationabiliter reprimere volentibus, præsentiam suam & colloquium denegauit, & Ecclesias ad Missas agendum interdixit,

Genes. 18.

dixit, sicut & prius Latinorum Ecclesias clauserat, & eos Azymitas vocans, verbis & factis vbique persecutus fuerat: in tantum vt in filiis suis anathematizasset sedem Apostolicam contra quam se adhuc scribit, Oecumenicum Patriarcham. Vnde nos quidem sanctæ primæ & Apostolicæ sedis inauditam contumeliam & iniuriam non ferentes, Catholicamque fidem subrui multis modis attendentes, auctoritate sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, atque Apostolicæ sedis, cuius legatione fungimur, & cunctorum Orthodoxorum Patrum ex Conciliis septem, atque totius Ecclesiæ Catholicæ Anathemati, quod noster reuerendissimus Papa itidem Michaëli & suis sequacibus nisi resipiscerent, denuntiauit, ita subscribimus.

Michaël abusiuus Patriarcha Neophytus, & solo humano timore habitum Monachorum adeptus, nunc etiam criminibus pessimis diffamatus, atque cum eo Leo Acridanus Episcopus dictus, & sacellarius ipsius Michaëlis, Constantinus, qui Latinorum sacrificium profanis conculcauit pedibus, & omnes sequaces eorum in præfatis erroribus & præsumptionibus, sint Anathema Maranatha, cum Simoniacis, Vallesiis, Arrianis, Donatistis, Nicolaitis, Seuerianis, Pneumatomachis & Manichæis & Nazarenis, & cum omnibus hæreticis, imo cum Diabolo & Angelis eius, nisi forte resipuerint, Amen, amen, amen.

Item alia excommunicatio ibidem facta in præsentia Imperatoris & optimatum eius, viua voce: *Quicunque fidei sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis eiusque sacrificio pertinaciter contradixerit, sit Anathema, Maranatha, nec habeatur Christianus Catholicus, sed prozymita hæreticus. Fiat, Fiat, Fiat.*

FINIS.

SANCTI ANSHELMI LVCENSIS EPISCOPI,

LIBRI DVO.

CONTRA GVIBERTVM ANTIPAPAM,

PRO DEFENSIONE GREgorij Septimi,

Legitimi Pontificis Romani.

Ex Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis Ratisbonensis.

EX TRI-

EX TRITHEMIO, DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

ANSELMUS *Episcopus Lucensis, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & in secularibus litteris non infimè doctus, Gregorij Papæ VII. Cooperator indefessus, & contra Guibertum ei subordinatum ab Henrico defensor egregius, adeo vt omnia eius facta, dicta, vel scripta contra Henricum Imperatorem auctoritate Iuris & scripturarum defenderet. Reliquit ingenij magni monumenta clarissima, quibus nomen suum ad posteritatis notitiam cũ gloria transmisit. E quibus exstant. In Hieremiam Prophetam lib. 1. In Psalterium quoque lib. 1. contra Guibertum Antipapam lib. 1. Et plures Epistolæ ad diuersos, lib. 1. Claruit sub Henrico IV. Anno Domini* 1080. *Hæc Trithemius. Eadem fere Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ. Vtrum autem libri isti aliquando sint typis excusi, incompertũ habeo. Nullum certe exemplar, quamuis studiose indagatum reperire potui. Quocirca licet editi fuissent, pro ineditis tamen ob raritatem meritò censeri possent.*

ABBAS VRSPERGENSIS IN CHRONICO.

Scripsit posthec Anshelmus Lucensis Episcopus, Epistolam ad eundem VVigbertum, in qua illum præuaricatorem ac superbum cognominat. inter alia subinferens: vt ergo de beato Gregorio patre nostro dicam. quod de Cornelio scripsit beatus Cyprianus factus est Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de Clericorum penè omnium

omnium, & vt verius dicam, omnino omnium testimonio, de plebis, quę tunc aderat, suffragio, de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Alexandri locus, id est, cum locus Petri, & gradus Sacerdotalis cathedrę vacaret. Quo occupato, & de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensu ordinato, quisquis iam Episcopus voluerit fieri, foras fiat necesse est, nec habet Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesię non tenet vnitatem. Quisquis ille fuerit, licet multùm de se iactans, sibi plurimum vendicans, profanus est, alienus est, foris est. Et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post vnum, qui solus debet esse, factus est, iam non secundus ille, sed nullus est. Hac priori sententię (aduersariorum Gregorij septimi) *valdè contraria scripsit Anselmus Episcopus, vir literis apprimè eruditus, ingenio acutissimus, facundia pręcipuus, & quod omnibus maius est, in Dei timore & sancta conuersatione nominatissimus, adeo vt tam in vita, quam post mortem referatur miraculis clarus. Hęc Vrspergensis.*

Ad hanc Epistolam alludere vel respicere videtur ipse Anselmus, cum initio primi libri sic alloquitur Guibertum. Scripsi tibi pauca cum multo dolore & sincerę charitatis affectu, vt cognoscens errorem tuum redires ad cor, &c. Sed quia verba tua iniquitas & dolus, &c. audi interea, &c.

INCIPIT LIBER PRIMVS SANCTI ANSELMI LVCENSIS EPISCOPI, CONTRA* VVIBERTVM & sequaces eius.

* VVibertū.

PROPRIVM est bonarum mentium ibi metuere culpam vbi non est, reproborum verò, se præferendo, alios de fatuis sensibus, alios de indignis meritis reprehendere. Redargui despiciunt, dum se redarguentibus, sapientiores suspicantur: ea quæ intelligunt, aliis libenter dicunt, vt plus illis tam subtilia, & tam vtilia, & aliis ignota videantur scire. Cum habent intelligentiam, non seipsos sed semper alia, vt plus videantur scire, scrutantur, nec scrutantur sua facta, sed aliena inuestigant. Sed iusto omnipotentis Dei iudicio agitur, vt quia non habuerunt timorem Dei, & non proposuerunt Deum ante conspectum suum, & in lege eius noluerunt ambulare, diuitias quas deuorauerunt, euomant, & de ventre eorum extrahat eas Dominus. Et sicut dicit Apostolus, quia non probauerunt Deum habere in notitia, *tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Spiritus enim sanctus disciplinæ effugit fictum, & auffert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. *Super quem*, inquit: *requiescam, nisi super humilem & mansuetum, & trementem verba mea?* Et alibi: *cum simplicibus sermocinatio mea.* Quo recedente, veternosus serpens tantum virus insipienti obscuratoque cordi infundit, & ita totum veneno mortiferę deceptionis mancipatum siue seruum inebriat,

Rom. 1.

Esaie. 66.
Prouerb. 3.

æ, vt amarum dulce, & dulce amarum sapiat, vt tenebras lucem, & lucem tenebras credat, bonum denique malum, & malum bonum asserat: sicque fit, vt ex duobus conuenientibus immundis Spiritibus, plenitudo superbiæ firmata, dæmoniacis humanisque contagiis, desertam vacantemque domum, omnium vitiorum comitatu stipata, circa finem mundi occupet, occupatam possideat, possessam prostituat, vt minor iam videatur in capite, & quasi per incrementa temporum in ætate perfecta profecisse. Diabolus enim dixit: *ponam sedem meam ad aquilonem, & ero similis altißimo*: De patre vero vel socio tuo dicit Apostolus: *Qui extolletur supra omne quod dicitur aut quod colitur Deus.*

Esaiæ.14.
2. Thessal.2.

Audi itaque sceleratissime omnium, qui sic mihi iam nominandus es, eo quod latrare non timuisti contra Dominum & Magistrum tuum: cognosce quæ propria sunt. Scripsi tibi pauca cum multo dolore & syncerae charitatis affectu, vt cognoscens errorem tuum redires ad cor, & pœnitentiam ageres delictorum tuorum. Sed quia verba tua iniquitas & dolus, & noluisti intelligere vt bene ageres, audi interea, quę Dominus contra te per Prophetā clamat: *Hæc dicit Dominus Deus. Ista est Hierusalem, in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terram: Et contempsit iudicia mea, vt plus esset impia quam gentes, & præcepta mea vltra quam terræ quæ in circuitu eius sunt. Iudicia enim mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ipse ego faciam in medio tui iudicia in oculis gentium, & faciam in te quæ non feci, & quibus similia vltra non faciam propter omnes abominationes tuas. Ideo patres comedent suos filios in medio tui, & filij comedent patres suos.* Hæc itaque cum videas tuis temporibus impleta, & veritas dicat: *faciam quæ nunquam in te feci, & quibus similia vltra non faciam*; quandoquidem abominatio noua & inaudita tui temporis te & Dominum tuum. N. & per vos complices vestros nouæ addicat maledictioni; tibi etiam necesse est, si vis saluus esse, inauditum iudicium asscribas: *Ista est mater Hierusalem*, & reliqua: Adultera siquidem quæ nunc est in parte tua, olim videbatur Hierusalem, sancta videlicet Ecclesia, filia Regis Dauid. Sed, prô dolor, corrupta est à fratre suo, & constuprata vsq; ad verticem. Omnis decor eius recessit ab ea, facta est quasi vidua domina gentiū, quia Rex Babylonis possidet eam. Cum enim Dominus dicat B. Petro, *Tibi dabo claues regni calorū, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiā meā, & pasce oues meas*, & alibi, *Vna est coluba mea*, quęcunq; alterius iuris vsurpatione corrūpitur; non iā sponsa Christi sed adul-

Ezechiel. 5.
Matth.16.
Ioan.21.
Cant.6.

adultera, non libera sed ancilla conuincitur, sicut dicit beatus Ambrosius: *Conuenior à Comitibus, & Tribunis, vt per me Basilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem iure suo iussisse, vt quæ in potestate eius essent, omnia tradi debere? respondi. Si à me peteret quod meum est, id est, fundum meum, argentum meum, ius huiusmodi meum, me non refragaturum, quamquam omnia quæ mea sunt, pauperũ sint, verum ea quæ diuina sunt, Imperatoriæ potestati non esse subiecta*: Et paulo post: *Nec mihi fas est tradere, nec tibi Imperator accipere expedit. Domus priuati nullo potest iure temerari, domum Dei existimas auferendam? Allegatur Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo: noli grauare te Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus: Scriptum est enim: Quæ Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius est commissum, non sacrorum. Iterum dicitur mihi mandasse Imperatorem. Debeo & ego vnam Basilicam habere. Respondeo: Non licet tibi vllam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera enim est, quæ non est legitimo Christi coniugio copulata. Veteri iure à Sacrdotibus donata imperia non vsurpata.*

Ambrosius.

Constat itaq; quia Ecclesia hæc non est vera Ecclesia sed adultera: cum sicut beatus Cyprianus dicit: *Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ iungitur à promissis Ecclesiæ separatur; nec perueniet ad Christi præmia, qui reliquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est, habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.*

Cyprianus.

Vnde & beatus Gelasius inter cætera dicit: *Ad sacerdotes Deus voluit, quæ Ecclesiæ sunt, disponenda pertinere, non ad seculi potestates, quæ si fideles sunt, Ecclesiæ suæ & sacerdotibus voluit esse subiectas. Non sibi vendicet Imperator alienum ius, & ministerium quod alij deputatum est.* Et paulo post: *Obsequi solere Principes Christianos Ecclesiæ decretis, non suam præponere potestatem.*

Gelasius.

Noli itaque dicere, quia vniuersalis Ecclesiæ curam suscepimus. Quomodo enim tibi commissa est Ecclesia; quem constat non intrasse per ostium, quod Christus est, sed aliunde ascendisse vt furem? Apostolica enim & vniuersalis Ecclesia suum habebat pastorem. Vt enim de beato Gregorio patre nostro dicam, quæ de Cornelio scripsit Cyprianus, *factus est Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de Clericorum pene omnium, & vt verum dicam, omnino omnium testimonio, de plebis quæ tunc adfuit suffragio, de Sacerdotum antiquorum & virorum bonorum col-*

Cyprianus.

legio

legio, cum nemo ante se factus esset, cum Alexãdri locus, & cum locus Petri, vel gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret. Quo occupato & de Dei voluntate atque omnium nostrum consensu ordinato, quisquis iam iam Episcopus fieri voluerit, foras fiat necesse est, nec habeat Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet vnitatem. Quisquis ille fuerit licet de se multum iactans, & sibi plurimum vendicans, profanus est, alienus est, foris est, & cum post primum secundus esse non possit, quisquis post vnum qui solus esse debet, factus est, non secundus ille, sed nullus est.

Hæc sunt iudicia Dei, quæ proiecistis, & præcepta in quibus ambulare noluistis, omnium gentium iniquitatem supergressi, cum in infernum viuentes descendistis. Omnes itaq; gentes in comparatione vestri sceleris iustificatas credimus, quia post donum acceptum sancti Spiritus, virtutesq; superuenturi sæculi non solum sicut Deum glorificare noluistis, sed contra præcepta eius leges iniquas statuentes, omnẽ vobis aditum veniæ interclusistis, nisi ad vnitatem matris Ecclesiæ vnde præcisi estis redeatis, quæ sola ius ligandi & soluendi possidet. Dominus namque dicit: *gratis accepistis, gratis date. Qui non intrat per ostium, non est pastor ouium. Et quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo.*

Matth. 10. Ioan. 10. Matth. 16.

Rex autem tuus sine intermissione vendit Episcopatus suos, edicta proponens, vt nullus habeatur Episcopus, qui à Clero electus, vel à populo fuerit expetitus, nisi præcesserit honor regius, quasi ipse sit huius ostij ostiarius, de quo veritas dicit: *Huic ostiarius aperit.*

Ioan. 10.

Tu vero aliunde ascendisti, & non vocatus à Deo accessisti, noli vsurpare tibi tanti curam regiminis. Sicut enim iam dictum est, si Gregorius in Ecclesia fuit, qui apud te etiam constitit, & iudex à nullo condemnari potuit, manifestum est te ab Ecclesiæ radice præcisum aruisse, nihilque habere potestatis ac iuris. Sicut enim beatus Cyprianus dicit, scribens Magno Presbytero: *Ecclesia vna est, quæ intus & foris esse non potest: Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo legitima ordinatione successit, Nouatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest*: Et paulò post: *Inuenimus in tali facinore non solum duces & authores, sed & participes pœnis destinari, nisi se à communione malorum separauerint, præcipiente per Moysem Domino: Separamini à Tabernaculis hominum istorum durissimorum, & nolite tangere ab omnibus, quæ sunt eorum, ne simul pereatis in peccato eorum. Et quæ comminitans Dominus per Moysen fuerat, impleuit. Vt quisq; se à Chore & Dathan & Abiron non separasset, pœnas statim pro impia commu-*

Cyprianus. Num. 16.

nione persolueret. Quo exemplo ostenditur & probatur obnoxios omnis culpæ & pœnæ futuros qui se Schismaticis contra præpositos & Sacerdotes irreligiosa temeritate miscuerint, sicut etiam per Oseæ Prophetam Spiritus sanctus contestatur & dicit: sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui manducant ea contaminantur: docens scilicet & ostendens omnes omnino cum autoribus, supplicio coniungi, qui fuerint eorum peccato contaminati.

Oseæ 9.

His & aliis innumeris salutaribus præceptis admoniti detestamur non Sacramenta Ecclesiæ, sicut tu mentiris, sed Schismaticos & sacrilegos quorum parricidalibus manibus, se se Sacramenta diuina subtraxerunt, & cum Catholica matre nostra Ecclesia persequar inimicos eius, nec conuertar donec deficiant. Sanctum quippe suum quod foris habetis, quod malo vestro accepistis, quia bono odore peristis, veneratur Ecclesia, sed vos persequitur, vt Sara ancillam, quæ tamen de semine Abrahæ concepit & peperit. Intellige itaq; quomodo persequatur adhuc ancillam domina, vt docearis quæ sit persecutio beata, & scias quo modo nec pro iustitia Christianis iurgandum sit, cum competenter exponi tibi permiseris, vt addatur aduersus Catholicos, & non redarguas Christum qui dicit: *compellite intrare*, & alia multa, quæ in consequentibus posita audies.

Luc. 14.

Dicit beatus Augustinus aduersus Donatistas. *Si Ecclesia ipsa est quæ persecutionem patitur, non quæ facit, quærant ab Apostolo quam Ecclesiam significabat Sara, quando persecutionem faciebat ancillæ. Liberam quippe matrem nostram cælestem Ierusalem; idem veram Dei Ecclesiam in illa muliere dicit fuisse præfiguratam, quæ affligebat ancillam. Si autem melius discutiamus, magis illa persequebatur Saram superbiendo, quam illam Sara coërcendo. Illa enim dominæ faciebat iniuriam, ista imponebat superbiæ disciplinam. Deinde quæro si boni & sancti viri nemini faciunt persecutionem, sed tantummodo patiuntur, cuius putant in Psalmo vocem vbi legitur: persequar inimicos meos, & cætera. Si ergo verum dicere vel agnoscere volumus, est persecutio iniusta quam faciunt impij Ecclesiæ Christi. Ista namq; beata est quæ persecutionem patitur propter iniustitiam.* Item. *Quod autem dicunt, qui contra suas impietates leges iustas institui nolunt, non petiisse à Regibus terræ Apostolos talia, non considerant aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat Imperator: qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo seruiret, quando adhuc Propheticum complebatur: Quare fremuerunt gentes, & reliqua.* Nondum autem agebatur

Augustinus. Gal. 4.

Psal. 17.

Psalm. 2.

quod

quod paulo post in eodem Psalmo subditur: Seruite Domino in timore: Quando enim reges seruiunt Domino in timore, nisi ea quae contra iussa Dei fiunt religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Idem alibi: *Vbi est quod isti clamare consueuerunt? Cui vim Christus intulit? Quem coëgit? Ecce habent Paulum Apostolum. Agnoscant in eo prius cogentem Christum & postea docentem, prius ferientem, & postea consolantem.* Item: *Non mihi placet, vt omnes habeant occidendi licentiam, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, vt non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro ciuitate, vbi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si eius congruit personae. Qui vero repelluntur aliquo terrore, ne mala faciant, etiam ipsis fortasse aliquid praestatur. Hinc autem dictum est, non resistamus malo, ne nos vindicta delectet, quae alieno malo animum pascit, non vt & correctionem hominum negligamus. Vnde nec reus mortis alienae, qui cum suae possessioni muros circumduxerit, aliquis ex ipsorum casu percussus intereat: Neque enim reus est Christianus, si bos eius aliquem feriendo, vel equus calcitrando aliquem occidat, aut ideo non debent Christiani boues habere cornua, aut equus vngulas, aut dentes canis: At vero quomodo Apostolus Paulus fategit, vt in tribuni notitiam perferretur, insidias sibi à quibusdam perditis parari, & ob hoc deductores accepit armatos? Si in illa arma scelerati homines incidissent, Paulus in effusione sanguinis eorum suum crimen agnosceret? absit vt ea quae propter bonum & licitum facimus aut habemus, si quid per hoc praeter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur.* Item. *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus, in Euangelio diceretur, vt abiicerent arma, seque militiae omnino subtraherent. Dictum est autem eis: Neminem concusseritis, neque calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum: Quibus proprium stipendium sufficere debere praecepit, militare vtiq; non prohibuit.* Item ad Bonifacium: *Graui de pugna conquereris? dubites nolo, vtile consilium tibi tuisque dabo: arripe manibus arma, oratio aures pulset auctoris, quia quando pugnatur, Deus apertis caelis spectat, & partem quam aspicit iustam defendit, & ibi dat palmam.* Item: *Noli existimare neminē Deo placere posse qui armis bellicis ministrat. In his erat sanctus Dauid, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium, in his etiam plurimi illius temporis viri:*

Ibidem.

Act. 9.

Matth. 5.

Act. 23.

Luc. 3.

In his

Matth. 8. *In his erat Centurio ille, qui Domino dixit: Non sum dignus vt intres sub tectum meum. Hoc ergo primum cogita, quando armaris ad pugnam, quia virtus etiam tua corporalis donum Dei est. Sic enim cogitabis de Dei dono non facere contra dominum: Esto ergo bellando pacificus, vt eos quos expugnas ad pacis vtilitatem vincendo perducas.*

Augustinus. Idem Augustinus Donato Presbytero: *Displicet tibi quod traheris ad salutem, cum tam multos nostrum ad pernitiem traxeris. Quid enim volumus nisi te comprehendi, & præsentari, & seruari ne pereas?*

Pelagius Pontifex. Pelagius Papa. *Non vos hominum vaniloquia retardent dicentium, quia persecutionem Ecclesia faciat, dum vel ea quæ committuntur reprimit, vel animarum salutem requirit: Errant huiusmodi rumoris fabulatores: non persequitur, nisi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel iam factum punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur iste sed diligit. Nam si vt illi putant nemo nec reprimendus à malo, nec retrahendus ad bonum est, humanas ac diuinas leges necesse est euacuari, quæ & malis pœnam, & bonis præmia iustitia suadente constituunt. Malum autem schisma esse & per exteras etiam potestates huiusmodi opprimi debere, & Canonicæ scripturæ authoritas, & paternarum nos regularum veritas docet.* Item alibi: *Nec putetis alicuius esse peccati, si huiusmodi homines comprimuntur. Hoc enim & Diuinæ gratiæ & mundanæ leges statuerunt, vt ab Ecclesiæ vnitate diuisi, à secularibus etiam potestatibus comprimantur, nec quidquam maius est, vnde Deo sacrificium possitis offerre, quam si id ordinetis, vt hi qui in suam aliorum pernitiem debacchantur, competenti debeant vigore compesci.*

Hieronymus. Hieronymus super Ezechielem libro tertio: *Qui malos percutit in eo quod mali sunt, & habet vasa interfectionis, minister est Domini.*

Augustinus. Augustinus super Psalmum centesimum decimum octauum *Est iniusta misericordia, de qua in lege scriptum est. non misereberis eius, & in libro Regum legis, quia Saul propterea contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostium Regem quem prohibebat sententia Diuina seruari. Vt si quis latronis filiis deprecantibus motus, & lacrymis coniugis eius inflexus absoluendum putat, cui adhuc latrocinandi aspiret affectus, nonne innocentes tradet exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem?*

Deuteron. 19. *1. Reg. 15.*

Augustinus. De deprædatione autem eorum qui ab Ecclesia præcisi sunt, respondeant patres nostri. Augustinus, *Quidquid,* inquit: *à parte Donati possidebatur, Christiani Imperatores legibus religiosis cum ipsis Ecclesiis ad Catholicam transferre iusserunt. Si autẽ consideremus quod scriptum est in libro Sapientiæ: ideo iusti tulerunt spolia impiorũ: Item quod legitur in Prouerbiis: thesaurizant autẽ iustis diuitiæ impiorum: tunc videbimus nõ esse quærendũ, qui habeant res hæreticorum, sed qui sint in societate iustorum.* Item

Sapient. 10. *Prouerb. 13.*

Item, beatus Gregorius, Veloci magistro militum. inter cetera: *Nunc vtile visum est, vt aliquanti illic milites transmittantur, quos gloria tua admonere & hortari vt parati sint studeat, & occasione inuenta cum gloriosissimis filiis nostris Martio & Vitalio loquere, & quæcunque vobis Deo adiutore pro vtilitate reipublicæ steterint, facite, & si hic vel ad Rauennates partes nec dicendum Ariulfum cognoueritis excurrere, vos à dorso eius sicut viros fortes condecet laborate:* Item Maurino & Vitaliano inter cetera: *Gloriosi filij estote soliciti, quia quantum comperi, hostem collectum habet, & in marinis dicitur residere, vt si huc cursum Deo sibi irato mittere voluerit, vos locum ipsius quantum Dominus adiuuerit deprædate.* Quibus diligenter perspectis, scies nos veritatem docere, non Pseudoprædicationibus dedocere, & te pro superbia in reprobum traditum sensum, sancto Patri nostro crimen imposuisse, & dicta sanctorum patrum, quæ in Epistola tua posuisti, non intellexisse. — Gregorius.

Hæc & his similia prędicamus, & cum multo dolore cordis ab his necessitatibus nostris eripi laboramus, & ad Dominum Deum nostrum de ista tribulatione clamamus, vt vos humiliter sub manu sua, diesque nostros in sua pace disponat. Cum multo siquidem dolore secat pius medicus, ni secaret, moriturum, cum multis lacrymis ligat pater filium freneticum. Dans denique gloriam nomini Domini lætatur iustus cum videt vindictam, sed tamen animum eius semper cruciat pereuntium multa.

Verum quidem est quia nec pro iustitia ferrea arma corripi concessum est, sed propter se, quantum ad iustitiæ perfectionem, quantam spectat ad Domus Dei decorem. Nec hoc quidem laudat Apostolus, quod contentiones sint inter sanctos, sed tamen dixit: *Contemptibiles qui sunt inter vos, constituite ad iudicandum.* & cum omnes vellet esse sicut seipsum, concedit tandem, vt propter incontinentiam vnusquisque habeat suam vxorem, & vt vir vxori, & vxor viro debitum reddat. — 1. Cor. 6.

Cum veritas ipsa in Euangelio pręmisisset; *Nolite iurare omnino, & sit sermo vester, est, non.* Subdidit tamen dicens: *Quod amplius est, à malo est,* non enim dixit, malum est, sed, *à malo.* ac si dixerit, si iurare necesse fuerit, & malo incredulitatis aliorum compulsi, iurate, non sine causa, non propria voluntate. Hinc est quod Moyses pro temperamento vindictæ, *oculum,* inquit: *pro oculo, dentem pro dente,* vt clementiore hac via eriperet occidendi facultatem. — Matth. 5. — Exod. 21.

Vtinam non esset colluctatio Catholicis aduersus carnem & san-

guinem, vt quieti viuerent, & tantæ perfectionis essent, vt omnes palmam Martyrij desiderarent, & non essent quos vindicare minister Dei vindex in iram ei, qui male ageret, haberet, qui non sine causa gladiũ portat. Nos vero in nullius sanguine miscuimus, nec portegente Deo miscebim⁹, nec de perditione morientium exultamus. Vindicare propriam iniuriam omnes prohibemus, vt illum spectent iudicẽ, qui pollicetur dicens: *Mihi vindictam, ego retribuam.* Defendere pupillum & viduam, armis, etiam carnalibus, tueri sanctam Ecclesiam, non eos, qui in causa sunt, sed nisi pro communi Republica sub quorum regimine sunt vniuersalis Ecclesiæ cupimus. Pecuniam eorũ & terram non concupiscimus, sed vt thesaurizent impiorum diuitiæ iustis, & spolia impiorum tollant iusti, ea tamen intentione vt eos lucrari possint, & non solum quæ illorum sunt, sed omnia etiam sua in charitate distribuant summopere satagimus & desideramus.

Rom. 12.

Non itaq; aduersum nos clamat sanguis Saxonum, sed contra vos cum vniuerso mundo, q sceleris vestri tabe inhorruit. Clamat cœlum, clamat terra, clamat omnis Ecclesia iustorum, & quę adhuc peregrinatur, & quæ iam cum Christo regnat, clamat Christus, clamat Pater pro Sponsa Filij sui, clamat Spiritus sanctus q quotidie postulat pro ea gemitibus inennarabilibus. Vos siquidem Ecclesiam laniatis & scinditis, qui partem vestram ab eius vnitate præcidistis, eamq; crudelius gladio Schismatis, quam idololatriæ scelere in frusta concidistis, vt iam non cum granis palea, sed præcisa à vite in ignem proiicianẽ sarmenta. Vos enim Ecclesiæ Catholicæ, quam inuasistis per totum Regnum, quod quia intus cecidit, foris diu stare non poterit, membra distrahitis, & in seruitutem redacta quasi vile mancipium in vestrum dominium redigitis, & diuini iuris libertatem vestro obsequio mancipatis, dicentes: omnia Imperatoris iuri esse subiecta, Episcopatus, Abbatias, omnes omnino Dei Ecclesias, cum Dominus dicat: *Ecclesiam meam, columbam meam, oues meas.* Paulus dicit: *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatus est à Deo tanquam Aaron.* In parte tua quis præficitur, nisi quem aut gratia exhausto fenore, vel munus à manu, vel munus à lingua, vel munus ab obsequio attraxerit? Quis moribus, quis honestate, quis vitæ integritate eligitur? Persequendi sunt itaq; lupi, vitandi sunt vniuersi qui adhoc, vt hæretici fiant, promouentur, qui lepram Giezi cum diuitiis suis possident, & mala quæsita mercede, non tam patrimonium facultatum quam thesaurum criminum congregarunt.

Matth. 16.
Cant. 2.
Ioan. 21.
Heb. 5.

Quia itaque nec gratis datis, nec gratis accepistis, & à mandatis Domini

Domini declinantes,maledicti estis, & quia non obeditis Apostolicis præceptis,formidamus commisceri vobis. Dicit namque beatus Ambrosius. *Si qua est Ecclesia, quæ Apostolicæ veritatis fundamenta non possidet, ne quam tibi labem posit ingerere, deserenda est. His enim legibus adulta,talibus est documentis exculta, huius modi institutionibus est propagata. Qui his aduersatur,qui ista dißimulat, qui hanc veritatis lucernam sub modio abscondit, non pastor Ecclesiæ, sed inimicus existit, & de eius manibus pereuntium sanguinem Dominus requirit. Si ergo Christum causam perditionis eorum, ad quos missus est, & vocem eius non audierunt, dicere non præsumis,nec Paulo audes asscribere stultitiam gentium & scandalum Iudæorum, à nostra quoque detractione linguam compesce, qui compellimur dicere veritatem.sicut per Prophetam Dominus comminatur : Sacerdos ingrediens & regrediens nisi sonitum dederit, morietur : Item; maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.* Ambrosius. Exod.28. Ierem.48.

Innocentius Papa: *Error, cui non resistitur approbatur, & veritas cum minime defenditur opprimitur:* Item eiusdem : *negligere quippe cum posis deturbare peruersos, nihil est aliud quam fouere, nec caret scrupulo Societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.* Innocentius.

Pius Papa: *quid prodest illum errore suo non pollui, qui consensum præstat erranti? sine dubio contra mandata dimicat, & qui consensum præstat erranti.* Pius Papa.

Clemens: *Certißimum est quod neq; amicitia,neq; propinquitas generis,neq; Regni sublimitas,homini debet esse pretiosior veritate.* Clemens.

Fabianus: *Qui omnipotentem metuit Deum, nec contra Euangelium, nec contra Apostolos, vel contra Prophetias, aut sanctorum patrum instituta agere aliquid vllo modo consentit.* Fabianus.

Leo: *Qui alios ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat.* Leo.

Augustinus: *Quisquis metu alicuius potestatis veritatem occultat, iram Dei super se prouocat, quia magis timet hominem quam Deum.* Augustinus.

Gregorius: *consentire videtur erranti, qui ad resecanda vt corrigi debeant,non occurrit.* Non igitur quod propter bonum & licitum facimus,sicut superius dictum est,nobis, si quid mali inde acciderit imputabitur. Gregorius.

Quod autem dicis,qui vniuersalis Ecclesiæ curam suscipimus licet inuiti, nunquid vita comite ad tam immane facinus pertrahi debuisti, vt temerares thorum matris tuæ & patris tui? Et si violentiam sustinuisti,cur saltem iam adulter non resipiscis?

Quod autem obsecras per Iesum, ne nobilissimam fœminarum

Incipit Liber ſecundus.

OPITVLANTE Domini Dei noſtri clementia, qui nos & ſermones noſtros ſuo mirabili nutu regit, atque diſponit, accingimur reſpondere his qui dicũt Regali poteſtati Chriſti Eccleſiam ſubiacere, vt ei pro ſuo libito vel prece, vel pretio, vel gratis liceat Paſtores imponere, eiuſque poſſeſſiones vel in ſua, vel in cuius libuerit iura transferre. Et ne diutius exordium protrahamus, in primis dicendum videtur, quo modo certum eſt, quod beatiſſimus Petrus Apoſtolus primus Eccleſiæ Pontifex, prius patriarchalibus ſedibus Orientis: poſtmodum vero primos miſit Pontifices ciuitatibus Occidentis. Ipſi enim hæc ordinatio maxime competebat, cui principaliter Chriſtus Dei Filius cæleſtis regni clauibus traditis ſuas oues paſcere iuſſerat, & pro cuius fide ne deficeret ſpecialiter orauerat, cuique fratres ſuos in eadem fide confirmare præceperat.

Sed & reliquos Apoſtolos, quos reliqui mundi partibus nouimus prædicaſſe, ſingulis vrbibus, illarum partium quibus quiſque verbum Dei prædicauit, itidem Paſtores non dubitamus miſiſſe. Et quomodo Spiritu ſancto docente cognouerunt ſeculi Principes ad fidem venturos, & ſuccedentibus temporibus ſtimulante auaritia quoſdam eorum Dei Eccleſiam ſuæ ditioni velle ſubjicere, ſuaque auctoritate & libitu Paſtores eidem ſubrogare, inter reliquos Canones, quos pro religionis cautela, & Eccleſiaſtica diſciplina ſtatuerunt, eorum prauis conatibus hac conſtitutione obuiauerunt, quæ ita ſe habet: *Si quis Epiſcopus ſecularibus poteſtatibus vſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur & ſegregetur, omneſq; qui illi communicant.* *Conſtitut. Apoſtol.*

Hanc autem conſtitutionem, quæ eorum ſcribitur, ſi quis authenticam non eſſe contendet, ſanctæ ſeptimæ vniuerſalis Synodi CCCL Patrum, nec non & Antiochenæ Synodi, quibus authentica eſſe docetur, euerſor: ac per hoc hæreticus iudicabitur: Nam & Caliſtus & Gregorius & quidam alij Romani Pontifices vt curioſo lectori notum eſt, eorundem Apoſtolicorum Canonum auctoritate ſuas cõſtitutiones firmauerunt. Stephanus vero Quartus & Iohannes Septimus vt ait Anaſtaſius in prologo ſeptimæ Synodi, quinquaginta capitula eorundem Canonum in pleniſſimum auctoritatis robur recipi cenſuerunt.

Porro eiſdem Apoſtolis decedentibus, Eccleſiæ vbique terra-

rum consuetudinem ab eis traditam inuiolabiliter seruauerunt, vt decedente cuiuslibet Ecclesię Pontifice, Clerus & populus eiusdem communi deliberatione de suo vel alterius Ecclesiæ Clero sibi Pastorem præficerent. Et hęc tam sancta tamq; Deo grata cõsuetudo tamdiu integra illibitaque permansit, quousque fidelium multitudo DEI Ecclesias amplissimis possessionibus ditare cæpit. Tunc enim ambitionis Spiritu interueniente, alij suarum, alij etiam aliarum Ecclesiarum ceperunt Episcopatus ambire, & nefandi Simonis commertio suis fautoribus, etiam quam nõ habebant pecuniam promittere. Quod videntes Deo dignissimi Romani Pontifices, qui Sacerdotij primatum in toto orbe tenebant, scil. Bonifacius, Celestinus, Leo, Gelasius, Symmachus, Hormisda, Gregorius, alij, Simoniacam hæresin prius à Petro damnatam, ex tunc & in æternum damnauerunt, alij priscam consuetudinem decretalibus constitutionibus ita firmauerunt, vt statuerent nullum ex alia Ecclesia alij Ecclesiæ præponi, nisi forte qui suę digne præficeretur Ecclesiæ in eadem, quod ipsi vix posse contingere crediderunt, nullatenus posset inueniri.

Hanc itaque quam prædixi consuetudinem ab Apostolis traditam nullatenus violare præsumpserunt Christianissimi Imperatores, Constantinus, Constans, Valentinianus, Theodosius, Archadius, Honorius, Carolus, Ludouicus & his imperio & religione consimiles, qui vel à se vel ab alijs ædificatas Ecclesias amplissimis donis ditauerunt, & in Clero & rebus Ecclesiarum nullum sibi dominium vel iudicium vendicare voluerunt, imo ne quis sibi vendicaret, quidam eorum, vt in sequentibus docebimus, legibus vetuerunt.

At contra Zenon & Anastasius Imperatores Eutychianistæ, hi leguntur prius sanctam Dei Ecclesiam sibi subdidisse, ita vt Catholicos Episcopos in exilio relegarent, & Apostolica traditione postposita sibi consentaneos in eorum sedibus videlicet subrogarent. Nam ante horum tempora leguntur quidam hæretici Imperatores, Catholicos Episcopos multis modis vexasse, electioni vero & promotioni cuiuslibet Pontificis nusquam leguntur se immiscuisse, siquidem sub eisdem Eutychianistis & Constantinopoli & in reliquis vrbibus, legitur innumerabilis fidelium multitudo Cleri scilicet & populi extitisse, quod Pseudoepiscopos eorundem nullatenus voluerunt suscipere, vt ex hoc aperte clareat, eundem Clerum & populum idcirco eosdem Pseudoepiscopos respuisse, quia constabat eosdem absq; sui electione in Dei contemptum, & erroris augmentum à præfatis Principibus promotos fuisse.

Et

Et vt exemplo quod dicimus astruamus: Anastasius S. Ecclesiæ Romanæ Bibliothecarius, in Chronica quam de Græco in Latinum sermonem transtulit, quamq; ex vetustissimis Chronicis Græcorum compilauerunt quidam Græci Dei cultores, Theophanes scilicet & Georgius, quos idem in eiusdem libri præfatione miris laudibus attollit: in eadem inquam Chronica de Imperio Anastasij sic inter cætera scribit: *Vicesimo Imperij Anastasij anno Ioanne Alexandrino antistite hæretico mortuo, Dioscorus iunior prælatus est Episcopus Alexandriæ. Cum autem venisset Constantinopolim pro Alexandrinis apud Imperatorem intercessurus, propter occisionem filij Calliopij augustalis, ab Orthodoxis publice conuitijs appetebatur cum procederet, æstimantibus eum contra recta dogmata aduenisse, ergo cum ob homicidium intercessisset, cum festinatione discessit. Causa vero cædis ista fuit: Cum idem Dioscorus manus impositionem accepisset, recesserunt multitudines rusticorum dicentes, quia nisi secundum quod sanctorum Apostolorum Canones continent fiat Episcopus, non recipietur. Principes vero inthronizauerunt eum. Dioscorus vero venit ad sanctum Marcum, & venientes Clerici induerunt eum secundo & iterum consecrauerunt. Et ita veniens ad sanctum Ioannem perfecit collectam. Cum autem esset illic Theodosius filius Calliopij augustalis, & Achatius magister militum, turbæ turbatæ, ceperunt iniuriis afficere filium augustalis, eo quod laudaret Imperatorem Anastasium. Cum vero iurgium motum fuisset, insilientes quidam à sede posuerunt filium Augustalis, & interemerunt eum: at vero Achatius magister militum, quotquot capere potuit, interfecit. Quod audiens Imperator, iratus est aduersus eos. Porro Dioscorus interueniens mitigauit eum.*

Anastasius Bibliothecarius.

Ecce qui primum Apostolicam traditionem de Pontificali promotione ausi sunt violare, ecce quibus primum autoribus seculi principes suos Pontifices nituntur Dei Ecclesiæ promouere: Et vt cepta persequamur, secuti sunt horum exempla hæreticorum quidam græcorũ Imperatores, regni sui vrbibus, suos Episcopos imponentes. Romanæ vero vrbi Deo præstante meritis Apostolorũ qui in ea viuunt & præsident, in hoc pepercerunt, decretum tamen electionis futuri Pontificis à Clero & Senatu subscriptũ prius, quam idẽ consecraretur, sibi mitti statuerunt. Quod cum legatur eisdẽ Imperatoribus, sæpe directũ fuisse, nusquã tamen legitur eosdẽ Romanorũ electionẽ mutasse. Hoc autẽ quia Deo contrariũ erat, vt Ecclesia Pontifice careret, vsq; dum q decretũ ferebat iret & rediret, penitus respuerunt sequentes Imp. pietate religioneq; præstantes. Sic enim legitur in Romano Pontificali:

Pontificale Romanum.

Benedictus enim natione Romanus suscepit iussiones clementissimi Principis Constantini ad venerabilem Clerum, & populum Romanæ ciuitatis, per quas concessit, vt qui electus fuerit Pontifex è vestigio consecretur absque tarditate:

Itaque qui aduertit alios Grecorum Imperatores ante consecrationem decretum sibi mitti voluisse, attendat eosdem Romanam electionem nunquã reprobasse, attendat etiam posteros eorundem, quia hoc contrarium Deo erat, penitus respuisse. Itaque percurramus sanctorum Patrum decreta quæ de Pontificum promotione statuerunt, vt sciamus quid iuris Imperatoribus suorum vel quorumlibet temporum in eisdem seruauerunt.

Leo Papa.

Leo Doctor eximius & primus Ecclesiæ Romanæ Pontifex, Anastasio Thessalonicensium Episcopo, qui vices Romani Pontificis super quadraginta Episcopos Illyrici & Græciæ habebat, sic inter cætera scribit: *De persona consecrandi Episcopi, & de Cleri plebisque consensu Metropolitanus fraternitati tuæ referat:* Et paulo post: *Metropolitano vero defuncto, cum in loco eius alius fuit subrogandus, comprouinciales Episcopi ad ciuitatem Metropolim conueniant, vt omnium Clericorum atque omnium ciuium voluntate discussa, ex Presbyteris eiusdem Ecclesiæ vel ex Diaconibus optimus deligatur. Cum ergo de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus concorditer postulauerit, ita vt si in aliam forte personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio is alteri præponatur, qui maioribus & studiis iuuatur & meritis, tantum vt nullus inuitis & non petentibus, ordinetur, ne ciuitas Episcopum non optatum aut contemnat aut oderit, cui non licuerit habere quem voluit:* Item idem: *Nulla ratio sinit vt inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebe expetiti, nec à prouincialibus cum Metropolitani iudicio consecrati.*

Celestinus.

Celestinus. *Nec emeritis in suis Ecclesiis peregrini & extranei, & qui ante ignorati sunt, ad exclusionem eorum, qui bene suorum merentur ciuium testimonium præponantur.* Item ibidem: *Nullis inuitis detur Episcopus, Cleri, plebis & ordinis consensus, & desiderium requiratur. Tunc alter de Ecclesia eligatur altera, si de ciuitatis ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus, quod euenire non credimus, potuerit inueniri. Primum enim illi reprobandi sunt, qui ibi sunt, vt aliqui de alienis Ecclesiis merito præferantur. Habeat vnusquisque fructum militiæ suæ in Ecclesia in qua suam per omnia officia transegit ætatem, in aliena stipendia minime alter obrepat. Sit facultas Cleris renitendi si se viderint prægrauari, & quos sibi ingeri ex transuerso cognoue-*

nouerint, non timeant refutare. Quod si non debitum premium, vel liberum de eo, qui eos est recturus, debent habere iudicium.

Gregorius Gaudioso Episcopo inter cætera: *Et ideo fraternitas tua ad prædictam Ecclesiam ire properabit, & Clerum plebemque admonere festinet, vt remoto dissidio vno eodemque consensu talem præficiẽdum sibi expetant Sacerdotem, qui à venerandis Canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solẽnitate electus, omnium subscriptionibus roboratus & dilectionis tuæ testimonio literarum ad nos sacrandus occurat. Commonemus etiam vt nullum eligi permittatis de altera Ecclesia, nisi forte inter Clericos ipsius ciuitatis nullus ad Episcopatum dignus, quod euenire non credimus, poterit inueniri, prouisurus ante omnia ne ad cuiuslibet conuersationis meritum lasciuæ personæ aspirare præsumant, & tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras.*

Gregorius.

Ex Concilio Niceno Patrum CCCX. & VIII. Cap. VI. *Per omnia autem manifestum est, quia si quis præter voluntatem & conscientiam Metropolitani Episcopi fuerit ordinatus, hunc Concilium magnum & sanctum censuit non debere esse Episcopum. Sane, si communi omnium consensu rationabiliter probato secundum Ecclesiasticam regulam, duo vel tres animositate ducti per contentionem contradicunt, obtineat plurimorum Sacerdotum sententia.*

Concilium Nicenum.

Ex VII. Synodo vniuersali habita à V. Patriarchis, cum CCCL. Patribus, sub Adriano primo Pontifice, cap. III. *Omnis electio Episcopi vel Presbyteri aut Diaconi à Principibus facta, irrita maneat, secundum regulam, quæ dicit: Si quis Episcopus secularibus potestatibus vsus Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregetur, omnesque qui illi communicant.*

Septima Synodus.

Ex VIII. Synodo item vniuersali habita à V. Patriarchis cum Patribus CCXL. sub Nicolao primo Pontifice: *Promotiones & consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione ac decreto Episcoporum fieri, hæc sancta & vniuersalis Synodus definiuit, & statuit, atque iure promulgauit, neminem Laicorum Principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni Patriarchæ vel Metropolitæ aut cuiuslibet Episcopi, ne videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confusio vel contentio, præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestatiuorum Laicorum habere conueniat, sed potius silere & attendere sibi, quousque regulariter à collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri Pontificis. Si quis verò Laicorum ad concertandum & cooperandum inuitatur ab Ecclesia, licet huiusmo-*

Octaua Synodus.

di cum reuerentia, si forte voluerit se obtemperare ascifcentibus, taliter enim dignum Pastorem sibi regulariter ad suam salutem Ecclesia promouet. Quisquis autem secularium Principum aut potentum, aut alterius dignitatis Laicus, aduersus communem ac consonantem atque Canonicam electionem Ecclesiastici ordinis agere tentauerit, anathema sit, donec obediat & consentiat, quod Ecclesia de electione atque ordinatione proprij Præsulis se velle monstrauerit.

Concilium Antiochenū.

Item ex Concilio Antiocheno CXXII. *Si quis Presbyter vel Diaconus per secularem dignitatem Ecclesiam Domini obtinuerit, dejiciatur, & ipse & ordinator à communione modis omnibus abscindatur, & sub anathemate sint, sicut Simon Magus à Petro.*

Synodus sub Symmacho.

Ex Synodo Symmachi Pontificis cum ducentis & octodecim Episcopis: *Non placuit Laicos ad statuendum aliquid in Ecclesia habere aliquam potestatem, cui subsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* In eadem: *Defuncto Pontifice, si in vnum totius inclinauerit Ecclesiastici ordinis electio, consecretur Episcopus. Si vero, vt fieri solet, studia cœperint esse diuersa, conuincat sententia plurimorum.*

Pontificale Romanum.

Ex Romano Pontificali. *Benedictus natione Romanus fecit constitutum in Ecclesia beati Petri Apostoli, in quo sederunt Episcopi septuaginta duo; Presbyteri Romani triginta tres, præsente Clero, sub anathemate, vt nullus Pontifice Romano viuente, aut Episcopo ciuitatis suæ, præsumat loqui aut sibi partes facere, nisi tertio die depositionis eius, adunato Clero & filiis Ecclesiæ, & tunc electio fiat.* Ex eodem. *Stephanus natione Siculus, congregatis Episcopis totius Tusciæ, atque Campaniæ, considentibus pariter duodecim Episcopis Francorum & Romanis Presbyteris, in præsentia totius Cleri & populi Concilium fecit in Ecclesia Constantiniana, in quo damnauit Constantinum Neophytum inuasorem sedis Apostolicæ, & allatis sacris Canonibus, eisque liquido perscrutatis, prolata est sententia ab eodem Concilio sub anathematis interdicto, vt nullus vnquam Laicorum neque ex alio ordine præsumat nisi per distinctos gradus ascendens Diaconus aut Presbyter factus fuerit Cardinalis, ad sacrum Pontificatus honorem promoueri.*

Concilīū sub Leone IV.

Ex Concilio Leonis IV. Episcoporum L. cap. V. *Si quis Sacerdotibus, seu primatibus nobilibus, seu cætero Clero huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ electionem Romani Pontificis contradicere præsumpserit, sicut in Concilio beati Stephani legitur statutum, anathema sit: Item quod electio Pontificis non pertineat Laicis tantum.*

Ex

Ex Concilio Laodicense cap. XII. *Non est permittendum turbæ electiones eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium prouehendi.*

Concilium Laodicense.

Item ex decreto Celestini Pontificis: *Docendus est populus, & non sequendus, nosque si nesciunt eos quid liceat, quidue non liceat commonere, non consensum præbere debemus.*

Celestinus Papa.

Decursis itaque tot sanctorum patrum authoritatibus, Latinorum scilicet & Græcorum, patet nihil iuris Imperatoriæ potestati in Pontificum electione seu promotione ab eisdem attributum esse, imo ne qua laicalis potestas sibi quidquam in his vendicet, à quibusdam eorum sub anathemate, hoc est, separatione à Deo, inhibitum fuisse. Et certe sub præfatis Romanis Pontificibus, leguntur extitisse potentissimi Imperatores, non solum Orienti, sed etiam Occidenti imperantes, scilicet Valentinianus & Theodosius iuniores; Martianus, Mauritius & Phocas. Et cum præfatæ vniuersales Synodi, id est, prima & septima à tot patribus agerentur Niceæ, Christianissimi Imperatores Constantinus magnus, & item Constantinus, & Hirene mater eius affuisse leguntur; sed & Basilio magno Imperatore magno petente & præsente legitur octaua Synodus item vniuersalis Constantinopoli celebrata fuisse. Itaque cum prima earum censeret non habendum quemquam Episcopum sine Concilio Metropolitani: Septima verò trium sacrorum ordinum electionem à Principibus prohiberet fieri: Octaua verò sub anathemate interdiceret Pontificum electionem laicali potestati, nunquid qui præsentes aderant Imperatores questi sunt hoc ad sui contemptum fieri, vt nihil de Pontificum electione eorum quidem referretur potestati? Imo potius leguntur sanctorum patrum constitutiones amplexati fuisse, easq; quidam eorum post quinque Patriarcharum subscriptiones suis quoque subscriptionibus, roborasse. Item, cum contingeret præfatos Romanorum Pontifices de Pontificum electione decernere, contigit suorum temporum Imperatores hoc ad sui Imperij iniuriam fieri questos fuisse? Non equidem.

Sunt autem quidam eorum contra quos scribimus, qui putant se quiddam magni in sui defensioné adinuenisse, cum introducunt Gregorium & Ambrosium à sæculi principibus ad Pontificatum promotos fuisse. Quod quia friuolum, quiaque falsum sit, euidenti iudicio clarebit, collatis eorum electionibus cum cap. VIII. Synodi, quod supra scripsimus. Nam quamuis multorum annorum interstitio à se distent, tamen ita sibi concordare videntur, vt & Synodus & eorum

electio vel promotio, vno eodemque Dei Spiritu acta fuisse, probentur. Sic enim in gestis eorum describitur vel scriptum habetur: *Gregorium licet totis viribus renitentem, Clerus, Senatusque & populus Romanus sibi concorditer Pontificem sibi delegerunt. At ille cum decretum generalitatis euadere nequiuit, consensurum se tandem aliquando simulauit, & Imperatori Mauritio, cuius Filium ex lauacro sancto susceperat, latẽter litteras destinauit, adiurans, ne vnquam assensum populis praberet, vt se huius honoris gloria sublimarent. Sed praefectus vrbis Germanus nomine, eius nuntium anticipauit, comprehensumque ac diruptis Epistolis, consensum quem populus fecerat Imperatori direxit. At ille gratias agens Deo pro amicitia Diaconi, eo quod locum deferendi ei honoris vt cupierat reperisset, ipsum ordinari praecepit.*

Ex gestis Gregorii Papae.

Ex gestis Ambrosii Episcopi.

Item in gestis Ambrosij, *Cum populus magis magisque acclamaret: Peccatum tuum super nos. Cumque ille videret suam intentionem nihil posse proficere, fugam parauit, egressusque noctis medio ciuitatem cum Ticinum se pergere putaret, mane ad portam ciuitatis Mediolanensis quae dicitur Romana, inuenitur. Cumque inuentus custodiretur à populo missa relatione ad Imperatorem clementissimum Valentinianum, qui hoc summo gaudio accepit, quod iudices ad se directi ad Sacerdotium peterentur.*

Ecce ex his & praefato capite patentissime colligitur, iuxta priscam consuetudinem praefatos Pontifices electos fuisse; Sed quia nullatenus promoueri patiebantur, cum in alterius electione praefectus vice Romanorum, Mauritij; in alterius verò populus Valentiniani legitur auxilium expetisse, patet profectò iuxta cap. VIII. Synodi, Ecclesiam seculares potestates in sui adiutorium inuitasse, easque non imperio sed obedientia tunc vsas fuisse. Quod quidem non videtur nobis fieri non licere, si contingat dignum quemlibet consensum in sui promotionem non praebere, regalem vero potestatem contingat in eadem dioecesi adesse, vt Valentinianus tunc in Mediolanensi legitur affuisse. Vt autem quaeratur extra dioecesim, cum longo interstitio possit abesse, absurdissimum est, cum sanctissimorum Patrum legibus statutum sit ne intra tres Menses viduatam relinquant Ecclesiam à Pontifice.

Historia tripartita.

Quod vero in historia tripartita legitur, Valentinianus Imp. dixisse Ambrosio: *Deus tibi cõmisit animas, ego corpora*: quam pessimè cohaereat praecedentibus, qui legit intelligat. Valde enim contrarium videtur, & hoc eum dixisse, & vt à se Pontifex eligeretur, quod ibidem prae-

præmissum est, nullatenus consensisse. Hoc autem nihil nobis aduersatur, cum beatus Gregorius eandem historiam mendosam & à Romana Ecclesia repudiatam affirmet.

Sunt item qui obiiciunt: Nicolaum iuniorem decreto Synodi constituisse, vt obeunte Apostolico Pontifice successor eligeretur, & electio eius Regi notificaretur. Facta vero electione, & vt prædictum est, Regi notificata, ita demum Pontifex consecraretur. Quod si admittendum est, vt ratione factum dicatur, obiicimus ad hoc confutandum, præfatum Regem & optimates eius se ea constitutione indignos fecisse, primum quia postea præfatum Nicolaum, Coloniensem Archiepiscopum pro suis excessibus corripuisse, grauiter tulerunt, eumq; huius gratia quantum in se erat à Papatu deposuerunt, & nomen eiusdem in Canone consecrationis nominari vetuerunt, ideoq; decretum eius de iure irritum esse debebit, quia cum à toto orbe Papa haberetur iuxta eorundem sententiam eisdem Papa non fuit, quasi non ex Dei sed eorum tantum penderet voluntate, quempiam quemlibet esse vel non esse; Romanus enim Pontifex, vt sapientes norunt, non modo deponi, sed etiam nullo Christiano iure à quolibet potest iudicari. Deinde quia cum in eodem decreto cautum esset, vt Romæ Pontificis electio à Romano Clero & populo ageret, & postea Regi notificaretur, ipsi præfatum decretum violantes, elegerunt quod eis non licebat, prius Cadalaum Parmensem, postea Wicbertum Rauennatem, induentes eos Apostolicis insignibus, vocantes Apostolicos Apostatas, Antichristi præcessores. Præterea autem præfatus Wicbertus aut sui vt suæ parti fauorem asscriberent, quædam in eodem decreto addendo, quædam mutando, ita illud reddiderunt à se dissidens, vt aut pauca aut nulla exemplaria sibi concordantia valeant inueniri. Quale autem decretum est, quod à se ita discrepare videtur, vt quid in eo potissimum credi debeat, ignoretur?

Sed vt tandem inuincibili gladio feriamus, præfatus Nicolaus vnus scilicet Patriarcha, cum quolibet Episcoporum Concilio, non potuit abrumpere, imo nec mutare, non obuiantia fidei, præfata decreta sanctorum quinq; Patriarcharum, scilicet Romani, Alexandrini, Antiocheni, Ierosolymitani, Constantinopolitani, & vt ex numero præfatis Synodis apposito colligi potest, sanctorũ Patrum, numero CC.L. & eo amplius, tot quidem leguntur præfatas constitutiones suis temporibus statuisse, in quibus non inueniuntur quidquam regiæ potestati in Pontificum electione seu promotione concessisse, imo vt prædictum

dictum est, confidentibus cum eis Christianissimis Imperatoribus & non contradicentibus, leguntur sub perpetuo anathemate vetuisse. Quod si hoc vendicandum est ex Græcorum Imperatorum consuetudine, vel ex Ambrosiana vel ex Gregoriana electione, constat vt præmissum est, eosdē ipsos hoc veluti Deo aduersum respuisse, eorundem vero Pontificum electionem & promotionem VIII. Synodo quamuis præpostere concordasse.

Et quamuis decretum de quo agimus à præfatis Ecclesiæ legibus penitus eneruetur, videamus tamen adhuc quid de eo iterum Ecclesiæ & seculi leges censeant, vt penitus euacuetur. Ex Synodo Papæ Hilarij

Synodus Hilarij Papæ.

Cap. IV. *Illud quod quisque comisit Episcopus illicite aut à decessoribus inuenit admissum, si proprium vult vitare periculum, damnabit: Nam in se, quidquid in alio non resecabit, inueniet.*

Gelasius.

Gelasius Cresconio, Ioanni & Messalæ Episcopis inter cætera. *Decessorum statuta sicut legitima & iusta, successorem custodire conuenit, ita debet etiam malefacta corrigere.*

Pelagius.

Pelagius Armentario magistro militum, inter cętera. *Postea quam Ecclesiæ iura documentorum quoque intercedentium fuerint auctoritate firmata, nullatenus ab his discedendi liberam Pontifex vel si velit permittatur habere licentiam.*

Adrianus.

Adrianus Engelramino: *Constitutiones contra sancta decreta Romanorum Præsulum, nullius sint momenti.*

Gregorius.

Gregorius in Registro: *Imperiali constitutione aperte sancitum est, vt ea quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.*

Leges Rom.

Ex Romanis legibus: *Id tantum de sacra responsione substantiam mutuetur, quod legum auxilia prosequuntur.* Item: *Generale præceptum beneficio speciali anteferendum est.* Et item: *Contra ius rescripta non valeant, quocunque modo fuerint impetrata. Quod enim publica iura præscribunt, magis sequi iudices debent.* Et infra: *Personalia rescripta quæ cum iure concordant, valeant more veterum, & negotij de quo loquitur nostra rescriptio finis latæ sententiæ terminis censeatur. Speciale autem si quid legibus ac iuri importat iniuriam, abolitum extirpetur.* Item: *Illa sacra vniuscuiusque supplicantis desiderio concessa præualeant, & effectui mancipentur, quæ cum iuris & legum ratione concordant: Ea vero quæ surreptione vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum supplicantibus ferant remedium.*

His

His itaque decursis patet præfatum decretum nullius momenti esse, nec vnquam aliquid iurium habuisse. Et hæc dicens non præiudico beatæ memoriæ Papæ Nicolao, nec quidquam eius honori derogo, Patrum sententias Dei Spiritu conditas sequendo. Homo quippe fuit, eique vt contra fas ageret surripi potuit. Nec mirum hoc eidem contigisse, cum quidam ipsius decessor inueniatur quiddam decreuisse, & meliori vsus consilio postea immutasse. Siquidem Bonifacius secundus legitur ex decreto constituisse, Vigilium Diaconum sibi in Pontificatu succedere. Quod quia Romano Clero visum est Canonibus aduersari, præsente Clero ab eodem subpositum est igni, ante confessionem beati Petri Apostoli. Et certe præfatus Nicolaus diuino metu concussus hoc idem fecisset, si tot Patrum sententias tunc in vnum collectas, vidisset, easque suo decreto tam concorditer aduersari perpendisset.

Beatus quoque Augustinus librum retractationum composuit, in correctionem eorum quæ prius incaute descripsit, & vt idem quisque sapiens faciat, his verbis commonefacit: ait enim in prooēmio eiusdem libri: *Neque enim quisquam nisi impudens; ideoque mea errata reprehendendo me reprehendere audebit. Sed & si dicit, non debuisse ea à me dici, quæ postea mihi etiam displicerent, verum dicit, & mecum facit: eorum quippe reprehensor est, quorum & ego sum: Sed sicut volet quisque accipiat hoc quod facio, me tamen Apostolicam sententiam etiam in hac re oportet intueri. Quæ dicit; Si nos ipsos iudicaremus, à Domino non iudicaremur.* [Augustinus. 1. Cor. 11.]

Excommunicatio autem quæ in præfato decreto terribiliter profertur à Wicberto, aut à suis fautoribus, indita creditur, quoniam in antiquioribus eiusdem decreti exemplaribus, longe aliter habetur. Et hæc quidem veniet super eos, qui eam ibidem in sui fauorem indiderunt, & super eos, qui eam timendam esse dicere præsumunt: Super illos quidem, vt incidant in foueam, quam foderunt, & vt apprehendat eos captio quam occultauerunt: Super hos autem, quoniam illic trepidauerunt timore vbi non esset timor, quoniam Dominus in generatione iusta est. Nam si in generatione iusta est, in præfatis patribus fuit, & per eos locutus est, ideoque illorum maledictio sicut Dei pauenda est. De maledictione vero illorum qui eorundem Patrum decretis non obediunt, dicit idem Dominus per Prophetam: *Benedicam maledictionibus vestris:* Et item: *Maledicent illi & tu benedices.* Et Salomon: *Sicut auis in contrarium volans,* [Malach. 2. Psal. 108. Prouerb. 26.]

volans, & passer quolibet vadens: sic maledictum frustra prolatum super eum veniet qui misit illud. Hoc contra decretum cuius se Wibertus authoritate defendit, vt doceat se esse quod non est, nec vnquam esse poterit.

De numero vero annorum quibus hæc damnabilis consuetudo permansisse dicitur, vt seculi potestas pro suo libitu Pontifices promoueat, iure causari non potest. Nam de diuersis consuetudinibus, illa potissimum sequenda est, quæ cum originem sumeret, Catholicos patres suorum priorum patrum vestigia sectantes authores habuit, sicut patres septimæ & octauæ Synodi, secuti sunt statuta sanctorum Patrum Romanorum Pontificum, & illi consuetudinem ab Apostolorum temporibus, per omnes Ecclesias obseruatam: Ea vero peruersitas, quæ à seculi principibus superinducta est, non præiudicat eidem sanctæ consuetudini quantalibet temporum obtinuerit curricula. Alioqui Dominus Deus noster culpandus est, qui filios Israël longissima consuetudine sub seruitute detentos, tum sub Pharaone, tum sub Cyro vel Dario liberauit, & humanum genus sub Diaboli seruitute longa consuetudine detentum, post quinq; M. annorum curricula propria morte redemit. Præterea cum veteris & noui testamenti legibus adulterium inhibitum sit, si qui Reges adulterium commiserint, nunquid eorum auctoritate posteri reges adulterari sibi licitum putabunt? absit.

Et quidem certum est Regum contra leges commissa nullatenus sequenda esse, leges vero ab eisdem calcatas in suo statu manere debere. Hinc est quod sancti Dei Martyres & Romani Pontifices in suis statutis inseruerunt dicentes: *Non licet Imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra diuinitatis mandata præsumere. Iniustum enim iudicium & definitio, Regis metu vel iussu à iudicibus ordinata, non valeant: nec quidquid contra Euangelicæ vel Propheticæ aut Apostolicæ doctrinæ constitutionem siue sanctorum Patrum actum fuerit, stabit, & quod ab infidelibus & hæreticis factum erit, omnino cassabitur.*

Decreta Pontificum.

Adrianus.

Item Adrianus ad Engelrammum Episcopum Cap. 48. *Item generali decreto constituimus vt execrandum anathema fiat, & veluti præuaricator Catholicæ fidei semper apud Deum reus existat, quicunq; Regum vel potentum deinceps Canonum censuram in quocunq; crediderit vel permiserit violandam.* Item idem ad eundem. *Constitutiones contra sancta decreta Romanorum Præsulum, nullius sint momenti.*

Si autem omnis plantatio, quam Pater cælestis non plantauit, eradi-

eradicabitur, & si, vt prædictum est, quod ab infidelibus & hæreticis actum fuerit, omnino cassabitur, nunquid hæc impietas Eutychianistarum Imperatorũ cassari, & eradicari non debet? Certe quisquis Ecclesiasticus pro suo officio vehementer non accenditur, vt tanta prauitas à Dei domo radicitus euellatur, zelo eiusdem domus Dei non comeditur, & apud Deũ canis mutus latrare non valens reputatur. Quis enim non aduertat hanc pestem seminarium esse Simoniacę hæreseos, & totius Christianæ religionis lamentabilem destructionem? Nempe cum dignitas Episcopalis à Principe adipisci posse speratur, contemptis suis Episcopis ac Clericis Dei Ecclesia deserit, & ab aliis quidem ingens pecunia aulicorũ marsupiis infunditur, vt eorundem suffragia ad tam nefariam promotionẽ mereantur, ab aliis infinitæ pecuniæ dispẽdio plus decennio in seculari curia deseruitur, ęstus, pluuię, frigora, & cętera incõmoda patientissimè tolerantur; ab aliis autẽ vel sui pastoris, vel cuius honorẽ ambiunt mors incessanter optatur, ab alio alij vehementer inuidetur, dum quod sibi sperat ab eo surripi posse putatur, imo prô dolor, in tantam Dei iniuriam interdum prosilitur, vt & seruis & fornicariis dignitas ista præstetur. Tales quippe cum adepti fuerint, quod taliter expetierunt, peccantes seculi potestates, nullatenus præsumunt redarguere, quoniam ab illis se promotos fuisse meminerunt, imo ne redarguere præsumerent, promoti fuerunt. Et hi lac quidem & lanã accipiunt, sed perditissime viuentes omnium salutem negligunt. Sic quippe impletur quod scriptũ est: *Ruina populi, Sacerdotes mali.* Et item: *Et erit sicut populus, ita & Sacerdos.* Sacerdotes quippe à populo non videntur distare, cum quisq; certatim se popularibus actionibus studet implicare. Nam cum nemo Deo militans implicet se secularibus negotiis, quidam eorum nõ Canonum, sed canum & accipitrum studia, & reliquos mundi luxus exercent: Quidam autem, quasi Deus laudet in Sacerdote quod reprehendit in diuite, amiciuntur peregrinorum pellibus, & relictis suis cathedralibus Ecclesiis, assistunt Imperatoribus, cum Canones Spiritu Dei conditi prohibeant Pontifices palatia Regis adire, sed si qua suggerenda sunt per suos Diacones potius intimare. Cumq; iidem sacri Canones prohibeant sub interminatione, quemq; Pontificẽ à sua cathedrali Ecclesia tribus dominicis diebus abesse, alios quidem eorũm vix ter aut quater in anno, & hos vix anno integro contingit easdem reuisere. Et vt soli non peccent, sed fiant vt scriptum est: *laqueus iuuenum*, dant exemplum Clericis suas itidem Ecclesias deserere, & sub spe Episcopandi Regum curiæ militare.

Isaiæ 24.
Oseæ 4.
Isaiæ 42.

Sed obiicitur, Clericos vt diuina officia Principibus exhibeant, eorundem inhabitare curiam oportere, quasi non sit iustius apud Deum, & apud homines conuenientius, quemq; Episcopũ in cuius diœcesi contingit Principem adesse, eidem idoneos & religiosos Clericos ad diuina mysteria celebranda dirigere, & pro temporis diuturnitate, qua idem ibidem moratur, alios aliis iubere succedere.

His tantis cladibus quæ contingunt ex præfatis promotionibus, Gregorius septimus obuiare cupiens, Romana Synodo quinquaginta Episcoporum, considente Presbyterorum & Abbatum multitudine, per omnia sanctis præfatis Patribus cõsonantia decreta statuit, dicens: *Si quis deinceps Episcopatũ vel Abbatiã de manu alicuius laicæ personæ susceperit, nullatenus inter Episcopos habeatur, nec vlla ei vt Episcopo aut Abbati audientia concedatur, insuper ei gratiam beati Petri & introitum Ecclesiæ interdicimus, quo vsque locum quem sub crimine tam ambitionis quam inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ, cœpit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus & Ecclesiasticis dignitatibus, constituimus.* Item: *Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet secularium potestatum aut personarum inuestituram Episcopatuũ, vel alicuius Ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, eiusdem sententiæ vinculo se astrictum esse sciat.*

Gregorius VII.

Et quoniam sanctorum authoritate monstratũ est, Pontificum electionem seculari potestati non subiacere, libet adhuc Christianissimorum Imperatorum, quas hac de causa sanxerunt constitutiones ad medium deducere, vt pateat nobis, si quid iuris in eadem causa voluerunt vendicare. Hoc enim Carolus & Ludouicus gloriosi Imperatores in primo libro Capitulorum suorum statuerunt, *Sacrorum Canonum non ignari, vt in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbemus, vt scilicet Episcopi per electionem Cleri & populi, secundum statuta Canonum de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, vt verbo & exemplo sibi subiectis prodesse valeant.* Certe cõstitutio hæc tam consonantissima sanctorum Patrum constitutionibus esse perpenditur, vt si vel à Nicæna vel qualibet etiã vniuersaliũ Synodorũ promulgaretur, non minus Spiritu Dei per istorum ora, quã per eandem prolata crederetur. Hoc quippe docet hunc esse honorem, hanc esse libertatem sanctæ Ecclesię, Clerum scilicet eidem & populum sibimet Pontificem eligere debere, hoc in electione Canonũ statuta seruanda esse commemorat, hoc Simoniacam hæresim prohibendo impugnat, hoc

Carolus & Ludouicus Impp.

vitæ

vitæ meritum & sapientiam Pastoris electione quærenda demonstrat, & quod mirum est, breuissime videtur tangere, quod beatus Gregorius scribit de Pontifice, scil. *Vt quisquis perpẽdere debeat qualiter ad Pontificatum veniat, & rite veniens qualiter doceat, & recte docẽs qualiter viuat.*

Gregorius P.

Patet itaq; sanctorum Romanorum Præsulum auctoritate & Pãtrum, sanctarum vniuersalium Synodorũ, septimæ atq; octauæ, Pontificum electionem Cleri & populi cuiusq; esse debere: patet quoq; Christianissimos Imperatores, Constantinum, Constantem, Valentinianum, Theodosium, Arcadium, Honorium, Carolũ, Ludouicum, cæterosq; fide & religione præstantes, eandem cõsuetudinem ab Apostolorum temporibus obseruatam minime violasse. Patet etiam item Christianissimos Imperatores Constantinum magnum, & item Constantinum, & Eirenen, & Basilium, Carolũ quoq; & Ludouicum, præfatam electionem seculari potestati legibus abstulisse, quamquam si etiam eorundem sanctionibus hoc nõ prohiberetur, Patriarchalium sedium auctoritati non minus obaudiretur. Pontificibus enim, non Imperatoribus, legitur Deus dixisse: *Quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis, &c.* Item primò Pontifici: *Pasce oues meas*: Item Apostolis omnibus: *Euntes docete omnes gentes.* Patriarcharũ enim tanta est auctoritas, vt omnimodis hæreticus comprobetur, quisquis eorundem Synodicis constitutionibus, obuiare nitit. Quæcunq; enim communiter statuerint sequenda, ab omni Ecclesia seruentur, quæcunq; docuerint respuenda, respuantur, nec vnquam à quolibet, nisi forte ab eisdem eorundem commune iudicium retractabitur. Firmamentum enim Christianæ fidei in eorum sedibus, per beatum Petrum sessorem earundem, ita Deus locauit, vt si vnus ex tribus principalibus Patriarchis ceciderit, duo stent, quod si duo ceciderint, cum pro fide Petri ne deficiat à Christo oratũ sit, vnius scilicet Romani Patriarchæ fides in qua fratres suos confirmet, nunquã deficiat. Quod vtiq; Christus Deus noster iam ostendere dignatus est, in vniuersalibus Synodis, iam ab ipsius ascensione octies vniuersaliter celebratis. Nam vno vel duobus à fide corruentibus, Romanus in eiusdẽ fidei fundamento licet pulsatus, licet concussus, tamen stetit immobilis. Cœlum enim & terra transibunt, verba autem eius non transibunt, qui dixit: *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, &c.*

Matth. 18. Ioan. 21. Matth. 28. Matth. 16.

Caueant itaque seculi potestates sequi quod Eutychianistæ Imperatores adinuenerũt, ne, quod absit cum eis pariter puniantur, quorum tam prauas actiones imitari maluerunt. Permittant sanctæ Dei

Ecclesiæ vti suo iure,& honore,scilicet secundum sanctorum Patrum sanctiones Pontifices sibi deligere & promouere.

Et quoniam supra diximus, hanc pestem Simoniacæ hæreseos seminarium esse, operæ pretium est aduersus eiusdem hæresis Sacerdotes insurgere, & de eorum Sacerdotio & sacrificio Patrum sententias in medium adducere.

Synodus VII. In Epistola, septimæ Synodi vniuersalis, Adriano Papæ directa, sic inter cetera legitur. *Eos qui per pecuniam manus imposuerunt vel imponunt, Petrus diuinus Apostolus, cuius cathedrā sortita est sanctitas vestra, tanquam Simonem magum deponit. Tolerabilior enim est Macedonij & eorū qui circa ipsum sunt sancti Spiritus impugnatorū impia hæresis. Illi enim creaturam, & seruum Dei Patris & Filij Spiritum sanctum delirando fatentur. Isti suum Spiritum sanctum efficiunt seruum: Omnis enim dominus qui habet, si vult vendit, siue seruum, siue aliquid eorū quæ possidet: Similiter & qui emit, dominus volens esse eius quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit. Ita & qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui sancto, æqualiter peccantes his qui blasphemauerunt dicentes: in Beelzebub eiicere Christum dæmonia, atq; vt verius dicamus, Iudæ cōparantur proditori, qui Iudæis Dei occisoribus Christum vendidit. Cumq; sanctus Spiritus cōsubstantialis sit Christo, eius ipsi proditores erunt. Et procul dubio nō est in eis gratia Spiritus sancti, id est Sacerdotij sanctitas. Nam qui non acceperunt, non habent: Ait enim Petrus Simoni: Non est tibi pars neq; sors in sermone isto, quoniā existimasti donū Dei pecunia possideri: Nam & vigesim⁹ & octauus Canon Apostolorum, & actus eorundem, tertius & quartus liber Regum, alienum omnino à Sacerdotio pronuntiant eum, qui aliquē dederit vel acceperit pecuniā in aliquo tempore, siue ante manus impositionē, siue in manus impositione, siue post manus impositionē: Accipere enim est quandocunq; accipere.* Itē ex vltima Epistola eiusdē Synodi; *Omnis ergo Episcopus vel Presbyter, aut Diaconus conuictus, quod per pecunias manus impositionē dederit vel acceperit, & à Sacerdotio & gradu decidat. Fortassis autē dicunt aliqui, quia pœnitentiam agimus pro peccato, & Dominus ignoscet illud. Ita est, quia omnes agentes pœnitentiā Deus suscipit, & indulget per pœnitentiam peccata, quæ iam patrata sunt,* & infra. *Sed quia secundum Apostolum, irreprehensibilis debet Sacerdos esse, qui per pecunias quemquam consecrat, vel consecratus est, alienus est à Sacerdotio, sicut omnis Ecclesiæ scimus alumni ex Canonicis disciplinis eruditi.*

Luc. 11. *Act. 8.*

Paschalis Papa. Item ex Epistola Paschalis Papæ Mediolanensibus missa. *Si quis obiecerit, non consecrationes sed res ipsas quæ consecratione proueniunt, vendi, videtur quidē aliquid dicere, nihil autē penitus sapere. Nā cum corporalis Ecclesiæ*

clesiæ Episcopus vel Abbas sine reb' corporalibus exteriorib' in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore temporaliter viuit, quisquis eorum alterū vendit sine quo alterum habere non prouenit, neutrum non venditum derelinquit. Quam tamen obiectionem sacer Chalcedonensis Canon penitus exterminat, cum procuratorem vel defensorem Ecclesiæ, vel quemquam Ecclesiæ subiectū, adeò per pecunias ordinari prohibeat, vt interuentores quoque tanti sceleris anathematis mucrone succidat.

Quid plura? Si anathematizati & excommunicati, vt & verè hæretici, Simoniaci & Neophyti ab Ecclesia sunt separati, quis non videat quod huiusmodi Sacerdotum Missæ & orationes Deum ad iracundiam super populum prouocent, quem talibus placari credebamus? Scriptum est enim. *Veri sacrificij locus extra Catholicam Ecclesiam non est.* Et item: *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita.* Quando ergo tales Episcopos vel Abbates, vel reliquos Clericos non deuitamus, si eorum Missas audimus, vel cum eis oramus, cum illis excommunicationem subimus. Quos quidem Sacerdotes esse saltem credere, omnino errare est, cum Petrus Simoni dicat: *Pecunia tua tecum sit in perditione, quia existimasti donum Dei pecunia possideri.* Vbi cum existimasti dicitur, non pro eo quod fecerit, sed quia se posse facere credidit, condemnatur, cum minus sit existimare quam credere. In hoc ergo quod subiungitur, *non est tibi pars neque sors in sermone isto*, patenter ostenditur, quia nihil sacræ ordinationis in hac promotione percipitur.

Tit. 3.

Act. 8.

Ibidem.

Item ex registro beati Gregorij ad Sigium, inter cætera. *Cur non perpenditur, cur non aduertitur, quia benedictio illi in maledictionem vertitur, qui ad hoc vt hæreticus fiat promouetur?* Item, idem in eodem. *Graue omnino & vltra quam dici potest facinus est, sanctum Spiritum qui omnia redemit, venundari.*

Gregorius.

Item Ambrosius in pastorali: *Nempe hoc est quod nimis doleo, quia Archiepiscopus cum per pecuniam aliquem Episcopum ordinaret specialiter, ordinauit leprosum.* Item ibidē: *Quod accepit pecunia fuit, quod dedit lepra fuit:* Item ibidē: *Aurum dans perdidisti, & sanctā gratiam non acquisiuisti.*

Ambrosius.

Hactenus de Simoniacorum sacerdotio, nunc de eorum sacrificio patrum sententias perscrutemur.

Cyprianus in Epistola ad Cornelium: *Existimat aliquis summa & magna, aut non sistente aut non permittente Deo in Ecclesia Dei fieri, & Sacerdotes, id est, Dei dispensatores non erunt de eius sententia ordinati, hoc est fidem non habere qua viuimus, hoc est Deo honorem non dare. Sed de eius sen-*

Cyprianus.

-tentia ordinati, hoc est fidem non habere qua viuimus, hoc est Deo honorem non dare. Sed de eius sententia non ordinantur Sacerdotes, qui extra Ecclesiam fiunt, sicut ipse Dominus in duodecim Prophetis ponit & dicit: sibimetipsis Regem constituerunt, & non per me. Et iterum: Sacrificia eorum tanquam panis luctus. Omnes qui manducant ea contaminabuntur. Et per Isaiam Spiritus sanctus clamat & dicit: Væ vobis filij desertores, hæc dicit Dominus: habuistis consilium & non per me, & fecistis conuentionem non per Spiritum meum, adjicere peccata super peccata.

Osee 8. Osee 9. Isaie. 30.

Hieronymus. Hieronymus super duodecim Prophetas: Odit Deus sacrificia hæreticorum, & à se projicit, & quotiescunque sub nomine Domini fuerint congregati, detestabitur fætorem eorum, & claudit nares suas: Odisse autem & projicere & non odorari, humana loquitur consuetudine, vt nos affectum Dei nostris sermonibus cognoscamus: Et si holocausta obtulerint, videantur ieiunare, dare eleemosynas, pudicitiam polliceri, quæ holocausta sunt vera, non ea suscipit Dominus. Non enim sacrificiorum magnitudinem, sed offerentium respicit voluntatem.

Pelagius. Pelagius Viatori & Pangratio inter cætera. A schismaticorum sacrificiis potius autem sacrilegiis abstinere debetis. Item in eadem Epistola: Non est Christi corpus, quod schismaticus conficit: Nec enim diuisum esse Christum poterit quisquam sine Apostoli reprobatione confingere. Vnam vt sæpe dictum est, quæ Christi corpus est, esse constat Ecclesiam, quæ in duo vel plura diuidi non potest. Similiter enim cum ab ea quisquam discesserit, esse desistit Ecclesia. Vnum in Ierusalem templum est, idolis necesse est vt immolet, qui semetipsum diuiserit.

Gregorius. Gregorius in Registro: Nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis hominibus est celebrata.

Hæc itaque tam patentia tamq; manifesta sunt, vt dilucidari non egeant. Patentissime namq; Simoniacorum Sacerdotium & sacrificia irrita esse demonstrant, quamuis quidam scripserit, quod sicut in batismate Simoniacorum, ita & in eorundẽ sacrificio virtus Spiritus sancti cooperaretur, scilicet vt non eisdem sit verum & salutare sacrificiũ, sed his quibus exhibetur. Quod ex præmissis patrum sententiis apertissime refellitur, & maxime ex eo quod dicitur: sacrificia eorum tãquam panis luctus, omnes qui ea manducant contaminabuntur. Non enim exhibitio baptismatis, & sacrificij Dominici corporis, omnino simili sibi collatione conferri valent. Nam necessitate vrgente omni baptisato conceditur baptizare, sub fidei interrogatione, & nomine Trinitatis, & trina mersione, quod vtiq; concessum est propter eum qui periculo mortis vrgetur, ne si tunc ad Sacerdotem cum non affuerit curratur,

Osee. 9.

subito

subito non valeat inueniri qui baptisma ministret. Solis autem Sacerdotibus licitum est Dominicum corpus conficere, quod quidem non baptisato ilico morituro necessarium non est. Baptisma enim præcedit Dominici corporis præceptionē, ideoq; necessariū est, vt per quēlibet baptisetur antequam Dominicum corpus à morituro expetitur. Magis namq; dolendum est quempiam absq; baptismo humanis rebus excedere, quam baptisatum absq; Eucharistiæ communione, quātis sine vtroq; non saluetur, qui quidem vtrumq; posset sumere. Nam qui dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu non intrabit in regnū Dei*, idem dixit: *Nisi manducaueritis panem Filij hominis & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis*, ideo autem dixi de potentia sumendi vtrumque, quoniam paruulus modo natus modo renatus non valet carnem Dominicam manducare, licet sanguinem eiusdem possit vix ori infusum deglutire. Nam quod dicitur, *Nisi manducaueritis*, de his qui manducare possunt, accipiendum puto. Nemo enim dicit de eo qui manducare non potest, sed de eo qui potest.

Ioan. 3.
Ioan. 6.

His ita decursis dicendum videtur hæresin Arrianorum & Sabellianorum & Macedonianorum & Fotinianorum atq; omnē generalē hæresim à S. Dei Ecclesiæ impugnatione cessasse, & Deo pro eadē pugnante cessaturam, si qua deinceps existimatur oriri posse. Hæc vero, id est Simoniacorum hæresis, quæ in initio nascentis Ecclesiæ aduersus eam statim arma corripuit, vsq; in finem sæculi pro vt sibi Diabolus vexilliferos & sequaces inueniet, & ad eiusdem probationem eandem impugnare non cessabit. *Oportet enim hæreses esse*, vt ait B. Apostolus, *vt qui probati sunt manifesti fiant*. Sed animaduertēdum est, quod Christus Deus, qui suam Ecclesiam super fidei petram ædificandam promisit, primo omnium hæreticorum primum Apostolorum opposuit, videlicet vt sicut Ecclesia, id est credentium multitudo nouit se fidem Petri semper debere sequi, sic in perpetuum meminerit eiusdem nefariæ hæresis virosa & mortifera consortia fugere, in cuius capite constat omnium Christianorum Principem maledictionis iaculum intorsisse. Hæc cum ita sint, quicunque pro suo posse ab huius pestis impugnatione cessauerit, cum Simone & eius sequacibus portionem habebit, dicente B. Gregorio: *Quisquis contra Simoniacorum hæresim & Neophytorum pro officij sui loco vehementer non asserit, cum eo se non dubitet habere portionem, qui prius hoc piaculare flagitium commisit.*

1. Cor. 11.
Gregorius.

Sciendum est autem quod aliud est hæreticū esse, aliud schismaticū: hæreticus siquidē est, qui Catholicæ Ecclesiæ fidem relinquit, & sui vel

Isidorus. alterius erroris viam sequi diligit. Item iuxta beatum Isidorum, *Qui sacram Scripturam aliter interpretatur quam flagitat sensus Spiritus sancti, per quem scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, hæreticus appellari potest.* Schismaticus vero est, qui quidem rectam se confiteri fidem simulat, sed sanctorum Patrum traditiones superbe contemnit, & se aliqua maleuolentia ab vnitate Ecclesiæ scindit.

Augustinus. Item iuxta sanctum Augustinum *Hæreticus est, qui non sequitur Catholicam veritatem. Schismaticus est, qui non amplectitur Catholicam pacem.*

Item Papa Pelagius in suo Regesto introducit beatum Augustinum ita definientem schisma in Epistola ad Valerianum Patricium, inter cætera: *Vide vtrum schismatici non sint, qui se ab eminentissima & manifestissima auctoritate Apostolicarum sedium separauerunt.*

Item idem Pelagius in Epistola ad Viatorem & Pangratium inducit Augustinum ita dicentem: *Qui aduersum autoritatem illarum Ecclesiarum, quæ Apostolicas sedes & Epistolas accipere meruerunt, temere credit, immanissimum schismatis crimen à se propulsare non poterit.*

Hæc cum ita sint, ex his patet eos esse Ecclesiam qui Apostolicarum Ecclesiarum auctoritatem sequuntur, eos vero omnibus modis esse schismaticos, qui contra præscriptas auctoritates Apostolicarum sedium, & sanctorum Patrum plus quam CC. Pontifices in Ecclesia Dei ordinare nituntur.

Concilium Antiochenũ. *Schismaticus* vero iuxta Antiochenum Concilium, *si permanserit turbas faciens & seditiones Ecclesiæ, per extraneas potestates tanquam seditiosus comprimendus est. Multa namque,* vt ait Augustinus: *etiam cum inuitis benigna quadam asperitate plectendis agenda sunt, quorum potius vtilitati consulendum est quam voluntati. Nam in corripiendo filio quamlibet aspere, nunquam tamen amor paternus amittitur. Fit tamen quod nollet vt doleat, qui etiam inuitus videtur dolere sanandus.*

Augustinus.

Pelagius. Item Pelagius Valeriano patricio. *Non persequitur, nisi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel factum iam punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur iste sed diligit. Nam si vt quidam putant, nemo nec reprimendus à malo, nec retrahendus ad bonum est, humanas ac diuinas leges necesse est euacuari, quæ & malis pœnam & bonis præmia iustitia suadente constituunt. Malum autem schisma est etiam per extraneas potestates opprimendum.*

Itaque si, vt ex his patet, schismatici per extraneas potestates sunt opprimendi, nunquid & Simoniaci ab eisdem non sunt opprimendi? Nunquid minus delinquunt? Immo magis. Nam si Christus Dei Filius

lius & Spiritus eius & Patris per omnia æquales sunt, Iudæus & simoniacus, qui vtrumque vendunt, pares non erunt? Item cùm ex premissis auctoritatibus constet, Simoniacum Paraclitum emere, Iudæum vero liqueat Christum emisse, nunquid constabit eosdem malitia & merito pares habendos esse? Et quidem ita videtur.

Patet itaque Simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus respuendos, & si commoniti non resipuerint, etiam ab exteris potestatibus opprimendos. *Verendum quippe est*, vt ait Gregorius, *Quemque pro suo officio & loco contra eosdem vehementer non inardescere, eorumque detestando errori totis nisibus, non obuiare. Error namque*, vt ait Innocentius Papa, *Cui non resistitur, approbatur, & veritas cum minime defensatur opprimitur.* Item idem: *Negligere quippe cum possis deturbare peruersos, nihil est aliud quam fouere?* — Gregorius. Innocentius.

Augustinus: *Quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se prouocat, quia magis timet hominem quam Deum.* — Augustinus.

Ambrosius: *Consentire est, non solum scienter mala fieri permittere, sed etiam malefacta non persequi.* — Ambrosius.

Gregorius: *Qui non corrigit resecanda, committit.* Item in moralibus. *Plerumque quieti atque inconcussi relinquimur, si obuiare prauis pro iustitia non curamus. Sed si ad æternæ vitæ desiderium animus exarsit, si verum lumen iam intrinsecus respicit, si in se flamma sancti feruoris accendit, in quantum locus admittit, in quantum causa exigit, debemus pro defensione iustitiæ nosmet ipsos objicere, & peruersis ad iniusta prorumpentibus etiam cum ab eis non quærimur obuiare. Nam cum iustitiam quam nos amamus in aliis feriunt, nos nihilominus sua percussione confodiunt, etiamsi venerari videantur.* — Gregorius.

Et quoniam à quibusdam eorum ignorantia, à quibusdam vero negligentia; ab aliquibus autem superbiæ contumacia delinquitur, optimum est vt primum leuius mitiusque cum eisdem & cum schismaticis agatur, & vt pro eis oretur, *ne forte*, sicut ait Apostolus: *Det illis Deus reprobum sensum, vt si resipiscant à laqueis Diaboli, à quibus alligati tenentur.* Quod si rationi non acquieuerint, Simoniaci pariter & schismatici, vt incurabilia membra ab Ecclesiæ corpore abscindantur, & vt dictum est, ab exteris potestatibus opprimantur. — Rom. 1. 2. Tim. 2.

Sciendum est Augustinum de omnibus hæreticis & schismaticis ad quendam Petrum sic scripsisse. *Firmissime tene & nullatenus dubites, omnem hæreticum & schismaticum quantumuis multas eleemosynas* — Augustinus.

faciat, vel etiam pro Christo sanguinem fundat, cum Diabolo & Angelis eius æterno igni mancipandum, nisi ante finem vitæ huius Catholicæ incorporetur & reintegretur Ecclesiæ.

Hactenus contra eos qui dicunt Dei Ecclesiam & Pontificum eius ordinationem Regiæ potestati subiacere, contraque Simoniacorum Sacerdotium & sacrificium satis dictum. Nunc restat de facultatibus Ecclesiæ dicere, quas iidem contendunt sub regia ditione manere.

LECTORI.

In Manuscripto Codice, quo vsi sumus subiiciebantur sequentes sententiæ, ab ipso, vt videtur Anselmo, ex variis auctoribus collectæ, quibus demonstrare studet Ecclesiæ facultates non esse in potestate Regis aut Cæsaris. Quo fit, vt ea quæ sequuntur aut sint altera pars secundi libri; aut totius operis liber tertius. Vtrum tamen nihil desideretur, non iniuria ambigas.

ALBINVS IN LIBRO SECVNDO SVPER MATTHÆVM.

INVENIT *Iesus in Templo vendentes boues & oues & columbas & nummularios sedentes, & cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de Templo, oues quoque & boues, & nummulariorum effudit æs, ac mensas subuertit.* Boues, aues, & columbæ ad hoc emebantur, vt offerrentur in Templo. Nummularij ad hoc sedebant ad mensas, vt inter emptores venditoresq; hostiarum prompta esset pecuniæ taxatio. Videbantur ergo licite vendi in Templo, quia ad hoc emebantur vt in eodem Templo offerrentur Domino. Sed nolens ipse Dominus aliquid in domo sua terrenæ negotiationis, ne eius quidem quæ honesta putaretur, exhiberi, dispulit negotiatores iniustos, & foras simul omnes cum his quæ negotiabantur eiecit. Quid ergo fratres mei, quid putamus faceret Dominus, si rixis dissidentes, si fabulis vacantes, si risu dissolutos, vel alio quolibet scelere reperiret irretitos, qui hostias quæ sibi immolarentur ementes in Templo vidit & eliminare festinauit?

Matth. 21. Ioan. 2.

Hæc propter illos diximus, qui Ecclesiam ingressi non solum intentionem orandi negligunt, verum etiam ea pro quibus orare debuerant, augent, insuper & arguentes se pro huiusmodi stultitia conuitiis odiisque, vel etiam detractionibus insequuntur, addentes videlicet peccata peccatis, & quasi funem longissimum sibi incauta eorum augmentatione texentes, nec timentes ex eo districti iudicis examinatione damnari. Nam bis quidem in sancto Euangelio legimus quod veniens in templo Dominus huiusmodi negotiatores eiecit, primum videlicet, id est, tertio ante passionem suam anno, sicut ex Ioannis Euangelistæ sequentibus scriptis agnoscimus, & ipso quo passus est anno, cum ante quinque dies Paschę sedens asino Ierosolymam venisset. Sed hoc idem in templo iam sanctæ Ecclesiæ, examine quotidianæ visitationis agere, omnis qui recte sapit, intelligit.

Vnde multum tremenda sunt hæc dilectissimi, & digno expauescenda timore, sedulaque præcauendum industria, ne veniens improuisus, peruersum quid in nobis vnde merito flagellari ac de Ecclesia ejici debeamus, inueniat. Et maxime in illa quæ specialiter domus orationis vocatur, obseruandum, ne quid ineptum geramus, ne cum Corinthiis audiamus ab Apostolo, *Nunquid domos non habetis*, ad agenda vel loquenda temporalia, *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Etiam à Propheta cum Iudæis, *dilectus meus in domo mea facit scelera multa.*

1.Cor. 11.
Ierem. 11.

Et quidem gaudendum est, quia ipsi sumus in baptismo templum Dei facti, testante Apostolo, qui ait: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*, ipsi ciuitas Regis magni de qua dicitur: *Fundamenta eius in montibus sanctis*, id est, fundamenta Ecclesiæ in soliditate fidei Apostolorum & Prophetarum. Sed nimis tremendum, quia præmisit Apostolus dicens: *Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus*. Et ipse Iudex iustus, *Disperdam*, inquit: *de ciuitate Domini omnes qui operantur iniquitatem.* Gaudete quia in nobis Paschæ solennitas agitur, cum de vitiis ad virtutes transire satagimus, Pascha quidem transitus dicitur. Gaudendum quia Dominus nostra pectora, ciuitatem videlicet suam inuisere, quia idem Pascha nostræ bonæ actionis præsentia suæ pietatis illustrare dignatur, sed timendum satis ne nos in ciuitate sua aliud quam ipse diligit agentes inueniat, & ipse se nobis qualem non diligimus districtus redditor ostendat, ne nos in templo nummularios, ne venditores boum, ouium, columbarumue reperiēs damnet.

1.Cor. 3.
Psalm. 86.
1.Cor. 3.
Psal. 100.

Boues quippe doctrinam vitæ cælestis, oues opera munditiæ & pietatis columbę S. Spiritus designant, quia nimirum boum iuuamine

solet ager exerceri: ager autem est Domini, cor cælesti excultum doctrina, & suscipiendis verbi Dei præparatum rite sermonibus; oues innocenter sua vellera vestiendis hominibus præstant, Spiritus super Dominum in columbæ specie descendit. Vendunt autem boues, qui verbum Euangelij non diuino amore, sed terreni quæstus intuitu audientibus impendunt, quales reprehendit Apostolus, quia Christum annuntiarent *non sincere.* Vendunt oues, qui humanæ gratia laudis opera pietatis exercent, de quibus Dominus ait: *Quia receperunt mercedem suam.* Vendunt columbas, qui acceptam Spiritus gratiam non *gratis*, vt præceptum est, sed ad præmium dant, qui impositionem qua Spiritus accipitur, etsi non ad quæstum pecuniæ, ad vulgi tamen fauorem tribuunt, qui sacros ordines non ad vitæ meritum, sed ad gratiam largiuntur. Nummos mutuo dant in templo qui non simulatè cælestibus sed apertè terrenis rebus in Ecclesia deseruiunt, sua quærentes, non quæ Iesu Christi.

Philipp.1.
Matth. 6.
Matth. 10.

Verum huiusmodi operarios fraudulentos quæ merces maneat, ostendit Dominus, cum facto de funiculis flagello, omnes eiecit de templo. Eiiciuntur autem de parte sortis sanctorum, qui inter sanctos positi, vel fictè bona, vel apertè faciunt opera mala. Oues quoq; & boues eiecit, quia talium vitam pariter & doctrinam ostendit esse reprobam.

Funiculi quibus flagellando impios de templo expulit, incrementa sunt actionum malarum, de quibus materia damnandi reprobos districto iudici datur. Hinc etenim dicit Isaias: *Væ q trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Et in Prouerbiis Salomon: *Iniquitates*, inquit, *suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Qui enim peccata peccatis pro quibus acrius damnetur accumulat, quasi funiculos quibus ligetur ac flagelletur paulatim augendo prolongat.

Isaiæ 5.
Prouerb. 5.

Numulariorum quoq; quos expulerat effudit æs, & mensas subuertit, quia damnatis in fine reprobis etiam ipsarum quas dilexere rerum tollet figuram, iuxta hoc quod scriptum est, *& mundus transiet & concupiscentia eius.*

1. Ioan. 2.

Et eis qui columbas vendebant dixit: *Auferte ista hinc, nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Venditionem columbarum de templo auferre præcipit, quia gratia Spiritus gratis accipi, gratis dari debet. Vnde Simon ille magus, qui hanc pecunia emere voluit, vt maiore pretio venderet, audiuit. *Pecunia tua tecum sit in perditione, non est tibi pars neq; sors in sermone hoc.*

Ioan. 2.
Act. 8.

Notandum autem quia non soli venditores columbarum sunt, & domum Dei faciunt domum negotiationis, qui sacros ordines largiendo pretium pecuniæ vel laudis vel etiam honoris inquirunt, verum hi quoque, qui gradum vel gratiam in Ecclesia spiritualem, quam Deo largiente percepêre, non simplici intentione, sed cuiuslibet humanæ causâ retributionis exercent, contra illud Apostoli Petri: *Qui loquitur quasi sermones Dei, qui ministrat tanquam ex virtute quam administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum*: Quicunq; ergo tales sunt, si nolint veniente Domino de Ecclesia auferri, auferant ista de suis actibus, ne faciant domum Dei domum negotiationis.

1. Pet. 4.

In eodem.

Zelo domus Patris Saluator eiecit impios de templo.

ZELEMVS & nos fratres charissimi domum Dei, & quantum possumus, ne quid in ea prauum geratur, insistamus. Si viderimus fratrem, qui ad domum Dei pertinet, superbia tumidum, si detractionibus assuetum, si ebrietati seruientem, si luxuria eneruatum, si iracundia turbidum, si alij cuiquam vitio substratum, studeamus in quantum facultas suppetit, castigare polluta, ac peruersa corrigere & si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrimo mentis sustinere dolore, & maximè in ipsa domo orationis, vbi corpus Domini consecratur, vbi Angelorum præsentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid quod nostram fraternamue orationem impediat, totis viribus agamus.

In Ioannem.

Iesus autem inclinans deorsum digito scribebat in terra.

Ioan. 8.

PER inclinationem Iesu, humilitas, per digitum qui articulorum compositione flexibilis est, subtilitas discretionis exprimitur. Porro per terram, cor humanum, quod vel actionum malarum vel bonarum solet reddere fructus, ostenditur. Postulatus ergo Dominus iudicare de peccatrice, non statim dat iudicium, sed prius se inclinans deorsum, digito scribit in terra, ac sic demum, quam obnixe rogatus, iudicat, nos videlicet typicè instruens, vt cum quælibet proximorum errata conspicimus, non hæc antea reprehendendo iudicemus, quam ad-

ad conscientiam nostram humiliter reuersi, digito eam discretionis sollerter exsculpamus, & quid in ea conditori placeat, quidue displiceat, sedula examinatione dirimamus, iuxta illud Apostoli: *Fratres & si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite huiusmodi in Spiritu mansuetudinis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Gal. 6.

Cum autem perseuerarent interrogantes eum, erexit se & dixit eis: *Qui vestrum sine peccato est, primus in illam lapidem mittat.* Quia hinc & ideo Domino scribae & Pharisaei tendebant laqueos insidiarum, putantes eum vel immisericordem futurum in iudicando vel iniustum, praeuidens ille dolos, quasi fila transit araneae, & iudicium iustitiae per omnia & mansuetudinem pietatis ostendens. Ecce temperantia miserandi: *Qui sine peccato est vestrum*, ecce iterum iustitia iudicandi, *primus in illam lapidem mittat.* Ac si dixisset; si Moyses mandauit vobis mulierem huiusmodi lapidare, videte, quia non hoc peccatores, sed iustos facere praecepit. Primo vos ipsi iustitiam legis implete, & sic innocentes manibus & mundo corde ad lapidandum ream concurrite, primo spiritualia legis edicta, fidem, misericordiam & charitatem perficite, & sic ad carnalia iudicanda, diuertite. Ioan. 8.

Dato autem iudicio Dominus, iterum se inclinans deorsum in terra scribebat. Et quidem iuxta morem consuetudinis humanae potest intelligi, quod ideo Dominus coram tentatoribus improbis inclinari & in terra scribere voluerit, vt alio vultum intendens, liberum daret eis exitum, quos sua responsione perculsos citius exituros, quam plura interrogaturos praeuiderat. Deniq; audientes: vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus.

Sed figuratè nos admonet in eo, quod & ante datam & post datam sententiam inclinans scripsit in terra, vt & prius quam peccantem proximum corripiamus, & post quam debitae castigationis illi ministerium reddiderimus, nos ipsos digna humilitatis inuestigatione perpendamus, ne forte aut eisdem quae in ipsis reprehendimus, aut aliis quibuslibet simus facinoribus irretiti, sicut forte fieri potuit, vt ipse qui homicidam reum mortis esse iudicauerit, ipse in seipso per odium fraternae mortis esse reus ante oculum conditoris inueniatur. Similiter qui fornicationis crimen in fratre accusat, in seipso superbiae facinus non videat. Ideo iubetur iudex alieni criminis digito discretionis in corde suo describere, ne forte in seipso reus inueniatur. Quid ergo nobis in huiusmodi periculis remedij, quid

quid restat salutis, nisi vt cum peccantem conspicimus alium, mox inclinemur deorsum, id est, quàm deiecti ex nostræ conditione fragilitatis simus, si non nos diuina pietas sustentet, humiliter inspiciamus, digito scribamus in terra, id est, discrimine sollerti pensemus, an cum beato Iob dicere possimus: *Neq; enim reprehendit nos cor nostrum in omni vita nostra.*

Iob.27.

Ex decretis Stephani Papæ & Martyris.

VESTIMENTA Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse & honesta, quibus in aliis vsibus nemo debet frui, quam Ecclesiasticis & Deo dignis officiis, quia nec ab aliis debent contingi aut ferri, nisi à sacratis hominibus; ne vltio quæ Balthasar percussit, super hæc transgredientibus & talia præsumentibus veniat diuina, & corruere eos faciat ad ima. Hæc illis in partibus quibus moraris, & in omnibus, quibus potueris, cunctis nota facito, & obseruare Apostolica mandato auctoritate, quia & nostri nobisque commissi in sede Apostolica & vniuersali Ecclesia omnes hæc obseruare nunc & futuris temporibus, professi sunt.

Innocentius Papa Episcopis Apuliæ.

CANONES apud Nicæam constituti pœnitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludunt.

Ex decretis Siricij Papæ.

ILLVD nos quoq; par fuit prouidere, vt sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post pænitudinem ac reconciliationem nulli vnquam laico liceat honorem clericatus adipisci, quia quamuis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum instrumenta Sacramentorum suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.

Ex decretis Leonis Papæ primi.

NEc primum aut secundum aut tertium in Ecclesia gradum quisque laicorum quibuslibet suffragiis fultus ascendat, priusquam

ad hoc

ad hoc meritum per legitima augmenta perueniat. Quod enim nunc vtcunque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit, si quisquam id quod omnino interdicimus vsurpare præsumpserit, quia remissio peccati non dat licentiam peccandi, neque quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impune committi.

Ex Concilio Toletano XII.

SI Diaconus aut Presbyter crimen capitale commiserit, ab officij honore depositus in monasterium retrudatur, ibique tantummodo quamdiu vixerit, communionem sumat laicam.

Ex Canonibus Syluestri Papæ.

NVLLVS Lector vel Acolytus vasa sancta audeat tangere, & nullus Subdiaconus rem iam consecratam à Presbytero alij porrigat, quia aliud est minister aliud assistens, nisi tantum subportet quod ei Sacerdos imponat, suo ore benedictum.

Ex eisdem.

SI quis Clericatum promereri desiderat, hoc iustum est vt sit Ostiarius annum vnum, Lector annos XX. Exorcista annos decẽ; Acolytus annos quinque, Subdiaconus annos quinque, Diaconus annos quinque. Et sic ad honorem Presbyterij accedat, & faciens in eo ordine annos sex, si fuerit omnium votiua gratia, non præmio, non inuasione cupiditatis, nulli prorumpens gradum, sic ab omni Ecclesia eligatur consecrandus Episcopus, nullo de membris Ecclesiæ interdicente, & omni Ecclesia conueniente: *Et dixerunt Episcopi*, placet.

Innocentius Papa de temporibus morandis in Clero.

ITA sane, vt in eis tempora à maioribus constituta seruentur, ne cito quilibet Lector, cito Acolytus, cito Diaconus, cito Sacerdos fiat, quia in minoribus officiis si diu perdurent, & vita eorum pariter & obsequia comprobantur, vt ad Sacerdotium postea emensis stipendiorum meritis veniant, nec præripiant quod vita probata meretur.

Ex decretis Zosimi Papæ.

HÆC autem singulis gradibus, obseruanda sunt tempora, si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter Lectores vsque ad vicesimum ætatis annum continuata obseruatione perduret, si maior iam & grandæuus accesserit, ita tamen vt post baptismum statim se diuinæ militiæ desideret mancipari, siue inter Lectores siue inter Exorcistas quinquennio teneatur, exinde Acolytus vel Subdiaconus quatuor annis, & sic ad benedictionem Diaconatus si meretur accedat. In quo ordine quinq; annis si inculpatè se gesserit, hærere debebit, exinde suffragantibus stipendiis per tot gradus datis propriæ fidei documentis, Presbyterij Sacerdotium poterit promereri. De quo loco, si eum exactior ad bonos mores vita produxerit, summum Pontificatum sperare debebit, hac tamen lege seruata, vt neq; digamus neq; pœnitens ad hos gradus possit admitti, sane cum etiam defensores Ecclesiæ, qui ex laicis fiunt, supradicta obseruatione teneantur, si meruerint esse in ordine Clericatus.

Syluester in Synodo confirmante Nicænum Concilium, subscribentibus sibi CCLXXV. Episcopis.

COMMONEO autem omnes vestrum consortes vnanimiter de reditibus Ecclesiæ quatuor partes fieri, quota pars exigatur. Habeat autem Ecclesia vnam partem ad se releuandam, Pontifex vnam, & aliam pauperes vel peregrini, Presbyteri quartam & Diaconi cum residuo Clero, omnibus autem ipso Pontifice dispensante. Constituo etiam & hunc ordinem, vt si quis de Clero vel Presbyteris vniuersorum locorum, quod commune est, transierit de hoc mundo, si neminem de sua generositate habeat, consortem quidquid paupertas eius habeat, conferat Ecclesiæ, & partes fiant, sicut supra dictum est.

Huic etiam Synodo Synodus Nicæna vicissim subscripsit, & eam approbauit, teste Leone Nono in Epistola ad Michaëlem & Leonem Episcopos. Vbi introducens primum Caput huius Concilij, ita loquitur de Apostolica sede. *Illi nempe facitis præiudicium de quo nec vobis nec cuilibet mortalium licet facere iudicium, beatissimo & Apostolico Pontifici Syluestro, diuinitus decernente, spiritualiq; eius filio Constantino*

tino religiosissimo Augusto cum vniuersa Synodo Nicæna approbante ac subscribente, vt summa sedes à nemine iudicetur.

Ex decreto Alexandri Papæ.

CVM Sacrorum Canonum autoritas quatuor ex rebus Ecclesia iubeat fieri portiones, quarum vna pauperibus, altera fabricis Ecclesiarũ sit impendenda; tertia Episcopo: quarta Clericis sit conferenda, sicut pauperibus & Ecclesiis singulæ partes sunt concedendæ, ita quoque reliquæ partes neque ab Episcopo vel Clero emendæ sunt vel vendendæ, sed eis pro Euangelij annuntiatione, & pro officij sui labore eodem modo conferendæ.

Ex decretis Gelasij Papæ.

QVATVOR autem tam de reditu quam de oblatione fidelium prout cuiuslibet Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, conuenientes fieri portiones: Quarum sit vna Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus sicut Sacerdotis intererit integram ministris Ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic Clerus vltra delegatam sibi summam nihil insolenter nouerit expetendum. Ea vero quæ Ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum, quia nefas est, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum Præsul impendia his designata conuertat. Ipsam nihilominus ascriptam pauperibus portionem quamuis diuinis rationibus se dispensasse monstraturus etiam videatur, tamen iuxta quod scriptum est: *Vt videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*, oportet etiam præsenti testificatione prędicari, & bonæ famæ præconiis non taceri. Matth. 5.

Ex Concilio Mogontino, cui præsedit Bonifacius Archiepiscopus & Martyr auctoritate Zachariæ Papæ. Cap. X.

ECCLESIÆ antiquitus constitutæ, nec decima, nec aliqua possessione priuentur, ita vt nouis oratoriis tribuatur.

Ex eodem Cap. XLI.

QVICVNQVE beneficium Ecclesiasticum habent, ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas omnino adiuuent, & nonam decimam reddant.

Ex Concilio Aquilegiensi. Cap. III.

VT nulli Presbytero in alio loco baptisma liceat celebrare, nisi in eodem loco, vbi semper Baptisteria antiquitus fuerunt.

Ex eodem Concilio, Cap. III.

DECIMÆ quæ à fideli populo dantur, in Ecclesiis Baptismalibus inferantur, & ipsi Presbyteri qui in easdem plebes ordinati sunt, cum omni sollicitudine curam habeant de Christianitatis causa populo sibi commisso, & populus suas decimas suis Presbyteris offerat, & Presbyteri diuidant eas in quatuor partes, sicut antiqua patrum Regula continetur, vnam sibi, vnam Clericis, vnam pauperibus, vnam ad instaurationem seu luminaria vel incensum Ecclesiarum, & hoc statuimus, vt prædicti Presbyteri habeant iuxta suam Ecclesiam, aut infra suam cellam locum constitutum, vbi quarta, quam pauperibus dari docuimus inferatur.

Ex Regesto Leonis Papæ quarti.

DE decimis iusto ordine non tantum nobis, sed maioribus, visum est, plebibus, tantum vbi sacro sancta dantur baptismata, dari debere.

Gelasius Papa Maximo & Eusebio Episcopis.

LICET Regulis contineatur antiquis, parochias vnicuique Ecclesiæ pristina dispositione deputatas, nulla posse ratione conuelli, ne per consuetudinem pessimam exempli mali temeritate crescente, vbiq; vniuersalis confusio nasceretur, iam in decretis nostris ante non multũ temporis destinatis, omnia iussimus, quæ taliter fuerant inuasa, restitui. Sed quia temeritas peruadentiũ legẽ sibi putat posse generari, si sceleri suo pertinaciam retentionis adiungat, ea quę inter fratrem &

Coëpiscopum nostrum Constantinum Camiscanæ Ecclesiæ Sacerdotem,& directos ab Anconitano Pontifice decreuimus,per vos impleri cupimus. Tunc formam in cæteris cogitationibus quæ sit sequenda perscripsimus. Nulla igitur præsumptione statum parochiarum qui perpetuæ ætatis firmitate durauit,patimur immutari, quia neque negligentia Pontificis, neque temporalis abiectio, quæ per incuriam forte generatur, nec ignauia faciente consensus, nec surripiente supplicatione præceptio diuellere potest semel diœcesim constitutam, ex qua semper ad regenerationem atque consignationem plebs deuota consistit.

Idem Iustino Archidiacono & Fausto. De rebus Ecclesiæ in quatuor partes diuidendis.

VOBIS & famæ vestræ consultum duximus, vt Pontificis vestri loco vobiscum ab eodem aliquis subrogetur, qui eius nomine pariter vniuersa disponat, quatenus omnia prædia ad vestrum reuocetis studium, ne cuiquam Clerico pro portione sua solum aliquod Ecclesię putetis esse deputandum, ne per incuriam negligentiamque minuatur, sed omnem pensionis summam ex omnibus prædiis rusticis vrbanisque collectam ad Antistitem deferatis. Ex qua tamen collectione habeatur ratio, quod ad causas vel expensas accedentium necessitatum opus esse perspicitur, vt de medio sequestretur, & quartæ portiones vel fideliũ oblationes de hac fiant modis omnibus pensione, ita vt vnam sibi tollat Antistes, aliam Clericus pro suo iudicio & electione dispertiat, tertiam pauperibus sub omnium conscientia faciat erogari: Fabricis vero quod competit ad ordinationem Pontificis erogatione vestra decernimus pendendum. Si quid forte ab annua remanebit expensa, electo id oneo ab vtraque parte custode condatur in thecis, vt si maior emerserit fabrica, sint subsidio, quæ diuersi temporis diligentia potuerint custodiri, aut certe ematur possessio, quæ vtilitates respiciat communes.

Ex Concilio Aureliano, cap. VII.

OMNIA quæ Deo offeruntur, consecrata habeantur, in vineis, terris, syluis, vtensilibus, vestimentis, pecoribus & reliquis possessionibus, vt quæ Ecclesiis, sine dubio Christo qui sponsus earum est, offeruntur.

De eadem re. Ex Concilio Rotomagensi. Cap. III.

OMnes decimæ terræ siue de pomis arborũ, siue de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur. Boues & oues & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur. Si quis mutauerit, & quod mutat, & quod mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur. Sed quia modo multi inueniuntur decimas dare nolentes, statuimus vt secundum Domini nostri præceptum admoneantur semel & tertio: si non emendauerint, anathematis vinculo constringantur, vsque ad satisfactionem & emendationem congruam.

Ex Concilio Gaballonensi. Cap. XVIII.

QVesti sunt pręterea quidam fratres, quod essent aliqui Episcopi & Abbates, qui decimas non sinerent dare ad Ecclesias, vbi illi coloni Missas audiunt. Proinde decreuit sacer iste Conuentus, vt Episcopi & Abbates de agris & vineis, quæ ad suum vel fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesias deferri faciant, familiæ vero ibi dent decimas suas, vbi infantes eorum baptisantur, & vbi per totum anni circulum Missas audiunt.

Ex Concilio Toletano. Cap. XXXVI.

DE his autem quæ Altaribus offeruntur, quarta pars fideliter Episcopis deferatur; duæ Clericis, decimæ autẽ secundum quosdam singulis annis tertia pars, aut in tertio tota. Sed tamen nos sequentes Romanos, singulis annis quartam partem, aut in quarto totam Episcopi recipiant.

Ex Concilio Mogonciacensi. Cap. VIII.

QVatuor partes iuxta Canones fieri de fidelium oblationibus debent, vt vna sit Episcopi, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta restaurationi Ecclesiarum seruetur.

Ex

Ex Concilio Agrippinensi.

ITem quod decima quæ à fidelibus datur, Dei census nuncupanda est,& ideo ex integro reddenda. Cuius tertia pars secundum Canonem Toletanum Episcoporum esse debet. Nos vero hac potestate vti nolumus, sed tantum singulis annis quartam partem vsu Romanorum Pontificum, & obseruantia sanctæ Ecclesiæ Romanæ de eadem habere volumus. Quod si quis contentiosius inde repertus fuerit, siue Clericus siue laicus ille sit, communione priuabitur,& Synodali censura iudicabitur.

FINIS.

EPITOME BELLORVM

QVÆ A CHRISTIANIS PRINCIPIBVS PRO RECVPERATIONE TERRAE SANCTAE SVSCEPTA SVNT:

In

QVA ETIAM DESCRIPTIO PALÆSTINÆ;

& multa de Mahomete.

AB

Incerto Auctore conscripta,

Et nunc primum in lucem prolata,

Ex M. Cod. Monasterij Sancti Magni ad Pedem Pontis Ratisbonensis.

LECTORI.

LECTV iniucundus non est hic abbreuiator: quisquis ille fuit; qui ætatem suam extremis verbis indicat: nempe annum Domini 1422. quo hoc compendium conscripsit, oculatus terræ Sanctæ testis & inspector. Quod si quando à linea excidere videtur; vt homo ab hominibus venia donandus erit; animusque aduertendus non ad næuos, sed ad ea, quæ in hoc historiæ corpore nitent. Vale.

INCIPIT MEMORIALE SVB COMPENDIO ACQVISITIONIS SANCTÆ CIVITATIS IERVSALEM,

totiusque terræ coadiacentis, per illustrem Principem dominum Gotfridum de * Bolein, alios quoque per Reges latinos strenuos suos successores.

* Bullon.

ACTA etenim prædecessorum non immerito scripturis commendantur, vt & posteri ipsa ruminando pertractantes ad eorum acta laudabilia feruentius excitentur. Vnde Apostolus ad Rom. 15. *Quæcunque scripta sunt, &c.* Cum igitur non sine cordis amaritudine reuoluere aut fari possim illud lamentabile dictum Propheticum; Threnorum 1. *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, &c.* propriis orbata liberis, fœcundata spuriis: alienata suis filiis, possessa seruis adulteris, spoliata hæredibus, rabidis occupata incursoribus, priuataq; Christi fidelibus, & conculcata à canibus: imò vt amplius dicam: Ierusalem mater nostra iam seruit cũ suis liberis, quæ facta est nobis *quasi vidua domina gentiũ*, inimicis crucis Christi sponsa ad libitum, sicq; vniuersis fidelibus *facta est sub tributo*: Quapropter non sine gemitu os meum nunc ponam in puluerem, eleuatis tamen oculis mentis in cælum, quorundam inclytorum Patrum præcedentiũ felicis memoriæ gesta breuius recitando, qualiter quidã animosi Christi milites, nomen verę militæ vsurpantes,

Rom. 15.

Thren. 1.

 scri-

ſeriemque vitæ non adulterantes, muros & parietes more * Modliorum armis ſuis non depugnantes, ſed clypeis ſuis atque haſtis contra hoſtes campos illuſtrantes: hanc ſanctam Ciuitatem eripuerunt à canibus, & veris reddiderunt hæredibus: Hæc dico ſperans quia ſcintilla adhuc latet in ciuitate. Si forſan ſit ſpes quod noſtri moderni nobiles ipſorum opera pertractantes valeant aut timore aut mœrore ad peragendum ſimilia prouocari: Nam licet hæc ciuitas ſancta, terraque vicina Chriſti veſtigiis dedicata à tempore eius paſſionis à fidelibus populis ſparſim fuerit inhabitata, tamen à tempore Heraclij Imperatoris Chriſtianiſſimi, videlicet ab anno Domini ſexingenteſimo triceſimo ſexto, quo tempore ipſam cæpit Homar Saracenus diſcipulus ſeductoris ſui Machometi, & poſt eum Principes Arabum, vſq; ad tempora Gotfridi de * Bolin, videlicet vſque ad annum Domini milleſimum nonageſimum nonum, hoc eſt, per quadringentos ſexaginta tres annos, fuit à Chriſti fidelibus violenter alienata, & dominio Saracenorum ſubiugata. Vergente itaque plenitudine temporis, ſcilicet primo centenario ſuper millenarium, miſit Deus illuſtrem militem ſuum Gotfridum de * Bolin, Principem deuotiſſimum, qui velut alter Ioſue Iebuſæis expulſis ſpuriis, ciuitatem & terram ſanctam, licet innumeris laboribus & præliis aſſiduis, veris hæredibus reddidit & reſtaurauit. Omnipotentis itaque gratia, qui ad tempus diſſimulare & dormire perhibetur: videns quorundam ſuorum corda, ad hoc diſpoſita, immiſit per quendam ſeruum ſuum abiectum à ſeculo Petrum Heremitam ſimplicem, in cordibus ſuorum militum, ſcilicet Gotfridi illuſtris militis, domini Baldewini ſui Germani, Waldewini de Burgo eorundem conſanguinei: Domini Hugonis Germani Regis Franciæ: Domini Ducis Normandiæ Germani Regis Angliæ: Domini Ruberti Comitis Flandriæ. Domini Reymundi Comitis Toloſani. Domini Comitis ſancti Egidij, Comitis Bleſentiæ, Comitis Carnotenſis, Comitis ſancti Pauli: aliorumque honorabilium vltramontanorum militum; Nec non domini Beamundi Principis Tarentini, domini * Trangedi filij ducis Apuliæ, cum militaribus eorundem. Domini inſuper Epiſcopi Bodienſis, diuerſorum aliorumque prælatorum Spiritualium, ad cultum Dei obſeruandum ſua corda diſponentes animo feruenti, vt iſti duces electi, à iugo duræ ſeruitutis populum Domini liberarent: Hi omnes corde vno & anima vna malentes vitam præſentem perdere, quàm moleſtias oneris ſuæ gentis vlterius ſuſtinere, & loca ſancta prophanare amplius permittere, zelo ſanguinis Chriſti

forte modernorum.

**Bullon.*

**Bollon.*

**Tancredi.*

Christi & amoris aspersi, hæreditatem animosè intendentes pro viribus veris filiis restituere: Anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo sexto, præsidente Papa Vrbano secundo; regnante Henrico Imperatore Romano, Græcorum honorando Cæsare Alexio, in Concilio generali apud Clarum montem ad istorum deliberationem cruce fuerunt signati. Secundo quidem anno turmatim & non simul per Hungariam pergere propter hospitiorum stricturam non potuerunt, sed continenter & continuè per Græciam & vltra per aridam quasi Leones anhelantes ad prædam contra ciuitatem Ierusalem, gradanter viam arripuerunt: fuit enim numerus cruce signatorum * sexingenta millia hominum pugnatorum, quibusdam tamen ex eis relicto aratro retrospicientibus, quibusdam interfectis ab hostibus, multisque morientibus per viam diuersis languoribus, residui quoque in itinere passi, calore & frigore, fame & siti, Barbarorum etiam & Bulgarorum variis perterriti resistentiis, & innumeris aliis infortuniis, abierunt & perierunt.

* *Sexcenta.*

Anno tertio sequenti, scilicet millesimo nonagesimo nono, quinta decima die mensis Iulij, tunc feria sexta, die passionis Christi, solum quadraginta millia, quorum quinq; millia erant equites: triginta millia pedites, alia quinq; millia pueri & mulieres, cum prædicto duce eorum Gotfrido Ierusalem peruenerunt, in qua quadraginta millia Saracenorum armatorum excepto alio populo ad bellum parato repererunt. Sed tunc Dux prædictus nobilissimus Gotfridus armatus vtiq; galea fortitudinis, & feruore Dei cum fiducia propositum suum consequens, suosq; confortans in Domino, aciem * duelli penetrauit, quibusdam infidelibus fugientibus, & trucidatis resistentibus, gloriose die & anno paulò ante præfato sæpe dictam ciuitatem & terram sanctam veris hæredibus plenius obtinebat. Quo facto omnes populi benedixerunt Benedictum in firmamento cœli. Loca sancta eius vestigiis dedicata deuote requirebant, Regem ac dominum ciuitatis sanctæ, & rectorem populi, ipsum inclytum Gotfridum omni honore dignum elegerunt vnanimiter, & acclamabant. Qui licet ad multorum precum instantias regimen ciuitatis & populi nomenq; dominij inuitus admiserat. Cum autem more solito coronari deberet, vbi Christus pro nobis fuit corona spinea coronatus, ipse corona aurea & Regni noluit coronari. Tandem piè deuictus regimen populi sub nomine ducis recipiens: Deinde ciuitates, Ramam scilicet & Iafa, quæ & Ioppen dicitur, Prophyriam sub monte Carmeli, Tiberiam super

* *Forte belli.*

mare Galileæ: alia quam plurima opida & castra maximis prælijs acquirens, sed & principem militię Soldani cum infinita multitudine deuincens, solum per vndecim menses post captionem ciuitatis superuiuens, in Domino requieuit. Sepultus sub monte Caluariæ Princeps nobilissimus & spectatissimus omnium Regum & principum. Cuius animam sine dubio ipse pro cuius amore terram hanc acquisiuit, secum in terra viuentium feliciter collocauit.

Anno Domini centeno, mense Iunij etcæt. terra sancta remansit Christianis octoginta nouem annis. Mortuo itaque serenissimo principe Gotfrido, cuius memoria non immerito inter vniuersos Reges & principes obtinere debeat principatum, Primus itaque Latinorum Rex in Ierusalem ab omni suo populo ritè electus & coronatus de eadem stirpe nobili extitit germanus eius Baldewinus, qui honore Regio sublimatus in primo bello quod habuit cum ducentis sexaginta equitibus & nongentis peditibus, Principem militiæ Soldani Ægypti venientem cum quindecim millibus equitum, triginta millibus peditum, cæsis ex ipsis quinq; millibus, viriliter effugauit.

In secundo suo belloimmobilem gentem Ascalonitarum simul & Ægyptiorum cum inæquali aggressu & hominum paucitate viriliter superauit. In tertio quoque bello habens secum quingentos armatos, duo millia peditum, Principem militiæ Ægyptiorum cum viginti duobus millibus pugnantium, quatuor millibus ex ipsis occisis, Deo iuuante superauit; & in fugam conuertit. Domum Assur & Asetum oppidum bene munitum inter Iopen & Cæsaream, imo & ipsam Cæsaream palestinæ metropolim: Acon, Barutum, Sydonem ex parte Boreali Ierusalem, & totam terram vicinam Christi fidelibus acquisiuit: Sed & ad Orientem vltra Iordanem castrum firme communitum, quod appellauit Montem Regalem, suis sumptibus fundauit. Inter Tyrum & Accon aliud Castellum quod Scandalum dictum fuerat, eo quod ruborem & scandalum fecerat Saracenis, suis etiam expensis reformauit. Insuper & totam terram promissionis Christi fidelibus subiugauit. Hic Baldewinus per decem & octo annos regnans, Regni bona sicut decet augmentans, sicut Augustus gubernans, in Domino requieuit, & ex opposito sepulchri sui felicis germani sub sancto monte Caluariæ in Domino est tumulatus. Nota, in marmore monumenti eius sculpta sunt hæc metra, vt patet infra.

Rex VValdewinus, Iudas alter Machabæus,
Spes Patriæ, vigor Ecclesiæ, virtus vtriusque,

Quem

Quem formidabant, cui dona tributa ferebant,
Cedar & Ægyptus Dan homicida Damascus,
Prô dolor in modico clauditur hoc tumulo.

Super ſepulchrum germani ſui iuxta oſtium à dextris in Capella Georgitarum ſculpta eſt hæc proſa: *Hic iacet inclytus dux Gotfridus de Bullon qui totam iſtam terram acquiſiuit, cuius anima regnet cum Chriſto.*

Tertius dominus, & ſecundus Rex Latinorum in ſancta ciuitate Ieruſalem, eo quod venerandus Gotfridus dominus, & eius germanus Baldewinus ſine liberis ab hoc ſeculo deceſſerunt de fructu carnis corruptibilis minime curantes, extitit dominus de Burgo conſanguineus eorundem, miles ſtrenuiſſimus, à potioribus populi rite electus, & in Regnum poſtulatus. Hic in primo ſuo bello cum ſeptingentis equitibus paucisq; peditibus, Gatzi Principem gentis Turcorum cum immenſa multitudine, cæſis ex primis quatuor millib', fortior de campo deiecit. In ſecundo autem bello ſecum habens mille & centum equites, duo millia peditum, Regem Damaſci cum quindecim millibus, & ex illis duobus millibus interemptis, fugam appetere coëgit. In tertio bello Regem Aſcalonitarum cum ingenti populo Ægypti dorſum vertere fecit. In quarto bello Terquinum Regem Damaſci in ſua propria opinione excedens limites Regis Alexandri, proiectis de ipſius exercitu duobus millibus, & de Chriſtianis centum & quatuor viris, ipſum ad fugam potenter artauit. Quibus factis, ne forte nimium extolleretur in gratiis ſibi datis aut forſan propter peccata occulta aliunde prouenientia: quinto anno Regni ſui captus fuit in bello à Saracenis, & per duos annos in carceribus retentus, quo tempore dominus Patriarcha de conſilio Reginæ cum aſſiſtentium nobilium terræ comitatu, concurrente duce Venetorum nomine Dominico, cum quadraginta Galeis, *Turrim metropolim prouinciæ Phœnicis, ciuitatem Iamniam & quaſi inexpugnabilem, diutina obſidione magnaq; ſanguinis effuſione in manu valida conquiſierunt. Quod videntes Saraceni, & attendentes quia per Chriſtianos, captione ſui Regis magis ſe eſſe conſtrictos, q̃ in Rege capto recompenſatos, ipſos amplius timentes, Regẽ iuſta redẽptione, Regni ſui anno ſeptimo, liberũ reddiderunt. Qui liberatus à vinculis, copioſius eos perſequebatᷓ, ciuitates quoque & caſtra plurima acquiſiuit, acquiſita muniuit. Tandem tredecimo anno Regni ſui obiit in pace, in modica diſtantia à ſepulchro Chriſti, iuxta murum Chori, ſub lapide requieſcit tumulatus.

*ſ. Seratonia.

Quartus dominus & tertius Rex Latinorum Ciuitatis ſanctæ,

erat

erat Comes dominus Andegauensis, quia videns Rex præfatus Baldewinus, quod hæredem filium non haberet, & linea consanguinea honorandi Gotfridi in posteris hæredibus deficeret, ipso viuente misit pro prædicto Fulcone, cui filiam suam nomine Milicendam, in vxorem tradidit, & post mortem simul & Regnum assignauit. Defuncto itaq; Baldewino & illo ab omnibus in Regnum accepto, secundo anno Regni sui contra magnam gentis multitudinem de sinu Persico ebullientem, & in Christianos auidè sæuientem, signata cruce audacter ad campum progrediens, tria millia de prædictis occidit, reliquos animosè fugauit, paucis ex suis cadentibus, laudabili cum Triumpho, ad propria remeauit. Hic more suorum prædecessorum Regnum prudenter gubernans, nihil diminuens, sed velut Augustus augmentans, vndiq; hostes debellans. Contigit autem euentu, dum iuxta territorium Acconem leporem infestaret, & iugiter cum canibus insequeretur, de equo cecidit, & conquassatus ad mortem, relinquens duos filios, scilicet Baldewinum & Albertum, Vndecimo anno sui Regni hoc infortunio de hac vita meauit, & in loco aliorum Regum piæ memoriæ tumulatur. Eadem Regina Milicendis sepulta est in descensu ad sepulchrum Beatæ Virginis à dextris in Crypta lapidea ianuis ferreis septa, altare habens vicinum.

Quintus Dominus & quartus Rex Latinorum fuit Baldewinus primogenitus prædicti Regis Fulconis, qui sublimatus in Regem, licet adhuc iuuenis ætate annorum, vir tamen potens gratia & prouidentia Dei, non tantum nomine imo & re adhærens vestigiis Regum Baldewinorum. Nam nono anno Regni sui in primo bello innumerabiles Turcorum proceres ipsum adhuc iuuenem non expertum ad ardua facta debellare intendentes Dei nutu interfectis eisdē quinque millibus, captis & fugatis cum totidem centenariis, fortissime expugnauit. In alio prælio Regem Damasci nomine Naradinum cum ingenti exercitu cum paucis viris fidelibus à campo prælij fugauit, ex ipsis quibusdam de potioribus captis, quibusdam interfectis, paucis euadentibus, victoriam reportauit gloriosam. Huius mater Regina nomine Milicendis tempore suo & sui patris quasi triginta annis regnum in oeconomicis prosperè gubernauit, vt ipsi Reges liberius armis & rebus bellicis intendere potuissent. Hic Baldewinus viginti quatuor annis regnans, hostes debellans, terram Christicolis suppeditans. Anno itaque Regni sui vicesimo tertio sine liberis de hoc seculo migrauit, suis cum paribus sanctæ sepulturæ honore Regio commendatus.

Sextus

Sextus dominus & quintus Rex Ierusalem fuit Almaricus, quem alio in loco diximus Albertum, & prædicti Baldewini germanus. Hic assumptus in Regem in primo bello in partibus Ægypti cum Dargan principe militiæ Ægyptiorum facta strage maxima, militarem victoriam obtinuit gloriosam. In secundo bello cum trecentis septuaginta equitibus, paucis coniunctis peditibus, principem militiæ Damascenorum cum duodecim millibus de Turcis, & vndecim millibus de Arabibus audacter inuasit, & centum de suis cadentibus, mille autem quingentis de hostib', declinante die nocte superueniente ab inuicem discendentes, honorem campi & prælij sibi triumphum & suis fortiter seruauit. Hic Almaricus duodecim annis terram regens, vndiq; hostes ab ea remouens: Anno duodecimo cum honore in Domino requieuit.

Septimus dominus & sextus Rex Latinorum fuit in Ierusalem quartus Baldewinus, præfati Almarici filius vnigenitus: hic coronatus in Regem, qui ignota causa diuinæ actionis, in adolescentia sua lepra fuit percussus, suis tamen temporibus Regnum ab hostium incursione strenuissime conseruauit. Huius temporibus Saladinus omnium Soldanorum inter Saracenos nominatissimus, surrexit, qui primus tum Christianorum sceleribus exigentibus, totam terram sanctam abstulit dolorose, & tamen Baldewinus tertio anno Regni sui ipsi Soldano & viginti sex millibus sui exercitus, cum trecentis septuaginta equitibus, & paucis peditibus in partibus Ascalone occurrens, interemptis ex suis quatuor viris ab hostibus innumerabilibus, ipsum Soldanum cum sibi relictis instanter fugauit. In alio bello iuxta Tiberiam supra mare Galileæ cum septingentis equitibus & mille peditibus ipsum Soldanum cum vicenis millibus Saracenorum, & amplius mille eorum occisis, sic confusibiliter repercussit, quod diebus illius Baldewini Regnum Ierusalem nunquam infestare ausus fuit. Ille inquam temporibus suis Regnum strenue defendit, hostes assiduè impugnauit. Causa tamē infirmitatis suæ vxorem ducere abnegauit, sed sorores suas quas habuit nuptui tradere disposuit, quarum primogenitam nomine Sibyllam copulauit nobilissimo militi domino Wilhelmo de Longaspata Marchioni montis Ferrati, spondens sibi & Regnum relinquere & filio suo masculo, si quem Deus daret, quod & Wilhelmus pollicens, assensit. Deo autem disponente, qui sæpe peccata vindicare differt & dissimulat, prædictus Wilhelmus generans ex eadem Sibylla filium, & nomine sui auunculi Baldewino sibi imposito, ante mor-

tem ipsius Regis, vitam hanc finiuit. Hoc audiens Rex infirmus, iam dolore, iam mœrore molestabatur, præcauens tamen imminens periculum, ne etiam hostes si suam scirent infirmitatē, audacius Regnum inuaderent, sororem eandem Sibyllam secundo marito cuidam militi adolescenti nomine Guido de Lisiano desponsauit, vt ipse Regem languidum, puerum hæredem, & Regnum suo virili gubernaculo defensaret. Qui vxorem Regiam suscipiens, sed paucis euolutis diebus ipse Regis limites excedens, ipsum offendit, sicq; Rex eum à dominio paulò ante collato, totiusq; Regni gubernaculo alienauit, & congregatis sui Regni Baronibus, nepotem suum puerulum septennem in Regem fecit vngi, sed & eundem infantem, & Regnum tutelæ domini Bertrardi tunc comitis Tripolitani, plenius committebat. Quo facto eodem anno Regni sui octauo Rex morbidus vltima huius lucis claudebat tempora, & more aliorum Regum defunctorum iuxta Chorum sancti sepulchri contra montem Caluariæ traditur sepulturæ.

Octauus dominus & septimus Rex Latinorum fuit vt patet ex præmissis, quintus Baldewinus filius Marchionis de montis Ferrati prædicti, qui eodem anno quo auunculus suus defungitur, absq; Regiis actibus quasi de vtero translatus ad tumulum citius euolauit, & iuxta suum auunculum in modico sepulchro Regio est tumulatus.

Nonus dominus & octauus Rex Latinorum & vltimus in ciuitate sancta Ierusalem extitit præfatus Guido de Lisiano, secundus maritus prædictæ Sibyllæ, qui forsan summitatem scalæ volando non ascendendo pertingere cupiens, Regiis habitibus meruit priuari, vnde mortuis prædictis Baldewinis, germano scilicet & filio, Sibylla Reginæ honore & nomine in se gaudere nitebatur maritoq; placere more fœminarum, sic prudenter egit blandiens cum domino Patriarcha, Episcopis & aliis Regni nobilibus, quod mox ignorante comite Tripolitano præfato cui Regni dabatur gubernaculum, ipsum Guidonem secundum eius maritum in Regem fecit vngi, & in Regio solio citius sublimari. Quod audiens Comes prædictus, ipso non requisito hoc opus factum fuisse, qui forsan & ipse ad Regnum sperans anhelasset, tantum concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Quia statim cum Saladino & aliis circumquaque Saracenis treugas cepit excogitare occultas, & vt amplius Regi electo resisteret, cum domina totius Galilleæ, quæ tunc vidua erat, matrimonium contraxit. Quo facto exorta est in Regno dissensio, quibusdam præfato Regi, quibusdam ipsi Comiti in augmentum discordiæ adhærentibus, quod viam dabat Sara-

cenis

cenis Regem atque Regnum audacius inuadendi. Læto itaque animo & occulto tripudio attendens Saladinus, quod Regnum est diuisum, sperans eius desolationem, cepit mox fideles affligere & impugnare. sub colore placito quasi Regi adhæreret, qui tamen Regem & omnes nobiles plagis incessabilibus ad prælia prouocauit. Vnde plurimis interfectis militibus, aliis sponte se reddentibus, cunctisq; lethaliter vulneratis in quodam bello super mare Tiberiadis, capto ipso Rege, Magistro hospitalis Ierusalem ac Templi militiæq;, totum Regnum infra annum obtinuit dolosè: His itaq; modis terram sanctam Christi sanguine dedicatam, quam dominus Gotfridus de Bullon, princeps inclytissimus, charus Deo & hominibus cum suis laude dignis militaribus anno Domini millesimo nonagesimo nono, quintadecima die mensis Iulij assiduis vtiq; laboribus veris hęredibus acquisiuit: ille Rex Guido cum sua vxore suisq; infortunatis nobilibus, ipsorum peccatis exigentibus, in sensualitate dominantibus, superbia, auaritia, & luxuria, cunctisq; nefandis, anno Domini millesimo centesimo octogesimo septimo perdidit, & à fidelibus alienauit.

Hæc querulosè scribo Regibus vniuersis & Principibus Catholicæ fidei, suisque militaribus singulis, non solum sęcularibus, imo & Deo militantibus, qui occupant locum illorum, quorum sonus exiuit in omnem terram, vt & ipsi semine diuini verbi, & isti acie scindentis gladij præbeant iter, quia prope appetit æstas. Quid dicam? Principes enim nostræ fidei mutuo contrariantur, pugnāt ad inuicem, mordent, quod est gaudium omnium infidelium, scilicet per comitantiam, quia ab inuicem consumuntur, vt ait Apostolus ad Gal. VI. Sed & Pastores dominici greges, qui abiecto nomine Pastoris nunc Principes dicuntur, qui alio in loco canes latrantes vel etiam lingentes appellati sunt, sicut & Paulus qui more canis perlinxit, &c. Et duos molares contriuit legis scilicet & Euangelij. Hi, inquam, lingunt & curant illos, qui non egent medicamine, clamant & reclamant, prædicant, & increpant, in propriis foribus maxillis rubentibus: Lazarum autem languidum foris iacentem, vulneratum, cuius refocillatio est ex mica panis, non lingunt, panem non frangunt, sicut docet Dominus, qui cognitus est in fractione panis, qui tamē in sermone cognosci non potuit. Vnde Apostolus: *Euangelium, inquit, nostrum non fuit ad vos in sermone tantum sed in plenitudine multa.* Præterea præsumendum est, quia Deus permittit vt terra sancta nostris exigentibus peccatis à perfidis canibus calcetur. Nam militares nostri perditam ciuitatem

Gal. 6.

Luc. 24.

1. Thes. 1.

Ierusalem more peregrinorum non propter Iesum tantum perlustrantes, sed vanitatem mundi in ea quærentes, non sicut venerandus Gotfridus felicis memoriæ armis suis campos illustrant, sed angulis parietum affigunt, putantes militiam se esse consequutos & recedunt. Ex quibus satis liquet quia qui populum Iudaicum quamuis electum, suis tamen peccatis exigentibus, ipsum à terra sancta expulit & reiecit, gentem etiam Christianam sua promerente vanitate de eiusdem etiam dominio penitus extirpauit. Quapropter fideles Christi nobiles animaduertite vestigia sæpe dicti Gotfridi, vt de manu inimicorum liberati in sanctitate & iustitia sine timore seruiamus illi, qui suo sanguine pretioso, & arduis vestigiis hanc terram sanctificauit, quam vniuersæ Ecclesiæ personare non sufficiunt. Ponite igitur in cordibus vestris more inclytorum Principum sibi vices refundere, vt sanctam Ierusalem quæ sursum est mater nostra possitis possidere.

Notanda summa annorum, quibus Reges & principes Catholici in terra sancta dominabantur: fuit LXXXVI. annorum, duorum mensium, decem & nouem dierum.

Anno illo quo perdita erat terra sancta, & à Christianis ablata, tunc ciuitas Ierusalem non sentiens defensorem, prima die mensis Octobris dominio Saladini spontanea mente se libere offerebat. Ecce quam paruo tempore Christiani suam hæreditatem sanguine Christi redemptam meruerunt possidere.

Anno Domini millesimo centeno vicesimo, principabant Fratres militiæ templi, qui & Templarij dicebantur, de quibus in sequentibus dicetur. Iuxta exigentiam temporum superius prolatam, cum ex omnibus mundi partibus, diuites & pauperes, senes & iuuenes, vtriusque sexus loca sancta visitaturi Ierosolymam pergerent: Latrunculi quidam & raptores viarum publicarum prædatores incautis peregrinis insidiantes multos ex ipsis spoliabant, quosdã etiã trucidabant. Quidã autẽ Deo amabiles & deuoti milites, charitate feruentes, mundo renuntiantes & Christi seruitio se mancipantes in manu Patriarchæ Ierosolymitani professione & voto solenni astrinxerunt, vt à prædictis latronib' & viris sanguinũ defenderent peregrinos, & stratas publicas custodirent, more Canonicorum regulariũ in obedientia & castitate & sine ꝓprio militaturi summo Regi. Quorũ pręcipui fuerunt viri venerabiles & amici Dei: Hugo de paganis, & Galfredus de sancto Aldemaro. In hoc etenim sancto proposito non nisi nouẽ fuerunt à principio

Cleri-

Clericalibus vtentes vestimentis, quales eis in eleemosynis largiebantur fideles: nouem enim annis in habitu seculari seruierunt. Rex Baldewinus autem & eius milites prædictis viris nobilibus, qui omnia pro Christo reliquerunt, compatientes, vnà cum domino Patriarcha de rebus propriis eos sustentabant, quædam beneficia & possessiones eisdem postea pro remedio animarum suarum conferentes. Et quoniam nondum propriam habebant Ecclesiam, neque certum domicilium, dominus Rex in quadam parte pallatij sui iuxta Templum Domini ad tempus eisdem habitaculum concessit. Abbas autem & Canonici templi Domini plateam, quam habebant iuxta Regis scilicet Baldewini palatium, ad opus officinarum eis tradiderunt. Et quoniam iuxta Templum Domini habitaculum habuerunt, Fratres militiæ templi postea, vt dicitur, appellati sunt. Cum autem annis nouem in hac professione & sancta paupertate communem vitam ducentes concorditer & quasi vnius moris in domo permansissent, anno gratiæ millesimo centeno vicesimo octauo, de mandato Honorij Papæ: & domini Stephani Patriarchæ Ierosolymitani instituta est eis regula & habitus albus sine cruce. Hoc autem est factum in Concilio generali apud Treeas ciuitatem Campaniæ celebrato sub domino Albanense Episcopo Apostolicæ sedis legato, præsentibus Remensi & Senonensi Archiepiscopis & Cistercienfibus Abbatibus, cum multis aliis Ecclesiarum Prælatis. Post hoc, tempore Eugenij, qui Papa fuit, circa annum Domini millesimum centesimum quadragesimum quintum, cruces rubeas vestimentis suis exterius affixerunt, vestes quidem albas in signum innocentiæ deferentes; per cruces autem rubeas martyrium designantes, eò quod sanguinem proprium secundum statuta regulæ pro defensione terrę sanctæ effundere sunt professi, & crucis Christi inimicos viriliter expugnando à Christianorum finibus propellere & ad nutum & mandatum eius qui præest militiæ non impetuosè neque omni cautela ad prælia procedere, primi in progrediendo, in regrediendo postremi, nec enim est licitum terga dare fugiendo vel sine mandato reuerti. Et quoniam strenui & fortes Christi milites tanquam alij Machabæi de viribus suis non præsumentes, sed in virtute diuina omnem spem ponentes, corpora sua pro Christo exponebant, sic & Dominus cum ipsis & pro ipsis pugnabat. Vnde adeo formidabiles facti sunt, quod vnus persequebatur mille & duodecim millia, non quot essent, sed magis vbi essent, dum ad arma clamaretur, interrogantes: Leones in bello, agni in domo, in expeditione mi-

lites experti, in Ecclesia velut Eremitæ & Monachi, inimicis Christi duri & feroces: Christianis autem mites & benigni, vexillū bipartitum ex albo & nigro præuium habentes, eo quod Christi amicis candidi sint & benigni, nigri autem & terribiles inimicis. Et quoniam religionis vigor absque destrictione disciplinæ non potest obseruari, viri religiosi & prudentes à principio sibi præcauentes, & in posterum prouidentes, transgressiones siue negligentias delinquentium fratrum nullo modo dissimulare vel impunitas præterire voluerunt, sed quantitatem criminum & peccatorum circumstantias circumspecto examine diligenter ponderantes, à consortio suo quodam tempore ejicientes, crucem rubeam auferentes, aliis ad condignam satisfactionem de terra absque mappa cibum tenuem sumere coram omnibus imponentes, & ad ruborem maioris confusionis canes si secum irent ad manducandum non licet eos repellere: alios carceri & vinculis mancipando si grauitas culpæ hoc requireret, domino Patriarchæ Ierosolymitano, a quo professionis principium, & vitæ corporalis subsidium habuerunt debitam obedientiam & reuerentiam humiliter exhibebant. Ex quo factum est quod nomen honestatis & fama sanctitatis eorum quasi cella aromatica redolens suauitatem odoris, diffusa est per mundum vniuersum, & repleta est domus sanctæ Ecclesiæ ex odore vnguenti, & memoria eorum in ore omnium fidelium, quasi mellis dulcedo sapiebat. Milites autem ex omnibus mundi partibus non solum mediocres, sed Principes & Barones eorum exemplo mundi vincula dirumpentes, & omnibus pro Christo renunciantes ad eos confluebant professionis & religionis eorum cupientes esse participes, pomposam mundi vanitatem & carnales delitias à se penitus relegantes, & tanquam stercora reputantes; Christi vero militiam & religionis humilitatem diuinitus inspiratam deuotissimè amplexabantur. Vnde modico tèmpore à Deo multiplicati sunt, ita vt in conuentu eorum plus quam trecenti equites erant, demptis seruientibus, omnes Chlamydibus albis induti. Amplis etenim possessionibus tam circa mare quam vltra dilatati sunt copiosè. Villas quoque & oppida & ciuitates exemplo fratrum hospitalis sancti Ioannis possidentes. Ex quibus certam summam pecuniæ pro defensione terræ sanctæ summo eorum Magistro, cuius sedes principalis erat in Ierusalem, mittebant annuatim; pari modo sicut principali & summo magistro hospitalis sancti Ioannis Procuratores domorum, quos Præceptores nominant certam peccuniæ summam singulis annis transmittunt. Fratres

enim

enim præ dicti hospitalis ad imitationem fratrum militiæ templi armis materialibus vtentes, milites cum seruientibus in suo collegio acceperunt.

Sequens Capitulum continet de religione fratrum hospitalis sanctæ Mariæ Teutonicorum in Ierusalem.

QVONIAM funiculus triplex difficile rumpitur, placuit igitur diuinæ prouidentiæ prædictis duabus domibus addere tertiam terræ sanctæ admodum necessariam, quasi ex prædictis duabus compositam. Possessiones enim & regulam & institutionem fratrum militiæ templi tàm in bello quam in pace prorsus obseruant, infirmos & peregrinos, sicut fratres hospitalis sancti Ioannis in hospitali suo, quod dicititur sanctæ Mariæ fratrum Teutonicorum in Ierusalem recipiunt. Eisdem cum omni deuotione & pietate necessaria sufficienter ministrantes, domino Patriarchæ, & aliis Ecclesiarum Prælatis humiliter obedientes. Hi autem quasi à modico & tenui fonte principium habentes, in magnum fluuium excreuerunt, beata Virgine Maria eorum aduocata: cui cum omni deuotione & pietate & humilitate seruiunt; ea tam in bonis perpetuis quàm temporalibus subsidia conferente, & incrementum largiente. Cum enim Ciuitas sancta post prædictam eius liberationem inhabitaretur à Christianis, & multi ex Teutonicis & Alemannis causa peregrinationis Ierosolymam venientes linguam, quam non nouerant, audirent, inspirauit diuina clementia cuidam honesto & religioso Teutonico, qui in ciuitate cum coniuge sua morabatur, quod cœnobium seu hospitale de bonis suis constitueret, quo pauperibus & infirmis Teutonicisque peregrinis hospitalitatem exhiberet. Confluentibus autem ad eum ratione commercij, linguæ & voti sui, de gente illa multis pauperibus peregrinis, quoddam composuit oratorium iuxta prædictum hospitale in honore beatæ DEI genitricis Mariæ. Longo autem

autem tempore magna in egestate extitit hæc domus Dei, sed de bonis suis & his quæ colligebat de fidelium eleemosynis pauperes & infirmos recreabat. Quidam autem & maxime de gente Teutonicorum prædicti viri charitatem & meritum attendentes, omnibus pro Christo renuntiantes, se & sua Deo & prædicto hospitali tradiderunt in ministerio pauperum: deposito seculari habitu voto se astringentes. Procedente autem tempore non solum de simplicibus, sed & de equestri ordine, & de nobilibus Alemaniæ viris vtique Deo deuotis prædicto sese hospitali voto obligauerunt, paupertatem voluntariam & abiectionem in domo Domini magis quam habitare in tabernaculis peccatorum eligentes. Et ad hoc visum est eis Deo gratum esse & meritorium, non solum pauperibus infirmis seruire, sed insuper animas ponere pro Christo, & ab inimicis fidei Christianæ terram sanctam defendendo Christo tàm spiritualiter quàm corporaliter militare. Vnde sicut prædictum est, regulam & statuta fratrum militiæ templi ita susceperunt, quod opera pietatis & Deo amabilem hospitalitatem non reliquerunt, sicut animalia sancta habentia faciem hominis & leonis, & vtrumque seruitium ita religiosè & diligenter adimplentes, quod Dei & hominum gratiam promeruerunt & fauorem. Ad differentiam aliorum cruces nigras chlamydibus assuentes. Insuper quoque ad prolixa tempora in humilitate paupertatis & feruore religionis permanserunt; Deus autem gloriosus, qui humiles exaltat, cuius varia sunt dona, donauit quod in omnem terram exiuit sonus eorum.

De hospitali sancti Ioannis plura capitulo sequenti.

Nunc consequenter dicendum est de multiplici genere Christianorum terræ sanctæ coadiacentium, quamuis Crucem honorent, & Christiani esse se affirment, Papalia tamen statuta non curant, nec alicui admittunt, vt sequitur.

SVNT etenim in terra sancta Christiani habitantes, fidei tamen concomitantiam non custodientes; Suriani itaque à sua ciuitate, quæ inter Syriæ ciuitates à primæuis temporibus magnam obtinuit præeminentiam sic appellantur: vel à Syria Y mutata in V. Qui in Scripturis Syri dicuntur, sunt pro maiore parte bilingues & dolosi furtum,

furtum pro peccato non reputantes, vtentes idiomate Saracenorum, moresque eorum imitantur, coniuges suas recludentes, filias & vxores linteaminibus vndique ne videri possint inuoluentes, barbas sicut omnes Orientales non radunt, sed diligenter amplificant & nutriunt: viros imberbes & effeminatos reputant, & inhonestos: Vnde de quodam Baldewino Catholico Romano, qui filiam ducis Armenorum Graecae fidei in vxorem duxerat, vt ipse pauper à suo socero diuite pecuniam posset extorquere, necessitate incumbente, dixit quod barbam suam, quã longo tempore nutrisset, pro magna summa pecuniç quibusdam creditoribus obligasset: Socer autem dolens & admirans valde obprobrium sempiternum faciei suae, & totius generis sui cupiens euitare, decem millia bisantorum, hac conditione dedit illi, quod de caetero nulla paupertate compellente, nullo casu contingente barbam suam praesumeret obligare. Vtuntur autem Suriani in sermone vulgari lingua Saracenica, in conuentibus & aliis negotiationibus, seu officia sua diuina peragunt, idiomate Graeco. Habent enim proprios Episcopos Graecos, Latinorum excommunicationes deludunt, & subsannant dicentes, eosmet in sempiterna fore excommunicatione: Itidem haesitant more Graecorum de sancta Trinitate dicentes: Quia Spiritus sanctus à Filio non procedit, sed à Patre tantũ. Cum igitur tam Graeci quam Suriani omnes Latinos excommunicatos reputent, Altaria sua supra quae Latini celebrauerint diuina, prius quam ipsi in illis celebrent, abluere consueuerunt, Sacramentis etiam nostris nullam exhibent reuerentiam. Ipsi enim sicut & Gręci ex fermento pane conficiunt Sacramentum. Quartas nuptias Graeci & Suriani non admittunt. Sacerdotes & Diaconi matrimonia non contrahunt, vtuntur tamen vxoribus cum quibus ante sacros ordines contraxerunt. Subdiaconatum ordinem non reputant sacrum. Diem Sabbati adeò solennem reputant, quod non licet alicui eorum ipso die ieiunare, excepto Sabbato sancto Paschae. Sabbato etiam solenniter, sicut in die Dominica celebrant, carnes in eo manducantes, à quibus feria quarta abstinent.

Sunt & alij in terra sancta Christiani, praesertim in partibus Orientalibus Iacobini vel Iacobitae appellati, à quodam magistro suo dicto Iacob, cuiusdam Alexandrini Patriarchae discipulo, sicut Saducaei, qui Saducum quendam magistrum legis sequuntur; resurrectionem corporum non admittunt, neque Angelos, neque Spiritus esse, sed animas iudicantes interire cum corporibus. Hi tantum quinque libros

Moysi recipiunt, oracula aliorum Prophetarum non attendunt. Sed prædicti Iacobini differunt ab illis, sequestrati sunt à Græcis; maiorem partem Asiæ & totius Orientalis plagæ loca inhabitant. Quidam inter Saracenos, quidam segregati ab infidelium consortio proprias occupant sedes sicut, Indiani, qui contaminata Ægypto magnam partem Æthiopię, & plures regiones vsq; in Indiā citeriorem, plura regna possident: omnes enim sunt Christiani à Matthæo Apostolo, & aliis viris Apostolicis ad fidem Christi conuersi. Sed postea super seminante inimico Zizania, errore decepti sic obtenebrati sunt. Paruulos suos more Saracenorum circumcidunt: confessiones suorum peccatorum non Sacerdotibus, sed soli Deo latenter faciunt, ponentes se iuxta ignem, tanquam cum fumo peccata sua ascendant coram Deo. Errant miseri & pereunt ex defectu doctrinę, vt supra dictum est de canibus lingentibus. Alius error prædictorum Iacobinorum & abusiua consuetudo, quia plures eorum cum baptisant paruulos suos, adurunt cum ferro candenti, & inprimunt cauterium, aspectus eorum signantes. Alij in modum crucis in fronte, alij in ambabus genis, putantes per ignem materialem eos expiari, attendentes quod Baptista Christi dixit: *Ipse vos baptisabit in Spiritu & igne*: Cum tamen omnibus fidelibus liqueat, ꝙ in igne spirituali hoc est Spiritu sancto fiat remissio peccatorū, & non in igne visibili. Ob hanc causam detestati sunt à Græcis & à consortio eorum omnino eiecti. Quidam enim peruersè asserunt, Christum post humanam assumptionem, non ex duabus naturis existere, sed solum in eo diuinam naturam permanere: Hunc errorem introduxit Eutyches Constantinopolitanus Abbas: alij autem ex duabus naturis, vnam in Christo esse naturam asserunt, Theodosius & Gaianus Episcopi Alexandrinorum, huius erroris authores exstiterūt. Constans est enim quod secundum naturam humanitatis Christus esuriit & sitiuit, mortem etiam in cruce pertulit, secundum autem naturam diuinitatis mortuos suscitauit, & alias virtutes operatus est, secundum quod ipse dixit: *Antequam Abraam fieret ego sum.* Et iterum: *Ego & Pater vnum sumus*, sed secundum humanam naturam idem ait: *Pater maior me est*, Et iterum: de calice transferendo: *Non sicut ego volo sed sicut tu.* Idem etiam Iacobini, vno tantum se digito signant, indice scilicet, dicentes, quod per hoc vnitatem essentiæ profitentur in tribus personis: quidam eorum vtuntur littera Arabica siue Saracenica. Alij autem Chaldęa, laici eorum secundum diuersas nationes & prouincias diuersis vtuntur idiomatibus. Linguam autem suorum Cleri-

Math. 3. — Ioan. 8. — Ioan. 10. — Ioan. 14. — Math. 26.

corum

eorum, quæ in diuinis scripturis vtuntur, non intelligunt, licet enim littera vtâtur Saracenica vulgare tamen Saracenicum hoc non repræsentat, sed quoddam proprium idioma, quod non nisi à literatis intelligi potest.

Sunt aliæ nationes Christianorum extra terram sanctam seorsum in maiori parte Indiæ habitantes, Nestoriani vocati à quodam hæresiarcha Nestorio dicti, qui peruersa sua doctrina Orientalem regionem pro magna parte infecit, & maxime illos, qui intra potentissimi Principis, quem Presbyterum Ioannem vulgus appellat, commorantur, Hi omnes cum Rege suo Nestoriani sunt, qui cum Iacobitis longe plures esse dicuntur, quam Latini vel Græci. Vt enim de his qui seorsum habitant, quorum infinitus est numerus, taceamus, inter Saracenos non pauciores vt creditur Christiani sunt eisdem infidelibus commixti, & eorum dominationi subiecti, quàm sunt ipsi Saraceni, qui licet legem pestiferam Machometi recipere noluerūt, ab hæreticis tamen lamentabiliter sunt corrupti. Prædictus autem filius perditionis Nestorius Constantinopolitanus Episcopus & omnes sequaces eius beatam Virginem Mariam negant esse matrem Dei, sed matrem hominis affirmant: aliam asserentes personam diuinitatis in Christo, & aliam humanitatis, & secundū duas naturas duas in Christo distinguētes personas, nec vnum Christum in verbo Dei & carne credunt, sed separatim atque seiunctim alterum Filium Dei, alterum Filium hominis affirmant. Hæc hæresis in Ephesina Synodo, quæ facta fuit tempore Theodosij secundi sub Papa Cælestino, fuit condemnata, & incepit anno Domini 433. De ista secta fuit Machometus à Sergio Monacho apostata inductus. Iidem Nestoriani Chaldęa littera vtuntur, & ex fermento more Græcorum Sacramentum conficiunt.

Sunt alij in Phœnice prouincia circa montem Libani habitantes numero pauci, arcubus & sagittis edocti, Maronitæ nominantur à quodam magistro eorum Marone dicto. Qui vnam voluntatem, & vnam tantum operationem in Christo asserebat, cuius erroris author extitit quidam Antiochenus Macharius Episcopus: vtuntur autem prædicti Maronitæ littera Chaldæa & lingua Saracenica siue Arabica.

Gentes autem quæ in terra Armeniæ commorantur, Armeni dicti sunt, ab omnibus Christianis prædictis ritus habent singulares, & proprias obseruantias, habitu & gestu ab omnibus diuisi, habent enim proprium Primatem quem Catholicon dicunt, cui cum summo honore & reuerentia tanquam alteri Papæ obediunt. Inter hos & Græcos discordiæ sunt & dissensiones implacabiles, habent enim

proprium idioma & speciales litteras & in vulgari sermone diuinas Scripturas pronuntiant, ita quod Sacerdotes eorum à laicis intelliguntur sicut dictum est de Græcis. Natiuitatem Domini secundum carnem non celebrant, sed in die Natalis Domini ipsi ieiunant, in die apparitionis, id est, Epiphaniæ etiam celebrant festum Dominici Baptismi: Et eodem die festum spiritualis Natiuitatis Dominicæ asserunt se celebrare. Quadragesimam quæ est ante resurrectionem Domini ita stricte ieiunando obseruant, vt non solum à carnibus & lacticiniis abstineant, imo etiam pisces non manducent: oleo non vtuntur, vinũ non bibunt, si ieiunium sit. Fructus autem & legumina quando eis placet in die manducant. Grauius illum peccare dicunt qui in Quadragesima pisces comedit, aut vinum bibit, quam illos qui fornicantur. In hebdomada sexagesimæ, ita stricte ieiunant, quod in feria secunda penitus ab omni alimento abstineant: feria tertia aliquid comedunt sine tamen oleo & vino: feria quarta iterum abstinent: feria quinta semel comedunt: feria sexta nil comedunt. Sabbato comedunt carnes. Infantes duorum mensium etiam Eucharistia communicant. Post Pascha comedunt carnes per omnes sextas ferias vsque ad Pentecosten: Vigilias & festa Sanctorum non significant: Quatuor tempora nesciunt. In Quadragesima non celebrant nisi diem Dominicum: dicunt enim hominem non ieiunare cum celebrat vel otiatur. Per circulum anni habent officia diebus hebdomadæ appropriata, vnicuique diei suum officium, & illis continue vtuntur, sicut & nos habemus de Psalmodia nocturnos singulos singulis diebus appropriatos, & ipsis vteremur, si non esset impedimentum de festis. De Purgatorio nil credunt; nec quod Christus duas naturas habuerit: aquam cum vino non fundunt, sed vinum solum conficiunt. Licet hi Romanæ Ecclesiæ obedientiam promiserint, quando Rex eorum ab Imperatore Henrico terram suam recepit: ritus tamen veteres mutare noluerunt.

Præterea est in regione Orientali quidam alius Christianorum populus bellicosus & Saracenis formidabilis, Persis, Medis & Assyriis, in quorum confinio commoratur, & ab infidelibus populis vndique clauditur. Hi homines Georgiani dicuntur, eo quod sanctum Georgium in prælius suis contra gentem incredulam aduocatum habent & patronum, & tanquam signiferum cum reuerentia colunt, & in præliis suis specialiter inuocant; vtuntur autem idiomate Græco in diuinis Scripturis, & Gręcorum consuetudines in Sacramentis obseruant.

Clerici

Clerici eorum rotundas habent coronas,laici vero quadratas. Alio nomine vocantur Christiani de cinctura,ideo quia sanctus Georgius anguem cinctura ligauit,& tradidit puellæ. Quotiescunque sepulchrum Dominicum visitaturi adueniūt, absq; tributo Templum ingrediuntur: Vel possunt ideo Georgiani dici à Georgia, tali patria siue terra, quæ ab antiquis temporibus Patriarchæ Antiocheno erat subiecta; similiter Armenia & Cappadocia siue Tarquia. Inter Georgianos & Armenos est maximum odium & implacabilis inimicitia, in tantū,quod dicit & docet Georgianus: Si quis nostrum habuerit spinam pedi infixam transiens ante Armeniorum Ecclesiam, debet spinam sustinere, nec ad pedem suum causa euellendi inclinare, ne videatur ante Armenorum Ecclesiam ab omnibus Christianis vilipendendam inclinare,&c.

De constructione Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Latina,& de hospitali sancti Ioannis,de quo fratres nomen acceperunt: Sequitur capitulum.

CVM ciuitas sancta sub dominio Saracenorum teneretur, multi tamen Christiani de gente paganica,patriam suam deserere noluerunt, sed inter eos multum oppressi habitabant. Princeps autem Ægyptius qui vniuersas regiones à Laodicia Syriæ vsq; ad extremam ciuitatem Ægypti Alexandriam possidebat, quartam partem Ierosolymitanæ ciuitatis ex parte Dominici sepulchri Surianis Christianis & Patriarchæ eorum sub annuali tributo ad inhabitandum concessit, alias vero tres partes habebant Saraceni. Vnde ex Occidentalibus partibus cæterisque longinquis regionibus ad terram promissionis veniebant Christiani, quidam causa negotiationis, alij causa deuotionis & peregrinationis,dato Saracenis tributo, loca sancta visitabant, inter quos quidam de Longobardis & maxime Almaphiani de Ciuitate Olympia septem milliaria à Salerno distante: quia merces peregrinas offerebant, & Principem Ægyptiorum tributis & muneribus sibi beneuolum & placatum reddiderunt. Et ideo apud eum optimas conditiones inuenerunt, vnde ab ipso facile obtinuerunt vt in honore beatæ Mariæ prope Ecclesiam Dominici sepulchri, quantum iactus est lapidis, Ecclesiam Latinorum construerent, eo quod Suriani Christiani consuetu-

ſuetudines Græcorum & ſtatuta in diuinis officiis obſeruabant, vnde vſq; in hodiernum diem prædictam Eccleſiam dicunt Beatæ Mariæ de Latina: Latinum enim Abbatem & Monachos more Latinorum diuina celebrantes in ea inſtituerũt. Tempore procedente extra ſepta Monaſterij prædicti, in quo mulieres peregrinas decenter reciperent, & vt Monachi ibidem continentius manerent, aliud ordinauerunt Monaſterium in honore ſanctæ Magdalenæ, quo ſorores mulieres Religioſas, quæ peregrinis mulieribus Latinis in prædicto loco miniſtrarent, & eas ad hoſpitandum reciperent, ſtatuerunt. Tandem confluente peregrinorũ multitudine, ita quod prædicta Monaſteria ad recipiendum omnes pauperes, infirmos & afflictos non ſufficerent, iuxta Eccleſiam prædictus Abbas & Monachi ad opus infirmorum & egenorum hoſpitale & capellam in honore ſancti Ioannis Eleemoſynarij in eodem loco conſtruxerunt. Hic vir ſanctus & Deo gratus per omnia commendabilis, Cyprius natione fuit, & meritis ſanctitatis exigentibus ad Patriarchatum Alexandrinum fuit vocatus, vt qui in Eleemoſynis & cęteris operibus pietatis fulgebat: Et quia à principio prædictum hoſpitale ſancti Ioannis redditus & alias poſſeſſiones non habebat, de fragmentis & reliquiis menſarum vtriusque Monaſterij, & de quibusdam Eleemoſynis fidelium Abbas de Latina, ad quem ſpectabat illud, pauperibus & infirmis faciebat prouideri. Poſtquam autem diuinæ placuit pietati, vt ad ciuitatem redemptionis noſtræ veniret Gotfridus, de quo ſuperius dictum eſt, & alij fideles Chriſtiani, qui eam ab impiorum manu & dominio liberauerunt, & eam reſtituerunt cultui Chriſtiano, vir quidam ſanctæ vitæ & probatæ Religionis nomine Geraldus, qui longo tempore de mandato Abbatis in prædicto hoſpitali pauperibus deuotè miniſtrauerat, adiunctis ſibi quibusdam & honeſtis & religioſis viris regularem habitum ſuſcepit, in veſtibus ſuis nigris Albam crucem exterius effigians in pectore, Regulæ ſalutari & honeſtis inſtitutionibus facta ſolenniter profeſſione ſeipſum obligauit. Cui etiam mulier quædam Agnes nomine, ratione nationis, nobilis genere & opere, in Monaſterio pauperum adiuncta, eundem humilitatis habitum votiuè ſuſcepit. Prædicti igitur fratres humiliter & deuotè Domino ſeruientes, & infirmis pauperibus de paupertate ſua diligenter miniſtrantes, in agro Acheldemach mortuos ſuos ſepeliebant. Abbati autem ſanctæ Mariæ, qui prædicti hoſpitalis principium extiterat, & tam ipſos quam infirmos eorum de propria menſa diu ſuſtentauerat; primum tamen protectorem beatum Ioannem Eleemoſynarium deuotiſſimè

tiſſimè venerantes, & ipſum dominum & aduocatum ſuum profitentes: domino etiam Patriarchæ Ieroſolymitano deuote obedientes; de bonis ſuis decimas ſecundū præcepta noui & veteris Teſtamenti reddebant: orationi vacantes, vigiliis & ieiuniis ſeipſos affligentes, operibus miſericordiæ aſſidue adhærentes; parci ſibi & auſteri, pauperibus autem & infirmis, quos dominos ſuos appellabant, largi & miſericordes exiſtebant; panes de pura ſimila largiebantur infirmis, reſiduum vero cum furfure ad vſus proprios reſeruabant. Si quis autem inter ipſos delinquebat in aliquo, nullo modo relinquebatur impunitum, ne facilitas veniæ præberet anſam delinquendi aliis, ſecundum quod culpæ reatus exigebat, ita puniebantur. Quidam ſigno crucis à veſtimentis euulſo, tāquam membra putrida eiiciebantur: alios vinculis & carceri mancipabant: alios ad pedes fratrum in terra cibum parciſſimum vſque ad condignam ſatisfactionem ſumere decernebant. Et quoniam Deus erat cum eis, quia ab omnibus amabantur; vnde factum eſt, quod in omnem terram Chriſtianorum exiuit ſonus eorum. Inſuper ex omni natione & lingua poſt terræ ſanctę liberationem, Chriſti fideles ſepulchrum Domini viſitaturi, Ieroſolymis confluebant, largitione Principum & Eleemoſynis fidelium modico tempore adeo ditati ſunt, quod ab vniuerſis Occidentalibus prouinciis reditꝰ copioſos colligentes, caſtella ſibi & oppida, tanquam terræ principantes, ditioni ſuæ ſubiecerunt. Religio fratrum hoſpitalis ſancti Ioannis Ieroſolymę, de quibus nunc dictum eſt: incepit circa annum Domini milleſimum centeſimum triceſimum. Et fuit poſt captionem terræ ſanctæ factum per Gotfridum, vt ſupra dictum eſt; & fuit tempore Lotharij Imperatoris. Sequitur ex præmiſſis quod à principio huius religionis vſq; ad tempus ſcripturæ præſentis libelli, ſcilicet milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quarto: fluxerunt anni ducenti triginta quatuor, &c.

Sequitur de Patriarchatu Ieroſolymitano & Metropolitanis, id eſt, Archiepiſcopis & Suffraganeis, id eſt, Epiſcopis eius.

PRIMVS Epiſcopus Ieroſolymitanus fuit beatus Iacobus minor frater Domini. Poſtea vſq; ad tempora Iuſtiniani non niſi ſimplices habuit

habuit Episcopos. Temporibus verò Imperatoris prædicti in Synodo generali apud Constantinopolim ob reuerentiam ciuitatis Sanctæ in ea constituerunt Patriarcham, quosdam suffraganeos ab Antiocheno & Alexandrino subtrahentes, eo quod in confinio & in limite horum duorum Patriarchatuum erat constituta. Patriarchatus itaque Ierusolymitanus habet sub se quatuor metropolitanos: Primus est Tyrensis, continens sub se quatuor suffraganeos, scilicet Acconensem, Sydoniensem, Berithensem, & Paneadensem. Est autem Paneas ciuitas illa quæ nunc vulgariter Belinas nuncupatur ad radicem montis Libani sita, satis propinqua ciuitati Damascenæ. Secuudus Metropolitanus est Cæsariensis, vnum tantum suffraganeum habens scilicet Sebastiensem, Sebastia enim alio nomine diciturSamaria, quę fuit caput regni Ierusolymitani, ibi fuerunt Ioannes Baptista, Helisæus & Abdias. Ciuitas autem quæ Baifa dicitur, siue Porphyria, non habet Episcopum, est autem in propinquo Archiepiscopus Cæsariensis. Tertius Metropolitanus est Nazarenus vnum habens Suffraganeum, scilicet Tiberiadensem Episcopum. Est autem Tyberias super mare Galilææ sita, frumenti, vini, piscium vbertate redundans. Quartus Metropolitanus est Petracensis, vnum tantum Suffraganeum habens Episcopum Gręcum in monte Synai in Ecclesia sanctæ Catharinæ & Monachis eiusdem Ecclesiæ præfectum. Est autem Petra deserta ciuitas munita, quæ vulgari nomine *Crach* dicitur. Habet etiam Patriarcha Ierusolymitanus quatuor Suffraganeos sibi subiectos, scil. Bethlemitanum, Ebronensem, Ascalonensem & Lidiensem: Fuit autem Lidia ciuitas quæ Diospolis dicitur, nunc autem ad sanctum Georgium dicitur.

Habet insuper prædictus Patriarcha Abbates & Priores sibi substitutos, Baculos, Mitras, Annulos & Sandalia habentes, Patriarchæ assistentes in ministerio. Patriarchalis siquidem Ecclesia quæ est Dominici sepulchri sub monte Caluariæ, habet Canonicos regulares secundum habitum & Regulam beati Augustini viuentes. Habent autem Priorem ad quem cum prædictis Canonicis pertinet eligere Patriarcham, qui est eis loco Abbatis.

Notandum quod omnes Orientales Prælati, exceptis duntaxat Latinis, Annulis & Mitris Pontificalibus non vtuntur, sed baculos Pastorales portant in manibus, nec vsum habent campanarum sed percussis malleolo vel baculo tabulis populum ad Ecclesiam soliti sunt congregare, sicut Armeni & Maronitæ, Græci & Iacobitę, &c. de quibus rescriptum. In Ecclesiis autem templi Domini, scilicet, in monte

Sion & monte Oliueti, sunt Abbates & Canonici secundum prædictam Regulam Deo seruientes. In Monasteriis verò de Latina & vallis Iosaphat, sunt Abbates cum Monachis nigris secundum Regulã beati Benedicti Domino famulantes. In Bethania est Abbatissa & Moniales nigræ eiusdem Ordinis Regulam profitentes: huius etiam professionis est Abbatia sanctæ Annæ matris beatæ Virginis iuxta probaticam piscinam prope portam beati Stephani sita, in quo loco beata virgo nata fuisse perhibetur, in quo est Abbatia cum monialibus nigris sub beati Benedicti Regula Deo seruientibus, tanquam cella aromatica castis & Deo deuotis personis erat referta, quæ religionis districtionem, vitæ honestatem, & castitatis feruorem nulla compellente aduersitate vel prosperitate mundi relinquerunt. In monte Thabor est Abbatia nigrorum Monachorum sub Metropolitano Nazareno. Ioppensis ciuitas nõ habet Episcopum, sed subest Priori & Canonicis Dominici sepulchri. Ciuitas Neapolis quæ in Euangelio Sichar dicitur, vbi est puteus Iacob, super quẽ sedit Dominus, caret Episcopo. Multæ aliæ sunt ciuitates in terra sancta, quæ licet ante tempora Latinorum proprios haberent Episcopos Surianorum & Græcorum; Latini tamen propter multitudinem & inopiam eorum, ne dignitas Episcopalis vilipenderetur, Episcopali dignitate eas priuauerunt. Et duas Ecclesias quæ prius Episcopales non erant, propter dignitates eorum Episcopales fecerunt, scilicet Ecclesiam Bethlemiticam, quæ prius Canonicorum Regularium Prioratus fuit, propter Dominicæ natiuitatis excellentiam, Rex Baldewinus ipsam Cathedrali dignitate sublimauit. Similiter Ebronensis Ecclesia quæ prius Prioratus extitit, propter loci dignitatem, in qua sepulti sunt quatuor sancti Patres, Adam, Abraam, Isaac & Iacob, ad temporalem dignitatem sublimata est.

Quidam Christiani Deo deuoti exemplo Domini spiritualiter ducti desertum illum desiderabilem, qui Quarentana dicitur, vbi Dñs ieiunauit, vt vitam ducerent ereniticam, præeligentes in modicis cellulis Domino deuotissime militabãt. Alij verò exemplo Heliæ in monte Carmelo & maxime in parte illa quæ supereminet ciuitati Porphyriæ, quæ nunc Caifa dicitur, iuxta fontem Heliæ, non longè à Monasterio sanctæ Margaritæ vitam agebant solitariam in aluearibus modicarum cellularum rupium tanquam Domini specialem dulcedinem mellificantes. Hic Carmelus quo conuersatus est Helias, situs est in maritimis Accon. Sed alter est Carmelus trans Iordanem iuxta desertum solitudinis, in quo latuit Dauid fugiens à facie Saul, vbi erat ha-

bitatio Nabal viri stulti. Quamplures etiam habitabant in solitudinibus Iordanis, vbi beatus Ioannes baptisauit, mortui enim mundo, vt viuerent Deo, ibidem sepulturam sibi elegerunt. Ibidem non longè est Monasterium sancti Hieronymi, vbi fatetur se stetisse per quadriennium in vasta solitudine, quæ exurebatur solis ardoribus. Alij elegerunt sibi vitam solitariam in deserto illo, quod adiacet mari Galileæ, vbi Dominus multitudinem populi pauit, & variis miraculorum signis regionem illam illustrauit. Alij in monte propinquo in quo Dominus seorsum à turba consueuerat solus orare. Nonnulli autem in monte Thabor qui sublimis est & arduus, quo Dominus transfiguratus est.

Sequitur de portis quæ erant in muro ciuitatis sanctæ Ierusalem, quas etiam recolit textus sacræ scripturæ, & sunt octo in numero.

PRIMA vocabatur porta Dauid, & erat in latere montis Sion in angulo Occidentis, fuit autem sic dicta pro eo quod turris Dauid eidem imminebat. Dicta etiam fuit porta piscium, eo quod per eam fuit via de Ioppe & Diospoli, & maritimis, etiam per eam veniebant negotiatores de Æthiopia & Ægypto, merces diuersas adducentes: Hæc enim porta fuit in antiquo muro, & coniungitur ei adhuc hodie murus partis illius quæ fuit apposita propter sepulchrum Domini includendum. De ista porta procedebat via in tres partes diuisa, vna super agrũ Fullonis, & vna quæ erat sinistra, ducebat in Bethleem & Ebron. Inde alia dependebat ad dextram per vallem Raphaym sub castro Bethsura, quod est stadiis quinq; à Ierusalem.

Secunda dicebatur porta vetus, & erat ab ista contra Aquilonem in muro veteri, & manserat à tempore Iebusæorum. Dicta etiam fuit porta iudiciaria, quia iudicia ibi exercebantur, & quæ iudicata fuerant per sententiam definitiuam ibi executioni mandabantur. Non longe extra hanc portam Dominus crucifixus est.

Tertia erat porta Effraym à superiori parte contra Aquilonem, per hanc erat via in montem Effraym & Samariam & Galilæam. Huic adhærebat murus, qui à turri Dauid vsque ad hanc portam erat factus ad sepulchrum Domini includendum cum muro veteri: Dicta etiam erat porta Beniamin, quia in Anathot & ceteras vrbes huius tribus ducebat. De porta Beniamin require Hieremiæ vicesimo: Ista nunc dicitur porta Stephani, quia extra ipsam fuit lapidatus,

Hierem. 20.

Quar-

Quarta porta fuit anguli, & erat à superiori Orientalis in angulo muri super torrentem Cedron. Vnde in libris Regum legitur: Quod Ioas Rex iste interrupit murum Ierusalem à porta Effraym vsq; ad portam anguli quadringentis cubitis ample. *4.Reg.14.*

Quinta erat porta sterquilinij; per hanc tempore pluuiæ descendebant sordes ciuitatis in torrentem Cedron: Per istam portam erat via in desertum quod est inter Ierusalem & Iericho.

Sexta porta erat vallis, & dicebatur porta gregis immolandi ad Templum, cui adiungebatur & quasi adhærebat probatica piscina, in qua hostiæ lauabantur. Huic portæ adhæret turris Ananael, quæ etiam nebulosa dicebatur. Vnde illud: ædificabitur Domino ciuitas à turre Ananael vsq; ad portā anguli, quæ est porta Beniamin: hanc turrem Herodes magnus instaurauit, & appellauit Antoniam ad honorē cuiusdā Antonij; hæc ducit ad montē Olíueti & Bethaniam & Iordanem. *Hierem. 31.*

Septima est porta aurea, hęc non ducebat in ciuitatem immediatè, sed in Templum per compēdium de monte Oliueti per testudinem quandam factam per vallem Iosaphat, & intra hanc erat porta Templi speciosa contra Occidentem

Octaua est porta aquarum, quia per eam portabantur aquę de natatoria Siloë, erat autem facta in angulo, contra partē illam, vbi mons Sion & mons Moria, id est, mons herbarum conueniunt in angulo duorum murorum, scilicet monte Sion & muro qui cingebat domum Regis, ducebat autem ad fontem Siloë & ad vallem filiorum Ennon, & ad fontem Rogel, & ad agrum Acheldemach.

Non credo quod plures portas ipsa ciuitas habuerit, quia secundū situm suū plures non potuerunt esse, forte aliqua de istis poterat alio nomine appellari. Celebriores tamen in his sunt tres exitus portarum, scil. prima, tertia & quarta inter octo iam enumeratas. A meridie autem & Aquilone montis Sion supercilium supereminet ciuitati, & ea pars murorum circumpositis turribus nullas habere portas comprobatur. Ecce ciuitas Regis magni quam vniuersæ Ecclesiæ personare non sufficiunt. In cuius murorum ambitu octoginta tres turres, & septem munita castra fuerunt, quorum vestigia maxime ad Aquilonem adhuc sunt manifesta hodierna die.

Sequitur de amißione terræ sanctæ.

SCRIPSI enim in præcedentibus mente lugubri de perditione terræ sanctæ tempore Guidonis Regis in Ierusalem. Nunc autem flens

dico,quia inimici crucis Christi non solum in Regnum Ierusolymitanum irruerunt,imo etiam plura loca sancta vsque ad interemptionem contriuerunt. Anno itaque ab incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo septimo, quarta die Iulij Christianus exercitus à Saladino Soldano Babyloniæ victus succubuit, Guidone Rege capto, Baronibus & populo vniuerso. Et sancta Crux quam in exercitu boni deferebant,capta est & perdita,ita quod nunquam potuit inueniri vsque in hodiernum diem, quam etiam ipse Saladinus fecit inquiri, & non potuit inuenire. Eodem anno secunda die octobris ciuitas Ierusalem reddidit se Saladino Soldano Babyloniæ. Similiter & omnes ciuitates Regni Ierusalem libere se subiecerunt, excepto Tyro, quam Marchio montis Ferrati contra omnes Saracenos tam in mari quam in terra obtinuit animosè.

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo, Imperator Romanorum Fridericus primus, Philippus Rex Francorum, Richardus Rex Anglorum, venerunt ad terram sanctam pro ipsius liberatione de manibus Saracenorum, sed prô dolor Imperator fuit intoxicatus in Cilicia,& in Antiochia tumulatus. Sequenti anno prædicti Reges scilicet Philippus & Richardus ceperunt ciuitatem Acconensem de manibus Saladini, vndecima die mensis Iunij, capta tamen prius Cypro.

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo tertio præfatus Rex Angliæ fecit Treugam cum Saladino, & recuperauit Ioppen, *Arsuf, Cæsaream, Caifam, siue Porphyriã ciuitates Regni Ierusalem, & reuersus est in Angliam, eodem anno mortuus est Saladinus Rex.

*Arsur.

Anno milleno ducenteno decimo septimo, Rex Hungariç venit cum duce* Arestiæ & magna multitudine populorum cruce signatorum Alamanniæ & Hungariæ ad terram sanctam.

*Austriæ.

Anno Domini milleno ducenteno decimo nono Christianus exercitus cepit Damiatam quinta die Nouembris, sequenti anno eandem ciuitatem perdiderunt,& multi de Christianis fuerunt capti, pro quorum redemptione restituta erat ciuitas Saracenis tunc tẽpore s beato Francisco in ea existente. Eodem anno quando capta erat Damiata per Christianos, Coradinus filius Soldani destruxit muros & turres, & extitit causa maleuolæ vindictæ ciuitatis sanctæ, Templum autem & Ecclesiam Dominici sepulchri, & castrum Dauid non tetigit consilio super hoc accepto.

Anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo nono Fridericus secundus Romanorũ Rex Imperator fecit Treugam cum Soldano Babyloniæ

bylonię nomine Olequemel: Et redditę sunt Christianis ciuitates scil. Ierusalem & Nazareth, & tenuerunt eas annis quindecim. Fluxerunt autem à captura Ierusalem facta per Saladinum vsquequo fuit reddita Christianis ab Olequemel Soldano anni quadraginta & vnus.

Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, Saraceni ceperunt ciuitatem Ierusalem, quę Budos, id est, sanctum, eorum lingua dicitur, & interfecerunt quinque millia Christianorum quos in ea inuenerunt. Opera sumptuosa parietum & testudinum, & frontispicia Ecclesię sancti Sepulchri destruxerunt, & imagines penitus comminuerunt.

Sequitur de aduentu Regis Ludouici ad terram sanctam.

ANNO Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octauo die decima septima mensis Septembris: beatus Ludouicus Rex Francorum applicuit Cyprum & per hyemem ibi pausauit. Sequenti anno penultima die Maij cedens abiit Damiatam. Et quinque diebus existens in itinere maris, quarta die Iunij applicuit Damiatam: Quinta die eiusdem mensis possedit eam & tenuit per annum. Eodem anno erumpebat in meridie tanta tempestas aquę, quę fregit quinquaginta magna vasa in portu Accon, & in porta ciuitatis Damiatę triginta naues collisit, ita quod omnibus diebus tunc temporis nunquam erat audita tanta tempestas maris. Sequenti anno scilicet millesimo, ducentesimo quinquagesimo fuit captus Rex Ludouicus à Saracenis in principio Aprilis, pro cuius liberatione iterum reddita est Damiata Saracenis pro summa mille centum marcarum argenti. Et sic eodem anno venit Accon firmans vnam partem suburbij Acconensis: Sequenti anno iuit ad fortificandum Cęsaream. Iterum sequenti anno muniuit Sydonem. Iterum sequenti anno millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto ipse Rex Francię cum vxore sua recessit de Accon in die beati Marci cum octo nauibus & quatuor galleis. Ex supradictis apparet quod ab vltima perditione Damiatę vsque ad tempus scripturę pręsentis libelli, quod fuit anno milleno triceнteno septuagesimo tertio, fluxerunt anni centum viginti quinque.

Anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo nono, die decima septima Martij Melechmeser Soldanus Babylonię obsedit Tripolim. Die autem vicesima sexta Aprilis in crastino beati Marci

 ciui-

m filium Vespasiani durauerit annis quadraginta sex. Ideo, quia Titus expugnauit ciuitatem anno quinquagesimo à passione ini; anno autem centesimo decimo nono ab eius Incarnationē ata fuit Ælio præfato fauente. Similiter fabricatio templi in ea a qua nunc est.

Quidam autem dicunt fuisse reformatū̄m sub Constantino Imore ab Helena matre sua ob reuerentiam sanctæ crucis ibi reper: si sic esset, tunc destructum iacuisset annis ducentis triginta sex lo plus, tot enim anni fluxerunt à tempore captionis ciuitatis lem per Titum vsq; ad principatum Constantini. Dicēdum est, itatur de certo tempore reparationis Templi, tamen hoc est ve- quia prædicta Helena constitui fecit Basilicam resurrectionis ob ntiam crucis ibi inuentæ. Constantinus regnare cepit anno Do- recentesimo nono, & imperauit annis 34. & sex Mensibus: isto nedio curatus erat à lepra, & dotauit Ecclesiam. Helena autem eius veniens Hierosolymam, & inuenta ibi cruce plures ædifica- clesias, & indulgentias earundem Ecclesiarum impetrauit à Pa- estro. Quidam autem affirmant Templū sepulchri fuisse repa- tempore Heraclij Imperatoris, qui regnare cepit anno Domini am in quinto anno sui Imperij, Cosdroē Rex Persarum cepit & muros eius, & Ecclesias destruxit. In septimo verò anno sur- ontra eum Imperator Heraclius superauit & interfecit eundem oēn, & recuperata sancta ciuitate multas Ecclesias reformauit, er & murum ampliauit, montemq; Caluariæ & quædam pluri- a illi conuicina interclusit intra murum ciuitatis, sicut antea Ælius Adrianus. Hic Heraclius post vicesimum annum sui j errans declinauit à fide Catholica, ex suggestione Cyri Epi- lexandriæ & Sergij Patriarchæ Constantinopolitani, qui præ- nt vnicam fuisse in Christo naturam, vt supra dictum est. Vice- nno Imperij huius Heraclij incepit secta Saracenorum sub Ma- to Propheta eorum, & fuit anno ab incarnatione Domini sex- esimo tricesimo tertio. Vixit idem Machometus annis sexa- ibus.

alomon autēm vt legitur cepit regnare anno ab egressione fi- raël de Ægypto * quadringēta septuaginta sex annos, & regna- draginta annis. Quarto anno regni cepit ædificare Templum i in Ierusalem de marmore candido. In septē annis & sex men- ud compleuit. Post hoc cæpit ædificare domū suā regalē, & cō-

** quadringentesimo septuagesimo sexto anno.*

compleuit in tredecim annis; deinde conuertit animum suum ad construendos muros ciuitatis, & vias regias ad ciuitatem ducentes strauit nigro lapide. Tempore autem Sedechiæ Regis & Ieremiæ Prophetę, venit Nabuchodonosor Rex Babylonis & Nabusardan Princeps exercitus ad Ierusalem, & comprehenderunt Regem, & populum Iudæorum duxerunt captiuum in Babyloniam, & Nabusardam Templum & ciuitatem incendit, & murum eius destruxit. & vasa omnia transtulit in Babylonem. Nota, ab inceptione Templi prædicti vsque ad eius incendium fluxerunt anni quadringenti & quadraginta vnus.

De Machometo Pseudopropheta.

MORTVO itaque Papa Gregorio successit ei Sabinus, & Sabino Bonifacius tertius, ad cuius preces Phocas Imperator donauit Ecclesiæ Christi Pantheon circa annos Domini sexcentos decem. Et ~~ad preces eiusdem Bonifacij statuit Romanam sedem esse caput omnium Ecclesiarum. Nam~~ Ecclesia Constantinopolitana se primam omnium Ecclesiarum scribebat. Huius Bonifacij tempore, mortuo Phoca & regnante Heraclio, circa annos Domini vt supra, Machometus Pseudopropheta Agarenos siue Ismaëlitas, id est, Saracenos decepit, sicut legitur, & seduxit hoc modo: Clericus quidam valde famosus cùm in Romana curia honorem quem cupiebat consequi non potuisset, indignatus, ad partes transmarinas confugiens, sua simulatione innumerabilem populi multitudinem ad se traxit, inueniensq; Machometum, cui pollicens dixit, quod ipsum illi populo præficere vellet, nutriensque columbam, grana & alia huiusmodi in auribus Machometi ponebat: Columba igitur super humeros eius stans de auribus eius cibum sumebat; sicque iam adeò assuefacta erat, quod quandocunque Machometum videbat, protinus super eius humeros volitans rostrum in aurem eius ponebat. Prædictus igitur Clericus populum conuocans dixit, se illum sibi velle præficere, quem Spiritus sanctus in specie columbæ monstraret. Statimque columbam secreto emisit, & illa super humeros Machometi, qui cum aliis stabat euolans, & rostrum in eius aures apposuit. Quod populus videns, Spiritum sanctum esse credidit, qui super eum descenderet, ac in eius aure verba Dei inferret. Et sic iste magus Saracenos decepit, qui sibi adhærentes, Regnum Persidis & Orientalis Imperij fines vsque ad Alexandriam

driam innaſerunt. Hoc vulgariter dicitur, ſed magis conſonum eſt veritati, quod inferius habetur.

Machometus enim propriam legem conficiens, quam à Spiritu ſancto, qui in columbæ ſpecie ſuper eum volabat, ſe recepiſſe mentiebatur, in qua de vtroq; Teſtamento quædam inſeruit, qui cum in primæuis ſuis temporibus mercimonia exerceret, & apud Ægyptum & Palæſtinam cum camelis ad negotiationem pergeret, accidit ſæpius vt cum Chriſtianis & Iudæis conuerſaretur, à quibus tam nouum quam vetus Teſtamentum profecit, vnde ſecundum ritum Iudæorum circumciduntur Saraceni, carnes porcinas non comedunt, & plures obſeruantias Iudæorum cuſtodiunt. Aſſeruit etiam Pſeudopropheta & docuit, quod Moyſes fuit magnus Propheta, ſed Chriſtus maior, natus ex Maria Virgine ſine virili ſemine. Ait quoque in ſuo Alcorano, quod Chriſtus dum adhuc puer eſſet, de limo terræ volucres procreauerit. Ibidem dicit quod Chriſtus nunquam fuit paſſus neque reſurrexit, ſed alium hominem ſibi ſimilem hæc egiſſe & paſſum fuiſſe docet & affirmat. Quædam autem matrona nomine Cadigan, quæ cum eſſet vidua, præfuit cuidam prouinciæ nomine Coroconica, videns hominem Iudæorum & Saracenorum contubernio vallari, æſtimabat in illo diuinam latere maieſtatem, ipſum in maritum accepit. Et ſic Machometus totius illius prouinciæ obtinuit principatum. Ille autem ſuis præſtigiis non ſolum eam dominam, ſed etiam Iudæos & Saracenos adeò dementauit, vt ſe Meſſiam in lege promiſſum publice fateretur. Accidit autem ſæpius quod Machometus cepit in Epilepticam cadere infirmitatem, quod Cadigan cernens, plurimum contriſtabatur, eo quod impuro & epileptico homini nupſiſſet, quam ille placare deſiderans, talibus eam ſermonibus demulcebat dicens: *Gabrielem Archangelum frequenter mecum loquentem contemplor, & non ferens ſplendorem vultus eius, in me deficio & tabeſco*, quod ſic eſſe mulier & cæteri crediderunt.

Alibi tamen legitur, quod fuerit quidam Monachus qui Machometum inſtruxit, nomine Sergius, qui in errorem Neſtorianum incidens, dum à Monachis fuiſſet expulſus in Arabiam, & Machometo adhæſit, quem in vtroque Teſtamento docuit. Machometus ſub patrui ſui cura tunc temporis regebatur, qui parente vtroque orbatus, multo tempore cum tota gente Arabum idolorum cultui deſeruiuit. Legitur in Alcorano ſuo quod teſtatur Deum ſibi dixiſſe: *Orphanus fuiſti & ſuſcepi te, in errore idololatriæ diu manſiſti, à quo aſſumpſi te, pauper*

eras & locupletaui te, vniuersa enim gens Arabum cum Machometo venerem pro dea colebant, & inde est quod adhuc feria sexta apud Saracenos in magna veneratione habetur, sicut apud Iudæos Sabbatum.

Machometus igitur prædictæ Cadigan coniugis suæ locupletatus diuitiis in tantam prorupit mentis audaciam vt regnum Arabum sibi vsurpare cogitaret, sed cum videret, se hoc per violentiam consequi non valere, maxime cum à contribulibus suis, qui eo maiores erant, despiceretur, Prophetam se fingere voluit, vt quos non poterat subiugare per potentiam, saltem per sanctitatem attraheret simulatã, prædictiq; viri Sergij consiliis adhærebat, qui ipsum abscondisè manere faciebat, & ab eo omnia requirebat, & populo referebat, eumq; Angelum Gabrielem nominabat, & sic Machometus totius illius gentis obtinuit principatum, omnesq; sibi sponte & timore gladij crediderunt.

Prædictus igitur Sergius cum Monachus esset, noluit vt Saraceni Monachali habitu vterentur, sed vt ad instar Monachorum multas & deuotas genuflexiones facerent, & interne valde orarent, & frequenter ad Austrum, sicut & nos Christiani versus Orientem. Sæpe namque se lauant more Iudæorum, & maximè cum orare debent, verenda sua, manus, brachia, faciem, os & aures abluunt, vt mundius orare possint. Orantes autem vnum Deum confitentur, eiusdemque sanctissimum Prophetam Machometum. In anno quoque integrum mensem ieiunant, & nocturno tempore comedunt, ita vt ea hora diei, qua nigrum ab albo distinguere possunt, quod diluculum dicitur, vsque ad Solis occasum nemo comedere vel bibere, nec etiam vxori consedere audeat. Post Solis autem occasum in crepusculo vsque ad sequentis diei diluculum, semper liceat eis cibo & potu & vxoribus vti. Infirmi autem adhæc non obligantur. Semel autem per singulos annos ad domum Dei, quæ est in Mecha, ire præcipiuntur, & ibi adorare, camque in consutilibus tegumentis circuire, & lapides per media femora pro Diabolo lapidando iactare. Quam domum dicunt Adam construxisse & Abraam, & omnibus filiis eius & Ismaelis locum orationis fuisse: Demum Machometum eam domum sibi cunctisque gentibus tradidisse. Quatuor legitimas vxores insimul habere, vt aiunt, eis licet, & vsque quamlibet tertio repudiare, & rursus recipere, ita tamen vt quaternarium numerum non excedant. Emptitias verò & captiuas quotquot volunt, si facultas suppetit, eis licitum est habere, & eas vendere possunt quando volunt, nisi aliqua illarum esset impraegnata. Conceditur eis etiam de propria cognatione habere vxores, vt sanguis prole

accre-

accrescat, & fortius inter eos vinculum amicitiæ astringatur. Circa possessiones repetendas obseruatur, vt actor testibus probet, & reus iuramento se comprobet innocentem. Si quis deprehensus fuerit cum adultera, pariter cum ea lapidatur, sed cum alia fornicatus, octoginta verberibus plectitur: Machometus tamen dixit sibi à Domino, Angelo Gabriele nunciante fuisse concessum, quod posset ad aliorum vxores accedere, vt proles virtutis & Prophetas Dei generaret. Quidam autem de seruis eius cum pulchram haberet vxorem, & sibi inhibuit ne cum Domino suo loqueretur, interdicens, quadam die ipsam cum eo loquentem inuenit, & protinus eam à se eiecit, quam Machometus recipiens inter alias suas vxores connumerauit, timens tamen murmur populi, chartam de cælo sibi allatam confinxit, in qua continebatur, quod si aliquis vxorem suam repudiaret, illius esset vxor, qui eam suscepisset, quod Saraceni vsque hodie pro lege seruant. Fur itaque prima & secunda vice verberibus plectitur, tertiò manus ei proscinditur; quartò pedis truncatione punitur. A vino semper abstinere iubentur.

Seruantibus hæc & alia legis mandata Machometus promisit Paradisum, & hortum delitiarum aquis fluentibus irrigatum, in quo sedes habebunt perpetuas, nec frigore nec æstu aliquo amplius affligentur, omnibus ciborum generibus vescentur, quidquid desiderauerint, statim coram se inuenient, sericis vestimentis colorum pulchriorum induentur, & virginibus speciosissimis coniungentur. In delitiis omnibus accubabunt, quibus Angeli more pincernarum cum vasis aureis & argenteis deambulabunt. In aureis quidem lac, in argenteis vinum afferentes, & dicentes: *comedite & bibite in lætitia*, tria flumina, scilicet lactis, mellis & vini optimi cũ aromatibus eos habere dixit Machometus in Paradiso, & quod pulcherrimos angelos sunt visuri. Non credentibus Deo nec Machometo, erit, vt asserunt, infernalis pœna sine fine. Quibuscunque autem peccatorum vinculis quisquam constrictus fuerit, si in vltima voluntate Deo & Machometo crediderit, die iudicij Machometo interueniente, vt asserũt, saluus erit.

Hunc pseudoprophetam Saraceni spiritũ prophetiæ super omnes Prophetas dicunt habuisse; & decem Angelos sibi fauentes, & eum custodientes habuisse credunt & prædicant. Aiunt quoque quod Deus antequam cælum & terram creasset, nomen Machometi in conspectu Dei astabat. Mentiuntur quoq; de eo, quod Luna ad eum accessit, quã ille in sinu recipiens, in partes duas diuisit & iterum coniũxit. Venenũ

etiam sibi in carne anguina oblatum fuisse dicunt, anguis autem locutus est ei, dicens: *Caue ne me sumas, quia in me habeo venenum*: Et tamen post plures annos veneno sibi dato interiit.

Psal. 118. *Omnia mandata tua veritas, iniqui persecuti sunt me, adiuua me*, verba sunt Ecclesiæ militantis, quæ suspirat & ingemiscit onerata diuersis afflictionibus, à quibus diuino auxilio liberari confidit. Primo namque passa fuit rabiem manifestę persecutionis à Tyrannis, paganis scilicet, à passione Christi vsque ad tempora Constantini, trecentis & decem annis, quando Romani Monarchiam mundi tenebant, & alij pagani per mundum innumeros sanctos Dei occiderunt, quorum coruscantibus miraculis subito facta est mutatio dexteræ excelsi, ita quod persecutores facti sunt Ecclesiarum fundatores.

Deinde surrexit persecutio secunda scilicet draconis lutulentissimi de cauerna feruens, frendens & fremens, & insibilans diuersos errores Arrij, Sabellij & Macedonij, & aliorum hæreticorum narrantes *fabulationes, sed non vt lex tua*, sed tunc illuminata erat Ecclesia per Doctores, qui sacram Scripturam aperuerunt, scilicet per sanctum Hieronymum, Hilarium, Augustinum & Gregorium, & per alios plures qui tunc fuerunt successiue, per quos obstructum os loquentium iniqua.

Psal. 118.

Postea tertia pestis inualuit, in falsis fratribus, vt supra: Nam post tempora beati Gregorij, vt supra, intolerabilis tribulatio incepit, hominum mente corruptorum, *in hypocrisi loquentium mendacium*, fictiones & falsitates contra Ecclesiam Dei seminantes, zizaniaque ita exorta sunt & creuerunt, vt non sit spes, quin durabunt vsque in senectam & senium, nisi clementia obstiterit veritatis.

1. Timot. 4.

Nam tempore Heraclij qui regnauit circa annos Domini sexcentos decem, Bonifacio tertio viuente, surrexit quidam homo diabolicè instructus, primogenitus Sathanæ, homo lubricus & obscænis actibus deditus, nomine Machometus, qui consilio Sergij, & maximè auxilio Diaboli qui mendax est & pater eius, legem mendacem & nefariam composuit quasi ex ore Dei, quam legem appellat Alcoranum, quasi collectarium præceptorum Dei, in qua plures sunt errores legis Saracenorum, quæ maximè legi Dei contrariatur, nam omnium hæreticorum feces, quas diabolus in multos sparsit & seminauit, simul in Machometum euomuit. Ipse enim cum Sabellio negat Trinitatem, ponit tamen in diuinis quendam binarium, qui est numerus infamis. Introducit in Alcorano Deum pluraliter loquentem, per

quod

quod designat Essentiam Dei,& animam eius. Ibidem ponit Christū fuisse puram creaturam, licet excellentissimam, alterius essentiæ cum Deo,quia minor Deo & ei subiectus. Et hæc positio est Platonicorum, qui ponebant summum Deum & Creatorem omnium, à quo primitus efluxisse dicebant quandam mentem, in qua essent formæ omniū rerum, quam pristini intellectum nominabant & verbum Dei. Sic & Arriani de Dei Filio suspicati sunt,quod esset quædam creatura supereminens aliis creaturis,qua mediante Deus omnia creasset. Sed & Machometus ponit Christum hominem factum, imo & virtuosissimum super omnes homines; & vltra nominat ipsum verbum Dei, & iterum Spiritum Dei, & animam Dei; quod autem dicatur Deus homo, omnino deridet, ad quod confirmandum inducit hoc, quod ipse Christus de se nunquam asseruit, sed contrarium dixit.

Summa igitur intentio Machometi est,quod Christus nec Deus nec Filius Dei sit vel fuerit, sed homo quidam sapiens & maximus Prophetarum, sine Patre de Virgine natus. Et addit, quod Deus non potest habere Filium: In hoc conuenit cum Carpocrate, nam si Deus haberet Filium, mundus esset in periculo, quia inter eos esset schisma. Asserit etiam quod Iudæi non occiderunt Christum,nec Crucifixerunt, sed quendam alium sibi similem, & in hoc concordat cum Manichæo. Addit etiam quod Deus transtulit eum ad se,sed apparebit circa finem mundi, & occidet Antichristum, postea Deus faciet eum mori. In his traditionibus claret, quod illud quod diabolus in mundo incepit per Arrium, & consummare non potuit, postea tabescente in Ecclesia feruore, & crescente malitia, per Machometum consummauit, denique ad plenum confirmabit in fine seculi per Antichristum, qui suadebit mundo quod Christus non fuerit verus Deus nec Filius Dei, nec bonus homo.

Cum igitur Machometus neget Christi passionem, negat & resurrectionem & omnia Sacramenta, quæ ex eius passione habent efficaciam, in quo conuenit cum Donatistis hæreticis. Dicit etiam quod dæmones possunt saluari per Alcoranum,nam & Origenes in quodam paragrapho non contradicit huic, quia dæmones adhuc saluabuntur.

Pseudopropheta Machometus dicit,quod Deus misit Angelum suum Gabrielem pro eo, & cum venisset ad eum, Deus imposuit sibi manum, cuius tactu tantam sensit frigiditatem inter humeros, quod peruenit frigiditas vsq; ad medullam spinæ dorsi eius, in hoc conuenit

cum Anthropomorphitis qui ponunt Deum corporalem. Dicit etiam quod Angeli ideo facti sunt dæmones, quia noluerunt ad præceptum Dei adorare Adam, in hoc neminem imitatur. Docet & affirmat in Alcorano, quod vltima beatitudo hominis est in comedendo, & in cæteris voluptatibus corporis, in vestibus pretiosis, & in hortis irriguis: In hoc conuenit cum Cherinto hæretico & antiquis paganis. Etiam dicit circumcisionem omninò esse tenendam, in hoc conuenit cum Iudæis, & cum Ebione hæretico. Concedit pluralitatẽ vxorum & concubinarum & ancillarum, quot quisque ceperit in bello & poterit nutrire. Suadet etiam omnes esse occidendos, qui non credunt legem suam, nisi soluatur tributum. Videtur etiam concedere cócubitum cum viro & cum muliere, licet ipsi pallient facetis expositionibus, tamen multo magis imitantur sensualitatem quam rationem, quia omnia ad quæ mundani homines proni sunt, sunt eis concessa, scilicet gula, rapina, luxuria. De virtutibus autem, puta de humilitate, abstinentia, charitate, patientia vel de vltimo fine, nihil omninò dixit, in quo eius falsitas potest apprehendi, tam per vetus quam per nouum Testamentum, quæ de virtutibus & vltimo fine tractant. Ipse autem mandauit quod omnino nihil crederetur quod esset contrarium huic legi, & omnes contradicentes iubet occidi. Ad hæc omnia credenda non ostendit miraculum, sed nudauit ensem & dixit, se missum fuisse à Deo, qui tamen non misit quemquam in armis, sed in virtute sequentibus signis.

Nos enim inuenimus legem Dei esse quandam catenam contiguam ab eodem artifice fabricatam, vt vnum membrum alteri cohæreat, & correspondeat, & vnus Propheta de alio prophetatur; & mentionem facit, & omnes alij prophetauerunt de Christo. Si ergò lex Saracenorum esset lex Dei, & vocatio ad legem Dei, quomodo omnibus Prophetis latuit, quod nemo de ea dixit, sed neq; Christus, quãdo dixit de Pseudoprophetis cauendis. Dixit etiam Christus quod *Lex & Prophetæ* fuerint *Vsque ad Ioannem*, vt mundus sciret quod generalis Propheta non esset venturus post eum, qui silentium Prophetarum dicitur. Machometus autem dixit se esse generalem Prophetam, quod nos nescimus, sed hoc scimus quod nunquam fuit aliquis in mundo, quem tot homines diuersarum nationum sequerentur in tam breui tempore.

Matth. 11. Luc. 16.

Ad hoc respondent Saraceni: Moyses & alij Prophetæ prophetauerunt de Machometo, Christus autem expressius prophetauit, quia nomen

nomen eius dixit cum loquebatur filiis Israël, dicens: *Euangelizo vobis de legato Dei qui veniet post me, & nomen eius Machometus.* Et dicunt quod Iudæi corruperunt legem Moysis, sicut & Christiani Euangelium, & quod non remanserit aliquid de veritate, nisi quantum est in Alcorano eorum.

Sed dicitur in capitulo de Ioua: *Si fueritis in dubiis de hoc quod reuelamus vobis, scrutamini ab illis qui legerunt librum prius quam nos.* Illi autem qui prius legerunt librum quàm Saraceni, sunt Iudæi & Christiani, qui receperunt Pentateuchum & Euangelium. Ergo Machometus dicit Saracenis, quod petant à Christianis & Iudæis de dubiis. At quomodo mitteret eos Machometus ad mendosa testimonia, si esset propheta veritatis, vt dicunt? Non igitur erant vitiati libri Iudæorum & Christianorum tempore Machometi, nec possunt in veritate dicere, quod postea fuerint corrupti. Talis corruptio siue mutatio scripturæ, nec potuit esse generalis & manifesta, quia sic aliæ nationes sciuissent, nec particularis & occulta, quia sic aliqui codices integri remansissent. Sed in omni lingua & in omni natione inuenitur lex & Euangelium, eodem modo scripta, nam quatuor Euangelia non sunt scripta eodem tempore, nec in eodem loco, nec in eodem idiomate, nec ab eodem scriptore. Matthæus enim in Hebræo in Iudæa; Ioannes in Græco in Asia, Lucas in Græco in Achaia, Marcus in Latino in Italia. Et eorum translatio facta est in Latinum per sanctum Ieronymum in Iudæa ante tempora Machometi, & remanserunt exemplaria in omnibus linguis. Ergo non potuerunt per aliquos falsarios vitiari, quin manifestè sciretur.

In fide Christiana magis arduum est de incarnatione scilicet Dei, quod homo ille sit Deus, si iste stylus ablatus vel mutatus fuisset, quod absit, in Euangelio nostro, plures gentes conuersæ fuissent ad fidem nostram. Vnde & Romani & alij pagani propter hoc persecuti sunt Christianos trecentis annis continuè, & distulerunt recipere fidem & Euangelium, quia dicebatur quod homo ille erat Deus. Plures enim viri & mulieres tunc temporis Dij vel Deæ dicebantur, sed de licentia Romanorum. Sed quia Christus fuit Deus sine licentia Romanorum; si igitur istum Deum reciperent, cogebantur omnes alios Deos relinquere, quod erat contra pacta prouinciarum, & consuetudines Romanorum.

Si autem omnino volunt dicere, quod Euangelium & vetus Testamentum est corruptum, ostendant integrum, & accipiemus, &

incor-

incorruptum, & maxime si sub conformitate ostenderint in omnibus linguis, sicut nos ostendimus eis.

Patet ergo quod Alcoranus non est lex Dei: Christiani enin ante aduentũ Machometi diuisi fuerunt in diuersas sectas, & præcipue Orientales, vt sunt Iacobini & Nestoriani. Nestorianos autem singulariter Machometus honorari mandauit, eo quod magis conueniant cum Saracenis. Quomodo igitur conformari potuerunt Nestoriani cum Iacobitis siue Iacobinis ad vitiandum Euangelium, qui tanto odio contrariantur, quod inuicem sæpius occidunt? Legitur etiam & inuenitur, quod vtrorumq; Euangelium est omnino vnum & idem, sicut & apud nos Græcum.

Item Alcoranus non est lex Dei, quia non habet stylum nec modum consonum legi Dei. Est enim metrica vel rythmica in stylo, & blanditoria in verbis, & fabulosa in sententiis. Saraceni & Arabes in hoc gloriantur, quod sermo legis eorum est stilus Rythmicus, & dicunt ꝙ in hoc claret, quia Deus fecit librũ illum, cum Machometus fuerit homo idiota, Deus reuelauit sibi de verbo ad verbum. Sed contrarium manifeste apparet, quia in sacra scriptura non constat, quod Dominus Moysi nec aliis Prophetis locutus est Rythmicè vel metricè, quod sapientes & Philosophi homines dedignantur.

Est etiam lex blanditoria in verbis vltra quam dici potest, nam aliquando totum caput texit & intricat, in quo omnino nihil notabile ponit, nisi quod Deus est magnus & excelsus & sapiens & speciosus, & quod sua sunt omnia, quæ sunt in cœlo & in terra, & in mari, & quod iudicabit iustè, & ad omnia sermonem repetit, quod perturbat audientem, & continue addit: *Credite in Deum, & nuntium eius*, scilicet nuntium Dei, Antonomasticè dicit, vt supra diximus.

Manifestum est quod lex illa est fabulosa: dicit enim in capitulo, Deltamar, quod interpretatur Luna: *Vergente hora facta est Luna*; Et exponunt doctores eorum, quod Machometus stabat cum suis sociis, & vidit Lunam appropinquantem coniunctioni: dixerunt sibi: *Ostende nobis aliquod prodigium.* Et ipse innuit Lunæ duobus digitis, scilicet indice & medio, tunc fracta est Luna in duas partes, vna cecidit super montem Elheis, qui eminet ciuitati. Et cum sic esset fracta Luna ipsa venit & intrauit manicam camisiæ Machometi, & integrauit ipse eam continuò vt supra dictum est.

Item in capitulo, quod interpretatur Leo, dicitur, quod vermis indicauit dæmonibus mortem Salomonis, vbi dicit glossa eorum,

quod

quod dum Salomon ſtaret innixus ſuper baculum ſuum, ſubito tantus dolor arripuit eum, quod expirauerit, nec tamen corruit diuino miraculo. Dęmones autem qui ei ſeruiebant, videntes eum ſtare, credebant eum viuentem. Tandem natus eſt quidam vermis de terra, & corroſit baculum cui innitebatur, fracto igitur baculo corruit Salomon. Nunquid non fabuloſa eſt iſta ſententia?

Item Machometus in capitulo narrationum reddit cauſam, quare vino vti, illis ſit illicitum, dicit enim quod Deus duos Angelos miſit in terram vt bene agerent, & iuſtè iudicarent, & fuerunt iſti Angeli, Arroc & Maroche. Accidit autem vno die quod mulier quædam inuitauit eos ad prandium, & dedit eis vinum, quod Deus prohibuerat eis ne biberent, & cum inebriati erant, requirebant eam ad luxuriam, & conſenſit, munere tamen promiſſo, quia vnus docuit eam aſcendere in cœlum, & alius deſcendere. Et tandem aſcendit. Cum autem Deus videret eam, audita cauſa, & modo, fecit eam Luciferum, vt eſſet ita pulchra in cœlo inter Angelos, ſicut fuerat in terra inter mulieres. Dato autem arbitrio Angelis, qui peccauerant, vbi vellent puniri, hîc aut in futuro, tunc elegerunt in præſenti puniri. Suſpendit igitur eos Deus per pedes ſuper puteum Babylonis cum catenis ferreis vsque in diem iudicij. Hæc & his ſimilia multa continentur in Alcorano, quæ quilibet ſapiens ſcrutari poteſt, quod nullo modo hæc ſit lex Dei: Non enim eſt conſuetudo Dei loqui per tales fabulas.

Item animaduertenda eſt ficta viſio quam Pſeudopropheta compoſuit, quæ eſt expoſitio cuiusdam verbi Alcorani, dicitur enim in capitulo Iſraël: *Laus ei ſit, qui tranſire fecit ſeruum ſuum vna nocte ab oratorio Etharum, quæ eſt domus Melchiæ, vsque ad oratorium remotiſſimum, quæ eſt domus ſanctuarij Ieruſalem, in qua nos benediximus.*

Expoſitio huius fabuloſæ ſententiæ eſt, quod Machometus vno die Pſallebat horam matutinalem, qua finita dixit hominibus: *O vos homines intelligite & animaduertite. Sero poſtquam receſsi à vobis venit ad me Gabriel poſt Pſalmodiam veſpertinam vltimam, dixitque mihi: O Machomete præcepit tibi Deus, vt eum concitò viſites. Cui dixi: Vbi eum viſitabo? Et dixit Gabriel: In loco quo te præſtolatur. Adduxit itaque mihi iumentum maius aſino, & minus mulo, cui nomen Enguaralim, & dixit mihi: Aſcende & equita vsque ad domum ſanctam. Cumque anhelarem aſcendere, refugiebat iumentum, dixitque ei: Sta firmè. Reſpondit iumentum: nunquid miſſum eſt pro eo? Cui Gabriel ait: vtique. Et dixit: Non per-*

mittam eum ascendere, nisi prius pro me rogauerit Dominum. Ego igitur seruus Dei intercessi pro iumento, sicque insidente me gradiebatur tenui gressu, collocabatque vngulas pedum veloci meatu, & visus fui in Oriente, sicque veni ad domum sanctam in momento ictus oculi, aderatque Gabriel, & duxit me ad rupem domus Domini in Ierusalem. Et dixit: Quoniam à rupe ascendes ad cœlum. Cumque ascendere pronus essem, Gabriel iumentum cum cingulo rupi affixit, & portauit me in humeris suis in cœlum. Cumque ambo venissemus ad cœlum, Gabriel pulsauit ad portam; dictumque est ei: Quis es? Qui respondit: Machometus. Et dixit portulanus: Nunqnid missus fuisti pro eo? Respondit: Etiam. Aperuit igitur nobis portam, & vidi gentem magnam Angelorum genua flectentem, & fudi pro eis Orationem. Post hoc assumpsit me Angelus Gabriel, & duxit me ad cœlum secundum, distans à cœlo priori itinere quingentorum annorum. Et sicut in primo cœlo pulsauimus, & rursum audiuimus sic & in singulis cœlis vsque ad septimum cœlum. In quo Pseudopropheta describit se vidisse magnum populum Angelorum, quorum aliquis habebat mille capita, & in quolibet capite septingenta ora, & in quolibet ore mille millia linguas laudantes Deum septingentis mille millibus idiomatibus. Et respexit vnum Angelum flentem, & quæsiuit causam fletus sui. Et respondit ei, *culpæ sunt*. Ipse autem orauit pro eo.

Vlterius dicit Machometus: *Gabriel commendauit me alteri Angelo, & ille iterum alteri Angelo, & iste alteri, donec starem coram Deo & tribunali eius. Tetigitque me Deus inter humeros, vt supra. Dixitque mihi Deus: imposui tibi & genti tuæ quingentas orationes. Cumque descendissem ad quartum cœlum, consuluit mihi Moyses quod contra ascenderem ad alleuiandum tantam orationis impositionem, quia populus meus tantum non posset sufferre. Et primo in reditu obtinui remissionem vsque ad decem, sed in tertio reditu non remanserunt nisi quinque orationes. Cumque Moyses hoc facere non poterat, ego confidenter ascendens hæc impetraui.*

Cui mentita est iniquitas sibi: rediit Abarac equitando.

Tempus istarum omnium visionum vt dicit vix erat decima pars noctis. Cum autem hanc visionem aperuisset gentibus suis, multitudo ingentis populi à lege sua recessit, dicentes ipsum somnia phantastica concinnare, & blasphemias excogitare, & poëticè incedere. Et dixerunt: *Ascende nobis cernentibus, vt & nos videamus occurrentes Angelos:* Respondit: *destruxit Deus ciuitates illorum qui non crediderunt. Quoniam qui præcesserunt nos, non crediderunt miraculis, nec & vos miraculis credetis, nisi per gladium.* Hæc sola fabulosa fictio huius visio-

nis

nis sufficere deberet omnibus ratione vtentibus ad cõfutandum quidquid dixit & fecit Machometus. Nam quandoque dicit se fecisse inaudita miracula, quandoque nullum fecisse miraculum. Aliquando dicit se esse hominem & nuntium Dei tantum, aliquando plus quam Angelum, quia pro Angelis sicut mendose testatur, intercessit. Sed indiguit iumento, vt supra dictum, de Mecha vsque Ierusalem, qui de Ierusalem vsque ad septimum cœlum sine asino & equo, vt dicit, transiuit. Aut quomodo potuit tot splendores Angelorum sustinere in cœlo, qui ante conspectum vnius Angeli cadebat in terram, spumans agitabatur, vt supra. Item nota iucundum eius mendacium, quia non dicit, *Raptus fui in cœlum*, sed, *ascendi in corpore simul & anima*, cuius signum est eo quod dicit, *Deus tetigit me*, vt supra.

Christus Dominus noster Saluator mundi verè filius Dei, non per Angelum, non per hominem, sed neque per iumentum, vt supra diximus, ascendit in cœlum, sed propria virtute. Ipse posuit vltimam fœlicitatem hominis in visione Dei dicens: *Hæc est enim vita æterna. vt cognoscant te Deum verum.* Similiter & in veteri Testamento, nam Abrahæ factæ sunt promissiones cui specialiter promisit Deus dare terram promissionis, & benedictionem seminis sui. Moysi autem Deus tanta contulit, quod Deum in subiecta creatura audiuit, considerans dignè quod non sufficiebat sibi, sed instantissime petiuit gloriam Dei, &c. Machometus autem de virtutibus quasi nihil tractauit, sed de rapinis, & immunditiis viam latam sibi & suis sequacibus filiis perditionis & mortis accepit. Philosophi etenim gentiles famosi multa virtuosa reliquerunt & scripserunt, nam Ethicorum 2. dicitur: *Virtus certior & nobilior est omni arte.* Item Philosophus. *Honor est præmium virtutis*, id est, honorandi sunt virtuosi. Sed Machometus de necessitate salutis nihil asseruit neque docuit, nisi quod Saraceni dicant; *Non est Deus nisi Deus noster, & Machometus nuntius eius*: De fine autem vltimo nihil ponit, quasi homo deficiens ratione, & insensualitate præditus esset, quod est brutorum proprium, quæ non discernunt inter sensum & intellectum. Ideoque suam posuit felicitatem in sensibilibus, id est, in commessationibus, & luxuriis, hortis irriguis, & vestib9 splendidis. Etiam dixit se esse generalem Prophetam. Quomodo hoc stabit, cum tantum vnam linguã nouerit, scil. Arabicam? Dixit etiam quod Abraam, Isaac & Iacob & filij eorum fuerint Saraceni; & tamen ipse

Ioan. 17.

Ethic. 2.

Ethic. 8.

dicit quod mandatum est ei quod esset primus Saracenus. Sunt igitur manifestę contrarietates in Alcorano & aperta mendacia, igitur non est lex Dei,&c.

De recuperatione S.Crucis,& restauratione Ierusalem.

ANNO Domini sexcentesimo decimo quinto permittente Domino, Cosdroë Rex Persarum plura regna terrarum suo imperio subiugauit. Deinde veniens Ierosolymam cum gente valida, euertit muros eius,vt supra.Sed à sepulchro Domini territus rediit.Sed tamen partem sanctæ crucis, quam beata Helena ibi reliquerat, secum tulit. Volens autem ab omnibus coli tanquam Deus,fecit sibi thronum aureum,in quo magnificè sedit sicut Pater.Crucem autem ablatam sibi à dextris collocans,loco Filij,& Gallum à sinistris loco Spiritus sancti,se verò Patrem iussit nominari.TuncHeraclius Imperator copiosum exercitum collegit,& ad eum venit,interfecto tamen prius filio eius iuxta quoddam flumen,patre nesciente,dicens ad eum: *Cosdroë, quia lignum sanctæ crucis secundum tuum modulum honorasti; honora igitur & crucifixum.Si non autem,gladio te interficiam.* Cum igitur Cosdroë acquiescere nollet,extracto gladio eum protinus iugulauit, filium verò suum decem annorum,cui' fratrem occidit baptisari fecit. Sacram vero crucem quam Tyrannus abstulerat,Ierosolymam reportauit.Cum autem de monte Oliueti descendens per portam quam Dominus passurus intrauerat,in equo regio & ornamentis imperialibus ingredi vellet,repente lapides portę descenderunt,& inuicem quasi vnus paries se clauserunt.Super quo cunctis stupentibus, Angelus Domini signum crucis in manibus tenens super portam apparuit dicens: *Cum Rex cælorum ad passionem per hanc portam intraret,non cultu Regio, sed humili asello ingrediens,humilitatis exemplum suis cultoribus relinquens.* Et his dictis Angel' Domini disparuit.Tunc Imperator lachrymis infusus seipsum discalciauit,& vestimenta vsq; ad camisiam exuit,crucemq; Domini accipiens vsq; ad portam humiliter baiulauit. Mox duritia lapidum cęleste persensit imperium,statimq; porta subruens liberum intrantibus patefecit ingressum. Odor autem suauissimus qui à sancta cruce per tam longa spatia terrarum fuerat elapsus,tunc rediit,omnesq; mirabili suauitate refecit.

Anno Domini centeno decimo nono, Ælius Adrianus hanc ciuitatem sanctam à Tito & Vespasiano destructam reparauit,ductusque aquarum & plateas eius decenter reformauit, imo & ex rogato Chri-

Christianorum Dominicum sepulchrum, & alia loca sancta illi propinqua infra murorum ambitum inclusit, vbi postea Christianus populus fabricam mirandi operis in ea forma, qua nunc est, dedicauit. Nec est verum quod quidam dicunt, ipsam sanctam ciuitatem post destructionem alio in loco esse ædificatam, arguentes quia Christus est passus extra portam ciuitatis, & nunc idem locus est intra mænia ciuitatis. Si hoc argumentum esset verum, ipsa Ierusalem abortiuè diceretur *Filia Sion*. Notum est omnibus qui hanc ciuitatem rectè viderunt, sicut & ego cum diligentia qua potui, eius longitudinem & latitudinem per dimensurationem passuum perlustraui, quia in latitudine in cacumen collis contra Occidentem vsque ad turrem Dauid est ampliata, sed nihilominus ciuitas antiqua vna cum Templo Salomonis pristinæ formæ conformata, adhuc in latere montis Sion contra Aquilonem manet, sicut ab Initio fuit ædificata, secundum verba Psalmistæ dicentis: *Fundatur in exultatione vniuersæ terræ mons Sion latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.* Sunt nonnulli qui loquuntur sicut audiunt, quidam verò affirmant sicut audiuerunt & viderunt. Hoc autem verum est. Quia dixit Dominus, cum vno dierũ, sederet in monte Oliuarum contra Templum: *Non relinquetur*, inquit, *lapis super lapidem.* Lucæ 19. Marci 13. Ego tamen confidenter dico, quia Dominus has futuras angustias ciuitatis Ierusalem synecdochicè præfigurabat, sicut & in aliis multis suis sermonibus loquitur de singulis generum, tanquam de generibus singulorum. Ergo minus iustè dicunt hanc ciuitatem penitus esse destructam, & in alium locum translatam, quia plura fortalicia, frontispicia, cum suis areis, tabulatibus, imò & multa sumptuosa opera parietum & testudinum à tempore Christi ab omni ruptura hucusque permanserunt. Nam prætorium Pilati, domus diuitis, domus Zachariæ, & multæ areæ incorruptæ cum cancellis ad hanc diem & annum 1422. sicut vidi, perseuerant.

Psal. 47.

Marci. 13. *Luc.* 19.

Finis Epitomes bellorum sacrorum.

LECTORI.

HIc expressè dicitur Compendium hoc confectum esse Anno Domini 1422. Sed cum supra pag. 272. nominetur annus CHRISTI *M.CCCLXXIII. quo libellus præsens conscriptus sit; Suspicor non vnum, sed minimum duos hanc Epitomen consarcinasse.*

DESCRI-

DESCRIPTIO TERRÆ SANCTÆ

Auctore.

BVRCHARDO DE MONTE SION.

Nunc

Primùm in publicum data.

Ex Bibliotheca Monasterij Canonicorum Regularium S. Magni ad pedem pontis Ratisbonensis.

LECTORI.

TOMO quarto *Antiquæ lectionis publicauimus Hodœporicon S. VVilibaldi, primi Antistitis Aichstadiani, ad sepulchrum Domini. Tomo quinto dedimus eiusdem argumenti Itinerarium Gulielmi de Baldensel, & expeditionem in Palæstinam Friderici Imperatoris. Accipe nunc in hoc sexto tomo duo alia similis materiæ præclara monumenta, quorum alterum Burchardi de monte Sion; alterum Nobilis Bauari; vel hoc nomine Bauaricis typis euulgandum. Vterque quæ vidit, in litteras misit; si alicubi rumori, veterique persuasioni aliquid datum, dabis & tu, erudite lector, veniam, memor illius;* Haud vitiis quisquam sine nascitur. Optimus ille est, qui minimis vrgetur.

INCIPIT DESCRIPTIO TERRÆ SANCTÆ.

DILECTISSIMO in Christo Iesu patri, fratri Burchardo Lectori ordinis Prædicatorum in Maydenburch, frater Burchardus de monte Sion cum omni deuotione orationes in Domino Iesu Christo.

Quid vobis scribam pater charissime non inuenio, deficit stylus, languet ingenium, os enarrare non sufficit, quæ bona mihi dederit Dominus, qui in omnibus meum desiderium. Ecce loca omnia sancta terræ sanctæ, quam vniuersæ Ecclesiæ nocte dieque sonare non sufficiunt, nec desinunt pedibus calcare, oculis videre, manib' attrectare mihi concessit ad libitum bonus ille Iesus, qui inhabitando & verbo doctrinæ illuminando, illuminatam suo sacratissimo sanguine consecrauit. Certe delectabile est ad hanc terram aspirare, delectabilius est eam visitare, sed super omne mel & fauum dulcius est in ea commorari, & oculis corporeis intueri, & mentis intuitu reuoluere, quomodo in locis singulis in ea nostram salutem Dominus sit operatus.

Venerabantur Iudæi quondam sancta sanctorum, quia ibi esset Arca Testamenti, Cherubin, propitiatorium, vrna aurea continens manna, & virga Aaron. Nonne venerabilius est sepulchrum Iesu, quod quoties quis ingreditur, toties syndone inuolutum mentis oculis Iesum, & paululum procumbens lapidem videt reuolutum, & Angelum in eo sedentem & ostendentem sudarium? Quis ad hanc terram totis desideriis non anhelet? Quis Christianus non relictis omnibus, quæ

habet cum parentibus, concito gradu posteriorum oblitus, in anteriora se extendat vt veniat Bethleem, videns ibi puerum Iesum in præsepio vagientem, Mariam in diuersorio sub rupe concaua parientem, Angelos præsentibus pastoribus Deo gloriam, & pacem hominibus decantantes, & quod plurimum est mirandum, quomodo isti tres Reges maiestate præclara ante præsepe corruant, non habens tectum desuper, vt hodie cernitur, nisi rupem de monte pendentem: Veniat posthæc in Ierusalem, vt videat Iesum in Templo prædicantem, turbas docentem, in monte Olíueti sedentem, in monte Sion cœnantem, discipulorum pedes lauantem, corpus suum ipsis tradentem, in Gethsemani orantem, & sudore sanguineo fluentem, traditorem osculantē, captum, illusum, consputum, iudicatum, crucem baiulantem, sub pōdere crucis in porta ciuitatis, vt hodie cernitur deficientem, Cyreneum succedentem, in Caluaria passionis pro nobis mysteria celebrantem? horum omnium locorum & singulorum adhuc ita plena est memoria, sicut illa die extitit quando principaliter erat facta. Certè in hac vrbe tot sunt loca Dominicæ passionis & factis honorabilia, quod nullo modo dies sufficit ad peragrandum.

Sunt præterea quæ deuotionem excitent ampliorem. Quis enim enarrare sufficiat quot Monachi & Moniales, exceptis aliis Christianis de Armenia, Chaldæa, India, Nubia, Syria, Æthiopia, turmatim veniant, centeni, ducenteni, plus & minus, discurrentes per loca singula in Spiritu vehementi, osculantur terram, amplectuntur loca in quibus dulcem Iesum vel stetisse, vel sedisse, vel aliud quid egisse audiuerunt. Nunc tundunt pectus, nunc fletus, nunc gemitus emittentes, nunc spiritu consolationis, & deuotionis quam foris ostendunt, & absq; dubio intus habent, in lachrymas prouocant, plerumq; etiam Saracenos. Eia Domine Deus, video secundū veteres historias, Abraam, Chaldæum, Geboth, Campum Sennar & duram prouinciam Babylonis relinquentem, domum patris egredientē, Charram dimittentem, ad terram anhelantem, inter Bethel & Hay, in Bersabee, in Geraris, in Ebron tabernacula figentem; video Ezechielem deserentē flumina Babylonis, super quæ sedit in medio captiuorum, & vt veniat in Sion, inter cælum & terram capillo capitis subleuatum, & in Ierusalem transuolantem.

Quid dicam de Virgine gloriosa Maria? quæ postquam facta est ad eam Angelica promissio, licet iam sciret verum suum tabernaculū esse Dei, non est contenta campestribus Galilęæ, sed statim montana conscendit, volens sanctioribus appropinquare. Quid

Quid de Patriarchis, Iacob & Ioseph fratribusq; eius? qui quia viui in terra esse non potuerunt, elegerunt in ea mortui sepulturam.

Quid plura? tarditatem ingemisco Christianorum nostri temporis, qui tot exempla habentes, tardi sunt de manibus inimicorum eruere terram quam consecrauit sanguine suo Iesus Christus. Verum quia video vos deuotionis affectu, ea saltem aliquantum per imaginationem desiderare, quæ propter locorum distantiam non potestis corporaliter intueri, obediens vestræ visioni & petitioni acquiescens, vt vobis terram istam & situm eius describerem, licet sit difficile, tamen dilectionis vestræ intuitu, aggredior quod mãdastis, hoc omnino scientes, quod nihil in hac descriptione ponam, nisi quod præsentialiter in loco existens vidi, vel stans in montibus aliquibus, vbi oportunum accessum habere non potui, à Saracenis & Surianis, & aliis terræ habitatoribus diligentissimè interrogans, quod quærebam innotuit. Totam terram enim à Dan vsque Bersabeę, vel pedibus perambulaui, vel oculis diligentissimè consideraui, aduertens autem studiosè, quo modo possem hæc omnia describere, ita vt à legentibus posset intelligi, & imaginatione facile comprehendi: cogitaui centrum aliquod in ipsa terra collocare, & circa illud totam terram ordinare, & ad hoc elegi ciuitatem Acconensem, licet non sit verè in medio terræ, & ab ea protraxi lineam ad decem plagas mundi, & quamlibet quartam in tria vt respondeant nouem ventis.

De ciuitate Acconensi.

PRIMO ergo descriptionis initium à ciuitate Acconensi aggrediar. Vnde scire debetis, quod hæc ciuitas nunquam fuit de terra sancta, nec à filiis Israël possessa, licet tribui Aser in distributione terræ fuerit assignata. Est autem in prouincia Phœnicis sita eadem ciuitas Acconensis, quæ materna lingua dicitur Alkers, & est valde munita turribus & muris fortissimis, habens formam vt Clypeus, cuius duæ partes à mari ambiuntur, tertia campum respicit, qui eam circumdat, habens latitudinis duas leucas & plus, in aliquibus partibus fertilis, tam in agris quam in pascuis, & etiam in hortis, & lardiuis, in quibus diuersi generis fructus reperiuntur, & est ciuitas multa militia munita & castris fortissimis, scilicet castro Regis Ierusalem, Templariorum, Hospitaliorum, qui etiam, si Domino placeret, possent expugnare omnes Saracenos.

De puteo aquarum viuentium.

PROCEDENTIBVS de Accon contra directam viam Aquilonis, post sex leucas & duo milliaria, cernitur ille mirabilis puteus aquarum viuentium iuxta viam pergentibus Tyrum, admirabili opere constructus. Quamuis autem singulariter dicatur, puteus tamen nō est vnus, sed tres eiusdem structuræ & dispositionis sed non eiusdem quantitatis. Vnus autem qui principalis est, habet ferè quadraginta cubitus in longitudine & latitudine; alij duo viginti quinq;, quadrati omnes, & murus fortissimus de lapidibus maximis & durissimis ad latitudinem vnius hastæ circundat, in quibus ita colligitur aqua & exaltatur, quod ad omnem partem aqua defluit vltra muros, & diuiditur per dracones, & aquæ ductus per totam planiciem Tyri, & irrigantur de aqua ista lardiui horti & vineæ, visceta & cannæ mellis. das ist daß Rohr/da der Zucker inn wächst/ quæ in tanta quantitate crescunt in partibus illis, quod dominus Tyri, vt dicitur, omni anno recipit inde in redditibus centum millia Bisantiorum aureorum: distant autem isti fontes à mari magno, modico amplius quam ad iactum arcus, & in isto modico spatio impellunt quatuor rotas molendini valde magnas, & statim in mare fluunt. nec posset de facili comprehendi quantas commoditates præstent incolis fontes illi.

De ciuitate Tyrensi.

DE fontibus istis ad vnam leucam modicam est ciuitas Tyrensis, de Accon, sicut dictum est, etiā contra Aquilonem sita, de cuius præconio non scribo: Quia Ezechiel & Prophetæ alij de ea quā plurimum conscripserunt. Est autem valde capax & magno murorum ambitu in rupe durissima in corde maris sita, & vndique mari circundata, nisi ante contra Orientem, vbi Rex Nabuchodonosor primò, & postea Alexander fecerunt contiguam terræ vix ad iactum lapidis, vbi tamen cincta est triplici muro fortissimo & amplissimo, & ad triginta quinque pedes spisso, qui etiam muri sunt muniti duodecim turribus fortissimis, quibus in omnibus mundi partibus me non vidisse recolo firmiores. Quibus etiam turribus continuatur arx ciuitatis munitissima, habens quinque turres fortissimas, quas expugnare merito non deberet totus mūdus. Multæ sunt in ea sanctorum reliquiæ. Origenes ibi sepultus est, & sunt ibi columnæ magnæ marmoreæ, & aliorum lapidum, quod est stupor videre.

De Loco prædicationis Iesu, vbi mulier extulit vocem dicens: Beatus venter, &c.

ANTE portam eiusdem ciuitatis Tyrensis ad plagam Australem ad iactum duarum sagittarum, ostenditur locus prædicationis Iesu Christi, vbi mulier extulit vocem de turba dicens: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Et lapis in quo prædicans stetit Iesus: qui locus arena nunquam operitur, licet arena illa leuis sit & volatilis, sicut apud nos niues motu venti in hyeme volare solent, & cumulos magnos facere. Est enim iste locus in medio arenarum & semper viridis remanet, & æstate & hyeme, quod est in terra sancta valde rarum. Est tamen locus modicus ibidem magis viridis & herbosus, vbi dicitur mulier stetisse, quæ extulit vocem de turba, dicens: *Beatus venter, &c.*

Luc. 11.

De Ciuitate Sarepta.

INDE ad quatuor leucas est Sarepta Sidoniæ in littore maris, ante cuius portam ostenditur locus vbi Helias venit ad viduam Sareptam: deinde est etiam quædam Capella ædificata, vbi eius filium suscitauit, & vbi erat Cænaculum in quo quieuit.

De Ciuitate Sidon.

DE Sarepta ad duas leucas est Sidon quondam magna, cuius ruinæ adhuc eius magnitudinem attestantur, quæ etiam vix crederentur si scriberentur. Est tamen de ipsis ruinis alia modica ciuitas ædificata, munita multum, si haberet defensores, & est fere tota in corde maris sita, habens hinc inde duo castra munita multum, vnum in colle contra campum, aliud in rupe quadã in corde maris, quod ædificauerunt ibidem Teutonici peregrini, & modo omnia ista cum terra adiacente sub domino sunt militiæ templi, terra fertilis & amœna, abundans omnibus bonis, & aëre suauissimo, & non vidi locum in terra mihi magis placentem.

De Altilibano.*

*Antilibano.

* ALTILIBANVS distat ab ista ciuitate per leucam & dimidiam, & ibi habetur vinum delicatissimum, de quo dicit Propheta: *Memoriale tuum vt vinum Libani.*

*Antilibanum

Osee. 14.

De loco & Capella, in quo dixit Dominus mulieri Chananeæ, & sanauit filiam eius, &c.

ANTE portam Sidonis ostenditur vna Capella in qua & celebraui, in quo loco locutus est Dominus mulieri Chananeæ, & sanauit filiam, in via quæ ducit Cæsaream Philippi, & in Ituream.

De Ciuitate Berythus.

VLTRA Sidonem ad nouem leucas est ciuitas valde nobilis & antiqua, dicta Berythus, vbi etiam dicitur Dominus prædicasse, vbi etiam Iudæi eius imaginem illudentes, & eam crucifigentes de Pascha sancta, vt dicitur, sanguinem de ipsa in magna quantitate miraculose sudasse, quæ etiam in magna veneratione habetur per totum orbem.

Hucusq; contra partes Aquilonis processi, cætera loca vsque in Laodiciam non vidi, sed ex relatione didici nobiles ibi esse ciuitates quas Christiani incolunt, in littore maris sitas.

*De * Cybelech, & ciuitate Tripolis, &c.*

* Giblec.

ET primo post Berythum ad nouem milliaria * Cybelech quæ in Ezechiele vbi de Tyro agitur * *Byblium* appellatur: deinde ad nouem milliaria Tripolis est quæ est ciuitas nobilis & munitissima sicut Tyrus, abundans tam in pomeriis & vineis, quam in aliis commoditatibus & bonis omnibus mundi.

* Giblec. Ezechiel. 27. * Gyblium.

De fonte hortorum qui fluit impetu de Libano, &c.

IVXTA hanc Ciuitatem est fons hortorum fluens impetu de Libano, qui amœnitate sua commendat mirabiliter totã terram. Iuxta hunc etiam in ipso fundo maris de mediis aquis eius erumpit fons dulcis & bonus valde, de quo hauriunt aquam ciues illi.

De Ciuitate Laodicia.

LAODICIA est nobilissima & maxima ciuitas, quæ communis est Christianis & Saracenis. De cuius ruinis & structuris mirabilia referuntur. Post hanc sequitur Cœlesyria, in qua est Antiochia, deinde Armenia minor, quæ etiam Cilicia siue Lycia, vel certe Lycaonia dicitur, in qua est metropolis Tarsus ciuitas vnde fuit Paulus. Hucusque contra lineam Aquilonis sufficiat processisse. Transeamus iam versus Orientem, & incipiamus de ciuitate, quasi de centro, quæ dicitur sic:

De

De Ciuitate Iotapata.

IN hac distinctione Orientali cum aliis quas omitto, est Iotapata ciuitas, quam Ioseph munierat contra Romanos, & in ea obsessus & captus fuit, sicut ipse testatur. Et fuit munita valde, & monstrantur eius ruinæ vsque in præsentem diem. Ista distat à Tyro octo leucas contra Orientem sita.

*De Ciuitate * Balenas.*

** Belenas.*

DEINDE contra Damascum procedendo ad sex leucas occurrit * Balenas in pede Libani sita, quæ prius Lesem vocabatur, & cum esset procul à Sidone ferè ad decem leucas, & cum nemine quidquam societatis haberet, sita in regione * Rohab, ceperunt eam filij Dan, & appellauerunt eam Dan nomine patris sui. Vnde sæpe dicitur: *Congregatus est populus omnis à Dan vsque Bersabee*, postea Philippus Tetrarcha appellauit eam Cæsaream Philippi in memoriam sui & honorem Tyberij Cæsaris, dicta est etiam Paneas, Græcè.

** Belenas.* ** Rohob.* *2. Reg. 17. & alibi.*

De duobus fontibus Ior & Dan.

DE hac, hinc inde in decliui latere montis Libani oriuntur duo fontes, Ior & Dan, qui post modicum confluentes efficiunt Iordanem, qui post longos circuitus mare Galileæ, medio tamen loco inter Galileæ mare & ciuitatem * Balenas Iordanis fluuius quandam vallem ingreditur & in stagnum colligitur, quod dicitur aqua * Maron. De hoc in Iosue legitur: Hæc aqua tempore æstiuo pro magna parte exsiccatur, & crescunt pro magna parte ibidem arbusta & herbæ multum condensæ, & tunc latitat ibi multitudo leonum & vrsorum & aprorum, & sunt ibi venationes Regiæ.

** Belenas.* ** Merom.* *Iosue 11.*

*De Ciuitate * Sedes.*

** Cedes.*

* SEDES Neptalim de qua fuit Barach, est ciuitas fugitiuorum nobilis & abundans omnibus bonis; in ista autem magnæ ruinæ ostenduntur & sepulchra gloriosissima antiquorum.

** Cedes.*

*De Monte * Mensa.*

** Christi.*

DE Sephel ad duas leucas contra Orientem super mare Galileæ modico interuallo est mons * Mensa, in quo pauit Domin' quinque millia hominum, & fecit sermonem ad discipulos & descendens tetigit leprosum,

** Christi.*

De

De regione quæ dicitur Traconitidis.

REGIO quæ appellatur Traconitidis de eo est, quod terra illa omnino aquis fluuialibus careat, & indigenæ de aquis pluuialibus collectis in Vellzilibus & cisternis per trahones aquas de loco ad locum oportunum ducant, vt se & pecora sua alant.

Sequitur de quarta Orientali parte illius terræ.

HVIVS principium sicut omnium aliorum incipit in Accon, procedit directe contra ortum Solis æquinoctialem iuxta latus castri Sephet australe, in pede montis qui vocatur * Mensa. In quo loco apparuit Dominus septem discipulis piscando post resurrectionem. Procedendo igitur de Accon per primam diuisionem quartæ Orientalis partis ad quinque milliaria de Accon, occurrit casale quoddam quod dicitur * sanctus Gregorius, vbi dicitur idem sanctus natus esse.

* *Christi.*

* *Georgius S. Georgij patria.*

De Neptalim & Bethsaida ciuitatibus, & castello Magdalo.

DE Naason ad duas leucas contra Orientem, & de Bethsaida ferè ad tres, Neptalim ciuitas Tobiæ, nunc est casale valde modicum; de Neptalim ad duas leucas contra Orientem super mare Galileæ, Bethsaida ciuitas Andreæ & Petri & Philippi Apostolorum. Inde ad duas leucas contra meridiem, Magdalum castellum super mare Galileæ, à quo Maria Magdalena dicitur oriunda, cuius domum ibidem vidi & intraui.

De * *Naason.*

* *Nahasson.*

INDE ad Austrum fere ad duas leucas * Naason, de quo legitur in Tobia, & inde valde modicum de Neptalim ad eandem plagam ad duas leucas, Dothaym oppidum valde amœnum sub monte Bethuliæ, vbi Ioseph inuenit fratres suos, & Heliseus circumdatus est à Syriis, & duxit eos in medium captiuitatis Samariæ.

* *Nahasson. Tobiæ. 1.*

De loco vbi stetit Iesus in littore maris, quando dixit septem discipulis piscantibus: Pueri nunquid pulmentarium habetis?

DE Bethsaida ad vnam leucam contra Orientem est locus vbi stetit Iesus in littore maris quando dixit discipulis septem: *Pueri nunquid*

Ioan. 21.

quid pulmentarium habetis? cuius adhuc ibidem vestigia in littore ostenduntur, & inde non ad medietatem iactus lapidis est locus vbi viderunt prunas positas & piscem superpositum & panem: Et est in pede montis in quo pauit quinq; millia hominum, & sanauit leprosum, & fecit sermonem eis.

De ciuitate Capharnaum & Corozaym nunc desertis, & monte Seir, & Cedar ciuitate, &c.

DE loco isto ad leucam & dimidiam contra Orientem est Capharnaum ciuitas quondam gloriosa, vt eius ruinæ adhuc ostendunt, sed nunc valde vilis, ita vt ferè impletum sit verbum Iesu Christi: *Et tu Capharnaum si in cœlum ascenderis in infernum demergeris.* De Capharnaum ad duas leucas contra Orientem Iordanis fluuius intrat mare Galilæ, in cuius vlteriori littore videntur adhuc ruinæ Corozaym in littore maris Galilææ. In hoc loco incipit ascensus Seir montis siue Idumeæ, de Corozaym ad quatuor leucas contra Orientem in monte Seir est Cedar sita ciuitas munita, & quondam gloriosa valde in alto monte sita. *Matth. 11.*

De Cana Galilaea.

IN secunda diuisione huius quartæ partis Orientalis primo post Accon ad quatuor leucas occurrit Cana Galilææ, vbi Dominus aquas conuertit in vinum, & ostenditur hodie ibi locus vbi steterunt hydriæ, & triclinium vbi erant mensæ. Sunt tamen hæc loca, sicut omnia terræ sanctę vbi Dominus legitur operatus fuisse, sub terra, & descenditur ab ea interdum per multos gradus: vt locus annuntiationis, natiuitatis, & ista in Cana Galilææ, & cætera ferè omnia loca sancta, cuius non puto aliam esse causam, nisi quod per frequentes destructiones ruinæ superius sunt complanatæ, & nihilominus Christiani semper vera loca in quibus hoc vel hoc accidit ad ea inuestiganda nituntur, in quantum possunt.

De monte Bethuliæ & Ciuitate Tiberias.

DEINDE versus Tiberiadem super Dothaym est mons Bethuliæ, vbi Iudith occidit Holofernem, locus munitus valde, sed penitus desertus, vbi locum castrorum Holofernis & vallem in qua se lauit Iudith, & quam gyrauit in Bethuliam redeundo, diligentissimè inuestigaui. Mansi enim in Dothaym vna nocte. De Bethulia ad sex leucas super mare Galilææ Tiberias ciuitas olim * Cenoroch dicta est. Vnde & mare Galilææ aliquando mare * Cenoroch dicebatur, sed ab Herode **Cenereth.* **Cenereth.*

Tetrarcha Tiberias est appellata: Est autem ciuitas magna valde, & sunt balnea ibi medicabilia in littore maris, & est eius in circuitu terra fertilis supra omnem modum.

*Sephorū.

*Sephorū.

De ciuitatibus * *Sephorum, Nazareth & monte Tabor.*

DE Cana Galilææ ad duas leucas contra austrum est * Sephorum ciuitas, de qua narratur Ioachim pater beatæ Virginis Mariæ oriundus fuisse. Inde ad duas leucas ferè contra austrum, sed aliquantulum declinando ad Orientem, Nazareth ciuitas est sita illa dilecta, vbi flos ille florum de radice Iesse pullulauit: distat autem ab Accon per septē leucas; de Nazareth ad tres leucas mons est Tabor in quo transfiguratus est Dominus, vbi hodie ostenditur tabernaculorum locus in pede montis, vbi Melchisedech occurrit Abrahæ à cędeRegum reuertenti, In hoc monte sunt ruinæ maximæ palatiorum & diuersorum ædificiorum, in quibus latitant leones, & multæ aliæ bestiæ, & sunt ibi Regales venationes in bestiis & auibus. In descensu eiusdem montis est vna Capella vbi dixit Dominus: *Nemini dixeritis visionem.*

Matth. 17.

De torrente Cison & monte Hermon & Naym ciuitate.

IN descensu eius Orientali est torrens Cison, vbi Barach pugnauit cum Sisara, vltra torrentem contra Austrum sed aliquantulum contra Orientem est mons Hermon modicus. Vnde dicitur in Psalmo. In cuius latere super torrentem Cison est villa Endor, vbi ad instantiam Saulis Pythonissa suscitauit Samuelem, deinde à Nazareth ad quatuor leucas, de monte Tabor ad tres leucas est altus mons Hermon. In cuius latere Aquilonari est ciuitas Naym, vbi suscitauit Dominus filium viduæ extra portam. Iste mons ab isto loco extenditur contra Orientem versus mare Galilææ ferè ad quinq; leucas, & terminatur non longè ab illo loco vbi Iordanis intrat mare Galilęæ.

Psal. 41.

De monte Carmelo & monte Cain & Mageddo.

IN tertia diuisione huius quartæ partis Orientalis de Accon ad quatuor leucas contra Austrum est prima pars montis Carmeli. Et locus vbi Helias occidit Sacerdotes Baal in torrente Cison in pede montis eiusdem. Postea ad quatuor leucas bonas Cain mons vbi Lamech occidit Cain. Postea Mageddo mons vbi mortuus est Ochozias Rex Iuda, vbi occisus est etiam Iosias Rex Iuda à rege Ægypti. Huic loco adiacet campus magnus qui Mageddo dicebatur. In Iudith autem campus magnus Esdrelon. Est autem in rei veritate campus iste planities Galilææ, quæ cingitur ab Oriente mari Galilææ & Iordane, ab Austro

Iudith. 1.

monte

monte Effraym & Samaria, ab Occidente partim monte Effraym, partim monte Carmelo, ab Aquilone montis Phœniciæ, qui Phœniciam diuidunt & Galilęam, & habet in longitudine quinq; milliaria plenè Teutonica vel amplius, fertilis supra modum vini & frumenti, & omnium bonorum, quæ gignere solet humus, & aëre saluberrimo, si esset in manu Christianorum.

De Ciuitatibus Sunna & Bethsan & fonte Iezrahel, & ciuitate quondam Regali Iezrabel nomine.

IN latere montis Hermon est ciuitas Sunna de qua fuit Sunnamitis, quę suscepit Helisęum, cuius etiã filium suscitauit: vbi Philistini castrametati sunt, quando Saul venit in Gelboë, vnde etiam fuit Sunnamitis illa quæ calefecit Dauid. Inter Iordanem & montem Gelboë est ciuitas antiqua Bethsan: In cuius muris Philistæi suspenderunt corpus Saul & filiorum eius, estq; locus delitiosus nimis. De Bethsan quatuor leucis in pede montis Gelboë fons est Iezraël, ad quem Philistini transtulerunt castra sua de Sunna ciuitate; De isto fonte ad dimidiam leucam est Iezraël ciuitas quondã Regalis, nunc vix habet viginti domos, in pede Occidentali montis Gelboë sita, vbi adhuc vidi agrum Naboth Iezrahelitæ.

De montibus Gelboë & Hermon monte, &c.

MOns Gelboë & Hermon ita sunt dispositi vt Hermon sit ab Aquilone, & Gelboë ab Austro, & in medio sit planities duarum leucarum lata, & quatuor leucarum longa, & protenditur longitudo eius ab Oriente ad Occidentem, & latitudo ab Aquilone in Austrum. In ista planitie sæpe magni conflictus sunt habiti, ibi enim Gedeon superauit Madianitas Item Saul superatus est à Philistæis, & alij etiam nostris temporibus. Tartari cum Saracenis ibidẽ habuerunt conflictum magnum. Ista planities est principiũ vallis quæ dicitur illustris, propter sui fertilitatem, & extenditur de fonte Iezrahel vsq; ad planiciem Iericho & finem Iordanis ad mare mortuum, Iezrahel ciuitas est in pede Occidentali sita montis Gelboë: Nec est verum quod dicitur de monte Gelboë, quod in eo nec ros nec pluuia descendat. Quia cum in die sancti Martini essem in valle Iezrahel sub monte, vidi pluuiã maximam super montẽ; quæ etiam aquæ ad nos descenderunt de monte, verũ est, quod sterilis est & aridus & petrosus sicut penè omnes montes in Israël.

De Galilæa & Ciuitate Samaria nunc Sebaste.

GAlilæa ferè tota est campestris & plana; sed Samaria est omnino

no montuosa. Samaria ciuitas nunc Sebaste dicta, quondam caput regni Israël,nunc peccatis exigentibus nec vnicã habet domum,nisi tantum duas Ecclesias , in summitate montis vnam, vbi quondam fuit palatium Regis,in proximo vbi quondam decollatus dicitur Ioannes Baptista ab incolis Græcis, demonstrantes ibidẽ carcerem in quo eum decollatum dicunt,quod tamen falsum reputo,quia Chronica & Iosephus dicunt eum decollatum in castro Macherunte, q̃ est vltra Iordanem in terra Galaad,scil.duarum tribuum,& dimidiæ,& nihil omnino potestatis habuit Herodes in Samaria,sed erat Iudæa & Samaria in procuratione Pilati.Sacra Ecclesia est etiam in honore sancti Ioannis Baptistæ,in qua sepultus fuit inter Helisæum & Abdiã, & vidi sepulchrum eius,sed nõ intraui: Quia Saraceni fecerunt sibi inde Mameriam. Tales autem ruinas non vidi in terra sancta,cum tamen multas & magnas viderim,sicut in Samaria,nec est ita disposita ciuitas,vt videtur velle Magister in historia,super verbo isto: *Si sufficerit puluis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me.* Video enim velle quod murus ciuitatis & superficies montis erat æqualis,& desuper ciuitas ædificata, quod non erat,imo murus ciuitatis erat fere in pede montis firmus valde turribus, & interius mons paulatim surgens in altum & circumseptus ædificiis quasi botrus vuæ granis consitus,& tendens in altum.Regia domus erat supra in monte pulchra nimis, vbi videntur adhuc columnæ innumerabiles, quæ sustentabant palatia & deambulatoria & in circuitu montis infra sub regia domo & mansionibus militum, in loco vbi erat forum rerum venaliũ,adhuc ferè per totum circuitum circundant columnæ marmoreæ montem stantes hinc inde,quæ continebant testudinem platearum.Breuiter,nescio quid magni non posset dici de ciuitate ista,quæ ad tantam miseriã nunc deuenit, vt nulla penitus sit in ea domus,sed sit tantũ vinea & hortus olerum:Sicut voluit facere Achab Rex eius iuxta palatiũ suum quod habuit in Samaria de vinea Naboth Iezrahelitæ, & iusto Dei iudicio sic factum est. Situs huius vrbis erat pulcher valde,inde enim erat prospect⁹ vsq; ad mare Ioppes & vsq; Antipatridem & Ramatham,per totum montem Effraym vsq; Cęsaream & Carmelum montem, & abundabat fontibus & hortis & omnibus bonis,quæ requirit mundus.

3. Reg. 20.

De ciuitatibus Thersa & montibus Bethel & Dan & Sichem, &c.

DE Samaria ad tres leucas Thersa ciuitas in monte sita est,in qua erat Regnum prius quam in Samaria, de Sebaste contra Austrum duabus leucis mons Bethel. Inde ad dimidiã leucã est mons Dan supra ciuita-

ciuitatem Sichem ad ſiniſtram. In quibus duobus montibus Ierobo-am filius Naboth poſuit duos vitulos aureos. Inter montes iſtos ſita eſt ciuitas Sichem quæ Neapolis dicitur, omni amœnitate abundans, vt verè locus delitiarum dici poſſit; ſed munita non eſt, nec vllo modo muniri poteſt. nec aliud reſtat niſi quod hoſtibus intrantibus ab Aquilone ciues ad Auſtrum fugiant ſi ſint pauciores hoſtibus.

De puteo Iacob & monte Garizym & Galgala & monte Quarentena & fonte Heliſæi, & Iericho ciuitate, &c.

NON longe à porta eius eſt puteus Iacob, vbi Dominus ſedit ſitiens ſuper fontem. Super fontem illum ad dexteram eſt Garizym, vbi eſt adhuc antiquum fanum Iouis, & eſt ibi hoſpitale, de quo dicitur ſecundo libro Machabæorum, quem etiam locum dicitur mulier intimaſſe, quando dixit ad dominum: *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt.* Ad ſiniſtram autem fontis Iacob oſtenditur hic manſio Iacob & prædium quod dedit filio ſuo Ioſeph. Galgala vbi caſtrametati ſunt & filij Iſraël, tranſito Iordane, & monte Quarentena, vbi etiam circumciſi ſunt, & multa alia facta ſunt, pluribus nota. De Galgalis ad dimidiam leucam eſt mons Quarentena vbi ieiunauit Dominus quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentatus eſt. Sub ipſo monte oritur & effluit fons Heliſæi, quem de ſterili fertilem, de amaro potabilem fecit. De Galgalis ad vnam leucam eſt Iericho ciuitas quondam nobilis, nunc ita vilis vt nec veſtigium ſit quod ibi ciuitas fuerit.

2. Machab. 6.
Ioan. 4.

De Iordane & mari mortuo.

DE Iericho ſunt duæ leucæ ad Iordanem contra Orientem, vbi oſtenditur Capella in honore ſancti Ioannis Baptiſtæ, vbi Chriſtus creditur baptiſatus fuiſſe. Putatur tamen à nobis melius Chriſtus baptiſatus fuiſſe iuxta* Elorium & Salim, non longe à monte Gelboë, in Bethania, quæ eſt ſupra Iordanem. Tribus leucis de Iericho, & duabus de Capella ſancti Ioannis, contra Auſtrum eſt mare mortuum. In cuius littore Orientali ſita eſt Segor in parte Arabiæ, vbi eſt ſtatua ſalis in quam verſa fuit vxor Loth, ad quam videndam multum anhela-

* *Aenon.*

bam; sed dixerunt mihi Saraceni in Iericho, quod distabat per duas diætas, & erant loca per quæ transitus esset nimis periculosus, propter leones & vermes & bestias alias. Propterea Budwini Madianitæ excubabant in locis illis agentes custodias circa Camelos & Dromedarios & pecora sua, qui sunt homines omnino sylucstres, nunquam sub tecto, sed semper sub dio degentes, qui nulli parcunt sexui vel ętati, sed sunt latrones crudelissimi, & omne quod eis occurrit, occidunt & expoliant. Et dixit mihi Admiraldus de Iericho, quod viginti Saraceni armati non possent transire loca illa. Sæpe etiam, vt dicebatur, mare illud excrescit, ita vt operiat totam illam statuam, & sæpe videtur vsque ad genua vel pectus, loco medio stans inter ciuitatem Segor & mare. Isti retroduxerunt me quod non processi; mare illud habet in latitudine plene sex leucas, semper fumans & tenebrosum de vaporibus, quasi sit caminus inferni. Multa alia dicuntur de ipso quæ melius ipsi noscunt, & ideo pertranseo, mitius enim dicitur & scribitur de ipso quam sit in rei veritate. Scire enim debetis pro certo, quia quod oculis vidi & plures alij mecum, securè possum dicere, de vapore huius maris tota conuallis quæ dicebatur & verè dici poterat illustris, à fine Australi eiusdem maris, qui est in deserto Pharan vsque ad terram Thaphuæ ferè per decem diętas ita est reddita inutilis, vt nec gramen proferat, nec germen aliud omnino per totam longitudinem, quod ferè vbique est quinque vel sex leucarum, nisi tantum iuxta Iericho, vbi palmæ & calamellæ eriguntur de fonte Helisæi. O tremendum iudicium, qui ita persequitur peccatum Sodomorum, quod etiam terra vt ita dicam pœnas luat incolarum vltra quatuor millia iam annorum. A dextris nihilominus & à sinistris omnes montes steriles sunt ad quinque vel sex leucas. Præterea Iordanis ipse suas aquas non admiscet ipsi mari, sed absorbetur à terra ad vnam leucam priusquam illuc veniat. Mare tamen inundari dicitur de pluuiis & niuibus montium circumiacentium, vt de terra Moab & Ammon & aliarum regionum. Crescunt etiam iuxta idem mare poma pulcherrima & magna quæ intrinsecus plena sunt de fauillis.

De ciuitatibus Bethel & Luza & palma Debboræ, & Anathoth, & Adomyn casale. Sequitur capitaliter.

BETHEL ciuitas est in tribu Beniamin, vbi Iacob vadens in Mesopotamiam dormiuit supra nudam humum, & lapidem suppo-

nen.

nens capiti, vidit ſcalam cælum tangentem &c. Erant autem qui hoc factum Ieroſolymis dicunt, quia eo tempore imo multo prius, Ieruſalem erat ciuitas glorioſa. Iuxta hanc eſt Luza quæ eſt in tribu Effraym. De Bethel ad vnam leucam eſt palma Debborę. Medio loco inter palmam Debboræ & Ieruſalem, Anathoth viculus Sacerdotum in tribu Beniamin, vnde fuit Ieremias. De Iericho quatuor leucas contra Occidentem, in via quæ ducit Ieruſalem, ad ſiniſtram deſerti Quarentenę Adomyn caſale, vbi ille qui deſcendit ab Ieruſalem in Iericho, incidit in latrones, quod etiam ibidem moderno tempore multis contingit. Locus idem Rotenburch appellatur, propter multum ſanguinem ibi fuſum, Eſt enim locus ille horribilis & periculoſus valde.

De Bethania * Behurnym & Bethphage & Silo & Bethoron.

* Pahurim

* Bahurim

INDE ad duas leucas contra Occidentem eſt * Behurnym, vnde fuit Semeus qui maledixit Dauid, in monte albo ſitum. Inde dimidia leuca vſque ad Ieruſalem. Sed Bethphage eſt in medio ſita, & tranſit via in latere auſtrali montis Olıueti. De Ieruſalem quatuor leucas contra Aquilonem eſt Silo, vbi primitus fuit tabernaculum fœderis multis diebus. Inde ad vnam leucam Bethoron ſuperius ad dextram viam euntibus iuxta Ieruſalem.

De ciuitate Ieruſalem.

IERVSALEM ciuitas Dei ſummi, domina mundi, de qua dicta ſunt & dicuntur glorioſa: ſita eſt in terra montuoſa, habens vbique in circuitu terram fertilem & bonam, præterquam in Orientem & Iordanē. Diſtat ab Accon ciuitate triginta octo leucis, quæ & ipſa contra Aquilonem: de Sebaſte ſedecim leucis, de Sichem tredecim leucis, de Nazareth ſeptēdecim leucis, & hæ omnes contra Aquilonem; de Ioppe tredecim leucis, hæc eſt ferè Occidentalis, ſed declinat ad Aquilonem; de Iericho ſeptē leucis, hæc eſt Orientalis. De Bethlehē tribus leucis; de Thecua quatuor leucis; de Hebron octo, hæ ſunt Auſtrales. Sed quia quæ in ea facta ſunt, Chriſti ſonant Eccleſiæ vniuerſæ, non credo niſi quilibet Chriſtianus hæc recolat deuotius omni die ſuo agens gratias redemptori, qui in ea eſt noſtrā ſalutem miſericorditer operatus. Eſt autē ſita in decliui monte dupliciter, ab Auſtro videlicet & ab Occidēte. Ab Auſtro quidē ſita eſt in latere mōtis Sion, imo in ipſo monte & ſuper ipſum, & ita deſcēdit eius longitudo de vertice montis Sion ſe extēdens contra Aquilonē; ab Occidente habet montē Sion, & depēdet ab ipſo eius latitudo contra Orientē vſq; ad torrentē Cedron

ſiue vallem Ioſaphat. Eſt autem Ieruſalem ciuitas valde magna, & non eſt verum quod quidam dicunt eam in loco alio ædificatam eſſe quam fuerit tempore paſſionis, argumentantes quod Dominus fuerit extra portam paſſus, & nunc ipſe locus ſit intra mænia ciuitatis, & ideo ſit in alio loco. Iſti errant nec ſciunt quid loquantur, ciuitas enim in latitudine ampliata eſt, ſed nihilominus ciuitas antiqua adhuc cum toto monte Sion eſt ædificata, ſed pauci admodum eius magnitudinis ſunt habitatores in tota ciuitate pro tanta ipſius capacitate, vbicunque enim ſibi placuerit eligit quilibet manſionem, eò quod domus plures vacant: videtur autem mihi, & in hoc conſenſerunt, qui mecum ibi fuerunt & vtramque nouerunt, quod Ierùſalem amplior multo ſit & longior, quam antiqua ciuitas Magdburgenſis, quam includit murus circumiens de ſancto Georgio vſque ad nouam ciuitatem excluſiuè, diſpoſitionem eius antiquam diligentiſſime inueſtigaui.

De monte Sion.

ERAT autem tunc mons Sion ab Auſtro parte ciuitatis, capax valde & longus, qui ab Oriente per circuitum Auſtri durat vſque ad Occidentem, vbi erat turris Dauid, vbique erat rupes prærupta, hæc vocabatur Mello. Ipſa vero turris Dauid erat in quodam colle ipſius rupis ſatis eminenti, & vorago ipſa quæ venit ab Auſtro montis eiuſdem vſque ad Occidentem, deſcendit circa turrem ad partem eius Aquilonarem, gyrans eam, & ita turris ipſa in rupe & in angulo quodam ſita erat. Vorago autem quæ ipſam circundabat & cingebat, deſcendebat vſque ad partem Auſtralem montis Moria, vbi nunc eſt porta fontis ſiue aquarum, & ita erat mons Sion per iſtam voraginem à ciuitate ſeparatus.

Sequitur de ciuitate Dauid.

HÆc erat ciuitas Dauid, vorago iſta nunc repleta eſt, ſicut eam deprehendit curioſus indagator. Ab iſta voragine longè infra turrim Dauid contra Orientem erat ædificatus alius murus ciuitatis, qui incipiebat à pede montis Sion in parte Aquilonis, & procedebat contra Aquilonem cingens ciuitatem ex parte illa, & protendebatur per portam Effraym, & Beniamin, & portam ſterquilinij, portam vallis, & cingebat aream Templi ab Occidente, & continuabatur cum muro

montis

montis Sion. Situs in ciuitate sic est dispositus sicut dictum est, quod ab Austro, hoc est, à monte Sion est eleuatus, & per totum similiter latus Occidentis, & in parte Orientis omnino est demissus, ita vt sordes ciuitatis pluuiæ tempore descendant per portam sterquilinij in torrentem Cedron vbi erat hortus.]

Sequitur de monte Moria.

MONS quoq; Moria in quo est Templum, ædificium & palatium Regis, nunc dimissiora sunt, quam ipsa porta sterquilinij. Sed non fuit sic ab antiquo, quia depositus fuit mons per Romanos, & missus in torrẽtem Cedron cum omnibus ruinis Templi & atriorum, quod adhuc palam est videre. Area templi quadrata est, & habet in longitudine & latitudine plenè iactum vnius arcus. Iuxta aream Templi ad Aquilonem super murum ciuitatis adhuc cernuntur vestigia turris Ananeël siue Nebulosæ siue Ophel, & est adhærens portæ vallis.

Sequitnr de probatica piscina, & piscina interiori, & valle Iosaphat, & de sepulchro beatæ Virginis.

INTRANTIBVS portam vallis ad sinistram occurrit iuxta viam probatica piscina, ad dextram verò contra eam via intermedia est piscina grandis valde, quæ dicebatur piscina interior, hanc fecit Ezechias hoc modo: obdurauit superiorem fontem aquarum Gion, quæ prius fluebant in piscinam superiorem, sicut & aquæ Siloë, & auertit eum subter ad Occidentem turris Dauid, incidens ferro petram, sicut dicitur in scriptura, & introduxit aquas eius per medium ciuitatis in piscinam ipsam, vt in obsidione haberet aquam populus ad bibendum, nec possent eos Assyrij impedire. Vallis Iosaphat licet adhuc sit valde profunda, multum tamen est impleta, quod palam est videre. Sepulchrum enim beatæ Virginis gloriosæ, quod vt creditur tunc erat in superficie illius vallis, nunc est sub terra longe in tantum, quod Ecclesia ipsa gloriosæ Virginis Mariæ cum sit valde alta & testudinata, cum ipso sepulchro penitus sit sub terra, & vallis desuper tota plena. In superficie tamen vallis est ædificium modicum quasi vnius Capellæ, quod postquã

2. Paral. 32.

quis intrauerit oportet per gradus in Ecclesiam descendere ad sepulchrum beatæ Virginis.

Sequitur de Capella Gethsemani sic dicta.

IVXTA hanc Capellam ferè ad viginti pedes est alia Capella, quæ vocatur Gethsemani, in latere montis Olíueti adhærens rupi, sub qua Apostoli erant somno grauati, & ostenduntur adhuc ibidem eorum sessiones in lapide, & locus captiuitatis Iesu Christi, & impressio Caluariæ eius superius in rupe & lineamenta verticis & capillorum, & in lapide alio impressio digitorum eius, quam impressionem dicitur fecisse lapidem apprehendendo cum caperetur à ministris: Et mirum valde quod de ipso lapide nec puluis, vt ita dicam, vllo malleo, nec alio instrumento deponi potest, tamen in eo ita plane apparet impressio dulcis Iesu digitorum, ac si butyreus fuisset lapis ille.

De Agonia Iesu & sudore sanguineo eius.

INDE ad iactum lapidis contra Austrum est locus vbi Iesus orauit, & sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrebat in terram, vbi etiam similis lapis est habens impressiones genuum & lacertorum manuum & digitorum, de quo similiter nihil potest deponi vllo instrumento vel ingenio. Inter hunc locum & Gethsemani ascendit via quæ de Ierusalem ducit in montem Olíueti & Bethaniam & ad Iordanem.

Sequitur de sepulchro Iosaphat & fonte Siloë, & Natatoria Siloë, & fonte Gion, & Aceldemach & torrente Cedron.

DE isto loco ad magnum iactum lapidis est pyramus Iosaphat in pede montis Olíueti. In fundo vallis est sepulchrum Iosaphat. Et contra eam in pede montis Sion est fons Siloë, de quo colliguntur aquæ in piscinam inferiorem, quæ natatoria Siloë appellatur, in pede montis Sion. Accedit tamen ad easdem etiam piscinas fons Gion inferior, ministrans eis aquas situs in pede montis Sion contra agrum Fullonis, vbi est ductus aquæ, de quo legitur Isaiæ, *ad extremum aquæ ductus piscinæ superioris.* Iuxta natatoria Siloë, contra Austrum, ad iactũ lapidis, vltra vallem est Aceldemach, vbi est sepultura peregrinorum

Isaiæ. 7.

Infra

Infra verò natatoria Siloë & Aceldemach, est torrens Cedron, qui colligitur de superioribus partibus ciuitatis versus Aquilonem, iuxta Rama & Anathot, & longe de sepulchro dominæ nostræ sanctæ Mariæ auditur eius murmuratio sub terra descendens iuxta natatoria Siloë sub monte offensionis in vallem Tophet siue Gehennon.

Sequitur de lapide Zoëleth, & fonte Rogel, & Ecclesia sancti sepulchri, & spelunca sancti Sepulchri, & de loco Golgotha, & de loco vbi inuenta est crux Christi.

IN valle Tophet siue Gehennon est lapis Zoëleth & fons Rogel vbi Adonias immolauit victimas volens regnare, & sunt ibi loca & iardini amœnissimi propter aquas quæ illos irrigant. Multæ Ecclesiæ sunt in Ierusalem & tot deuotionis loca, quod nullo modo in die sufficit homo ad peragrandum. Ecclesia sepulchri sancti rotunda est, sed Golgothana oblonga, & vtraque tegitur vno tecto. Spelunca Sepulchri Domini habet octo pedes longitudinis & latitudinis: Similiter spelunca ante ostium Sepulchri tantundem, & in medio eius stat lapis, qui fuerat ostio monumenti aduolutus. Locus Golgotha siue Caluariæ distat ab isto lo co per centum triginta pedes: Locus vbi erat crux fixa distat à superficie terræ triginta octo pedibus, hoc est, à pauimento Ecclesiæ. Locus vbi inuenta erat crux distat à Caluaria per decem pedes, & est inferior pauimento Ecclesiæ contra Orientem viginti pedibus.

Iuxta quam partem crucis beata Virgo Maria steterit.

BEATA Virgo Maria non stetit sub cruce ad Aquilonem, vt quidam fabulantur, sed contra faciem filij ad Occidentem, aliquantulum tamen declinans ad Austrum. Monstratur enim vsque in hodie locus & à fidelibus veneratur, vbi cum aliis mulieribus ipsa stetit. Ego per totam noctem à nona diei hora vsque in tertiam sequentis, adoraui in Golgotha, ita quod non recessi, & celebraui ibidem, vbi ille bonus Iesus seipsum obtulit in sacrificium Deo Patri, Missas de passione, & legi passionem secundum Ioannem, vbi fuit ipsa passio celebrata.

Sequitur de situ Ierusalem & monte Silo, & Emaus, & Bethlehem & de turri Gregis.

IERVSALEM sita est in montibus altissimis, ita quod in ea plane videtur Arabia, & terra Moab, & Ammon, montes Phogor, Nabo, Phasga, & tota terra vsque ad Petram deserti. Cum insuper montana, quæ sunt circa campestria Iericho sint alta supra modum, & paulatim ascendant vsque ad montem Oliueti, diligentius considerabam omnes montes paulatim descendere vsque in Iericho & Iordanem. Attamen mons Silo qui distat à Ierusalem quatuor leucis, altior est ciuitate Ierusalem, & locis & montibus omnibus terræ sanctæ. De Ierusalem ad tres leucas vel plus contra Occidentem est Emaus, vbi Dominus agnitus est in fractione panis. De Ierusalem vsque in Ramatha vbi natus fuit Samuel, quæ etiam Arimathia dicitur, vnde fuit Ioseph nobilis Decurio, octodecim leucæ. De Ierusalem ad duas leucas contra Austrum, Bethlehem sita est in sinistra parte viæ, quæ ducit Ebron, ad iactum arcus, prius tamen occurrit sepulchrum Rachelis ad dextram venientibus de Ierusalem in Bethlehem. Ad Orientem de Bethlehem ad iactum quinque vel sex arcuum est turris Gregis, vbi Angeli apparuerunt pastoribus. Bethlehem sita est in monte longo, licet arcto, ab Oriente extendens se in Occidentem, in cuius fine Orientali sub rupe quadam, quæ erat in quodam diuersorio, illuxit nobis Oriens Sol iustitiæ Christus Deus noster. Iuxta rupem autem illam contra Occidentem ad quatuor vel quinque pedes dependet rupes alia capacior, sub qua erat præsepe iumentorum, in quo fuerat dulcis ille Iesus reclinatus. Non vidi ego, nec alium audiui, qui dixerit se vidisse in toto orbe terrarum Ecclesiam ita deuotā sicut Bethleemitanā. Sunt enim in ea columnæ nobilissimæ & pulchritudine & multitudine & magnitudine stupēdæ. Præterea structura Ecclesię desuper columnas vsq; ad tectum, tota est facta opere musiuo & nobilissimo & pulcherrimo. Totū pauimentum Ecclesiæ stratum est marmore diuersorum colorum & generum, parietes ex omni parte tecti sunt tabulis marmoreis, quarum pretium in opinione non posset æstimari. Incredibilia dici possent & scribi de Ecclesia ista. Capella etiam in qua est præsepe, tota facta est opere musiuo, & strata marmore. Saraceni in veneratione habent Ecclesiam istam præ cæteris Ecclesiis B. Virginis. Omnes tamen Ecclesias eius multū venerantur. Vidi tamen in ista Ecclesia signum, quod mihi videtur & merito memoriæ ad laudem Virginis commendandum.

Nota

Nota Miraculum:

SOLDANVS enim nunc mortuus, videns ornatum huius Ecclesiæ & tabulas parietum pretiosas, mandauit eas deponi & duci in Ægyptum, vt inde palatium suum in Babylonia decoraret. Mira res, artificibus cum instrumentis accedentibus adhuc ipso Soldano adstante & vidente de sano & integro pariete, quâ nec acus penetrare videbatur posse, serpens immanis exiuit, primæ tabulę marmoreæ quæ occurrit morsum suum in medio dedit, per medium latitudinis per transuersum confracta est. Secundam adiit & tertiam, quartam, quintam, & sic per ordinem ad altitudinem duodecim pedum à terra vsque ad octauam decimam tabulam, & tunc stupentibus omnibus qui aderant & ipso Soldano territo, & animum quantocyus reuocante, serpens omnino disparuit. Remansit igitur tabula in Ecclesia & remanet vsque hodie, vt prius tabulas ipsas vidi & numeraui decem & octo sic diuisas. Vestigia igitur tractus corporis serpentis in singulis tabulis apparent notabiliter quasi combustio quædam facta igne. Et super omne mirabile videtur quomodo serpens ille sic procedere potuerit per transuersum in pariete qui erat planissimus & politissimus sicut vitrum.

Sequitur de cella S. Hieronymi.

VIDI etiam ibi cellam sancti Hieronymi, lectum eius & sepulchrum, & claustrum Monachorum; locum interfectionis Innocentium. Ecclesiam beatæ Paulæ & Eustochij. Item cisternam in quam stella dux [illegible]agorum dicitur cecidisse.

Sequitur de montibus istis omnibus, supra vide.

BETHLEHEM contra Orientem ad sex leucas sunt montes Engaddi & loca tutissima: Latibula Dauid, super mare mortuum, vbi erât vineæ Balsami. Inde ad tres leucas contra Austrū * Achyle, vbi etiam latitau[illegible] [illegible]auid. De Engaddi ad tres leucas, de * Achyle ad leucas, Ceila quan[illegible] onseruauit Dauid à Philistæis; De Ceila ad sex duas contra Au[illegible] Cyph, casale, vbi habitabant proditores Dauid: cui adiacet desertum Moab, Maon, in qua habitabat Nabal carmelus. Inter Ceila & Bethlehem medio loco Thecua, vbi Amos Propheta dormiuit. Cui ad Occidentem adiacet desertum Thecuæ. Postea sequitur

*Hachila.

*Hachila.

mons Seir & desertum magnum, vbi morati sunt filij Israël quadraginta annis. De Bethlehem contra Occidentem quatuor leucis Betchar villa in loco eminenti sita, iuxta quam stans cum sociis duodecim vidi ab Oriente Arabiam totam, & mare mortuum vsq; ad montē, & omnia loca latibulorum Dauid. Ab Occidente vero mare magnum vsq; Ioppe & Ramatha, omnes quinq; ciuitates Philistinorū vsq; ad vltimam Gazaram & Bersabee & *Blanchgegardam, quæ sitę sunt contra desertum Sur in via Ægipti. De Bethchar ad tres leucas contra Austrum, Ebron illa Antiquissima, in qua primus homo est conditus & sepultus cum coniuge sua, & tres magni Patriarchæ cum coniugibus suis, apud sepulchra eorum ego fui.

*Vox sine dubio corrupta.

Sequitur de agro Damasceno; de spelunca Adæ & Euæ, & de monte Ebron: & de duplici spelunca; de fonte Abrahæ; de Terebintho & de domo Zachariæ; de Eliscolis, & riuo in quo Philippus baptisauit Eunuchum.*

*Nehelescol.

AGER Damascenus distat de spelunca duplici ad magnum iactum arcus, vbi formatus fuit Adam in rei veritate de rubra terra, de qua & tuli mecum, & multi Christianorum & Saraceni idem faciunt, & tamen modica apparet fossio in eodem loco. Inde supra montem contra Occidentem ad iactum duarum sagitarum spelunca in quadam rupe, in qua Adam & Eua interfecto Abel filio suo luxerunt centum annis. Inde ad iactum sagitæ mons, in quo sita fuit Ebron, nunc omnino dirutus & euersus. Circa speluncam autem duplicem quæ fuerat tempore Christianorū sedes Cathedralis, nunc ædificauerunt Saraceni castrum munitissimum, & illū locum plus venerantur quam aliquem locum sub cælo. Inde redeundo Bethlehem ad dimidium leucam fons est Abrahæ in conualle Mambræ, & Terebinthus sub qua comedit Dominus, Abraam ministrante. Verum est quod antiqua vetustate consumpta est, sed de radicibus eius alia nata est, de cuius fructu & ligno tuli mecum: Et non est querc' sicut quidam oppinantur, folia habens modica sicut lentiscus, sed fructum sicut quercus. De Ierusalem ad duas leucas domus Zachariæ, in qua beata virgo salutauit Elisabeth. Inde ad quatuor leucas in via quæ ducit Ebron, * Eliscolis, id est, vallis botri, vnde tulerunt exploratores palmitem cum vua sua. Ad dextram eius descendit riuus, in quo Philippus Apostolus baptisauit Eunuchum Æthiopem.

*Nehelescol.

Sequitur de portis Ierusalem.

NOTANDVM quod istę erant & sunt hodie portę Ierusalem. Prima fuit porta Dauid, & erat in latere montis Sion in angulo occidentis & Aquilonis, sic autem dicta fuit porta Piscium, quia per eam fuit via de Ioppe & Diospoli & mari, dicta etiam fuit porta Negotiatorum, quia per eam veniebant negotiatores de Ægypto, Æthiopia & Philistini, & maritima, merces diuersas adducentes, & de ea procedebat via in tres partes diuisa, vna super agrum fullonis, & vna quæ erat sinistra ducebat in Bethlehem & Ebron, & reliquam terram Iuda. Alia descendebat ad dextrã per vallẽ Raphaym sub castro Bethsura, quod est quinq; stadiis ab Ierusalem. Hæc porta fuit in antiquo muro & adhuc est, & coniungitur ei murus hodie partis illius ciuitatis, quæ apposita fuit propter sepulchrum Domini includendum. Secunda porta dicebatur porta Vetus, & erat ab ista contra Aquilonem, in muro veteri manserat à tempore Iebusæorum; dicta fuit etiam porta Iudiciaria, quia ibi iudicia exercebantur, & quæ iudicata fuissent per sententiam ibi executioni mandabantur. Non longe extra hanc portam fuit Dominus crucifixus. Locus etiam vbi sedit Pilatus pro tribunali erat iuxta eam, huius vestigia adhuc sunt manifesta. In muro vero nouo, qui sepulchrũ Domini includit, appellatur adhuc eodẽ nomine, & ducit in Silo, Bethoron, Lachis, Gabaõ, Cariathiarim, & deinceps vsq; Galilęam. Erat tertia porta Effraym à superiori contra Aquilonem, per hanc erat via in montem Effraym & Samariam & Galilæam: in ista porta concurrebat murus, qui à turri Dauid vsque ad hanc portam erat factus, ad sepulchrum Domini includendũ cum muro veteri. Ista nunc dicitur porta sancti Stephani. Quarta porta erat Anguli, & erat à superiori Orientalis, in angulo muri super torrentẽ Cedron, vnde legit̃ in libro Regum quod Rex Israël interrupit murum Ierusalem à porta Effraym vsq; ad portã anguli quadringentos cubitus. Dicta est etiam porta Beniamin: Quia in Anathot & cæteras vrbes tribus huius ducebat. Quarta erat porta Sterquilinij à superiori contra Austrum; per istam tempore pluuiæ descendebant sordes ciuitatis in torrentem Cedrom, & sic vltro per torrentem pellebantur: Per istam erat via in desertum, quod est inter Ierusalem & Iericho, quod nunc dicitur desertum Quarentenæ. Sexta erat porta Vallis, quia ducebat & ducit hodie in vallem Iosaphat, & est à superiori contra Austrum, & est ad iactum lapidis

4. Reg. 14.

pędis à sepulchro Virginis gloriosæ: dicta est etiam porta Gregis, quia per eam inducebantur greges immolandi ad Templum, cui adiungebatur, & quasi adhæret probatica piscina, in qua hostiæ lauabantur: huic porta adhæret turris Ananeel quæ etiam Nebulosa vel Aphel dicebatur: Vnde illud: *Ædificabitur ciuitas Domino à turre Ananeel vsq; ad portam anguli,* quæ est porta Beniamin, hanc turrem Herodes magnus instaurauit & appellauit Antoniam ad honorem Antonij, hæc ducit ad montem OlIueti & Bethaniam & Iordanem. Septima est porta Aurea, hæc est australis, hæc nō ducebat in ciuitatem immediate sed in Templum per compendium de monte Olìueti per testudinem quandam factam vltra vallem Iosaphat, & inter hanc erat porta Templi speciosa valde. Octaua erat porta Aquarum, quin per eam importabantur aquæ de fonte Siloë & natatoriis Siloë: dicta fuit etiam porta Fontis, quia sub ipsa in valle erat fons Siloë. Erat autem sita in angulo ciuitatis vbi mons Sion & mons Moria conueniunt, in angulo duorum murorum, scil. montis Sion & muro qui cingebat domum Regis, ducebat autem vt dictum est ad fontem & natatoria Siloë ad vallem filiorum Ennon, & fontem Rogel, & ad hortum Regis & Aceldemach: nec credo quod plures portæ fuerint in Ierusalem, quia secundum situm ciuitatis non erant necessariæ; sed forte aliquę ex istis poterant nomine alio appellari. Per totum circuitum montis Sion à porta aquarum quæ est ab Aquilone respiciens Orientem, vsq; ad portam Dauid, quæ est eidem monti Sion similiter Aquilonaris, respiciens Occidentem, nulla omnino porta erat, nec esse poterat, quia vorago quā mons cingitur per circuitum impediuit.

Ieremiæ 31.

De terra Ierosolymitana.

TERRA Ierosolymitana in centro mundi posita est, ex maiori parte montuosa; cui ab Oriente adiacet Arabia, à meridie Ægyptus, ab Occidente mare magnum; à Septentrione Syria & etiam mare Cyprium. Hæc antiquis temporibus fuit communis patria nationum, quæ ad loca causa colendi, illuc de quibuslibet partibus conuenerunt, sicut in actibus Apostolorum legitur in missione Spiritus sancti: *Parthi & Medi, &c.* Nunc autē istæ sunt gentes, quæ in ea habent domicilia & oratoria. Christianorū variæ sunt gētes, & in varias sectas diuisi: Quorum primi sunt Franci, qui Latini verius appellantur, homines bellicosi, armis exercitati, nudi capite, qui soli inter omnes nationes Latina lingua vtuntur, Romanæ Ecclesiæ subsunt Catholici.

Act. 2.

Item

Item alij sunt Græci, ab Ecclesia Romana diuisi, homines astuti, armis parum exercitati, pileos obliquos portantes, & errantes in fide, præcipue in eo quod dicunt Spiritum sanctum non à Patre & Filio, sed à Patre solo procedere, non solum fermentatum sacrificant, sed in multis aliis errant, propriam habent litteram.

Alij sunt Suriani, armis inutiles, ex maiori parte, barbam sicut Græci nutrientes, sed ipsam aliquantulum castigantes. Inter Latinorum & Græcorum cultum medij, vbiq; tributarij, Græcis in fide & Sacramentis per omnia concordantes, litteram habent Saracenicam, in temporalibus & spiritualibus.

Alij sunt Armeni, armis aliquantulum exercitati, à Latinis & Græcis multum distantes: ieiunantes tempore natiuitatis suam Quadragesimam, in die apparitionis Christi natiuitatem celebrantes, & multa alia contra Ecclesiastica instituta facientes; hi propriam habent litteram. Inter Armenos & Græcos odium implacabile est. Armeni Ecclesiæ nuper obedire promiserunt, dum Rex eorum à Moguntino Archiepiscopo Romanæ sedis legato coronam accepit.

Alij sunt Georgiani solenni pompa sanctam Georgium clementer colentes, armis plurimum exercitati, barbam & comam nutrientes, gestantes vnius cubiti pileos. Isti tam Clerici quam laici coronas habent ad instar Clericorum, Clerici rotundas, laici verò quadratas fermentatum sacrificant, ferè in omnibus Græcos imitantur, propriam habent litteram.

Alij sunt Iacobini siue Iacobitæ à quodam Iacobo in Nestorianam hæresim deprauati, pessimè credentes, Chaldæam habent litteram.

Alij sunt Nestoriani in fide hæretici, dicentes beatam Mariam tantum hominis esse matrem, & in multis aliis errant, litteram habent Chaldæam.

Præterea ipsa terra Ierosolymitana habet Patriarcham qui est Pater fidei Christianorum, & vicarius Iesu Christi. Qui Patriarcha quatuor Patres Archiepiscopos habet, vnum in prouincia Palæstina, scilicet Cæsariensem; alium autem in prouincia Phœnicia, scilicet Tyrensem, tertium in prouincia Galilæa scil. Nazarensem. Quartum in prouincia Moabitarum, scilicet Patracensem, id est, Demondreal, constituit. Cæsariensis Archiepiscopus habet vnum Suffraganeum, scilicet Sebastenum, vbi sepultus fuit sanctus Ioannes Baptista, Helisæus & Abdias Prophetæ. Tyrensis Archiepiscopus habet quatuor Suffraganeos,

** Belenas.* Acconensem, Sidoniensem, Berithensem, & illum de * Bellinas, quę est Cæsarea Philippi. Nazarensis Archiepiscopus habet vnum Suffraganeum Latinum, & habet Græcum in monte Sinai. Habet etiam illos Episcopos nullo mediante, Bethlemitanum & Idensem, & illum de Ebron, vbi sepultus est Adam & Eua, & tres Patriarchæ, Abraam, Isaac & Iacob.

De Ecclesia sepulchri Domini.

IN Ecclesia Dominici sepulchri sunt Canonici sancti Augustini, qui habent Priorem, sed soli Patriarchæ obedientiam promittunt. In Templo Domini Abbas est & Canonici Regulares. Et est sciendum quod aliud est Templum Domini; aliud Templum militiæ. Isti Clerici sunt, isti milites. In Ecclesia montis Sion est Abbas & Canonici Regulares. In Ecclesia montis Olíueti Abbas est & Monachi nigri. Isti omnes mitrati sunt, & tamen prædictis Episcopis & Patriarchæ assistunt & Monasterio. Præterea istæ sunt ciuitates quæ non habent Episcopos, sed sunt sub Bethlehem, Ioppe sub Canonicis Dominici sepulchri. Neapolis sub Abbate Templi; * Cayphas sub Cæsariensi Episcopo.

** Ciuitas est maritima, ad radices montis Carmeli sita.*

Cætera desunt.

ITINERARIVM

NOBILIS VIRI RVDOLPHI DE FRAMEYNS, PERG, &c.

IN PALAESTINAM; AD MONTEM SINAI, ET IN ÆGYPTVM, ANNO DOMINI M. CCCXLVI.

Nunc

Primum publici iuris factum.

Ex

M. S. Cod. Monasterij S. Magni ad pedem pontis Ratisbonensis.

HÆC INVESTIGATIO, ET LOCORVM DISTINCTIO FACTA EST PER RVDOLFVM MILITEM DE FRAMEYNSperg, &c.

RVDOLFVS miles de Frameynsperg ciuitatem Lādtshutam exiuit Anno Dominicæ incarnationis millesimo trecentesimo quadragesimo sexto feria tertia post Dominicam *Reminiscere*, reuersusque est in prædictam ciuitatem Lanzhutam in die sanctæ Catharinæ Virginis eodem anno præscripto. Item expensæ ipsius cum vno famulo trecenti & quinquaginta floreni, de quibus solummodo quatuor florenos Lanzhutam reportauit. Item in exitu veniendo ciuitatem Venetensem, & in reditu Alexandriam ciuitatem, vtrobique in duabus ciuitatibus præscriptis transfretando se gratię omnipotentis Dei commisit, humiliter, viriliter & deuotè.

Hierusalem exeundo versus montem Sinai transeundo per desertum per magnum milliare nostrum, apparet villa à dextris ferè habens centum mansiones: ab Ierusalem duabus diętis finitis posita est ciuitas Gaza maioris Lantshut magnitudinis, ibi Rex regit, qui est sub Rege Babyloniæ, & ab hac ciuitate vsq; montem Moysi sunt nouem diætæ.

Item in pede montis Moysi fundatum est claustrum Ordinis sancti Benedicti, in quo sunt centum Monachi Græci, quod ædificatū est per Regem Babyloniæ. Item corpus sanctæ Catharinæ in summitate montis Sinai quingentis annis requieuit, quibus finitis ad idem claustrum est translatū, de quo corpore caput Catharinæ cū duobus membris brachij in *truca* lapidea hodierna die reperitur. Item in eodem cœnobio

nobio sita est Capella, in qua Moyses dicitur esse sepultus, quæ est continua choro monasterij versus Aquilonem, & introitus eiusdem Capellæ tam Monachis ibidē, quā aduenis, fit solummodo pedibus nudis. Item in Ecclesia principali eiusdē monasterij sunt solum duæ paruæ campanæ, nec plures etiam per totam Græciam itineris huius reperiuntur. Item circa eandem Ecclesiam versus partem Occidentalem fundata est Capella in honore sanctæ Mariȩ Virginis, quadam altitudine super testitudinem erecta, pretiosis ornamentis decorata, in qua etiam multa oua struthionum in cathenis ferreis sunt appensa. Item à prædicto monasterio & capella Moysis versus plagam Aquilonis, sitū est templum Idolorum rotundum, ad quod nullus Christianorum ingredi permittitur. Item ibidem tres putei sunt aquæ optimæ. Item ibidem omnibus superuenientibus per triduum ministrantur expensæ satis lautæ, & in exitu vnicuique decem panes porriguntur, quorum quilibet sufficere poterit homini per vnum diem.

Item ab hoc cœnobio eundo ad montem Moysi duplex via est. Prima ascendendo montem Moysi, & à pede eiusdem montis ascendendo per distantiam tantæ altitudinis, quanta est altitudo montis in * Pogen ex parte Danubij, vsq; ad monasterium sanctæ Mariæ, per directam lineam considerando posita est Capella vna & prima. Item alia & secunda Capella eiusdem distantiȩ montis ascendendo posita est. Item tertia Capella in vertice eiusdem montis posita: æqualis distantia est à secunda, qua & secunda à prima, & secundum hoc consideratur altitudo montis Moysi circa triplicem altitudinem montis in Pogen. Et istæ tres Capellæ sitȩ sunt montem ascendendo à sinistris, & istarum Capellarum vnaquæque murata est cum testitudine, & omnes cum luminibus statutis temporibus procuratæ, & etiam seratæ. Item in vertice eiusdem montis ex opposito tertiæ Capellæ per distantiam quatuor hastarum, à dextris est spelunca saxosa, in qua Moyses habitauit, quȩ spelunca introēundo arcta est, sed intus in sua cauitate est quatuor hominum sedentium receptiua. Item descendendo eundem montem ex alia parte eiusdem montis Sinai versus montem eundem, pomerium magnum in medio montis Moysi & montis Sinai plantatum est, in quo Capella posita est cum vna mansione, in qua descendentes montem Sinai cum cibariis à claustro prȩmisso transmissis propter fatigationem montis Sinai ascendendo & descēdendo, reficiuntur.

Item secunda via à Cœnobio prædicto versus montem Sinai plana est, circumeundo montem Moysi, & à sinistris relinquendo, quæ

* *Pogen locus in Bauaria, non procul Straubingo, D. Virgini Sacer.*

via plana est vsq; ad Capellam in pomerio prædicto positam, per medium milliare nostrum æstimatur.

Item mons Sinai in sua summitate per totum est saxosus, quæ saxa rubeo & albo colore diuisim sunt colorata in modum marmorei lapidis, excepto loco in quem corpus S. Catharinæ per Angelos fuit collocatum. Idem locus est integer lapis albus, in quo apparent omnes dimensiones corporis sanctæ Catharinæ virginis per impressionem velut materiam liquidam, & ille lapis respicit montis Meridionalem, & ab extremitate montis Sinai distans paulominus vel magis in longitudine vnius hastæ. Item idem lapis de superficie montis circa altitudinem quatuor digitorum est eleuatus.

Item altitudo montis Sinai est in duplo altior monte Moysi. Item latitudo montis Sinai à parte Orientali in partem Occidentalem se extendit ad quartam partem arcus sagittæ; longitudo verò eiusdem montis à plaga Meridionali versus Aquilonem continet vnius arcus sagittam mediam.

Item ab hoc Cœnobio Babyloniam eundo quinque diebus vel diætis finitis in deserto mare rubrũ à sinistris apparet, circa quod mare rubrum tres diætæ procedendo finiuntur, & à mari rubro vna diæta peracta ędificatus est puteus muratus à Rege Babyloniæ, qui hauritur per vnum hominem & bouem extrahendo aquam cum catena ferrea, qui per successionem perpetuò sunt dotati.

Item ab isto fonte vna dięta finita apparet fons Moysi, fluens de terræ quadam altitudine quasi ad mensuram quinque pedum eleuata. Circa quem fontem vermiculi venenosi minoris paruarum formicarum quantitatis homines mordentes, albi coloris inueniuntur.

Item à fonte Moysi vna dięta finita apparet puteus muratus cum omnibus conditionibus putei prioris, excepto quod hauritur cum fune, & isti duo putei ædificati sunt per Regem Babyloniæ, vt omnes de Babylonia venientes versus * Machmet idolum adorare, potum sumant ex eisdem.

* Mecha.

Item ab isto fonte vna dięta finita deuenitur in Babyloniam ciuitatem, & circa introitum ciuitatis est castrum Soldani Regis, situm est à sinistris, & per plateam publicam à ciuitate segregatum, & hæc ciuitas ex parte nostri sita est, in littore aquæ dulcis de Paradiso fluentis, & longitudo ciuitatis circa duo milliaria nostra ferè se extendit. Item in hac ciuitate est Capellã in qua beata Virgo Maria cum Iesu Filio suo ñam Herodis Regis pueros occidentis à bimatu & infra fugiebat, in

quæ

qua Presbyteri Christiani diuina celebrare mittuntur, & in eadem Capella est vna crypta subterranea, ad quam introitus est à parte Meridionali, & in eadem crypta sunt duo Altaria: primum in angulo contra Meridiem & introitum directò situatum. Secundum Altare verò versus Aquilonem in angulo ex opposito positum est. In quem locum Maria cum puero fugisse dicitur propter maiorem ianuæ distantiam & securitatem, & illa crypta à nulla diei luce illuminatur. Item in hac ciuitate cum Rege Soldano sunt octoginta millia militum, quibus diebus singulis victualia cruda ab Officialibus ministrantur, & omnes homines eiusdem ciuitatis tam mulieres quam viri alba syndone sunt amicti. Item in eadem ciuitate vigiles nocturnales statutis noctibus sunt constituti * generationũ Herodum proclamantes ad speciei cõtinuationem. Item Christiani Babyloniam venientes in hospitio Venetensium hospitantur. Item aqua dulcis fluens est magnitudinis sicut *Isra, & est turbida, & in fluxu tarda magis, quam Danubius, carens omni ponte in Babylonia.

*locus corrupt.

*Isara Landishuetum præterlabitur.

Item à Babylonia in aqua dulci descendendo quinque diętis finitis in Alexandriam ciuitatem deuenitur, quæ sita est in angulo aquæ dulcis & maris, quæ ciuitas maioris magnitudinis Ratispona.

Item à Ierusalem per directam viam Babyloniam sunt vndecim diætæ. Item in omnibus istis diætis nulla est hominum habitatio, cryptis exclusis.

Item ab Ierusalem vsque ad montem Sinai sunt vndecim diętæ, & procedendo à Ierusalem ad montem Sinai via respicit medium inter ortum Solis & partem Meridionalem.

Item à monte Sinai in Babyloniam iterum sunt vndecim diętæ, quæ via inclinata est cum descensu Solis in partem Occidentalem.

Item à ciuitate Babylonia in aqua dulci descendendo vsque in Alexandriam ciuitatem sunt quinque diætæ. Item quælibet diæta continet sex milliaria nostra ad minus, &c.

Cætera desunt.

VVALAFREDI ABBATIS

sermo

seu tractatus,

DE SVBVERSIONE HIERVSALEM;

In cap. XIX. Euangelij S. Lucæ.

Ex

Membranis celeberrimi Monasterij S. Galli nunc primùm in lucem erutus.

LECTORI.

CODEX *calamo exaratus Auctorem istum* VValafredum *Abbatem: quem non dubito fuisse VValafridum celebrem illum scriptorem, de quo Trithemius in libro de illustribus viris Germaniæ, & in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, nam & Indice eiusdem Codicis, vbi sigillatim percensetur, quæ monumenta in eo contineantur, disertè scriptum est:* VValfridi Abbatis. *Cuius exstant aliquot insignia monumenta, exstabuntque, vt spero, & nostra, & aliorum ope & opera, propediem plura.*

DE SVBVERSIONE HIERVSALEM VVALADFREDI ABBATIS.

QVANTVM Dominus omnipotens de profectu hominum gaudeat, quantúmue de illorum ruina condoleat, ex multis locis Scripturæ sacræ, præcipuè tamen ex præsenti lectione cognoscere possumus. Denique cum Iudæi vellent Dei Filium interficere, & de eius interitu tractarent, ipse vt pius pater eorum perditionem deflebat. Nam cum Dominus Iudæos se quærentes interficere defleт, patulò ostendit, quantum de profectu humani generis gaudeat, qui tunc de futura longè post nece Iudæorum dolebat. Narrat superiùs Euangelij textus, quomodo Dei Filius miserit discipulos pro pullo asinæ, cui insidens Hierusalem venerit, quando cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Dominum voce magna, super omnibus quas viderant virtutibus dicentes: *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelsis.* Et quidam Pharisæorum dixerunt ad illum, *Magister increpa discipulos tuos.* Quibus ipse ait; *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Iuxta hęc verba, subiungit Lucas Euangelista: *Et vt appropinquauit Iesus Hierusalem, videns ciuitatem fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses, & tu*; condolebat Dominus interitū perfidæ ciuitatis, quem nesciebat ipsa sibi esse venturū.

Luc. 19.

Ibidem.

Ibidem.

Non existimandum est, quod fleuerit Dominus pulchra mænia ciuitatis, aut ædificia murorum, aut altitudines turrium, sed per metaphoram habitatores deflet ciuitatis. Est autem metaphora tropus, vt Græcorum, ac Latinorum docet peritia, per quem Scriptura plerumq; loqui videtur; scilicet per * inhabitantem ad habitantem, per inrationalem ad rationalem, per inanimalem ad animalem. Omittamus cætera, dicendo de præsentibus; Per * inhabitantem ad habitantem, sicut hoc in loco; & sicut alibi Dominus dicit: *Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt.* Sicut enim ibi, ita & hic, non super Hierusalem fleuit, sed super habitatores eiusdem ciuitatis, quibus à flente Domino dicitur: *Quia si cognouisses & tu*, subauditur, *fleres. Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* In die enim sua peruersa ciuitas, ea, quæ ad pacem sibi erant, habebat; quia extollebatur in honoribus, gloriabatur in facultatibus, lætabatur in diuitiis, in abundantia rerum, in fæcunditate prolis, & in sanitate corporum. Et quia, quæ ad pacem præsentem pertinebant, habebat, futuram rixam non præuidebat. Vnde & rectè subditur; *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*: Præsens quippe gaudium futuram tribulationem afferebat. De qua tribulatione rectè subinfertur; *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique; & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, Et non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.*

*inhabitatum. *inhabitatum. *Matth.23.* *Luc.19.* *Ibidem.* *Ibidem.*

Qualiter autem hæc verba iuxta litteram impleta sint, in subuersione eiusdem ciuitatis, & populi Iudaici, Iosephus Historiographus pleniter narrat, qui inter cætera quoque commemorat, qualiter venerunt duo Principes Romanorum, Vespasianus, & Titus, pater, & filius cum manu bellica ad subuersionem eiusdem ciuitatis, quadragesimo secundo anno post Domini resurrectionem atq; eius gloriosissimam ascensionem. Et rectè, ac merito, vt qui Patrem Deum, & Filium denegauerant, à patre, & filio necarentur. Expectauit enim Dominus populum Iudæorum, post passionem suam quadraginta, & duobus annis ad pœnitentiam, sed magna ex parte noluerunt conuerti, & proindetam duros incurrerunt hostes. Nam cum populus Romanorum omnem circa regionem igne combureret, & omnis populus cum mulieribus, & paruulis, quasi vir vnus ciuitatem ingrederetur in die solenni Paschæ ad celebrandum Pascha, repente vrbs obsidione circundata est, ita vt nullus ingredi, vel egredi posset.

Quod

Quod nutu Dei actum est, vt qui in solenni die Paschæ Filium Dei cruci crudeliter affixerant, in eadem die ab hostib' oppressi affligerentur: in tantum, vt ita dira fames interius viscera eorum torqueret, excepto, quod gladius eos exterius affligebat, vt nonnulli nec ab ipsis calceamentis se abstinerent, sicut idem Iosephus dicit. Alij reliquias fœni veteris, & purgamenta frumenti, & paleas ruminabant: nonnulli verò indumenta portarum detrahentes, dentib' ea conficienda, trahebant. In hac necessitate, & omnis pudor & verecundia ab eis recesserat, quia totum sibi valida fames vendicauerat. Nam & mulieres à virorum manib. & pueri à parentibus, & quod infelici' est, ipsę matres à filiorũ dentibus cibum incommestum abstrahebant, mulieres sparsis crinibus trahebantur, vt cibos absconditos detegerent, erga caniciem senum nulla reuerentia, nulla erga paruulos miseratio seruabatur. Super hæc omnia prædones inter eos surrexerant, qui grauius eos interius affligebant, quam ab hostibus exterius affligerentur. Nam si cuiuslibet fores clausas vidissent, indicium erat, quod intus positi ederent, & continuo confractis foribus cibum de ipsorũ manibus abstrahebant. Mensam igitur iuxta morem nullus ponere audebat, sed propria quasi furtiua edebant; Frumentum in ciuitate deerat. & si quis pro colligendis herbis egredi voluisset, statim ab eis, qui int' erant, detinebatur, quasi cum Romano exercitu pacem facere vellet. Iacebant igitur corpora Iuuenũ per plateas ciuitatis, magis fame, quã ætate defecta. Nullus iuxta morẽ sepeliebatur, quia nec multitudo morientium, nec viriũ debilitas hoc sinebat. Nonnulli corpora carorũ suorum sepelire curantes, super ipsorũ tumulos spiritum emittebant. Cumq; tabo magnus, & intolerabilis fætor esset in ciuitate, cæperunt corpora mortuorum extra muros proiicere; in tantum vt corpora ipsis muris coæquari viderentur.

Quadam autem die Titus ciuitatem cum foris gyraret, (nam Vespasianus pater jam, propter imperium Romam perrexerat) vidensque omnes vallos ciuitatis, cadaueribus mortuorum plenos, & morientium corpora penè ipsis muris coæquari, testem Deum inuocabat, hoc opus suum non esse; eleuansq; oculos in cœlum, cum ingenti gemitu fertur dixisse: O ciues Romani, nõ cunctabor referre, quod sentio; arbitror, quod si abhac pestilentissima vrbe exercitus Romanorum paulisper abscederet, habitatores eius aut hiatu terræ absorberentur, aut ignibus Sodomitanis exurerentur, aut aquis diluuij necarentur. Hæc dicens, cum fortassis in crastino repausaturus esset exercitum, illico milites armat, custodias ponit, & cœpit iterum ciuitatem possidere.

Merito ergo atroci fame torquebantur, qui panem vitæ necauerant.

Narrat etiam idem Iosephus facinus inauditum in ea perpetratum, videlicet, quod esset quædam mulier nomine Maria filia Eleazar prædiues valde, nobilique genere exorta, quæ cum cætera multitudine ad ciuitatem conuenerat, cuius substantia, quam circa in regione habebat, cum ab hostibus esset vastata, & igni combusta, nec non & ea quæ in ciuitate secum detulerat, consumpta, in hac necessitate, vel tribulatione contra ipsam se fertur armasse naturam. Denique erat ei sub vberibus paruulus filius quem ante oculos statuens talia fertur dixisse: tangam enim sensum, quamuis verba ipsa dimittam. O infelix mater, & ô infelicior fili, in fame, & bello, & vastatione prædonum cui te reseruabo? Nam etsi vita sperari possit, iugo seruitutis vrgemur. O care nate, esto cibus matri tuæ! & esto prædonum furor! seculis fabula, & recordatio pessimæ famis. Hæc dicens, statim filium iugulat, & partem illius igni torret, partemque alteram in posterum sibi reseruat, cumque ad odorem exustæ carnis iuxta morem prædones adessent, mortem miseræ minari cœperunt, nisi cibos, quos absconderat, detegeret. Tum illa truculento vultu, & ipsis prædonibus truculentior, optimam, inquit, partem reseruaui vobis, & tunc cætera membra infantis detexit, dicens, meus, inquit, partus est, & meus filius est, & facinus meum est. Edite: nam & ego prior comedi, quem genui: nolite matre esse religiosiores, neq; fœminis mollieres. Quod si vos pietas vincit, & execramini meos cibos, ego quæ talibus pasta sum, his iterum pascar. Tum obstupefacti prædones, & tantum facinus abhorrentes nunciauerunt vrbi, & hoc vnusquisque ante oculos statuens tanquam proprium nefas deflebat, & cum magno eiulatu, & fletu, & clamore statim porta ciuitatis aperta est, & ingressus Titus cum omni Romanorum exercitu; alios gladio peremit, alios igne exussit, & iuuenes quos corpulentiores reperit, in captiuitatem destinauit. Colligens autem historiographus numerum eorum, qui fame, & ferro interempti sunt, inuenit vndecies centena millia: illorum vero qui in captiuitatem dispersi fuerunt, nonaginta millia: latronum vero illorum, qui postquam ciuitas capta est, diuersis modis mortui sunt, incertus est numerus: ciuitas autem ita à fundamentis destructa est, vt non relinqueretur in ea lapis super lapidem.

Hæc

Hæc ex Iosepho commemorauimus, vt veridicam Domini sententiam fuisse approbemus, quia dixit: *Quia venient dies, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Inde etiam alio in loco dicit Dominus discipulis: *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis non relinquetur in ea lapis super lapidem, qui non destruatur.* Et alibi. *Cum videritis Hierusalem ab hostibus circumdari, scitote quia prope est desolatio eius.* Monstratur locus vsque in hodiernum diem, quia in eodem loco, vbi tunc sita erat, lapis super lapidem non remansit. Sed postea foris portam ciuitatis, vbi Dominus crucifixus fuit, ab Helio Hadriano reædificata est, & nunc Helia vocatur. Tanta autẽ vilitas fuit in emptione mancipiorum Iudaicorum, vt dantes vnum argenteum, triginta sibi emerent Iudæos. Et dignum sic fuit, vt qui vili precio Dominum emerant, vili mercimonio venderentur.

Luc. 19. *Matth. 24.* *Luc. 21.*

Tunc etiam adimpletum est vaticinium Ezechielis Prophetæ, quod ei à Domino dictum fuerat; *Et tu fili hominis sume tibi gladium acutum radentem pilos, & ducas eum per caput tuum, & barbam, & facias inde quatuor partes: vnam partem disperge in ventum: alteram proiice in ignem, tertiam incide ferro, & reliquias liga in summitate pallij tui.* Quod totum tunc adimpletum est, quando alia pars populi gladio interempta est; alia igne combusta, atque alia in captiuitatem destinata, quæ captiuitas vsque hodie in miseros Iudæos per totum Mundum perdurat. Per ipsam namque partem, quam Propheta in ignem proiecit, intelligere debemus eos, qui de populo Iudæorum igne perierunt, siue combustam etiam ab imis ciuitatem. Per eam partem, quam incidit ferro, ostendit eos, qui interfecti sunt gladio. Per partem, quam dispersit in ventum, demonstrat eos, qui dispersi sunt in captiuitatem, per diuersa spacia orbis. Per gladium, quem euaginare iussit post ista generalis percussio Domini intelligitur in eodem populo. Per reliquias quas in summitate pallij ligare iussit, significat eos, q̃ de eadem gente in fine sæculi credituri sunt. Quare vero tam dura eis acciderint, subinfertur, *eò quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Tunc quippe eos visitauit, quando inter eos incarnari voluit, q̃ visitationẽ optabat Psalmista dicens: *Visita nos Domine in Salutari tuo.* De qua etiã & Zacharias: *Visitauit, & fecit redemptionẽ plebis suæ*: Et, *Visitauit nos oriens ex alto.*

Ezech. 5. *Luc. 19.* *Psal. 105.* *Luc. 1.* *Ibidem.*

Sed

Sed hoc tempus visitationis perfida ciuitas non cognouit, quia Christo in carne apparente, populus Iudæorum in eum credere contempsit. Vnde & ad duritiam cordis eorum, aues cœli in testimonio deducuntur, cum dicitur: *Miluus in cœlo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: Israhel autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit.*

Hierem. 8.

Nec solum per semetipsum eos Dominus visitare dignatus est, sed etiam post suam ascensionem per quadraginta & duos annos variis signis & prodigiis ac portentis non solum eos visitauit, sed etiam terruit. Etenim sicut idem Iosephus narrat, quadam die admota in sacrificio vitula enixa est agnam. Sera etiam Templi, quæ tanti ponderis erat, vt vix à viginti viris moueri posset, per semetipsam est reserata. Media autem nocte ita lux in Templo clara refulsit, vt à nonnullis media dies putaretur esse. Quod ignari cernentes, æstimabant prospera sibi esse ventura, sed sapientes minime latuit, interitum ciuitatis significari. Strepitus quoq; & voces auditæ sunt in Templo dicentium: *Transeamus ab his sedibus:* Currus quoq; & equites ignei visi sunt in aëre deferri: interitum miseræ ciuitatis minantes: Ante duos etiam annos obsessionis eorum, stella gladio per omnia similis in cœlo per totũ annum apparuit super ciuitatem. Sed & ante vnum annum subuersionis eorum, quidam vir nomine Iesus, plebeius, & rusticus, in die solenni Paschæ inter medios populos cœpit clamare, & dicere: *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor plagis cœli, vox super sponsos, & sponsas, vox super Hierusalem, & Templum.* Cumq; à populis nimium cæderetur, nullatenus tacebat, & cum inter flagella spiritum emitteret, aiebat: *Væ, væ Hierosolymis.* Cumq; tot, ac tantis miraculis, & signis non solum visitati, sed etiam territi fuissent, non est mollitum cor eorum ad pœnitentiam, sed in suis malitiis, & peccatis perseuerauerunt.

Neq; dignum erat, vt sine vltione remanerent, qui tantis sceleribus fuerant auctores, quorum vltio in actibus Helisæi Prophetæ præfigurata est, quando descendens de Galgalis pueri insultabant ei dicentes: *Ascende calue, ascende calue.* At ille maledixit eis in nomine Domini, & egressi duo vrsi de saltu deuorauerunt ex eis quadraginta & duos pueros. Per Helisæum intelligimus Dominum Christum, qui ductus à Iudæis in locum qui dicitur Caluariæ locus, ad crucifigendum; Sicut Helisæus est à pueris irrisus, ita & Dei Filius à Iudæis est delusus, quando flectentes genua dicebant: *Aue Rex Iudæorum.* Et item. *Si Filius Dei est, descendat de cruce, & credimus ei.* Et percutientes eum dicebant.

4. Reg. 2.

Matth. 27.
Ibidem.

cebant. *Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit.* Per quadraginta, & duos pueros, quadraginta, & duo anni figurantur, quibus eos Dominus ad pœnitentiam expectauit, sed illis pœnitere nolentibus egressi duo vrsi de saltu, id est, duo magni Principes Romanorum, de syluis gentilium aduentantes, Vespasianus scil: & Titus, & interfecerunt eos. Matth. 26.

Et ingressus in Templum cœpit eiicere vendentes in illo, & ementes, dicens illis: Scriptum est domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Ædificauit Rex Salomon domum Domini vt esset domus orationis, sed à Sacerdotibus qui debuerant esse obseruatores legis, & fabricatores, spelunca latronum facta fuerat, eo quod ibi mercimonia præpararentur. Dictum fuerat filiis Israël, vt ter in anno se cõgregarent ad festa celebranda in Hierusalem. Itemq: lex præcipiebat, non apparebit in conspectu meo vacuus. Venientes ergo de longinquis regionibus, nõ valentes secum deferre dona, quæ offerrent, cogebant eos ministri Templi, vt emerent ab eis. Dante populo dona fraudabant Sacerdotes, & non sicut præceptum erat. Domino immolabant, sed ad hoc sibi reseruabant, vt aliis iterũ venderent, & ex hoc precium muneris sibi multiplicarent. Vnde iuxta alios Euangelistas oues & boues, turtures, & columbę in Templo vendebantur, Et ne aliquam excusationem emendi haberent, nummularij in Templo residebant. Domum vero orationis speluncam latronũ fecerant, quia quod malè emptum erat, iterũ malè vendebant. Et ad hoc in Templo residebant, vt si qui munera offerrent, eos magnis laudibus Sacerdotes extollerent, si vero non essent, qui munera offerent, flagellis percuterent. Luc. 19. Isai. 56. 3. Reg. 8. Exod. 23. Ibidem. Matth. 21. Marci. 11.

Itaq; vt qui hæc minus intelligerent, *mulceamus, hæc historialiter perstrinximus, nunc vero breui sermone repetendum immorabitur. Quod diximus pertinere ad materialis Templi destructionem, potest quoq; & ad vnamquamq; peccatricem animam referri. Fleuit tunc piissimus Dominus per semetipsum perditam ciuitatem, flet quotidie per Doctores sanctos in Ecclesia animas pereuntium. Illi nempe à Doctoribus flendi sunt in Ecclesia, qui semetipsos flere nesciunt, qui ignorant, cur plangantur, qui lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Taliter Apostolus Paulus vice Christi lapsum discipulorum flebat, dicens. *Lugeam multos ex his, qui ante peccauerunt.* Et item. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* * fort. docemus. 2. Cor. 12. Gal. 4.

Quod ergo à Domino flente perituræ ciuitati dictum est, pereunti etiam animæ conuenit. Ait enim Dominus perituræ ciuitati; *Quia si cognouisses, & tu,* subaudi, fleres, si peccatrix anima, tribulationem, & Luc. 19.

Isa. 66. angustiam quæ ei in futuro crescunt, agnosceret, vbi vermes sunt, qui non moriuntur, & ignis, qui non extinguetur; magis eligerent cum electis in hoc sæculo ad tempus lugere, quam cum reprobis gaudere. *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Suam diem peccatrix anima habet, cum transitorio, & cito finiẽdo gaudet in sęculo, cum inflatur honoribus, extollitur in diuitiis, gloriatur in facultatibus, sed quæ in die sua habet, quod scandalũ in die aliena patiatur, non præuidet, neq; futuram tribulationem prospicit. Vnde recte subditur: *Nunc autẽ abscondita sunt ab oculis tuis;* Excæcat quippe oculos cordis, priuatus amor, & sicut puluis oculos corporeos excæcat, ne clare videre possint; ita amor huius sęculi, & præsentes diuitiæ oculum mentis excęcant, ne futurum Iudicium prouidere possint. De cuius tribulatione recte subiungitur: *Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo.* Quia venient dies in te, id est, tempora mortis, dies tribulationis, dies angustiæ, dies calamitatis, & miserię, quando incipiet infelix anima cum semetipsa rixari, & quasi dicere: Quare in malis operibus memetipsam dilataui? quare ex præteritis peccatis pœnitentiam non egi? cur in bonis operibus meipsam nõ exercui? Et tunc incipiet pœnitere, cum nullus fructus pœnitentię remanebit, sed sola districtio vindictę. *Et circundabunt te, & coangustabunt te vndique.* Infelici animæ non sunt peiores inimici, quam immundi Spiritus. De quibus se cupiebat eripi Psalmista, cum diceret: *Eripe me de inimicis meis Deus meus.* Et item. *Eripe me de operantibus iniquitatem.* Ergo inimici miseræ animæ vallo eam circundant, quando immundi Spiritus circa diẽ mortis omnia peccata ei replicant, valdeq; eam coangustant, quando ipsi qui primi ei fuerant persuasores ad crimina, fient exactores ad tormenta.

Luc. 19.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Psal. 58.

Ibidem.

Luc. 19. *Et ad terram prosternent te.* Ad terram quippe infelix anima prosternitur, quando virtutes, quas se habere putabat, amittit, siue etiam caro, quæ de terra sumpta est, ad terram reuertitur. Sicut scriptum est; *Terra es, & in terram ibis. Et filios tuos, qui in te sunt.* Filij quoq; in scripturis sanctis, vel filię opera significant; aliquando bona, aliquando mala. Bona, sicut ait Psalmista, *Et videas filios filiorum tuorũ pacem super Israël.* Mala autem, sicut in hoc loco, cum dicitur. *Et filios tuos, qui in te sunt.* Ad terram quippe filij peccatricis animæ prosternuntur, quia non solum de malo opere, verum etiam & de ipsa cogitatione; & non solum de mendacio, & periurio, atque murmuratione, sed etiam & de ipso otioso sermone reddituri sumus rationem, Domino dicente: *De omni*

Gen. 3.

Luc. 19.

Psal. 127.

Luc. 19.

Matth. 12.

mni verbo otioso, quod locuti fuerint homines reddent de eo rationem in die iudicij. Et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Sicut enim ciuitatis in ædificio lapis super lapidem ponitur, vt crescat constructio: ita quoque cogitatio pessima super malam cogitationem ponitur, & malis operibus mala consuetudo iungitur, vt quoddam ædificium Diabolicum construatur. In destructione ciuitatis lapis super lapidem non relinquitur, quia in die Iudicij non solum mala opera, sed etiam iniqua cogitatio cessabit, & periet. Sicut Psalmista: *in illa die*, inquit: *peribunt omnes cogitationes eorum.* Et ideo necesse est, vt dum in hoc sæculo sumus, & nobis vacat, non solum à malis abstineamus, sed etiam bonum in omnibus operari studeamus. Ante omnia diem mortis ante oculos ponamus, quia facile contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum. Vnde Salomon nos hortatur dicens: *In omnibus operibus tuis, memorare nouissima tua.* Et item. *In die bonorum, ne immemor sis malorum; & in die malorum, ne immemor sis bonorum.*

Luc. 19. *Psal. 145.* *Eccl. 7.* *Eccl. 11.*

Pius Dominus, qui nos patienter expectat, acriter in die Iudicij iudicabit, si conuersi non fuerimus. Vnde & nos admonet in Euangelio: *Currite dum lucem habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant.* Et item, *Esto consentiens aduersario tuo, cito, dum es in via cum eo, ne forte te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcerem mittaris: Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem.* Et Paulus Apostolus; *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Et item, *Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis.* Et Salomon: *Quodcunq; potest manus tua facere instanter operare.*

Ioan. 12. *Matth. 5.* *Gal. 6.* *2. Cor. 6.* *Ecclesi. 9.*

Eo, quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Multis namque modis in præsenti vita peccatricem animam Deus visitat. Visitauit prius per aduentum Filij sui, & per eius miracula, quotidie visitat prædicationibus Doctorum, visitat per prospera, & aduersa, visitat per flagella, visitat per persecutionem, sed anima peruersa non cognoscit, quò clausis oculis ad ignem vadit. Non enim in prosperitate se humiliat, nec in aduersitate se recognoscit.

Luc. 19.

Omiseram supra, quia Hierusalem terrestris quatuor modis intelligenda est; Historialiter primo; ciuitas, quæ in monte Moria sita est, ædificata à Sem Noë filio, & vocata Salem: Secundo

possessa à Iebusæo, ex qua sortita est vocabulum Iebus. Tertia à Salomone, & inde vocata est Hierosolyma, ex Iebusæo & Salomone, quasi Iebusolyma: postea destructa à Romanis, reædificata est ab Helio Adriano, à quo nunc Helia vocatur. Ecce ad litteram.

Allegoricè autem Hierusalem interpretatur *Visio pacis*, quæ significat sanctam Ecclesiam. Nam superna Hierusalem non potest continere, nisi pacificos in fide Christi.

Per Anagogem verò animam significat sanctam, quæ Dominum per contemplationem mentis semper meretur videre.

Luc. 19. Isai. 56.

Et ingressus in Templum, cœpit eiicere vendentes, & ementes in illo, dicens, Scriptum est, domus mea domus orationis est; vos autem fecistis illam speluncam latronum. Quod tunc Dominus per semetipsum egit corporaliter, quotidie agit in Ecclesia spiritualiter. Templum Dei spiritualiter Ecclesia est, quia domus orationis rectè dici potest, vbi Ecclesia quotidie Deo mundas preces offerre non cessat, dicens cum Psalmista: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* In quo Templo videlicet Ecclesia, vendentes, & ementes sunt, qui honorem Ecclesiasticum non propter lucrum animarum, sed propter lucrum terrenum requirunt, vel propter fauores hominum. Vnde bene iuxta alios Euangelistas, oues, & boues, turtures, & columbæ in Templo vendebantur. Bouis quippe nomine in scripturis sacris, aliquando prædicatores designantur: sicut ait Dominus ad Moysen: *Non arabis in boue simul, & asino*, hoc est, noli coniungere in prædicatione, siue doctrina prudentem cum stulto. Per ouem innocentia designatur, vel simplicitas. Ouis quippe simplicissimum est animal. Qui ergo sanctitatem, aut innocentiam Deo aliis ostendit, vt laudem ab hominibus requirat, ouem venalem in Templo portat. De quibus Dominus in Euangelio dicit: *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Et item, *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Per columbam vero Spiritus sanctus designatur. Vnde & idem Spiritus sanctus in specie columbæ super Dominum baptizatum apparuit. Qui ergo gratiam Spiritus sancti per impositionem manuũ, quę gratis dare debuerant Domino dicente: *Gratis accepistis, gratis date*, non propter Deum, sed propter munera, vel lucrum terrenũ aliis tribuunt, quasi columbas in Templo vendunt. De quibus scriptum est: *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Et item: *non accipies in judicio personã pauperis, quia munera excæcant oculos sapientũ, & verba rectorum subuertunt.* Tales Dominus è Templo ejicit, qui quamuis in præsenti sæculo Ecclesiæ coniun-

Psal. 140. Matth. 21. Mar. 11. Deut. 22. Matth. 23. Matth. 6. Matth. 3. Matth. 10. Iob. 15. Exod. 23.

coniuncti corpore videantur: tamen in die iudicij ab Ecclesia separabuntur, quando dicet illis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo, & Angelis eius.* Matth. 25.

Et erat quotidie docens in Templo. Luc. 19.

Dominus quotidiè docet in Templo per sanctos Prædicatores, quotiens sanctum Euangelium legitur. Apostolus recitatur, Doctores prædicant. Semper Dominus in Ecclesia docet, sicut ipse ait: *Sine me nihil potestis facere.* Ioan. 15. Hoc ideò ait, vt nullus in die Iudicij aliquam possit excusationem habere peccati. Cum enim Doctor in Ecclesia verbum Dei annunciat, Christus in Templo docet, & qui Prædicatoris verbum contemnit, Christum audire renuit ipso dicente: *Qui vos audit, me audit, Et qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. Hanc destructionem ciuitatis ad destructionem animæ nostræ expauescamus. Precemur itaque Dominum, vt qui Hierusalem terrenam destrui permisit, & postea Hierusalem cælestem permanere disposuit, destruat peccata corporis, & animæ nostræ, quatenus nos introducat in cubiculis sponsæ suę, vt cum eo videamus indeficienter bona quæ sunt in Hierusalem.

FINIS.

HOMILIA

FLACCI AL-BINI SEV ALCVINI IN NATALEM S. VVILI-brordi Archiepiſcopi.

Eiuſdem Alcuini Liber

DE VITA ET RE-BVS GESTIS S. VVILI-BRORDI

Carmine conſcriptus;

ET

ELEGIA IN S. VVILGISVM, parentem S. VVilibrordi.

Omnia

Nunc primum in lucem prolata.

Ex Bibliotheca Monaſterij S. Galli.

LECTORI.

EN rursus monumenta quædam Alcuini hactenus inedita. Dedimus nonnulla tomo I. & V. Quibus addimus nunc eiusdem librum de S. VVilibrordo ligata oratione compositum: & Homiliam in Natalem S. VVilibrordi, & Elegiam in VVilgisum parentem S. VVilibrordi, de quibus omnibus, ipse Alcuinus Præfat. in librum primum de vita S. VVilibrordi soluta oratione scriptum qui exstat apud Surium Tom VI. Vestris orationibus diuina donante gratia, & sanctissimo Patre VVilibrordo intercedente, duos digessi libellos, vnum prosaico sermone gradientem, &c. alterum piërio pede currentem, &c. vnam quoque priori libello superaddidi Homiliam, &c. Item secundo adieci sermoni Elegiacum carmen de viro venerabili VVilgiso, patre scilicet sanctissimi Pontificis VVilibrordi, &c. *Quæ omnia, vt ab Alcuino enumerantur, inuenimus in manuscripto Codice S. Galli. Librum primum non exscripsimus, ne actum ageremus; iam enim à Surio vulgatus est. En igitur Homiliam in Natalem S. VVilibrordi, quæ libro primo proximè subjicitur, & secundo anteponitur. Quodsi quæ occurrent fortassis, in hoc Alcuini poëmate minus cum numeris & modulis syllabarum conuenientia; Lector boni consulat, & in memoriam alios Poëtas reuocet, quibus venia tribuitur ob numeros forsan magis innumeros.*

HO-

HOMILIA FLACCI ALBINI SEV ALCVINI DE NATALI SANCTI VVILLIBRORDI ARCHIepiſcopi.

LICET per totiùs orbis Eccleſias conueniat omni populo Chriſtiano ſanctorum feſta celebrare, victorias laudare, & quia in omnem teram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: in omni terra conſona cunctorum viuentium voce laudandi ſunt, tamen locis in ſingulis propter familiaritatem cohabitationis cuiuslibet illorum, & propter præſentiam ſanctarũ reliquiarũ, quæ in ſolatium illis vel illis condonatæ ſunt habitatoribus, ſpeciali quadam veneratione apud ciues ſuos familiarius honorantur. Igitur Roma vrbs orbis caput, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſpecialius quodammodo glorioſiſſimis lætatur triumphis. Vnde ad eandem & gentes & populi, cum deuoto pectoris officio, quotidie concurrunt, vt maiori quique apud beatos Apoſtolos fidei compunctione, vel ſua defleant crimina, vel cæleſtis vitæ abundantiori ſpe, ſibi aditum aperiri depoſcant. Mediolana olim ciuitas Imperialis S. Ambroſio gaudet defenſore. Alpes* Acunumiæ ſanctorum Thebæorum felicius ſanguine, quàm in proceritate exaltantur. Beatius fœcunda Pictauia beati Hilarij Pontificis reliquiis exultat, quam venditionum & emptionum alterationem, in

* *Agaunia.*

quibus sæpe versatur iniquitas. Quid te Turonica ciuitas loquar? muris quidem paruula & despectibilis, sed sancti Martini Patrociniis magna & laudabilis, quis propter te, adierit te? nonne propter illius certissima suffragia, turbæ ad te confluunt Christianorum? Omnia Parisiacæ ciuitatis suburbana, sancti Dionysij vel sancti Germani magnificis iocundantur auxiliis, & festiuos illorum dies maiori populorum celebrant frequentia. Tota Campania cum populis suis propter Remigium venerabilem prædicatorem, ad Rhemensem festinat vrbem, apud eam quasi præsenti patrono, sua vota ferentes. Sic diuina clementia toti consuluit mundo, dans singulis prouinciis vel populis, quo speciali gauderent patrono.

Nobis vero sanctissimi VVillibrordi non infima perdonauit auxilia, sed præclara & gloriosa contulit suffragia. Gaudeamus, dilectissimi fratres in Domino, & spirituali iocunditate lætemur, qui nobis talem vitæ perdonauit doctorem. Iustitiæ præceptorem, vnanimitatis nostræ auctorem, qui nos in hoc sacratissimum ouile congregauit, & pietatis magisterio erudiuit. Gaudeat & nobiscum omnis populus, qui ad natalicia sanctissimi patris hodie concurrit, & vigiliis Apostolici viri, pia deuotione interesse studuit, & in præsentia Domini nostri Iesu Christi, & sanctorum Angelorum, & beatissimi Pontificis stare satagebant. Nullus obsecro dubitet in fide, nec de veniæ largitione hæsitet, nec de piæ petitionis fructu & effectu, qui nobis talem concessit patronum. Illius nos precibus concedit exaudiri, quia quantò fiducialius deprecamur, tanto citius exaudiemur. Fide enim omnia impetrantur, sicuti huius viri sanctissimi, cuius hodie festiuum celebramus diem, certissima ante oculos habemus exempla, qui mox ab infantia sua, per fidem Deo placere contendit. Nam patriam, cognationem & amicos, feruente fide, pro amore Dei dereliquit, terrena contempsit vt cælestia adquireret. Idcirco magnum laboris sui fructum inuenit, & multas populorum turbas ad Christum conuertit: Et plurimos paganorum, ab erroris iniquitate auertit, & diuina cooperante gratia, filios iræ, filios fecit esse misericordiæ. Inferna conclusit, cælum aperit. Plurimas peragrauit gentes, vt omnes in viam veritatis adduceret, nec sibi ipsi pepercit, populos adiuit feroces, si forte purpureas martyrij coronas inueniret, quem Deus ob multorum seruauit salutem. Quatenus maiori prædicationis gloria honoraretur, quam si solus martyrio coronaretur; in pace quieuit, quia in spe laborauit. Vitam inuenit æternam, quia temporalem reliquit, nobis ablatus, angelis sociatus.

O bea-

O beatissime Christi sacerdos, ne nos derelinquas laborantes in terris, sed precibus tuis de cælis adiuuare non cesses. Vita tua apud homines, semper probata fuit pro Deo, sint preces tuæ apud Deum semper intentæ pro hominibus. Meditatio tua fuit in lege Domini die ac nocte. Ideo sicut palma floruisti in domo Domini, sicut cedrus Libani multiplicasti filios tuos, qui ad te tota mentis intentione clamant, tu illos pia intercessione adiuuare digneris. Sentiamus tuum nobis clementissime auxilium, qui tuis deuotissime instamus officiis. O felix anima, quæ seculi labores dereliquisti & cælestem cum multiplicis sudoris tui fructu requiem intrasti: Talenta tibi commissa multiplicasti, præmia promissa accepisti. In pauca fidelis fuisti in terris, supra multa constitutus gloriaris in cælis. Gaudia Domini Dei tui, quæ semper optasti, semper habere cœpisti. Te continuis, ô pater, prosequimur laudibus, tu nobis assiduis auxiliare precibus. Credimus te in præsentia Domini Dei tui, omnia posse impetrare, quæ poscis, dum tanta potuisti in præsentia nostra per eius gratiam efficere miracula. Tu modo ciuis Angelorum, tu socius sanctorum, tu lætus cum illis canticum nouum cantabis: Sicut audiuimus, ita & vidimus: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in seculum seculi laudabunt te*: Et, *videbitur Deus Deorum in Sion*: Cuius beata visio plena est felicitas, sicut ipsa veritas in Euangelio testatur dicens: *Qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* In cuius dulcissima dilectione iste sanctus vixit in mundo, ideo in eius aspectu lætatur in cælo.

Videte, fratres charissimi, quanta gloria est Deum sequi. Iste pro amore Christi patriam contempsit, peregrinationem elegit, diuitias seculi parui pendebat, paupertatem voluntariè amauit. Et cognouimus qualem honorem postea habuit inter homines, sed melior est gloria, quam æternaliter possidet inter Angelos: Huius sanctissimi doctoris nos exempla de ignauiæ torpore suscitent, vt quod in illo prædicamus, impleamus in nobis. Agones illius laboris laudamus, vias nostras in vestigia eius corrigamus. Quatenus qui sanctitatis eius sequimur exempla, beatitudinis sortiamur & præmia per eum, qui illum coronauit, & nos adiuuabit, Iesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in gloria sempiterna. Amen.

LECTORI.

IN *Cod. manuſcripto S. Galli hæc verba ſubiungebantur Homiliæ.* Explicit liber primus proſaico gradiens ſermone, de vita ac virtutibus, obituque Sancti VVilibrordi Archiepiſcopi: *nam primus liber, vt ſupra dictum, quem inter & ſecundum Homilia interijcitur, exſtat in iiſdem membranis S. Galli; ſed quia iam opera Surij prodiit, ideo à nobis omiſſus eſt; retinuimus tamen Codicis calamo exarati numeros, atque eum, qui ſequitur, ſecundum appellauimus; quia verè ſecundus eſt, tametſi, hoc quidem loco, à primo auulſus.*

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI SECVNDI.

Expliciunt capitula.

INCI-

INCIPIT PRÆFATIO LIBRI SECVNDI.

ECCE tuis parui, votis venerande Sacerdos,
Cor quia de vero feruet amore mihi.
Pontificis magni Wilibrordi & Præsulis almi,

. . . .

Sit licet inferior strepitans cum murmure rauco,
Illius egregiis sermo meus meritis.
Protulit ad templum Christi Wilibrorde Sacerdos
Nostra fides vestrum parua minuta tamen.
Quæ rogo suscipias clementer mente benigna,
Criminibusque meis posce precor veniam.
Non sunt digna tuis meritis mea munera Præsul,
Qui regnas summi diues in arce poli.
Ni pius in templo Deus æra minuta ferentem
Laudasset viduam, quæ sua vota dedit.
Æra minuta duo diuersi ponderis ista,
Sancte pater supplex in tua templa fero.
Sed prius hæc retinet planis nummisma figuris,
Posterius sed iam piërium rutilat.
Sunt qui in lege sacra pilos pellesque caprarum,
Ad pia tecta Dei ferre iubenter onus.
Non tamen hos sperni iussit lex sancta tonantis,
Sed grate accipere mens pia quæ tulerit.
Sic non magniloquas quæris pater optime gazas,
Sed vero calidum pectus amore meum.

Explicit Præfatio Libri secundi.

INCI-

INCIPIT LIBER SECVNDVS DE VITA SANCTI WILLIBRORDI, ARCHIEPISCOPI. OPVS Egregium Domni Albini Magistri Optimi Calliopiæ.

I VENERAT occiduis quidam de finibus orbis,
Vir virtute potens diuino plenus amore,
Ore sagax & mente vigil,& feruidus actu.
Ad te temporibus Pippini Francia felix,
Quem tibi iam genuit fecunda Britannia mater,
Doctaq; nutriuit studiis sed Hibernia sacris.
Nomine Willbrordus meritis viuacibus almus.
Qui peregrina petens Domini deductus amore,
Semina perpetuæ cupiens cælestia vitæ
Spargere,quæ rarus fuerat prius accola verbi,
Quæ mox Pippinus Franchorum rector honestus
Suscipit,atq; illum sitientia rura rigare
Per loca mandauit iam singula rore superno,
Auxiliisq; Dei famulum firmauit honestis.

II Ille Deo plenus,lumen de lumine Christo,
Iam quascumq; piis peragrauit gressibus vrbes.
Vel castella,casas,vel compita,semper vbiq;
Sparsit Euangelicæ radios per pectora lucis.
Multorum donec fidei pia flamma reluxit,
Et nox cæca procul illa decessit ab vrbe,
Cottidieq; ruunt idolorum fana profana,
Et populi Christus resonabat in ore fidelis.

III Crescere Pippinus dum viderat inclytus auctor
Ecclesiam Christi fidei & venerabile donum,
Congaudens nimium tali doctore salutis,

Ac

Ac melius ratus, citius ſe mittere Romam
Præcipuum fidei præconem, quatenus illum
Paſtor Apoſtolicus firmaret in ordine primo,
Eſſet vt Eccleſiæ Præſul, ſummusque Sacerdos.
Pontificalis apex Petro digniſſimus hæres IV
Sanctus Apoſtolicam tenuit tunc Sergius aulam,
Vir bonus & prudens, nulli pietate ſecundus,
Ante diem quartam facta eſt cui viſio nocte,
Quam vir veniſſet Romam præclarus ad illum.
Angelus è cœlo veniens prædixerat illi:
Ecce Deo & carus properat hanc hoſpes ad vrbem
A Duce Franchorum miſſus ſub munere largo,
Hunc tu mente pia ſaltem tractare memento,
Et mox Pontificem ſummo ſacratis honore.
A te quæ cupiet, capiat quoque dona Sacerdos.
Iſte Deo ſociat populorum millia multa.
Angelus his dictis cœli remeauit ad aulam.
Annuit Angelicis monitis mox Papa beatus, V
Atq; etiam famulum tractauit mente benigna,
Vt fuerat iuſſus, compleuerat omnia promptus,
Pontificemque illum magno ſacrauit honore,
Nomine Clementem patria iuſſitque vocari,
Et quæcumque petiit ſanctus ſibi, tradidit illi,
Plurima ſanctorum præſtans ei dona piorum.
His actis Domini famulus remeauit ad orbem VI
Franchorum veniens, firmatus munera ſummo
Et totus gaudens, populus tunc accipit illum,
Flumina melliflua cupiens haurire ſalutis,
Quæ pater egregius cunctis impenderat vltro,
Rore rigans ſupero cunctorum pectora Chriſti,
Et quocumque pius veniebat forte Sacerdos,
Auxiliante Deo fructus carpebat amænos.
Nec his contentus Franchorum finibus, vltra VII
Spargere ſed temptans diuini ſemina verbi,
Gentibus antiquo captis errore Freſonum
Vel Danis, multum populo per ſecla feroci,
Quos tunc haud potuit, reges quia fortè ſceleſtos
Illi habuere quidem, ad fidei conuertere donum.

VIII Sed Deus omnipotens animas donauerat illi,
Gentibus ex ipsis aliquas,& mira peregit,
Perq; suum seruum quendam,qui in pace reuersus
Ad populum Domini spectans regionibus istis,
Ianua perpetuæ Christo pandente salutis
Dum esset aperta piis monitis,sed semper vbiq;
Firmabat cunctos,Pippinus tempora vitæ
Præsentis complens Carolo sua Regna relinquit.

IX Qui mox nobiliter regales rexit habenas,
Amplificans fines,gentes superando triumphis
Externas etiam bello,vicitque Fresones,
Et ferrata super illos carpenta subegit.
De manibus tulerat horum quoque frena tributi.

X Tunc vir Euangelicus remeans Wilibrordus, & illis
Verba ferens vitæ, sacro & Baptismate tinxit,
Quos fidei donis primo sacer imbuit almis.
Et lux orta fuit residenti mortis in vmbra.
Iamque diu populo verus sol Christus vbique
Eluxit,subito tenebris cedentibus atris.

XI Tunc data Pontifici est Traiecto sedes in vrbe,
Et gens tota simul Fresonum subditur illi,
Disceret vt magno fidei documenta ministro,
Mox constructa Deo viguerunt templa perenni,
Per loca sunt positi & doctores multa fideles,
Qui regerent populum, vitæ qui verba docerent,
Qui baptisma darent,cœli qui pane cibarent,
Ne plebs esuriens à se ieiuna rediret,
Sed cunctis Christus potus, cibus esset abundans.

XII Hoc opus hoc fuerat præclaro Præsule semper,
Plurima quod ferret animarum lucra Tonanti,
Et Domino ad seruos remeanti occurreret vltro,
Multiplicata ferens manibus vtrisque talenta.
Circuit idcirco vigil hoc tutamine Mandras,
Nominibus meritis vt Christi augeret ouile,
Et quocumque pius perrexit præco salutis,
Gratia celsithroni semper præuenit euntem,
Effectum tribuens factis verbisque docentis.

Pluri-

Plurima perque suum fecit miracula seruum | XIII.
Quæ nunc non libuit versu percurrere cuncta,
Sed strictim quædam properanti tangere plectro,
Et gestis titulos paucis præfigere musis,
Ad prosamque meum lectorem mittere primam,
Illic inueniet iam plenius omnia gesta:
Pontificis magni studium, documenta magistri,
Progeniem, vitam, mores mentesque benignas.
Deuotumque Deo semper cor omnibus horis,
Legibus in sacris meditans noctesque diesque.
Ecce Deo carus Præsul iam tempore quodam | XIV
Temptabat per se quoddam confringere fanum,
Hoc cernens idoli custos, succensus in ira,
Pontificisque caput gladio percussit acuto.
Sed vir præcipuus nec sensit, nec leue vulnus,
Quem voluere sui comites occidere statim,
Hunc tamen eripuit mitis de morte Sacerdos,
Qui luit arreptus miseras mox denuo pœnas,
Postque dies ternas vitam finiuit amaram.
Sicque suos sanctos Christus vlciscitur vltro.
Egit iter quondam venerandus forte viator | XV.
Qua se per segetes propior iam semita duxit
Cum sociis etiam, tenuit quas diues auarus,
Cui segetum custos callem prohibere volebat,
Plurima conclamans sancto conuitia verbis,
Necnon augebat factis opprobria diris.
Qui diuertit iter, qua se via publica monstrat:
Mox perit infelix elusor luce secunda,
Tam quia non timuit seruo maledicere Christi.
Dum diuina pius cælestis semina vitæ | XVI.
Spargere per multas properauerat accola terras,
Peruenit qua nil steriles nisi gignit arenas.
Infæcunda soli species prope littora ponti,
Qua nec dulcis aquæ inuenta est sitientibus vnda.
Vir cupiens sanctis sociis succurrere fessis,
Iusserat vt facerent intra tectoria fossam.
Quo facto, Præsul solum se clauserat intus,
Et genibus fixis lacrimas fundebat amaras,

Ante Deum, dulcem quo mox meruere sed vndam,
Produxit subito fontem prius arida tellus,
De quo portabant socij secumque ferebant,
Indiguit quantum steriles via cepta per agros.

XVII Occurrere Dei famulo ter forte quaterni
Panniculis miseri vestiti & panis egeni,
Quos pius vt vidit, motus pietate Sacerdos
Ferte meam dixit flasconem ferte ministri,
Et miscete viris illam, benedictio Christi
Sufficere in totos faciat largissime credo.
Turba bibebat ouans quantum sibi quisq; volebat,
Flasco tamen fuerat meliori plena falerno.

XVIII Venerat ad quandam cellam venerabilis hospes
Omnibus Ecclesiæ rebus iam rite peractis,
Fratribus & solito mandata more salute,
Omnia perspiciens sacræ sedilia cellæ,
Ingrediens etiam sociis cellaria paucis,
In qua sola parum vini vix tunna tenebat,
Quam Christi famulus baculo benedixit honesto,
Quem manibus semper sanctus portare solebat.
Nocte sequente merum sed mox, mirabile dictu,
Solus in æde manens seruator, crescere vidit,
Donec mellifluo completa est nectare tunna.
Hoc lętus retulit venerando patre silente,
Cui pius Antistes dederat præcepta tacendi,
Vsque diem mortis nolens sibi quærere laudem.

XIX Vir fuit in populo largus pro gentibus hospes,
sæpius hospicium cuius intrare solebat
Egregius Præsul, partes dum venit in illas.
Ecce die quadam veniens, nil præscius eius
Vir fuit aduentus, qua propter pocula vini
Non habuit caro veniente repente magistro,
Hoc pater agnoscens, iussit sibi ferre quaternas
Per loca quas pueri secum portare solebant
Flascones pariter modicas, benedixit & inquit:
Nunc miscete quidem nobis, benedictio Christi
Augebit vinum, credo, pietate benigna.
Sic fuit & factum iam bis, simul ecce viceni

Namq;

Namque fuere viri conuiuæ vina bibentes.
Sufficit his Christi per donum potio cunctis.
Lassus iter Domini famulus faciebat amatum, XX
Imbribus æthereis cupiens sata lata rigare.
Prata pius Præsul cuiusdam diuitis intrat.
Cum sociis modicum lassis requiescere tempus,
Cædere cœpit equos virgis & abigere pratis.
Quem pius alloquitur blando sermóne Sacerdos:
Desine quæso tuis nos nunc depellere pratis,
Sed magis ad nostras epulas conuiua venito,
Et bibe nobiscum, simus quoque semper amici.
Respondit diues furiosa mente superbus:
Nolo tuas epulas, tecum potare recuso.
Mox rapuit Præsul verbum de voce loquentis:
Si potare negas mecum modo, non bibe quæso.
His dictis Domini famulus perrexerat vltro,
Atq; domum diues propriam repedauit iniquus,
Quem sitis inflammat nimio feruore repente,
Qui miscere furens famulos sibi vina rogabat,
Accipiens calicem, sed nil sorbere valebat.
Ardebat sitiens stomachus, sed pocula Bacchi
Respuit, & totus flammis ardebat anhelis.
Nec valuit quisquam medicus releuare laborem,
Donec ipse miser culpam cognouit iniquam,
Atque Dei famuli ex dicto tormenta luisset.
Optabat reditum quapropter Præsulis almi.
Venerat ipse senex, alter dum venerat annus.
Cui miser occurrit, pœnam confessus amaram,
Cui pius indulsit quidquid commiserat in se,
Atque manu propria potum porrexerat ipse.
Qui mox sanatus, fastidia longa relinquens,
Accipiens calicem pleno se proluit ore.
Est antiqua, potens muris & turribus ampla XXI.
Vrbs Treueris, nec non sacris circundata cellis,
In quibus vnatim populorum turba piorum
Laudibus inuigilant Domini noctéque dieque.
Has inter fuerat sacrarum cella sororum,
Quas subito nimium quassauit pestis acerba,

Ex vita hac rapuit per quam mors vltima multas,
Semineces quædam longo iacuere dolore.
Terror mortis erat nimius, sed & omnibus idem.
Spes fuit in famulo Christi, vocatus & ille
Cum lacrimis citius fessis succurrere rebus.
At pius ille pater compleuit vota sororum,
Adueniens illas iam nec spes alma fefellit,
Sed precibus sancti mox pestis acerba recessit,
Et Domino laudem reddunt pro sospite vita.

XXII. Tecta domus patris cuiusdam tempore multo
Sæpius incursu nexantur dæmonis atri
Spiritus, & variis dirus terroribus illam
Torquebat, vario nec iam phantasmate tantum,
Sed nocuit multum manifestis publice gestis.
Multoties manibus raptas vestesque ciboſque
Iniiciens flammis, infantem nocte iacentem
Amplexus inter tulerat vis dira parentum,
Visus in ardentem plorantem mittere pyram,
Sed vix ereptus manibus de morte suorum.
Hanc pestem nullus potuit sanare Sacerdos,
Donec ipse Dei famulus à patre rogatus
Hanc precibus pestem sanctis purgauit, & illi
Nomine sub Christi benedictam miserat vndam,
Præscius & rerum Præsul prædixerat illi,
Quod domus illa vetus flammis ab hoste fuisset
Consumenda prius, ne te rogo terreat ignis,
Construis optatæ melius tibi tecta salutis
Quæ munire cito benedicto fonte memento.
Post donante Deo serpentis peste carebis,
Et tua tota domus tecum gaudebit amata.
Omnia mox patris complentur in ordine dicta,
Et hinc nulla domum tetigit temptatio talis,
Sed bene securus mansit habitator in illa.

XXIIII. Iste Dei sanctus prædixerat ante futura,
Quæ post euentus rerum modo vera probabat.
Namque ducis Carli Pippinum nomine natum
Vt pater optauit sacro baptismate tinxit,
De quo discipulis prædixit talia vates:

Omnibus

Omnibus iste aliis fuerit sublimior infans
Franchorum Ducibus, quos secula longa tulerunt.
Hic reget imperium felix feliciter istud,
Dilatans fines magnis hinc inde triumphis.
Non opus est nostris illud monstrare camœnis,
Quod toto veris celebratur in orbe loquelis.
Vir fuit iste Dei patiens, moderatus, honestus, XXIV.
Moribus egregius, & in omni strenuus actu,
Corde pius, humili mitis, rigidusque superbo,
Solator miseris, & inops sibi, diues egenis,
Qui postquam vitæ meritis perfectus in annis
Bis octena pius compleuit lustra sacerdos,
Ter quater & menses, mensis iam iamque Nouembris
Idibus octenis, cæli migrauit ad aulam.
Cœtibus angelicis iunctus, cælestibus hymnis
Conlaudans Christum semper sine fine beatus.
Quem fratres studio curarunt condere sancto XXV.
Psalmodiis, hymnis, magno cum laudis honore.
Sarcofagum breuius fuerat sed corpore patris,
In quo tunc fratres voluerunt condere corpus.
Effecti nimium tristes, mirabile dictu,
Ecce repente lapis se protelare locelli
Cœpit, & ad formam se aptauit corporis almi.
Inter & exequias miri fragrantia odoris XXVI.
Ambrosio Ecclesiam perfundit nectare totam,
Perspicue Angelicam monstrans venisse cateruam
Ad patris officium lætis concentibus almi.
Iste pater sanctus, Pastor, Patriarcha, Sacerdos XXVII.
In propria pausat felix Afternaco cella,
In laudem Domini, quam iam construxerat ipse,
In qua signa Deus faciet nunc vsque salutis.
Ex olei tactu multi sanantur egroti,
Quod solet ad corpus magni lucere patroni.
Vincula rumpuntur per se properantibus illuc,
Qui sua cum lacrimis veniunt mala crimina flere,
Et læti redeunt Christo donante soluti.
Inque loco sancti quo stant sacra lectula patris. XXVIII.
Sæpius ætherium lumen venisse videtur,

Hic

Hic quia Pontificis linquens ergastula carnis
Spiritus astra petit meritis viuacibus alta,
Cum Christo & sanctis fruiturus luce perenni,
Quod lux demonstrat, crebrò quoq; cernitur istic.

XXIX. In quo multoties cælesti nectare dulcis
Fragrat odor verè pigmento dulcior omni,
Testibus à multis fieri quæ vera probantur,
Quorum vita fidem certabat casta relatu.
Quam requiem speras animam habuisse beatam,
Talia dum terris per sanctas signa geruntur
Reliquias, tanti meritis dignissima patris?
Qui nostris poterit precibus releuare dolores,
Si iam corde pio lacrimas effundimus illic,
Quo pater egregius sacrato corpore pausat.

XXX. Interea mulier totis paralytica membris,
Continuis semper septenis languit annis.
Talia nec valuit quicquam sibi membra mouere.
Vltima vix moriens suspiria corde trahebat,
Ante Dei sancti corpus portata iacebat,
Effundens lacrimas fessa cum voce tepentes.
Sola fides viguit posse sperare salutem
Per famulum Christi, nec se spes ipsa fefellit.
Ecce repente salus leuiter per membra cucurrit,
Igneus atque color venas afflauit apertas,
Ossibus & neruis virtus redit inclyta cunctis.
Surrexit mulier toto mox corpore sospes,
Atque domum propriis gaudens se currere plantis
Quæ prius alterius languens portatur ab vlnis.

XXXI. Et quidam iuuenis valido languore per annos
Heu multos doluit: nerui vix ossibus hærent,
Intremuêre simul vexati corporis artus.
Ceu caput auulsum vidisses vertice summo:
Sic huc sic illuc dextra læuaque rotatam.
Sæpe etiam iacuit multam moriturus in horam.
Iste miser talis fidei cum pectore firmo
Venit in Ecclesiam manibus deductus amicis.
In qua Pontificis magni pia membra quiescunt,
Proque salute sua lacrimas fundebat amaras.

Quem

Quem mox audiuit miserantis gratia Christi.
Et rediuiua salus per membra recurrit vbique:
Conualuitque viro neruorum flexilis ordo,
Inrepit ossa vigor totis virtusque medullis.
Astanti populo cunctis cernentibus ille est
Incolumis subitò factus, ac robore fortis
Perrexit sanus quo se sua vota ferebant:
Omnipotenti Deo grates ob dona salutis
Semper agens Christo. Christo laus, gloria semper.

XXXII

Altaris iuuenis corrupta mente minister
Clam rapuit quædam sancti donaria templi.
Tollitur ac sæuo quædam crux aurea furto.
Quam Christi famulus secum portare solebat,
Dum pius egit iter Christo comitante viator,
Reliquias propter multas quas condit in illa.
Mox tormenta luit sceleris præsumptor iniquus,
Vltio consequitur peccatum iusta nefandum,
Et perit infelix crudeli peste peremptus:
Mortis in articulo pandit tamen impia furta,
Et quo quæ tulerat latuissent omnia monstrat.
Quo pereunte tremor creuit cum laudibus ingens
Fratribus & populo, cernentes omnia Christo
Quæq; sui serui fuerant, seruante tueri.

Elegia Alcuini de VVilgiso parente S. VVilibrordi.

XXXIII

Nobilis iste fuit magna de gente Sacerdos.
Sed magnis multo nobilior meritis.
Vt dudum cecini, fæcunda Britannia mater
Patria Scottorum clara magistra fuit.
Francia sed felix rapuit, veneratur, habebat,
Illius atque hodie membra sepulta tenet.
Hunc VVilgils genuit proprio pater inclytus æuo:
Vir sanctus sapiens ac pietate probus.
De quo versifico liceat me ludere plectro,
Lector vt agnoscas qualis & ipse fuit.

Et de qua sancta generis radice parentum
Iste Dei famulus progenitus fuerit.
Vir fuit in populo dignus cognomine Wilgils
*Intrans Humbrana nobis degente degens.

*Versus corruptissimus.

Moribus egregiis populo peramabilis omni,
Vita fuit cui cum coniuge casta satis,
Quæ iam mente pia fuerat subiecta marito
Vt quondam proprio sacra viro fuerat.

XXXIV

Hæc reuelante Deo cernebat mente futura,
In stratis recubans somnia vera videns.
Namque nouam sese Lunam vidisse putabat,
Cornibus erectis vt solet esse noua.
Crescere paulatimq; implere & cornua cœpit
Donec ei pleno lumen in orbe micat.
Illius hæc subito sorbentis in ore ruebat,
Viscera perradians luce micante sibi.
Euigilans somno mulier hæc mente retractat,
Quid sibi quod cernit significare queat.
Atque Sacerdoti cuidam hæc omnia pandit,
Cuius in Ecclesia vita probata fuit.
Hæc vbi pensabat prædictus corde Sacerdos,
Coniicit ex rebus visa superna nouis.
Respondit tandem mulieri talia vates,
Inspirante Deo famine veridico:
Tu mulier Lunam vidisti crescere paruam,
Et tota impleri cornua luce noua.
Illa nocte viro forsan commixta fuisti,
Quæ generas toto lumen in orbe nouum.
Paruulus ex vtero mulier tibi nascitur infans,
Qui meritis magnus crescit honorificis.
Iste erit eximius Doctor Præsulq; futurus
Splendescet nostro lucifer orbe nouus.
Et quos cæca prius populos caligo tenebat,
Irradiat summi luce poli supera.
Omnia vatidici complentur in ordine dicta
Et rerum euentus somnia vera probat.
Nascitur atque puer matri,& baptismate loto
Imposuit VVilbrod nomen habere pater,

Cuius

Cuius vita, fides, mores, doctrina, camœnis
Olim quippe fuit prætitulatus eis.
Mox pater egregius linquens mala gaudia mundi,
Et seruire Deo mente manu cupiens:
Cælestem rapiens tota dulcedine vitam,
Et se cœnobio tradidit ipse sacro.
Fratribus adiunctus vixit sine crimine frater,
Iam patiens humilis promptus in omne bonum.
Posthæc mente sacer famulus maiora sequutus,
Theoricam cupiens solus adire viam:
Incipit vndisoni inter promontoria ponti,
Qua loca reperiens congrua corde suo:
In quibus ætherios possit decerpere flores,
Et mundi curis liber abesse malis:
Totius hic solus transegit tempora vitæ,
Nocte die magnis proficiens meritis.
Plurima perpessus serpentis bella nefandi,
Qui solet in sanctos arma mouere sua.
Sed Deus omnipotens sanctos qui iure triumphat,
Trophea concessit clara suo famulo.
Efficit & quædam miserantis gratia Christi
Per famulum vere signa stupenda suum.
Nec decuit modio abscondi tam clara lucerna,
Nec thalamos subter subiicienda fuit.
Sed ponenda magis super vestigia tecti,
Spargeret vt lucem altius illa piam.
Quæ tamen haud libuit currenti tangere plectro,
Inclytà vel musis signa aperire meis.
Sufficit hocq; tamen ... cognoscere patris,
Quod placet altithrono semper vbique magis.
Vita Dei famuli multis exempla salutis
Præbuit, & testis pectoris omnis erat.
Huic famulo Christi Reges famulantur, & illum
Per patriam populus totus amore colit.
Vir fuit iste Dei patiens, moderatus, honestus,
Moribus egregius, mitis & ore pius.
Plurima qui postquam perfecto dona labore
Commeruit Christo perficiente sibi:

Mox meritis, annis, tota & pietate repletus,
Tranquilla tandem in pace quieuit ouans.
Spiritus ætheriam lætus migrauit ad aulam,
Gaudia cum sanctis iam sine fine tenens.
Corpus in Ecclesia curarunt condere fratres,
Quæ constructa maris stat propè littoribus.
Atque sacrata Dei genitrix clarissima Christi
Nomine fulgescit virgo Maria tuo.
In quo te nostris bene credimus esse futuram
Auxilio precibus, semper honore potens.
Tu mundi vitam, totis tu gaudia sæclis
Tu Regem cæli, tu Dominum atque Deum:
Ventris in hospitio genuisti virgo perennis.
Tu nobis precibus auxiliare tuis.
Carmiger indoctus cecinit hos Alchuine versus,
Cui rogo quisque legas dic miserere Deus.

FINIS.

EPI-

EPISTOLA

FLACCI AL-BINI SEV AL-CVINI

DE ILLO CANTICORVM LOCO.

SEXAGINTA SVNT REGINÆ, ET OCTOGINTA CONCVBINÆ.

Nunc

Primum edita, ex Bibliotheca Monasterij S. Galli.

EPISTOLA

EIVSDEM, VT VIDETVR, ALCVINI

DE CÆREMONIIS BAPTISMI

Ad

CAROLVM IMPERATOREM AVGVSTVM.

Ex Bibliotheca Monasterij VVeingartensis.

DILECTISSIMO FILIO MEO DAPHINI ALBINVS PATER SALVTEM.

Cant. 6.

QVIA pridem de numerorum ratione mecum egisti, interrogans, quomodo in excellentissimo cantico Salomonis sexagenarius numerus reginis conueniret, & octogenarius concubinis, & cur adulicentulæ sine numero essent: Igitur & si nouerim te plenam huius rationem in sanctorum Patrum tractatibus legisse, tamen ne tuam conti[illegible] solicitudinem, dicam quod meę videtur imperitię posse conuenire, & quod tantum inter familiares aures latitare velim, quia me publice magnorum Doctorum iudicio præsentare non audeo.

Legimus enim in numerorum subtilissima ratione, alios numeros esse pares, alios impares, & item parium numerorum alios esse perfectos, alios esse imperfectos: Item & imperfectorum alios esse superfluos, alios exiguos. Pares autem numeri sunt, qui in duo æqualia diuidi possunt: vt octo in bis quatuor, & quatuor in bis duo. Impares sunt qui in duo æqualia diuidi non possunt, vt septem vel nouem, quos si diuidas, duas æquales in eis inuenire non poteris: Item ipsorum parium numerorum alij sunt perfecti, alij imperfecti. Perfectus numerus est, qui partibus suis impletur: nec diminutione frangitur, nec multiplicatione partium superabundat, vt senarius numerus, habet enim senarius numerus dimidiam sui partem tres, & tertiam duo, & sextam vnam, qui simul iuncti eundē implent senarium. Nam vnum, duo, tres faciunt qui partibus suis impletur: Nec diminutione frangitur nec abundantia supercrescit, idcirco perfectissimus Creator, qui vniuersa valde bona creauit in eo numero originalis mundi creaturas condidit, vt ostenderet omnia in suo genere esse perfecta quæ condidit.

Item octogenarius numerus, si eum in partes à se ipso nominatas diuidas, minor seipso ipse inuenitur, habet enim dimidiam sui partem quatuor & quartam duas, & octauā vnum: Quæ simul ducta octogenarium

narium non implent, sed septenarium; vnum duo & quatuor septem efficiunt, non octo: & idcirco secunda huius generis origo ab octonario numero crescere cœpit, videlicet octo animas in arca esse legim', à quibus toti' humani generis multitudo pullulauit, vt ostenderetur secunda origo esse imperfectior, quam prima, quę senario numero creata est. Inde & redemptor noster & reparator primæ perfectionis, sicut Adam sexta die ex virgine terra creatus est, ita ille sexta ætate ex virgine Maria factus est homo, vt senarij numeri perfectionem suo dicaret aduentu, quam in primi hominis monstrauit conditione.

Item progressionem numerorum articulis, quasi quibusdam vnitatibus, ad infinita crescere per quasdam finitas formas videmus. Nam prima progressio numerorum est ab vno vsq; ad decem. Secunda à decem vsq; ad centum. Tertia à centenario vsq; ad millenariũ: Et eandem regulam perfectionis & imperfectionis, quæ prima vnitas in suis numeris, pro denario seruat: Eandem & secundam in suis denariis sub centenario seruare necesse est. Nam sicut senari' numerus in suis partibus per vnitatem positus perfectus est in seipso, ita & sexagenarius partibus suis positis per denarium perfectus esse noscitur, ita vt semper in sexagenario denarius locum obtineat vnitatis in senario, & sit illius diuisio per partes suas eiusmodi medietas; sexagenarij est tricenarius, sicut ternarius senarij, & est tertia pars vicenarius, sicut binarius in senario, & denarius in eo locum teneat vnitatis; quæ summa si colligitur eundem implet sexagenarium: decem itaq; & viginti & triginta; sexaginta sunt, sicut & tres & duo & vnum sex:

Poteris & per te ipsum iuxta eandem regulam octogenarij explorare diminutionem: Nam octogenarij quadragenarius medietas est, & viginti quarta pars, & denarius octaua, quę simul ducta septuaginta faciunt non octoginta, nam decẽ, viginti, quadraginta septuaginta sunt.

Sexaginta vero Reginæ & octoginta concubinæ rectores sunt sanctæ Ecclesiæ. Sed alij ex illis propter solam Christi charitatem docent. Alij terrena sequentes commoda laborant in Ecclesia, non cælestis patriæ labore, sed terreni lucri gratia desudant in docendo; Hi sua in perfectione octogenario numero comparantur: Illi perfecta beatitudine sexagenario designantur, vt reginarum nomine digni efficiantur, quia spiritualem sobolem propter amorem solummodo sponsi, & multiplicandis filiis in cælestem patriam felicem prolem baptisando seu prædicando generare non desistunt. Illi verò concubinarum nomine denotantur, qui à sæculi ambitione vel tem-

poralis

poralis honoris gratia prædicando ſeu baptizando nobiles quidam generant ſæpe filios,ſed illi ignobiles in ſemetipſis permanent. Quorum contubernium, fili chariſſime, fuge obſecro, & ſi te quandocunque Dei miſericordia doctorem dignetur efficere,tu pro eius amore laborare non ceſſes, qui pro tua ſalute ſanguinem ſuum fundere non dubitauit,vt tibi ſint mercis non perituræ diuitiæ,ſed perpetua gloria in cœleſti thalamo Domini Ieſu Chriſti,cui laus & gloria in omnes æternitates.Amen.

EPISTOLA EIVSDEM, VT VIDETVR, ALCVINI DE CÆREMONIIS BAPTISMI.

GLORIOSISSIMO & excellentissimo Augusto à Deo coronato, Carolo serenissimo vita salusque perpetua. Domine mi Christianissime Imperator, misistis ad seruulum vestrum inquisitiones secundum vestram misericordiam de sacto baptismate per ordinem interrogantes, cur vnaquæque res agatur in Baptisterio, aut in scrutinio, sicut in omnib' Christi exemplum sequimini, sic & in isto, qui ad hoc interrogauit Philippum vt doceret, dicens: *Vnde ememus panes vt manducent hi?* Tamen vt Euangelista ait: *Ipse enim sciebat quid esset facturus.* Quamquam idoneus non sim vestræ interrogationi respondere: tamen inobedientem me non oportet esse, quin omnibus sensibus, & intellectu meo vestris sanctis iussionibus obtemperem. Ideoque quod coniicere possumus, scripsimus de his rebus, quas vestra dominatio interrogauit, & quod in promptu inuenimus in dictis sanctorum Patrum, illuc magis aciem mentis direximus ex his, quæ admonitioni vestræ congrua videbamus. Nos vero quamquam ignari simus, non cessamus pro vobis & vestra misericordia, quam exercetis in omnes Dei cultores gratias Deo agere & stabilitatem atq; sapientiam imprecari vestro regimini; quarum interrogationum prima hæc consistit, cur infans Catechumenus fiat ante baptismum.

De Catechumenis.

SCIMVS enim, excellentissime Imperator, omnes homines sub iugō peccati teneri, ab ipso articulo natiuitatis eius, vsque ad secundam natiuitatem, & veridicam esse sententiam Psalmistæ qui inquit: *Ecce* *Psal. 50.*

enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et hoc est propter inobedientiam primi hominis, & eius transgressionem, à quo ducimus originem carnalem. Et non posse nos reformari ad imaginem eius, qui nos creauit, nisi per salutare baptisma, quod nondum accepimus, neque patet aditus Regni cœlorum, nisi renascamur *Ex aqua & Spiritu sancto*. Sumus enim ante baptisma in tenebris ignorantiæ, *In desideriis carnis ambulantes, facimus ea quæ non conueniunt:* Viuimus secundum *veterem hominem*, qui *corrumpitur secundum desideria* erroris, ideoque qui desiderat secundum nouum hominem renouari, necesse est vt instruatur à doctoribus Ecclesiæ, qualis ante baptismum sit, * talis post baptismum sit futurus per Dei gratiam, vt de tenebris peccatorum in lucem veritatis conuertatur, relicto nomine falsorum deorum colat vnum Deum viuum & verum. Et postquam hæc percipit à Catholico doctore, Catechumenus dicitur, *instructus*, siue *auditor*.

Ioan. 3.

* qualis.

Non possumus cognoscere veritatem antequam sciamus quid sit falsum. Igitur oportet nos docere illum, à quo Deus recesserit peccando, & in quo errore permaneat. Et postea in quem oporteat credere & fidem tenere per opera charitatis. Et sicut Augustinus ait in libro de fide & operibus, sic Catechisandos eos, qui baptismum petunt, vt non solum audiant atq; suscipiant quid credere, verumetiam qualiter debeant viuere. Sic promitti fidelibus vitam æternam, vt non etiam per fidem mortuam, quæ sine operibus saluare non potest, ad eam se quisque posse peruenire arbitretur, sed per illam fidem gratiæ quæ per dilectionem operatur. De qua instructione si quis vult, satis reperire potest in Augustino de catechisandis rudibus: Super paruulos orationem faciant vt cæcitas cordis ab eis depellatur, dirumpantur laquei Sathanæ, quibus fuerant colligati, & idonei efficiantur per incrementa & ministrationem membrorum tantum cognoscere quæ dimittenda sunt, & quæ tenenda.

De scrutinio.

IN *scrutinio* quippe facimus signum crucis super pueros sicut inuenimus scriptum in Romano ordine, & genuflexionem & * admirationem, & docemus orationem Dominicam patrinos & matrinas, vt & ipsi similiter faciant, quos suscepturi sunt à sacro baptismato. Similiter docemus symbolum, quod *signum* in nostra lingua vertitur vel cognitio. Quando diuidebantur Apostoli per totum orbem prædicationis

* fort. admonitionem.

tionis causa, dederunt illud * prædicationis, vt si quis talia confiteretur, qualia ibi dicuntur, cognitionem daret se à Christi Apostolis siue à successoribus eorum didicisse.

* *forr. prædicatori vel prædicatoriji.*

Cur in fronte faciamus signum.

SEDES verecundiæ in fronte solet esse. Si quidem Iudæi in fronte erubescunt credere in illum, quem norunt crucifixum, vt Paulus Apostolus ait: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Sed nos credimus per crucifixum saluari, de cuius nomine Iudæi erubescunt, cui' nos nomine credimus muniri, atque ideo in fronte signum crucis facimus, vbi sedes verecundiæ est, sicut iam diximus.

Quali signo signemus nos.

ET non alio signo signamus nos, nisi signo crucis, quia Dominus in carne natus vexillum crucis, quo sacrum fronte signaret afferens, vt destrueret mortis imperium, & per tale signum recognoscat contraria potestas principatum se perdere in istis, quos Deus vocauit ad gratiam baptismi. Illud signum faciunt in frontibus eorum Presbyteri; Acolyti, patrini vel matrinæ. Scribitur in ædificatione templi, quā vidit Ezechiel, specialiter esse fenestras obliquas in thalamis & in frontibus eorum, qui erant intra portam, viditq; per circuitum; quod sic exponit beatus Gregorius. *Notandum vero, inquiens quod intra portam, (viditq; per circuitum) fenestræ obliquæ esse memorantur. Non enim contemplationis gratia summis datur, & minimis non datur, sed sæpe summi, sæpe minimi, sæpius remoti, aliquando etiam coniugati percipiunt.*

Cur septies scrutinium agatur.

SCRVTINIVM fit ante Pascha septies, septenario enim numero sæpe vniuersitas designatur; sicut Ioannes scribit *septem Ecclesiis*, quæ sunt in Asia. Per has enim septem Ecclesias omni Ecclesiæ scribit. Septies perscrutantur, si ea fixa mente teneant, quę audierunt à magistro. Et quodammodo quasi tenebræ fugantur à Catechumeno, vt in profectu scrutinij illuminentur ipsi Catechumeni, vnde & in scrutinio Acolytis plurimū ministeriū impenditur, qui accensores sunt luminum. Et ideo autumauim' nos in priore oratione dicere: *Omnē cæcitatē cordis ab eo expelle*; & in ista, quę posita dicitur in scrutinio: *æternam ac iustissimam*

mam pietatem tuam, dicimus, *vt digneris eos illuminare lumine intelligentiæ tuæ.*

De genuflexione.

GENVFLEXIONEM pro his facimus, sicut Stephanus fecit, qui nondum baptisati erant, inquiens: *Domine mi, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt.* Similiter pro istis oramus, vt Deus illis non imputet, quod tamdiu errauerunt & iacuerunt in peccatis, sed secundum magnam misericordiam suam eos ad baptismi gratiam perducat.

De oratione Dominica.

ORATIONEM Dominicam sic docemus: Dominus docuit discipulos hanc orationem, ne superflua peterent, & ea quæ ad eorum salutem non pertinerent. Septem petitiones sunt in hac oratione Dominica; tres pertinent ad æternitatem, quatuor ad necessaria nostra huius temporis, quæ in isto mundo continentur. *Pater noster qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum.* Te Patrem Deum inuocamus, qui voluisti nos facere tibi filios adoptiuos & in animabus iustis sedem vis habere, vt sanctitas nominis tui, quæ apud te est maneat in nostro pectore. *Adueniat Regnum tuum*: Deficiat quotidie Regnum diaboli, crescatque tuum vel illo modo, sicuti clamant in Apocalypsi. *Vsque quo Domine sanctus & verus non vindicas, & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Quod ita expositum videmus in libro Domni Bedæ. Non hoc odio inimicorum, pro quibus in hoc sæculo rogauerunt, orant, sed amore æquitatis, quo ipsi iudici, vt prope positi, concordant, diem iudicij quo peccati Regnum destruatur, & resurrectionem extinctorum corporum aduenire precantur. Nam & nos in præsenti cum pro inimicis orare iubemur, dicimus tamen Domino orantes: *Adueniat Regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* Per *cælum*, spiritualem creaturam intelligimus, per terram, *corporalem.* Ita fiat Deus Pater voluntas tua, vt ea quæ animo cogitamus bona, perficere valeamus opere per corpus. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Semper quamdiu nos sumus in hoc sæculo, dignare ministrare nobis omnia necessaria. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: Quotidie enim peccamus, & ideo necesse est nobis dicere quotidie: *dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus* debi-

debitoribus nostris. Te donante Deus molle sit cor nostrum, vt citò ignoscamus, & tu ignoscas. *Et ne nos inducas in tentationem.* Ne permittas nos à Diabolo ita tentari, vt superemur. *Sed libera nos à malo;* id est, à peccatis quæ gessimus.

De Symbolo.

SYMBOLVM autem sic: *Credo in Deum Patrem omnipotentem* In Dominum viuum & verum Patrem æternum æterni geniti. *Omnipotentem*, qui & peccatoribus reddet supplicia secundum sua merita, & iustis præmia. *Creatorem cæli & terræ*, id est, & spiritualis creaturæ, & corporalis. *Et in Iesum Christum Filium eius*, & in Saluatorem vnicum Filium eius. Quia solus nos redemit prètioso sanguine suo, qui per Esaiam dixit: *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.* *Natum* in tempore nouissimo *ex Maria Virgine. Passum pro nostra salute sub Pontio Pilato*; id est, sub præside Pilato, qui de Ponti Insula fuit. *Crucifixus*, in cruce suspensus. *Mortuus*, corporali morte, & *sepultus*, corpore triduo; *descendit ad inferna*, anima tantum: *Tertia die resurrexit à mortuis.* Corpore resurrexit morte destructa: *Ascendit ad cælos*, Apostolis videntibus in forma, qua venturus est ad iudicium. Ascendit ad cælos qui nunquam defuit cælestibus sedibus. *Sedet ad dextram Dei omnipotentis*: Id est, regnat in regno Patris sui, in quo nihil sinistrum manet & manebit; *Inde venturus iudicare viuos & mortuos.* Eam formam, quam Iudæi crucifixerunt impiis & iustis demonstraturus: Iustis verò eam formam tantùm, quam Iudæi increduli non cognouerunt. *Iudicare viuos & mortuos*, iustos & peccatores, vnumquemque secundum facta eius. *Credo in Spiritum sanctum*, quo aliquo modo donum Dei dicitur & amor Patris, & Filij siue communicatio, in quo dono fit remissio omnium peccatorum, ideoque qui blasphemauerit *in Spiritu sancto, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro. Sanctam Ecclesiam Catholicam*, vniuersalem congregationem iustorum, & humanitatem* fidei credimus esse. *Sanctorum communionem*, in vinculo pacis vnitatem Spiritus seruare credo. *Remißionem peccatorum*, quæ, sicut diximus, fit in dono Spiritus sancti. *Carnis resurrectionem*; septimam Sabbati credo iustos recipere absolutos de corpore terreno, & erunt in magno gaudio secundum vniuscuiusque mansionem; atque expectare octauum diem, in quo corpora sua recipiant integra atque perfecta: impij ad supplicium, iusti ad vitam æternam.

* *fort. vnitatem vel vniuersalitatem.*

De exorcizatione.

EXORCIZATUR, id est, *adiuratur*, siue increpatur Diabolus, sub quo sunt omnes qui cum peccato nascuntur, vt recedat à DEI natura.

De exsufflatione.

EXSUFFLATUR itaque, quia tali dignus est ignominia desertor antiquus.

De sale.

IN ipso scrutinio benedictum salem ori imponimus post primam orationem, qua dicitur: *Omnipotens æterne Deus respicere dignare super hunc famulum tuum, quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es*, & reliqua: vt postquam instructus fuerit à magistro Ecclesiastico, recognoscat verba sua condita debere esse sale sapientiæ, sicut Paulus Apostolus scribit ad Colossenses: *Sermo vester in gratia sale sit conditus, vt sciatis quo modo oporteat vos vnicuique respondere.*

Quomodo fiat nouissimum Scrutinium.

ET istud Scrutinium finitur Sabbato ante Pascha. Ipso die facimus septimum Scrutinium, sicut in Romano ordine inuenimus scriptum, & legimus super illos; *nec te latet Sathanas.*

De tactu narium & aurium.

POST hanc lectionem tangimus eorum aures & nares, & dicimus eis, *Ephpheta*; in odorem suauitatis. Nares tangimus, vt admoneantur quamdiu Spiritum vitæ huius trahunt, semper in his perseuerent, quæ iam didicerunt, & adhuc discunt, ab ore Catholicorum virorum, & ideo sputo Presbyteri tanguntur. Similiter dicimus de auribus, quasi dicat Presbyter; fidem, quam ab isto ore didicisti, & quæ per aures intrauit ad animam, quamdiu Spiritum vitæ huius naribus trahis, semper tenere memento, vt dicere possis cum Paulo Apostolo; Christi bonus odor sumus Deo: Et iterum: dicat auribus; aures istæ Deo mise-

miserante semper apertæ sint ad intelligenda verba disciplinæ Dei; & dicere possit; *in obauditu auris obediui tibi.*

De Vnctione scapulæ & pectoris.

POSTEA tangimus de Oleo sancto scapulas & pectus, & dicimus eis. *Abrenuntias Sathanæ?* & cætera quæ sequuntur. Per oleum namque misericordiam Dei nouimus signari: Sicut illud est Gregorij: Quia & Græcè * *oleos*, Latinè, *misericordia*, interpretatur. In scapulis siue in humeris fortitudinem brachij terreni hominis ponimus. Brachia operantur, & manus, quæ in brachiis positæ sunt, & ideo autumamus per *scapulas* designari fortia opera hominum, & per pectus quodammodo consistit cubiculum cogitationum, volumus designari bonas cogitationes. *Oleo sancto*, id est, misericordia Dei, vnguntur, vt sciant semper deprecari misericordiam Dei, vt dirigat corda & opera eorum in charitate Dei & patientia Christi, vt recognoscant se non aliter bonum operari posse, neque velle, nisi per misericordiam Dei.

* ἔλεος

De abrenuntiatione.

INTERROGAMVS illos, quos ante instruximus in fide, & quos postea scrutati sumus, si adhuc permansissent in his, quæ primitus didicerunt, & si se cæcos cognouissent, & modo * prosperasse ad lumen. Eò quod perfectè, id est, septies illos scrutati sumus, si * abrenuntiatione, id est, contradicant Sathanæ, contrariæ potestati & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius. Dicimus illi, contradic Sathanæ; cum Propheta Dauid: *Obliuiscere populum tuum & domum patris tui.* Postea & omnibus operibus eius: quæ sunt *fornicatio, idolorum seruitus, veneficia, homicidia, ebrietates, commessationes, ebrietates & his similia.* Quæ quamuis ad carnis voluptates pertineant, tamen opera sunt Sathanæ, quorum suasor & inuestigator est occultus. Hæc sunt quæ regnant in Diabolo sine carne, *superbia, inuidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ* & reliqua. Quamuis ea Apostolus opera carnis dicat, tamen sine carne regnant in Diabolo, & sunt quodã modo opera carnis, quia sunt opera hominis. Et homo viuẽdo secundum semetipsum, hoc est, secundum hominem, factus est similis Diabolo, quia & ille secundum se ipsum viuere voluit; hæc opera Sathanæ dicim', quorũ aliquorũ suasor & instigator est, aliquorũ caput & origo. No-

* *fort. propperasse.*
* *abrenuntient.*

Nouiſſimè, *& omnibus pompis eius.* Quæ ſunt inanis iactantia, homines terreni, canora muſica, in quibus ſæpe ſoluitur & mollitur Chriſtianus vigor, ſpectacula turpia vel ſuperflua & reliqua. Deinde perſcrutamur *patrinos* vel *matrinas*, ſi poſſunt cantare Dominicam orationem & ſymbolum, ſicut præmonuimus ac poſtea per ordinem ſicut in Romano ordine ſcriptum eſt ſacrum officium peragimus, vſque ad ſacratiſſimum opus baptiſmatis.

*Recapitulatio.

* Decapitulatio.

IS qui baptiſandus eſt iam *Catechumenus*, id eſt, *inſtructus*, vt recognoſcat errorem priſtinum, & intelligat lucem veritatis. Accepit ſalem ſapientiæ, vt turpiloquia declinaret. Adiuratus eſt Diabolus, qui fuit in illo, cum ſigno crucis, vt recedat à Dei famulo, & inde fit genuflexio ad Deum, vt Deus illum expellat à ſuo vocato. Orare pro ſemetipſo iam doctus eſt in oratione Dominica. Quo modo credere oporteat, iam audiuit in Symbolo. Admonitus eſt per *ſputum* Presbyteri, vt quamdiu Spiritum vitæ huius naribus trahit, fidem quam audiuit per aures teneat, poſt auditam fidem * vngatur, inter ſcapulam & pectus, vt Dei miſericordia cogitationes bonæ & opera corroborentur in eo, & recedat ab omni malo, quod ad membra Sathanæ pertinet, & faciat bonum, & confiteatur ſe credere in Deum Patrem omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum Filium eius natum ex Patre, ante omnia ſecula, factum ex muliere in tempore nouiſſimo, & in Spiritum ſanctum, & reliqua, ſicque coniungitur ſacro fonte baptiſmatis.

* vngitur.

De vnctione Capitis.

POST hoc ſalutare lauacrum linitur caput eius ſacro Chriſmate, vnde Sacerdotes & Reges vnctos eſſe nouimus in veteri Teſtamēto. Vt intelligat baptiſatus *Regale* ac *Sacerdotale* myſterium ſe accepiſſe, quia illius corpori adunatus eſt, qui Rex ſummus & Sacerdos eſt verus: Et regnum ſperare debet perpetuum, & hoſtias immaculatæ conuerſationis Deo ſemper offerre.

De Tegumento capitis.

TEGITVR poſtea linteo, & hoc de veteri Teſtamento aſſumptum eſt: Sic enim eſt ſcriptum in Exodo, *Filius quoque illius*, ſcilicet

Aaron

Aaron, *applicabis & indues tunicis lineis, cingesque balteo, Aaron scilicet ac liberos eius, & impones eis mitram.* Iam percepta gratia sacri baptismatis, non reconfidat viribus suis, sed semper deprecetur, vt protectus sit cælesti auxilio. protectionem Domini præclaram volumus intelligere per linteum, quo caput tegitur.

De indumento.

ALBIS induitur vestimentis, vt sciat se inuiolatum corpus possidere, & charitate Spiritus sancti illustratum cor se habere; siue, recognoscat se iustitiam & nuptialem vestem habere. Per vestimenta enim opera iustitiæ intelliguntur, vnde dicitur eis: *Sacerdotes induantur iustitia.*

De confirmatione Corporis & sanguinis.

CONFIRMATVR postea Corpore & Sanguine Domini, vt sciat per talia mysteria Diabolum expulsum ab eius corde, ac Christum inhabitare, ita vt confidenter dicamus illis: *Omnes qui in Christo baptisati estis, Christum induistis.*

De paruulis non loquentibus.

QVAMVIS paruuli per ætatem non possint intelligere ipsam *conuersationem ad Deum atque credulitatem, credimus tamen eos ad Dominum conuerti propter * conuersationis Sacramentum & fidem habere propter fidei Sacramentum, sicut legimus in Augustini Epistola ad Bonifacium Episcopum de paruulis requirentem, vbi dicit: *Ipsa responsio ad celebrationem pertinet Sacramenti, sicut de ipso Apostolus, consepulti, inquit, sumus cum Christo per baptismum in mortem, non autem ait sepulturam significabimus: sed prorsus ait; consepulti sumus. Sacramentum ergo tantæ rei, non nisi eiusdem rei vocabulo nuncupauit. Itaque paruulum etsi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, iam tamen ipsius fidei Sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondentur, ita etiam fideles vocantur, non rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei Sacramentum percipiendo. Cum autem * se homo sapere cœperit, non illud Sacramentum repetit, sed intelligit, eiusque voluntati consona eius voluntate-*

** conuersionem.*

** conuersionis.*

** fort. reduxdat.*

luntate coaptabitur. Hoc quamdiu non potest, valebit Sacramentum ad eius tutelam aduersus contrarias potestates, & tantum valebit, vt si ante * maioris vsum ex hac vita emigrauerit, per ipsum Sacramentum * commendantem Ecclesiæ charitatem, ab illa condemnatione, quæ per vnum hominem intrauit in mundum, Christiano adiutorio liberetur. Hucusque Augustinus.

** fort. rationis*
** commendant.*

* De paruulis non loquentibus.

** videtur delendus hic titulus iam supra positus; vt sequentia cum antecedentibus connectantur.*

POTEST fieri vt qui alieno peccato sunt ligati, aliena professione soluantur. Hæc piissime Imperator causa obedientiæ posuimus, quia dignum est vestræ voluntati omnibus viribus obedire. Tamen in omnibus his, quæ diximus, parati sumus auribus inclinatis * doctoribus corrigi & emendari. De nostra credulitate hæc dicimus & recepimus, quod Esaias dixit: *Verbum adbreuiatum faciet Dominus super terram.* Credimus vnum Deum viuum & verum, semper esse immutabilem, tamen mutabilia operantem, nunquam esse sine sua sapientia, hoc est, sine Filio suo, neque sine eius voluntate, hoc est, sine Spiritu sancto. Deus Pater in bona voluntate sua omnia creauit per sapientiam. Credimus tres personas Patris & Filij & Spiritus sancti, & recepimus versus Sedulij. *Non quia qui summus Pater est, & Filius hic est, sed quia quod summus Pater est, & Filius hoc est*: Filium solùm assumpsisse carnem humanam, vt visibilis foret hominibus, hunc baptisatum, quia oportebat nos baptisari, hunc mortuum corpore mundo, vt nos moreremur peccatis; hunc resurrexisse à mortuis, vt nos speraremus resurrectionem, hunc visurum in nouissimo iudicio, quando segregabit oues ab hedis, & postea solos malos in inferno, hoc est, in pœnis victuros; iustos solos in regno Dei, beatè regnaturos. Hæc est, iustissime Imperator, nostra credulitas, hæc est spes firma, hunc Deum amamus, quem ardentius amare desideramus.

** à*

* Dixistis serenissime Imperator, velle vos scire qualiter nos & Suffraganei nostri doceremus populum Dei de baptismi Sacramento. Hæc prout potuimus, prælibauimus. Suffraganeus est nomen mediæ significationis, ideo nescimus quale fixum ei apponere debeamus, vt Presbyterorum, aut Abbatum aut Diaconorum, aut cæterorum graduum inferiorum. Si fortè Episcoporum nomen, qui aliquando vestræ ciuitati subiecti erant, addere debemus, oro, vt hoc non imputet Dominus seruo suo, quia vsque in præsens tempus non sum ausus

** Iunguntur in M.S.C. sequentia cum prioribus, sed dubito num eo pertineant: Adiunxi tamen secutus fidem Codicis.*

ea

ea attingere, quæ nobis iniuncta non sunt, sed paratus sum omnium Christi seruorum vestigia sequi, & si forte Presbyterorum supradictum ordinem, docuimus illos, & admonuimus, vt sæpe doceant populum Dei, vana huius mundi relinquere, & vera cælestia petere. Ex hoc vnde me cogit vestra iussio respondere, *Si in hoc qui prædico, me ipsum custodiam*, ita respondeo. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Sciat, domine mi, sanctissima gubernatio vestra, nulli me prædicare vt peccet. Et tamen recolo sententiam beati Iacobi, vbi ait: *In multis enim offendimus omnes*: Cum summus Christi loqueretur Apostolus, & * permisit; *in multis*; subiunxit, *omnes*: vt tanto cautius se imperfecti quique in loquendo vel agendo * circumspexerint, quanto certius cognouerint, quia nec perfecti quidem boni, & qui Spiritus sancti gratia duce incedunt, huius vitæ viam sine offensione peccati alicuius transire * nullatenus possent, atque ideo docemus sic: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est, vt remittat nobis peccata nostra*, quia sine peccato in hac vita esse non possumus. Prima salutis spes est confessio, nec quisque se iustum putet, & ante oculos Dei erigat ceruicem. Deinde dilectio, quia charitas Dei operit multitudinem peccatorum.

* fort. præmisit.
* circumspiciant
* vllatenus

LECTORI.

SVBIICIEBANTVR *hic nonnulla, quæ exploratum, ad Epistolam non pertinere: Quam suspicamur Alcuini esse; Codex enim nomine Auctoris carebat; tum propter dicendi genus Alcuini non absimile; tum propter illum, ad quem hæc Epistola missa; qui videtur fuisse Carolus Magnus, Alcuinum huiusmodi Quæstionibus exercere solitus.*

VITA ET RES GESTÆ S. HENRICI

IMPERATORIS HOC NOMINE PRIMI,

Incerto Auctore,

Ex

Membranis m. s. Monasterij Windbergensis in Bauaria.

MARTYROLOGIVM ROMANVM DIE XIV IVLII.

Bambergæ S. Henrici primi Imperatoris, qui cum vxore sua Chunigunde perpetuam virginitatem seruauit; & sanctum Stephanum Hungarorum Regem cum vniuerso fere eius regno ad fidem Christi suscipiendam induxit. Ad quæ verba Card. Baronius. De eo etiam hac die Molanus in addit. ad VSuard. licet Henricum secundum appellat respectu Henrici alterius, qui anno Domini 919. successit Conrado Imperatori. Sed ille pientißimus præ humilitate noluit dici Imperator: vt scribit VVitichindus in Annal. Sax. lib. 1. Albertus Crantzius in Metrop. Sax. lib. 3. cap. 2. & Hist. Eccles. Saxon. lib. 3. cap. 34. & alij omnes, ex quibus apparet, Henricum hunc, de quo agimus, primum eius nominis fuisse Imperatorem, licet pleriq; respectu illius, hunc primum appellent. Huius præclarißimas res gestas scriptas fuisse ab Adelbodo Episcopo Vltraiectensi, tradit Sigeb. de viris Illust. cap. 139. Hæc Baronius. Vtrum autem hæc quam nunc publicamus, sit vita ab Adelbodo conscripta, non ausim affirmare; quia Codex VVindbergensis, ex quo apographum desumpsimus, nomine Auctoris carebat. Vidimus eandem Historiam in Manuscriptis Membranis Monasterij Rebdorffensis prope Aichstadium.

INCIPIT VITA SANCTI HENRICI IMPERATORIS.

ANNO ab incarnatione Domini millesimo primo, ab vrbe autem condita millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo, Ottone tertio defuncto Romæ, vacante Regni solio, cum de Principe ageretur subrogando, omnium vota nutu diuino ad eum inclinantur, qui tunc in Regno potissimus habebatur: fuit namq; eodem tempore quidam Dux Bawariorum nomine Henricus, Henrici eiusdem gentis Ducis filius; cuius temporibus sanctus Wolfgangus Ratisponensium præfuit Episcopus, tam bonitate, quam nobilitate Regia conspicuus, & vniuersa morũ honestate præclarus. Hic initium sapientiæ timorem Domini pleniter est sequutus, quia erat omni litterarum studio principaliter imbutus. & totus * sane fide & actione Katholicus: Hic ergo ab omnibus pari voto & communi consensu omnium asciscitur diuina vtique disponente clementia, vt per temporalis Regni fastigia ad culmen Regni cælestis pertingeret. Terrena enim bona omnia sicut vsu malo à salute alios præpediunt, sic alios vsu bono ad salutem perducunt.

* sane

Cumq; prędictus Rex Henricus nec dum Cæsaris vel Imperatoris obtineret dignitatẽ, apparuit ei Ratisponæ beatus Wolfgangus Episcopus tali visione. Visum namque est, quod manens in Ecclesia sancti Emmerammi Episcopi & Martyris accederet orandi gratia ad beati Wolfgangi sepulchrum in eadem basilica situm; cumq; ibidem Dominum & sanctum Wolfgangum intimis precibus conaretur exorare, subito videbatur ei ipse sanctus Wolfgangus astare, eumq; huiusmodi verbis appellare. Intuere diligenter litteras in muro quę sunt secus tumulum meũ scriptas. Erat autem sicut videbatur scriptum solummodo POST SEX. Euigilans vero Rex diuturna tractatione secũ reuoluit paucissima huius visionis scripta. Inprimis ergo arbitratus, q̃ post sex

dies esset moriturus, multa dispensat pauperibus; cumq; dierum sex numerus præteriisset & nihil in se Rex molestiæ corporalis sensisset, putauit prædictam visionem ad sex menses pertinere, & eadem cœpit timere. Transactis vero sex mensibus cum nihil infirmitatis in se pateretur, arbitratus est hunc numerum ad sex annos pertinere, ideoq; quæ & supra cœpit timere. Cumq; sex annorum numerus integer prætenisset & septimi anni dies reuolutus venisset, ipso die per Apostolicam benedictionem suscepit Cæsaris dignitatem. Tunc tandem sentiens qualis esset sua visio gratias egit Deo sanctoque Wolfgango, qui sibi talem reuelare dignatus est sublimitatem.

Vnctus ergo in Regem beatissimus Dei famulus Henricus temporalis Regni non contentus angustiis pro adipiscenda immortalitatis corona summo Regi cui seruire regnare est, militare disposuit. Summam etenim diligentiam in amplificando cultu religionis adhibuit, Ecclesias Dei ditare possessionibus, & immensis ornatibus augere cœpit, sedes quoque Episcopales, *Hildinsheim* videlicet, vbi à puero fuit enutritus, & litteris edoctus, *Magdeburc* & *Argentinam*, *Missenam*, & *Merseburg*. Quæ barbarica immanitate adiacentium Sclauorum vastatæ fuerant, restaurauit, & tam ipsis quam aliis Episcopatibus per vniuersum Regnum in possessionibus & ornatibus innumera dona distribuit. Hildinsheimensi vero Ecclesiæ sanctum Gothardum diuina edoctus reuelatione præfecit Episcopum. Quid autem Merseburgensi Ecclesiæ præ aliis contulerit, futurorum ex parte volumus notificare. Hæc etenim Ecclesia tempore magni Ottonis illius inquam, qui iuxta Lycum fluuium sub sancto Vdalrico Pontifice glorioso Vngaros prostrauit, & Reges eorum Lelium & Assur Ratisponæ principibus hoc fieri adiudicantib' in patibulis suspendit, assiduis incursionibus & hostili vastatione Sclauorum redacta est ad nihilum. Et quia violentiis vicinarum nationum non poterat resistere, in possessionibus, in religione, & in omnibus quæ ad Pontificalem dignitatem pertinebant penitus cœpit deficere.

Accidit autem eodem tempore vt Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus vniuersæ carnis viam ingrederetur & Merseburgensis Præsul propter sapientiam à Deo sibi præstitam, & propter virtutes plurimas, quibus adornatus erat, ob quas & Ottoni magno gratissimus erat, in Kathedram Magdeburgensem à prædicto Rege constitueretur: factum est autem vt Merseburgensis Episcopatus prorsus destrueretur, & quæ potiora erant illius Ecclesiæ in prædiis, in ministerialibus,

in orna-

in ornamentis, in ditionem Magdeburgensis Ecclesiæ transferrentur, & de quibusdam reliquiis possessionum, quæ Merseburgensi Ecclesiæ remanserant, Abbatia inibi construeretur. Quod factum vsq; ad tempus piissimi cōfessoris Christi Henrici sine mutatione permansit. Qui conuocatis Principibus regni sui apud Chutelingenburg curiam celebrauit, atq; vniuersis in idipsum consentientibus Poloniam & Bohemiam cæterasq; Sclauorum adiacentes regiones, quę fines regni sui vastauerant, debellare disposuit. Congregato itaque exercitu contra prædictas nationes, aciem direxit. Et transiens per locum qui Walbech dicitur, gladiū sancti Adriani Martyris, qui pro reliquiis multo tempore ibidem seruabatur accepit, quo accinctus ex toto corde suo clamauit ad Dominum dicens: *Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehende arma & scutum & exurge in adiutorium mihi.* Psal. 34.

Inde progrediens castra metatus est in campo, in quo Merseburgensis Ecclesia sita est, & videns locum desolatum, ingemuit & ait. Beate Laurenti Martyr Christi, si tuo interuentu has barbaras nationes ad quas pergo Romano Imperio & religioni Christianæ subiugauero, locum istum desolatum, tuo nomini consecratum diuina fauente gratia in pristinæ dignitatis statum reformabo. Vt vero Principes Poloniæ & Bohemiæ & cæterorum Sclauorum primates Romanum Imperatorem cum exercitu suo, vt eos debellaret, aduenire cognouerunt, collecta innumerabili barbarorum multitudine, in bellum obuiam processerunt. Quod Regi piissimo per speculatores suos citissime innotuit, & sicut in omnibus angustiis suis solebat, ad orationis arma confugit. Et inuocato super se nomine Domini, beatis Martyribus Laurentio, Georgio, & sancto Adriano semetipsum suumq; exercitum protegendum cum summa deuotione commisit. Cumq; omnes communionē corporis & sanguinis Dominici percepissent, ad locum certaminis peruenerunt. Vbi cū Rex beatissimus verbis exhortatoriis, quatenus viriliter agerent, animos singulorum confortasset, videns aduersariorū innumerabilem multitudinē, clamauit ad Dominum dicens: *Domine Deus, qui conteris bella ab initio, eleua brachiū tuum super gentes quæ cogitant seruis tuis mala.* Iudith. 9. *Disperge illos in virtute tua & destrue eos protector noster Domine.* Psal. 58. *Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* Psal. 82.

Hæc eo orante aperti sunt oculi eius, & vidit gloriosos Martyres sanctum Laurentium, beatum Georgium & sanctum Adrianū, cum Angelo percutiente, exercitum suum præcedentes, & hostium cuneos ad fugam propellentes. Et sicut exercitus Sennacherib ab Angelo per-

cutiente contritus est & disperiit, sic omnis ista barbarorum immanis multitudo per virtutem Dei cōtrita, proiectis armis sine effusione sanguinis Christianorum fugæ præsidium quæsiuit; Quod videns Rex sanctissimus, eleuatis oculis ac manibus in cœlum gratias egit Domino dicens: *Benedico te Rex cœli & terræ, qui superbis resistis & humilibus das gratiam, qui custodisti diligentes te, & glorificatus es in gentibus propter datam nobis de cœlo victoriam.* Victis itaq; barbaris & quæ ad futuram pacem prodesse poterant pactione firmissima stabilitis, Rex beatissimus cum suis reuersus est ad propria, vniuersis glorificantibus Deum & laudantibus, qui præstat auxilium omnibus in se sperantibus; Cumq; Imperator Christianissimus Poloniam, Bohemiam, & Morauiam tributaria fecisset, ob reuerentiā sancti Laurentij Martyris, conculcationem & destructionem Merseburgensis Ecclesiæ cœpit pio misericordiæ & pietatis intuitu respicere, & ad nihilum redactā in ædificiis, in ministerialibus, in sæcularibus possessionibus, in ornamentis Ecclesiasticis, in pristinum gradū Pontificalis dignitatis, sicut Deo & sancto Laurentio vouerat, studuit restaurare. Nec prius ab operib⁹ misericordię destitit, quoad vsq; præfatā Ecclesiam, ad antiquæ statum dignitatis & honorē pristinę religionis ex integro reduceret; Deniq; Rex gloriosus Episcopū Babenbergēsem, ex integro in suo domate fundauit, terminis videlicet ab adiacentibus Episcopatibus concambio legitimo commutatis. Eundem vero Episcopatū Apostolorum principibus Petro & Paulo, & preciosissimo Martyri Georgio attitulatū, speciali iure sanctæ Romanæ Ecclesiæ contradidit, vt & primæ sedi debitū diuinitus honorē impenderet, suamq; plantationē, tanto patrocinio firmius communiret.

Iacob. 4. 1. Pet. 5.

Frater eius erat Bruno Augustensis sedis Episcopus, qui felicibus eius actibus inuidens, multas ei aduersitatum iniurias, in quantum potuit, inferebat, & vbi per se non potuit, inferentibus se adiunxit, aliosq; ad inferendas exhortando stimulos suæ prauæ incitationis subiunxit. Cui Rex gloriosus non talionem redebat, verum etiam instructus fraterna dilectione omnia dissimulando & patienter sufferendo, illū bono vincere satagebat. Quanta autem eius munificentia, quanta erga Deum eius benignitas atq; largitas extiterit, tam in illa Babenbergensi Ecclesia, quam in aliis compluribus locis, manifestis operū declaratur indiciis. Solū quippe Deum sibi elegit hęredē, quatenus & ipse in consortium æternæ hæreditatis illum assumere dignaretur. Liberos enim nec secundū carnem habebat nec expectabat. quia eam, quā pro coniuge habere videbatur, Chunigundam nomine, dicitur nunq̄ cognouisse.

uiſſe. Sed qualiter hoc innotuerit, ad communem ædificationem, non eſt prætereundum, vt & caſtimonię exemplis erudiamus & diuinorum ſecretorum ammiratione moueamur, conſiderantes quemadmodum diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; Tantis namq; ac talibus bonis tentatio deeſſe non potuit. Inuidus enim omniū bonorum diabolus cum thorum immaculatum ſauciare nō potuiſſet, zelotypiæ liuore fœdare cogitauit, volens ſaltem famam eius lędere, cui non potuit corruptionis vulnus infligere, facta eſt igit. auctore diabolo, ſuſpecta criminis, quę non nouerat maculam corruptionis. Sed quia crudelis eſt, qui infamiam negligit, expurgationis gratia ſibi iudiciū elegit. Quod propter duritiam hominū inſtitutum eſſe cognoſcitur; Cumq; Deo dilecta ad illud iudicium, velut ouis ad occiſionē duceretur, ingemuit & ait: Domine Deus creator cæli & terræ, qui probas renes & corda, iudica iudicium meum & eripe me, te enim teſtem inuoco hodie & Iudicem; quia nec hunc præſentem Henricum nec alterū quemquam virū carnali commixtione vnquam cognoui. Hæc dicens, ſtupentibus ac flentibus, vniuerſis qui aderant, vomeres candentes nudo veſtigio calcauit, & ſine aduſtionis moleſtia tranſiit. Ita Deus omnipotens vinculū caſtæ dilectionis ſeruauit, innocentiam comprobauit, integritati cuſtodiam humilitatis adhibuit. Inter hæc beatiſſimi principis Henrici gloria magis ac magis proficiebat, & gratia Dei erat cum ipſo. Non declinauit clypeus eius de bello, & haſta eius non eſt auerſa. Apuliā à Gręcis diu poſſeſſam Romano Imperio recuperauit, & eidem prouinciæ Iſmahelē ducem pręfecit. Qui poſtea in vrbe Babenbergenſi mortuus, & in capitulo maioris Monaſterij ſepultus requieſcit in Domino; Beneuentanum Monaſterium condidit, & omni ornatus decore locupletauit. Cumq; ciuitates Apulię pertranſiſſet, & quæ ad vtilitatē, & honorē regni pertinebant, prudēter in eis diſpoſuiſſet, cœpit in infirmitate calculi laborare. Cuius morbi moleſtiā vir ſanct⁹, tanta patientia ſuſtinuit, vt paſſiones carnis ad cuſtodiā humilitatis à Deo ſibi collatas aſſereret, & flagellū correptionis certiſſimū ſignum dilectionis affirmaret, fomenta tamē curationū ſibi fecit adhiberi, ſed nulla Medicorum arte potuit liberari; Ingraueſcente autē dolore aſcendit in montem Caſſinū petens beati Benedicti & ſanctę Scholaſticę ſororis eius auxiliū. Et cum oraret, cœpit cogitare quæ de tranſlatione ſancti Benedicti eiusq; ſororis audierat, quia videlicet reliquiæ eorū dicebanē furtiue ablatę & in alium locū tranſlatę, ideoq; cœpit de corporali eorum præſentia dubitare; cōpleta vero oratione ad hoſpitiū ſe contulit & laſſatus ac debilitat⁹ in lectulo ſe collocauit. Cumq; obdormiuiſſet, audit ſibi ſanctum

Ierem. II. Pſal. II.

Benedictum assistere & ferrum sectorium ad medicinales sectiones aptatum manu tenere. Qui dixit ei. Quia sperasti in Deo & in sanctis eius: Ecce missus sum à Deo, vt per medicinam meã ab infirmitate tua libereris. Ecce ego cuius ossa furtim ablata esse putaueras, præsentiam meam tibi exhibeo, & in argumentum veritatis passiones tuas curabo. Hæc dicens partem illam corporis quæ calculũ tenebat, ferro medicinali aperuit, & euulso molliter calculo hiatũ vulneris sanatione subita redintegrauit, & calculum quem tulerat in manu Regis dormientis reposuit. Quo facto Christianissimus Imperator euigilans pertractauit secum quę circa se gesta fuerant per confessorem Christi, vidensque calculum quẽ manu tenebat, vocauit satellites suos, qui more Regio semper sibi assistebat, & dixit ad eos. Pontifices & principes Regni nostri ad nos vocate vt cognoscant & videant mirabilia Dei, quæ ineffabilis misericordia & inenarrabilis potẽtia eius fecerunt in me. At illi mandata Regis cursu celeri perferentes ad principes, adduxerunt eos, & cum venissent ad eum, dixit eis: fratres & commilitones mei, magnificate Dominum mecum & exaltemus nomen eius in idipsum, quia ipse est magnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis eius non est finis. Ipse percutit & medetur; flagellat peccatores & pœnitentibus miseretur. Hunc humiliat & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto. En ego qui heri morti proximus fui, per misericordiam Dei hodie sanus vobis appareo, & aculeum mortis quẽ heri gestaui inclusũ corpori meo hodie oculis vestris visibiliter ostẽdo; His dictis ostendit eis calculum quem manu tenebat, & ostendens eis vulneris cicatricem, omnia quæ per sanctum Benedictũ circa se gesta fuerant, cunctis audientib' ex ordine referebat. At illi videntes & audientes mirabilia Dei plusq̃ possit credi ammirati sunt, & benedicentes Deum, diuq; in laudẽ eius acclamantes, de incolumitate Regis gauisi sunt. Rursumq; Rex ad eos ait: Quas gratiarum actiones aut quæ munera tantis beneficiis condigna medico nostro sancto Benedicto possumus rependere? At illi omnes iudicauerunt eum Regia munificentia dignum esse. Rex ergo consilio Principum suorum ingentia munera in prædiis, in auro, in argento, in ornamentis plurimis Ecclesiæ sancti Benedicti contulit, & valefaciens fratribus eiusdem Ecclesiæ ministris à Cassino monte hilaris & sanus recessit. Ab eo autem tempore & deinceps quadam speciali dilectione & veneratione sancto Benedicto & omnibus Monachicæ religionis cultoribus studuit deseruire, & in amplificandis & protegendis rebus Ecclesiasticis benignus & deuotus pater existere.

Inde

Inde iter faciens Romam peruenit, vbi à Benedicto V. Papa benignè & honorificè susceptus; quantas miserationes & beneficia per S. Benedictum ei Dominus contulerit indicauit. Apostolicus verò gratias egit Deo pro omnibus beneficiis suis, & pro salute Regis & totius populi Catholici obtulit Sacrificium laudis. Eodem tempore Rex sanctissimus Babenbergensem fundum cum omnibus pertinentiis suis beato Petro Apostolorum Principi contradidit, & Apostolico Præsuli in perpetuum defendendum commendauit, & in memoriam huius pactionis singulis annis album ambulatorem cum faleris, Romano Præsuli dari constituit. Hoc quoque humilitate & deuotione apud Dominum Apostolicum obtinuit, vt Alemanniam intraret, & Babenbergensis Ecclesiæ nouam plantationem visitaret. Quod & ita factum est. Nam in proximo Apostolicus Alemanniam aduenit, & omnibus ciuitatibus regionis illius peragratis, tempore, quo condixerant, vrbem Babenbergensem adire disposuit. Venit ergo feria quinta maioris hebdomadæ, hoc est, in Cœna Domini, hora sexta, sacris Pontificalibus vestimentis indutus, sicut iam ad peragenda diuina mysteria, & solemne diei illius officium processurus erat, & suscipitur gloriosissimè ab Imperatore & vniuersis qui aderant Principibus omnique Clero & populo, inæstimabili exultationis tripudio. Vt autem in aduentu tam insoliti tamque exoptati hospitis, Deo nostro iocunda decoraq; exhiberetur laudatio: Imperator prudentissimus in occursum eius quatuor choros psallentium decenter ordinauit, primum in vlteriori ripa fluminis, secundum in citeriori, tertium ante portam ciuitatis, quartum in atrio Ecclesiæ, vbi primus omnium ipse Rex data manu Papam in domum Domini introduxit, atq; diuinis hinc inde hymnis canora suauitate resonantibus in Episcopali Kathedra collocauit. Quid plura? Debitum huius sacratissimæ diei cum duodenis Episcopis cooperatoribus Apostolicus Pontifex, & aliorum sequentium dierum summa cum deuotione celebrauit. In sancta autem Dominica Paschæ, cum in matutinali officio Aquileiensis Patriarcha lectionem primam, Archiepiscopus autem Rauennas secundam, ipseque Apostolicus tertiam recitaret: Cumque omni ornatu processio ageretur, sicut dignitatem Apostolicam condecuit, in sancta solemnitate solemnitatum, quis non iudicet tam religiosam celebritatem, nostrisque in regionibus inusitatam, meritò in memoriam omnium Babenbergensis Ecclesiæ filiorum perpetuo haberi, & memoriale eius in sæculum non derelinqui?

Vt autem ad superiora redeamus, vnde paulisper digressi sumus, postquam vir sanctus à beato Benedicto calculi molestia sanatus Romam peruenit, ibique à venerabili Papa Benedicto omnia quæ petierat, impetrauit, munitus Apostolica benedictione, alpes Apenninas transcendit, & dimisso exercitu in terram suam, Cluniacum causa orationis cum paucis familiaribus suis perrexit, eo quod multa de Religione & statu loci illius audiret. Vbi cum multa religionis & sanctitatis signa vidisset, sancti Spiritus igne succensus, coronam auream, preciosissimis gemmis adornatam, ad Missam quæ de Kathedra sancti Petri celebratur obtulit, & Monachorum fraternitatem suscipiens, cum maxima humilitate & cordis contritione orationibus eorum se commendauit, & in supplementum rerum necessariarum optima prędia in Alsatia eidem congregationi contradidit.

Inde iter faciens per Leodium & Treuerim transiuit, & congregationes inibi Deo famulantes plurimis largitionibus & prædiis ditauit. Et mirũ, quod homo Dei qui circa Ecclesiasticas vtilitates & salutem animæ suæ tanto studio flagrabat, in nullo prouectum sui regni neglexit, quin immo sine effusione sanguinis pietate & sapientia terminos regni sui dilatauit, & Imperialem dignitatem gloria & honore ampliauit & ornauit. Bohemiam vicit, Burgundiam subiugauit. Pannoniam quoque fidei Catholicæ & Romano Imperio coadunauit.

Victor vero aliarum nationum, Apostolus fit Vngarorum. Cum enim omnes adhuc infideles essent, ad fidei Catholicæ attraxit confessionem. Quod vt facilius fieret, sororem suam Gisilam Stephano Regi in matrimonium copulauit secundum Apostolum dicentem: *Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificatur mulier infidelis per virum fidelem.* Stephano itaque Rege baptizato, vniuersa Pannonia recepit verbum vitæ, & mira rerum nouitate per Reges Apostolos baptismi gratiam percepit. Quam præclara tanti Apostolatus societas, quam veneranda vtriusque sanctitas, per quos tot sunt saluati, & sanctificati? Præfatus autem Rex Vngarorum religiosus Deoque deuotus, postea in executione bonorum operum permansit, quod diuina pietas post mortem eius euidentibus indiciis ad sepulturam eius factis signorum miraculis demonstrauit. Burgundionum quoque non humana sed diuina fuit victoria. Nam cũ armis, & omnibus belli copiis essent instructi viri ad bella doctissimi, armis depositis non hominis metu sed nutu Dei rogãtes ea quæ pacis sunt, dextras dederunt.

1. Cor. 7.

Sicut

Sicut enim ad declaranda beati Martini merita Dominus pacificum fecit exercitum, ita & nunc serui sui beati Henrici meritis consimilem virtutem dignatus est ostendere. Similem ergo fecit illum Dominus gloriæ sanctorum: & sicut Moyses precibus magis quam armis triumphauit; ita gloriosissimus Princeps per arma iustitiæ bella omnia consummauit, & sine funere & absque cruore semper triumphauit. Denique consummatis huius vitæ laboribus, postquam bonæ opinionis odorem longè lateque redolere fecerat, locumque sibi dilectum & cætera monasteria ditando & ornando & excolendo ad perfectum adduxerat; ad percipiendam immarcessibilem coronam à Domino vocatus est ab ergastulo carnis. Qui cernens diem mortis sibi imminere, vocatis ad se parentibus & cognatis beatissimæ Imperatricis Chunigundæ, nec non etiam quibusdam Regni primoribus, manu eam apprehendit & commendauit eam illis huiusmodi verbis memoria dignissimis; Hanc ecce, inquit, mihi à vobis immò à Christo consignatam, ipsi Christo Domino nostro & vobis resigno virginem vestram.

In eius verò transitu terra plorante cœlum exultauit, sicut etiam Dominus per suam misericordiam reuelauit. In ipsa etenim hora exitus illius cuidam seruo Dei, in solitudine commoranti, Diabolus humana specie fertur apparuisse. Quem vir Dei per Spiritum protinus agnouit, & ait ad eum. Quo pergis? At ille respondit: ad exequias Imperatoris pergo. Cui ille ait: Vade & comple negotium tuum, quantum à Domino tibi permittitur. Veruntamen consummato officio tuo adiuratus per Deum viuum ad me reuertere, vt per te rei exitum possim cognoscere. Post modicum vero reuersus coram seruo Dei gemebundus astitit, & voce querula cum ingenti eiulatu dixit: Heu heu delusi sumus, in vanum laborauimus, quin etiam ab Angelis Dei confusi discessimus. Assistentibus enim hinc & inde nobis & spiritibus Angelicis, merita animæ iusta in statera sunt appensa, & fasciculis peccatorum deprimentibus, iam pæne pars nostra præponderauerat. Tunc subito adustus quidam aduenicns, catino aureo partis dextræ lancem onerauit, mirumque in modum parti nostræ adeò præponderauit, vt & ipsi catino ad terram collapso ex ruina signum collisionis impresserit. Itaque victores Angeli animam nobis eripientes cum gaudio in suum consortium susceperunt. Hæc vero licet corporaliter gesta referantur, necesse tamen est vt virtute spiritali completa intelligantur; Res etenim spirita-

ſpiritales per corporales exprimuntur imagines, cumque aliud foris agitur aut dicitur, intus aliud geri ſignificatur. Memoratus & ſæpè memorandus Dei famulus calicem aureum in honore Dei & ſancti Laurentij Martyris Eccleſiæ Merſeburgenſi contulerat, cuius ſpeciali Patrocinio coram Deo adiutus, & in ipſa hora exitus ſui creditur liberatus. Omni vero veneratione & ammiratione dignum eſſe perpenditur, quod idem Calix in ipſa hora certa cuſtodia clauſis ſeruabatur, nec minus tamen prædictæ colliſionis materiale ſignum patiebatur.

Sed quid de eodem calice religioſorum virorum relatione audierimus, futurorum memoriæ intimare curamus. Cum enim beatiſſimus Imperator Henricus pro diſponendis regni negotiis Merſeburg veniſſet, accidit vt quadam die ad Altare Sancti Laurentij Miſſam attentiſſimè audiret; Qua completa, ſicut ſemper facere conſueuerat, ablutiones calicis ſumere volebat, ſed interueniente magno negotio regni, quod vir ſanctus propoſuit, tunc temporis fieri non potuit. Vocato ergo cuſtode Eccleſiæ, rogauit eum vt calicem cum ablutione in loco mundo reponeret, quoad vſque ipſe expeditus aptum tempus & locum ad ſumendum illam inueniret: Excreſcentibus autem cauſis & placitis, tota die illa beatus Dei famulus ſe non potuit expedire. Poſtera vero die poſt matutinas cum paucis Secretariis ſuis clanculo Monaſterium introiuit, & diutiſſimè flexis genibus & lachrymis profuſis Dominum exorauit, vocatoque cuſtode calicem cum ablutione præcepit ſibi afferre, cumque ablatus fuiſſet, & diſcoopertus, inuenerunt ablutionem illam in formā veri ſanguinis tranſmutatam. Quod factum mirabile mox omnibus qui aderant innotuit, & nunc & ſemper in laudem Dei & gloriam Confeſſoris ſui, omnis Eccleſia ſucceſſoribus ſuis enarrabit. Diſcite ergo diuites huius ſæculi, facere vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Huius verò glorioſiſſimi Principis præconia linguam carnis tacere non conuenit, in cuius tranſitu confutatis Dæmoniis, triumphantibus Angelis, cælum exultauit. Defuncto itaque beatiſſimo Dei famulo Henrico, anno Regni ſui vigeſimo quarto, Imperii vndecimo, vitæ verò ſuæ quinquageſimo ſecundo, corpus eius Babenberg in Eccleſia beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli honorificè ſepelitur, ac poſtmodum multis miraculorum virtutibus à Domino glorificatur. Poſt huius ſanctiſſimi Principis exceſſum, Conradus vnus ex Regni primoribus regali ſolio ſublimatus conſilio Brunonis Auguſtenſis Epiſcopi, Fratris ſancti Henrici Imperatoris, qui

qui semper vt superius dictum est, eius felicibus actibus inuidebat, Episcopatum Babenbergensem destruere meditabatur, quia idē Bruno Episcopus promisit sorori suæ Gisilæ Reginæ Vngarorum omnia prædia hæreditario iure ad se pertinentia filio eius Henrico contradere. Locus ergo & tempus conuentui statuitur, vbi hæc res ad certum perducatur. Nocte verò quæ diem huius negotij præcesserat, Eberhardus primus Babenbergensis Episcopus ad tentorium prædicti Brunonis clam accessit, lectoque eius assidens multa super hac re monendo, obsecrando, memoriam fratris animo inculcando, cum eodem sollicitus egit. Transacta vero multa hora noctis, Eberhardus Episcopus recessit, & cum Bruno Episcopus obdormiuisset, visus est ei frater suus Imperator lecto suo astare, faciemque suam barba ex vna parte depilata deturpatam obiectare. Cui super hac re stupenti & ammiranti, quis tam temerarios ausus in eum præsumeret, interroganti, respondit dicens: Tu hæc fecisti, qui me & sanctos Dei, quos ego rebus à Deo mihi concessis dotaui, despoliare disposuisti. Caue ergo vlterius super hac temeritate, ne incepta luas cum magna infelicitate. Ad hæc ille expergefactus de visione nimium est perterritus, omniumque membrorum horrore ac tremore grauiter attactus. Mane autem facto, cum diu expectatus ad conuentum procerum non veniret, Gisila Regina pro filio sollicita, missis nuntiis rogauit illum obnixè vt adueniens promissa perficeret. Ille vero affirmauit se tanta infirmitate grauari, vt nec de lecto surgere, nec pedem posset quoquam mouere. Cumque rogaretur vt se in lecto ad conuentum portari pateretur, quo vel sic promissio perficeretur, omnino abdicauit, seque in Deum & in Sanctos eius peccasse, libera tandem voce proclamauit. Sic itaq; diuina pietas per merita famuli sui, ne spe quam in se posuit fraudaretur, omnia illius prauæ conspirationis machinamenta repressit, idque quod ab eo benè cœptum est, confirmando semper exinde ad meliora prouexit.

Sed iam nunc ad miracula quæ post felicem transitum eius ad declaranda eius meritorum insignia ad sepulchrum illius operatus est Dominus, veniamus.

Mulier quædam contracta in ipsa manebat ciuitate adeò incuruata vt ad gradiendum nullatenus erigi posset, sed potius manibus repraret quam pedibus ambularet. Huic orationibus frequenter incumbenti diuinitus inspiratum est, vt ad memoriam beatissimi viri accederet, atque omnipotentis Dei misericordiam obnixius imploraret.

Quod dum faceret in anniuersario die ipsius, subitò cernentibus cunctis astantibus facta est quasi in extasi, ac posteà nerui qui diriguerant sensim dissolui, & omnia corporis membra crepitantia cœperunt extendi; mulierque erecta vsum ambulandi & reliqua membrorum officia cum omni sanitate recepit.

Quidam Ædituus in ordine Laico ad custodiam deputatus Ecclesiæ, furtis cœpit assuescere & quęcunq; poterat in ipsa Ecclesia clanculo decrustabat: sed cum iam inolita vitiorum consuetudine ipsam consuetudinem peccandi iam quasi legem sibi fecisset, misericorditer à Domino corripitur. Quadam enim nocte dum in eadem Ecclesia somnum caperet, seruus Dei aspectu terribilis ei apparuit, & asperè inuectus in eum dixit: Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum. Quare hoc & hoc fecisti? scito quia rem iniquam operatus es. His dictis de stratu eum protraxit, & multis verberibus cæsum, cruentatum dereliquit. Hæc quidem somnians pertulit, sed expergefactus signa plagarum euidentia demonstrauit, & verba verberum argumentis comprobauit. Taliter ab immani præcipitio retractus, in ministerio suo vsque ad prouectiorem ætatem in eadem Ecclesia permansit, & in eius correctione multi alij correcti sunt, glorificantes Deum qui per seruum suum iam coronatum in cælis, talia adhuc operatur in terris.

Quadam vice contigit incerto casu cuidam, vt dissociatis naturalibus instrumentis ab inuicem, mandibula loco suo dimota, & oris officium impediret, & naturalem humani decoris compositionem deformaret. Talibus circumuentus incommodis clamauit ad Dominum & diuina pietatis obnixius implorauit auxilium. Vt ergo manifestarentur opera Dei in illo, multis interuenientibus, ad tumbam beati Henrici accessit, & capite superimposito tamdiu precibus institit, quoadusque meritis ipsius sanitatem accepit.

Item alio tempore contigisse in veritate audiuimus, vt quidam à paralysi adeò vexaretur, vt exinde vsum brachij iam perdidisset. Nutu autem diuino ammonitus est, vt ad sepulturam sancti corporis accederet, & prostratus in oratione, Dei omnipotentis misericordiam & beatissimi viri ibidem requiescentis merita inuocaret. Toto itaque corpore prostratus orationibus incubuit, corde magis quam ore decantans cum Propheta: *Adhæsit pauimento anima mea, viuifica me secundum verbum tuum.* Quid ergo? Christus Filius Dei qui super terram gradiens manum aridam habentem sanauit, idem nunc sedens ad dexteram

Psal. 118.

teram Patris eodem innouato miraculo per merita dilecti sui supplicem istum liberauit, sanus equidem ab oratione surrexit, & Deum propitiatorem, in commemoratione sancti sui glorificauit. Clamor ad cælum attollitur, & cum debita gratiarum actione hymnus gloriæ omnipotenti Deo ab vniuersis assistentibus decantatur.

Hoc quoque successoribus nostris indicare curauimus, quod in diebus Rogationū, ad sepulchrum prædicti confessoris contigisse veraciter cognouimus. Quidam enim Sacerdos cum populo suæ procurationi commisso in diebus Rogationum crucem cum hymnis & canticis ad monasterium Sancti Petri & sancti Gregorij deferebat, cum qua quidam cæcus alterius manu ductus veniebat. Is cum ad sepulchrum confessoris Christi venisset, ex toto corde suo rogauit sanctum Henricum, vt per eius interuentum restitueretur ei lumen oculorum. Cumque diu precibus & lachrymis pulsaret ad ostium pij confessoris, cunctis videntibus & in laudem Dei acclamantibus, redditus est illi visus per gratiam omnipotentis. Et mirum in modum qui alterius manu ductus crucem Domini secutus fuerat cæcus, modo propriis manibus crucem ferens cum laudibus ipsi populo domum redeunti, ductum præbuit illuminatus.

Aliud quoque diuinæ virtutis miraculum celebri commemoratione & certa fide cognitum est. Erat quidam languidus ipsa in ciuitate omnibus cognitus, cuius inferiora omnia à lumbis & infrà omninò præmortua fuerunt, adeò vt nec pedibus solo niti valeret, sed instrumento cuidam rotulis quatuor coaptato pendulus inhærebat, suique corporis molem manibus propriis pro possibilitate artificis volutabat. Idem loculum sanctissimi corporis frequentius visitare solebat, & per Dei misericordiam ad declaranda serui sui merita tantam gratiam consecutus est, vt membra præmortua viuificarentur, ac deinde baculis vtrique humero suppositis, pedibus terram tangeret & erectus incederet.

Modernis etiam temporibus contractus quidam qui adhuc in carne superest, in eodem loco sanatus est, & naturalem vsum recepit ambulandi.

Præter hæc multa alia sanctitatis argumenta & experimenta frequenter in eodem loco visa sunt. Debiles curati, cæci illuminati, dæmones ex obsessis corporibus visibiliter fugati, multi ex diuersis infirmitatibus ibidem frequentissimè liberati sunt, Domino testifi-

testificante, quanta sanctorum gloria in cœlis sit, quos tantis miraculorum virtutibus in terris coruscare concedit, ne apud homines loco humili teneantur, qui apud Deum meritis excelsi esse comprobantur. Cum etenim miraculorum attestationibus sanctitatem Confessoris sui Dominus declararet, Babenbergensis Ecclesiæ Prælati crebrescentibus signis cum mandatis & litteris Conradi Regis ac Principum Romam abierunt, & quam magna mirabilia Deus per Confessorem suum operaretur, domino Papæ Eugenio & Romanæ Curiæ nuntiauerunt. At illi gaudentes pro tantæ famæ dulcedine Deum glorificantes, de Canonizatione sancti Regis Henrici cœperunt sollicitè & diligenter ad inuicem conferre, quatenus in catalogo conscriberetur sanctorum, qui virtutibus & signis probaretur esse assumptus in regnum cælorum, cui Canonizationi quidam Cardinalis Iohannes nomine, cœpit vehementer obsistere, & proiecto Dei timore in quibuscunque potuit non verecundatus est prædicto Confessori Christi detrahere, sed diuina vltio detrahentem cœlesti repente verbere coërcuit, & dum famam beati viri laceraret, potestas Dei lumine oculorum eum priuauit. At ille adeò humiliatus & percussus cæcitatis molestia, reatus sui conscientia cœpit torqueri, & quoniam hanc plagam ex confessore Christi peccando meruisset publica voce confiteri. Et mirum in modum quem prius dentibus detractionis lacerabat, hunc modo laudibus & præconiis vsque ad sydera tollebat. Conuersus itaque ad pœnitentiam celerem consequutus est indulgentiam, & per intercessionem Confessoris Christi denuo est illuminatus, ob cuius vltionem iusto Dei iudicio fuerat excæcatus.

Simili modo, cum in loco Babenbergensi, vbi prædictus Confessor tumulatus fuerat, de Canonizatione eius celebris fama haberetur, Presbyter quidam nomine Luipoldus maioris Ecclesiæ Canonicus, de signis quæ per eum fiebant, cœpit dubitare, & de permutatione exequiarum, quæ in anniuersario eius celebriter fiebant, intra semetipsum dolere. Qui mox oculorum caligine adeò est plagatus, vt posteà per Confessorem CHRISTI sanatus, quantum sanitas eius apud Deum posset in curatione ipsius experiretur. Et mirandum est valde, quod de sanctitate tanti viri aliquis potuerit dubitare, cum conuersationis sanctitatem, castitatis integritatem, eleemosynarum largitatem, humilitatis custodiam & omnia opera iustitiæ vsque in finem vitæ suæ cum deuotione summa seruauerit, sed sicut scriptum est, *Nemo Propheta acceptus est in Patria sua.* Presbyter

Luc. 4.

byter ergo prædictus grauatus defectu luminis, confugit ad patrocinia sanctorum, deprecans vt per suffragia eorum, sanitas sibi restitueretur oculorum. Et cum ex dolore & labore & assidua veniarum incuruatione fatigatus fuisset, lassatum corpus somno reparauit. Cui dormienti sanctus Wolffgangus eo quod eum familiarem in orationibus suis habuerit apparuit, & ait ei: Ora confessorem Christi Henricum, & liberabit te, quia quod eius sanctitati derogasti, idcirco hęc plaga cæcitatis venit super te. Post hanc visionem expergefactus ex conscientia delicti sui intremuit, & ad tumbam Confessoris Christi concito gradu & deuota mente properauit, & procumbens terræ, à Confessore Christi lachrymis & precibus suis excessibus veniam postulauit. Qui statim exauditus & pristinæ sanitati restitutus; gratiarum actiones Deo & sancto Henrico retulit, & magnalia Dei quæ circa ipsum Deus fecerat, religiosis viris qui nobis retulerunt ipse narrauit.

Caueant igitur habitatores sæculi domesticis Dei & ciuibus sanctorum detrahere, quia necesse est eos hic & in ęternum perire, qui sanctorū bonis operibus solent obloqui & inuidere. Quamuis ergo nunc tempora miraculorū non sint, signa enim debentur non fidelibus, sed infidelibus, tamen cum aliqua nobis præter solitum cursum ordinemque naturæ eueniunt, omni veneratione amplectenda sunt, quatenus & ipse qui in sanctis suis mirabilis est honorificetur, & nostra tarditas ad meliora quæq; tantis virtutibus accendatur. Pręstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Breuis Relatio

De

ORIGINE, FVNDATIONE, ET PROGRESSV MONASTERII WINDBERGENSIS IN BAVARIA ORdinis Præmonstratensium.

Nunc primum publicata.

Ex eiusdem Monasterij Manuscripto Codice.

RELA-

RELATIO DE ORIGINE MONASTERII WINDBERGENSIS.

QVALITER LOCVS WINDBERGENSIS PRIMO INSTITVTVS SIT.

NOtvm sit omnibus fidelibus tam futuris quam præsentibus, qualiter ego Wintth nomine, Ecclesiam construxi in loco, qui nomen trahit à meipso. Adueni enim de Saxonia, in prędictum locum, primus incola illius loci, & ab hoc, vt prædixi, nomen à me traxit, scil. Windberg. Dormiui namq; in supra dicto loco, & in somno vidi aquilam volantem, & ex impetu sui volatus concussa est terra. Et peruenit vsque ad me, & tetigit me pennis suis, dicens ad me: surge & vade contra flumen magnum, & obuios habebis viatores, & inter illos sciscitaberis quis vocetur Wintth. Hic habet nomen tuum, & cooperator tuus erit, feci vt iussit, & opere completa est visio. Primum igitur interrogaui eum qua patria, qua terra, vel, qua gente aduenisset. Et respondit dicens, se venisse de Saxonia cum exercitu Ludouici Regis, adiungens quod deduxissent eum Hunni. Et progrediens interrogando, dixi, quæ est mater tua in illis partibus, vel quis frater tuus. Et respondit, Mater mea vocabatur Sophia. Et corruens in collum eius, amplexatus sum eum prę gaudió lachrymans, quia sciui eum ex vera narratione matris meæ, meum esse fratrem; Quia ergo post illum natus sum, traxi idem nomen, quia vi ablatus erat, ex dilectione qua dilexerat eum nostra mater. Aperui ergo ei in multis sermocinationibus, quos ad inuicem confabulati sumus, cor meum, de constructione Ecclesiæ, narrans ei somniũ quod vidi. Et vt multa & magna paucis concludam, construximus Ecclesiam in honore Domini nostri Iesu Christi, & perpetuæ virginis Mariæ, & omnium sanctorum, & per nos peccatores allatæ sunt

huc

huc reliquiæ ſanctorum ſubſcriptorum, & in altari per nos concluſis lapidibus, abſconditæ & collocatæ, aſtante Azellno Presbytero.

De inconſutili tunica Domini. De crinibus ſanctæ Mariæ. De quinq; panibus: qui ſupererant quinq; milibus. De ſanguine Domini. De lancea quæ aperuit latus Domini. De Dalmatica ſancti Stephani Protomartyris. De ſtola ſancti Ioannis Apoſtoli. De Coſta ſancti Bartholomæi Apoſtoli. De hydria in qua baptizauit ſanctus Laurentius ſanctum Romanum. De thuribulo quod tenuit Zacharias quando loquebatur ei Angelus. De Ioanne, Agnetis virginis, Emmerentianæ virginis, Valerij Epiſcopi, Tyrſi Martyris, Albani Martyris, Balbinæ virginis, Caſtuli Martyris, Priſci Martyris, Ruodberti Epiſcopi, Nicetij Epiſcopi, Ambroſij Epiſcopi, Antonini Martyris: Euſemiæ virginis, Vincentij Martyris, Gaij Papæ, Anaſtaſij Papæ. De cruce ſancti Petri Apoſtoli, Georgij Martyris, Iuuenalis Martyris. De dextro brachio ſancti Simeonis, in quo Dominum tenuit, cum delatus eſt ad templum. Helenæ Reginæ; Bachumij Monachi, Vrbani Papæ, Felicis Papæ, Petronellę virginis, Nicomedis Martyris, Zotici Martyris, Benigni Martyris, Feliculæ virginis, Viti Martyris, Albini Epiſcopi, Leonis Papæ, Chriſtophori Martyris, Pantaleemonis Martyris, Sennes Martyris, Tertullini Martyris, Acontij Martyris, Simplicij Martyris, Iuſtini Epiſcopi, Caſſiani Epiſcopi, Laurentij Martyris, Agapiti Martyris, Arnolfi Epiſcopi, Rufi Martyris, Auguſtini Epiſcopi, Marcelli Martyris, Firmini Martyris, Remigij Epiſcopi, Caprafij Martyris, Galli Abbatis, Kalixti Papæ, Seueri confeſſoris, Syluiani Epiſcopi, Amandi Confeſſoris, Simonis Apoſtoli, Victorini Martyris, Theodori Martyris, Euſtachij Martyris, Cæciliæ Virginis, Rufi Martyris, Chriſanti Martyris, Agricolæ Martyris, Iuuiani Martyris, Eulaliæ virginis, Donati Martyris, Valeriani Martyris, Ignatij Martyris, Nemeſij Martyris, Trophimi Epiſcopi, Emmerammi Martyris, Lini Papæ, Petri Epiſcopi, Euariſti Papæ, XI. Millium virginum, reliquiæ ſanctorum Innocentum, Narciſſi Epiſcopi, & aliorum reliquiæ ſanctorum nongentorum, & inſuper reliquiæ ſanctorum quinq; milium & trecentorum.

Hæc eſt honorabilis & amabilis antiquitas Wintthbergenſis Eccleſiæ, quam nos poſſumus in eadem ſignificatione, Venetidunenſem, à Venetiduno, hoc eſt, à Sclaui monte, ſi placet, apellare. Nam poſteriori tempore ſuperuenerunt reliquię Vodalrici confeſſoris, & Venzeslai ducis ac Martyris, itemq; Apoſtolorum Petri & Pauli, quas in pendenti crucicula credimus contineri.

De beato VVillihelmo.

HVIc autem loco tantis sanctorum pignoribus gratificato non minimum gratificationis ad didit, emeritus & veteranus Christi miles Willihelmus, qui postquam flagrans sancto desiderio plurimas peragrauerat regiones, Saluatoris & Apostolorū eius, aliorumq; sanctorum vestigiis ac sepulturis illustres, istic & viuus respirare voluit à periculis fluminum, à periculis latronum, à periculis paganorum, ac fluctuum marinorum, & defunctus ac sepultus expectare plenam retributionem laborum suorum in resurrectione iustorum; Laborauerat enim non solum in supra dictis periculis, sed etiam in vigiliis & ieiuniis multis, in fame & siti, in frigore & nuditate, insuper & ferreorum circulorum coartatione; à qua tamen oportuno loco & tempore diuina solutus est miseratione. Vnde non mirum si pro certiori futurorum bonorum expectatione spiritum meruit Prophetiæ, per quem cum multa prædixerit vt nobis beatæ recordationis altrix eius Comitissa Luitkardis, retulit, ista duo memoriꝫ nostræ cohęrent, videlicet immanissima clades Saxonici prælij, secus Vnstruth fluuium nimia crudelitate patrati per tyrannidem quarti Henrici, diesq; resolutionis ipsius corpusculi. Hunc apte notatum repperimus, in festo Victoris Papę & Martyris, scilicet in XII. Kalend. Maij, vt per hoc etiam designaretur victoriosus ad Christum eius transitus. Hertwicus honoratæ memoriæ Ratisponensis Episcopus Capellā dedicauit, quam super eum Comes Adelbertus in somnis admonitus, pro medicamento grauis infirmitatis ædificauit. Referre solitus erat idem beatus Willihelmus de quodam ministro & conuiatore suo nomine Iwano, quod mox vt obisset thureis odoribus per diuinam gratiam commendatus fuisset.

De beato Engelmaro.

PRÆTEREA suggerente venerabili Rudberto Presbytero, & annuente præfato Comite Adelberto, cessit in dominium huius loci syluestris cella sancti Engelmari, de quo nos plura scribendi futuris scriptoribus occasionem dare cupientes, diligentis inquisitionis initia ponimus. Deniq; reperimus eum natione fuisse Baioarium, genere & opere Georgium, hoc est, terræ colonū, sed abdicatis terrenis desideriis propriisq; facultatibus pro amore Christi derelictis, eremiticę vitæ disciplinam cœpisse sub eruditione sancti Gregorij Armeniorum quondam, vt ferunt, Archiepiscopi, sed tunc vberiori spe cęlestis præmij voluntа-

luntariam paupertatem cum peregrinatione circa Patauiam sectati. Quo defuncto, secundum quod ipse prædixerat, Nona Calendarum Octobris, circa meridiem, hora qua illa famosissima solis Eclipsis accidit, quam non solú maxima mortalitas, sed & Hierusolimitana sequebatur expeditio, auctore Papa Vrbano secundo, contulit se beatus Engelmarus in solitudiné requietionis suę, factaq; inibi mansione, cœpit laboribus manuum suarum iuxta Psalmistá & Apostolum viuere, & nihilominus vigiliis ac ieiuniis & orationibus conditoris sui gratiam spiritu feruens quærere. Cumq; pro bonitate & religione sua valde acceptus esset omnibus, qui in circuitu eius erant, socius suus nouus Cain appellandus, inuidia ductus potioris ei diuinitus collatę gratię, seq; dolens inæqualem apparere, remotis arbitris non exhorruit in illum manus extendere, percussumq; niue & ruderibus operire. Fert enim post octauá Epiphanię proxima die facinus hoc perpetrasse & vsq; ad Pentecosten variis simulationibus & dissimulationibus occultasse. Vltra vero solemnitatem sancti Spiritus non debuit tanti sceleris reus latere, quoniam ipsius etiam est mundum de peccato arguere. Igitur noui Abel sanguine ad Dñum clamante, vagus & profugus factus est recens Cain ille, qui singularé eremi potestaté, cum ęquipollentia fauoris humani post morté beati Engelmari sperauerat obtinere, exéplo Iudęorum, q propter obtinendum locú occiderunt Christú, sed propter occisum Christum perdiderunt locum, & dispersi sunt in omné ventum.

Psal. 127.
1. Cor. 4.

Veniens autem quidam vulgaris Sacerdos, inuentum corp' vulgariter sepeliuit, videlicet non secundum sublimitatem sanctitatis, sed secundum humilitatem paupertatis. Huius enim diligentiæ pietas & merces seruabatur supradicto Rudberto olim duntaxat populari Presbytero, nunc auté & arctioris conuersationis æmulo, vti scilicet digno dignum monumentú præparet, in quo tunc sacra ossa eius transponerentur, cum etiam Ecclesia lapidea eiusdem Rudberti patratu super eum constructa dedicaretur, anno videlicet Incarnationis Dominicæ, millesimo centesimo primo, Romanorum præsulatum & regnum concorditer gubernantibus Innocentio secundo, & Lothario tertio. A prima tamen sepultura diuino instinctu tanquam lex obtinuit, vt singulis annis in media pentecostes hebdomada populus ibi confluat, & cælitus designati Martyris patrocinia deuotus requirat. Nam sicut fideles in verbis suis adhuc superstites viri pronuntiant, cum ille locus aliquando nullum habitatorem haberet, & vilis ædicula sepulchrum venerabilis Eremitæ protegeret, ipsique forte noctu præterirent, prospexerunt ibi numerosa luminaria diuinitus accensa mira-

bili claritate radiantia,seque non solum ad introspiciendum,sed etiam ad introeundum prouocantia.Insuper odorati sunt & suauissima aromata,absque specie aromatica. Praeterea plures infirmi & afflicti medelas & ereptiones ibidem perhibentur experti, sed quia nobis ignoti sunt,notos expectamus de quibus scribamus; futuris namq; temporibus maiorem Dei gloriam speramus illic apparituram.

Defuncto itaq; Rudberto venerabili loci huius praeposito primo, Successit Eberhardus quidam Frisingensis de Sceftlar,qui vixit vno anno. Quo propter intemperiem morum suorum amoto,successit Gebehardus Coloniensis de Beilebur, qui praecipiente Papa Eugenio, à venerabili Henrico Ratisponensis Ecclesiae Episcopo secundum statuta ordinis Praemonstratensis consecratus est in Abbatem.Huius studio ac labore deserta antiqua parochiali Ecclesia, Monasterium nouum est perfectum,atq; gloriosissimè dedicatum,sicut scripta sequentia plenius testantur.

Anno millesimo centesimo quadragesimo secundo ab incarnatione Dominica,gubernante Monarchiam Rege Conrado,praesidente dioecesanae nostrae Ecclesiae venerabili Henrico Episcopo:anno primo ingressionis venerandi Patris & prouisoris huius loci Gebhardi,in disciplina & religione per omnia studiosissimi,fundamento templi nouiter posito,muroq; sanctuarij tantū initiato,consecrata sunt tria altaria in capitibus huius Ecclesiae,altare sancti Petri & Pauli ad Meridiem, & altare sancti Ioannis Euangelistae,& sancti Andreae ad Septentrionem, in duodecima Iunij calenda.In secunda die,id est, vndecima Iunij calenda,summum altare in honore sanctae & indiuiduae Trinitatis, beatae Mariae,& sancti Augustini,& sanctorum plurimorum,quorum nomina sunt subscripta.Consecrauit autē ea altaria Dominus Stilco Olmuciensis Episcopus,de prouincia quae est Morauia, vir magni nominis & meriti,tam spiritualibus quam laicis acceptus,& gratus personis, amator religionis,quantum ad professionem nostri ordinis scil. Praemonstratensis,praesente fundatore loci nobili Comite Adelberto cum vxore sua nomine Hedewic, & duobus filiis suis Hertwico & Perhtoldo,qui quaecunq; prius donauerat super altare sanctae Mariae supra notatum coram tanta multitudine fideli deuotione delegauit.

Qualiter dedicatum sit Monasterium.

QVIA plerumq; etiam ea,quae vtiliter & laudabiliter fiunt,in obliuionem ex negligentia solent venire, idcirco Ecclesiae nostrae consecrationem dignum duximus litteris commendare.

Anno

Anno ergo Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo septimo indictione prima, dedicata est hęc Basilica in honore beatæ & perpetuæ Virginis Mariæ, à venerabili & sanctæ conuersationis viro Ioanne Ecclesiæ Olmuciensis Antistite, quarta Decembris kalenda. Consecrata sunt etiam eodem die duo altaria, vnum in medio Monasterij in honore sanctæ Crucis, alterum in latere Septentrionali in honore sancti Egidij. Proximo autem die, id est, tertia Cal. Decembris consecrauit idem reuerendus & sæpe nobis memorandus Episcopus altare in Meridionali latere Monasterij in honore sancti Mauritij, Gereonis, Victoris ac sociorum eorundem, & alterum altare in Septentrionali absida chori, in honore beati Nicolai confessoris. Summum autem altare & duo altaria altrinsecus è latere consecrata fuerant, anno millesimo centesimo sexagesimo secundo vndecima Iunij Calenda, à venerabili & piæ memoriæ Episcopo Stilcone præmemorati patris & domini nostri Ioannis prædecessore, quorum deuotio eò amplius in nos enituit, quo vterque nostri ordinis, nostrum ordinem honorare curauit. Vtraque autem consecratio mediante & impetrante reuerendissimo Patre & vigilantissimo Pastore nostro Gebchardo perfecta est. Pro quo tum communiter tum specialiter in perpetuum orare necesse habemus, cuius tam eximium deuotionis feruorem circa locum nostrum cognouimus.

A dedicatione maioris Altaris vsque ad dedicationem Monasterij computantur anni XXV. & XXVII hebdomadæ & dies vna.

Hæ reliquiæ continentur in maiori Altari. De ligno Domini; de syndone Domini; de terra vbi natus est Christus; de petra ascensionis eius. Reliquiæ sanctæ Mariæ matris eius; & de crinibus eius. Ioannis Baptistæ. Petri Apostoli. Andreæ Apostoli. Marci Euangelistæ. Sancti Petri discipuli Apostolorum. Stephani Protomartyris. Clementis Papæ & Martyris. Blasij Martyris, Laurentij Martyris. Kiliani Martyris, Vincentij, Lamberti, Dionysij, Georgij, sanctorum Ioannis & Pauli, Viti, Mauritij, Sebastiani, Tiburtij, Pancratij, Vitalis, Adriani, Fortunati, Benigni, Hippolyti, Valentini, Albani, Wenceslai, sanctorum Innocentum, Candidi Mart. Friderici Martyris, Innocentis Martyris, Gregorij Papę, Martini confessoris, Nicolai confessoris, Rudberti, Basilij, Gerhardi, Vdalrici, Augustini confessorum, Dionysij auunculi sanctæ Afræ, Hieronymi confessoris, Egidij confessoris, Abraam cōfessoris, Saturnini confessoris, Cæciliæ Virginis & Martyris, Luciæ, Anastasiæ, Candidæ, Valentinæ, & vndecim millium Virginum, Ger-

drudis Virginis, Virgineæ Virginis, Walpurgæ Virginis, Margarethæ Virginis, Afræ Martyris.

Hæ reliquiæ continentur in altari S. Crucis, Ioannis Baptistæ, Petri Apostoli, Andreæ Apostoli, Bartholomæi Apostoli, Mathæi Euangelistæ, Lucæ Euangelistæ, Stephani Protomartyris. Vrbani Papæ & Martyris. Ianuarij Episcopi & Martyris. Apollinaris Episcopi & Martyris. Lamberti Episcopi & Martyris. Laurentij, Sebastiani, Chrysogoni, Victoris, Quirini, Hippolyti, Georgij, Geruasij & Prothasij Martyrum. Nazarij & Celsi Martyrum. Abdon & Sennes Martyrum, Crispini & Crispiniani Martyrum, Gregorij Papæ, Damasi Papę, Martini Episcopi, Wolfgangi Episcopi, Vdalrici Episcopi, Gothardi Episcopi, Gerhardi Episcopi, Germani Confessoris, Hieronymi Presbyteri. Iustini Presbyteri. Agathæ Virginis & Martyris. Ceciliæ, Verenæ, Scholasticæ, Radegundis Martyrum & Virginum, item 11000. Virginum.

Hæ reliquiæ continentur in altari S. Egidij, Petri, Thomæ, Bartholomæi Apostolorum: Blasij, Dionysij, Erasmi Episcoporũ & Martyrum, Vincentij, Chrysogoni, Pancratij, Vrsi, Hippolyti, Valeriani, Theodori, Vitalis, Martyrij, Marci & Marcelliani Martyrum: Egidij, Nicolai, Maximi Episcopi, Gothardi Episcopi, Epiphanij, Vdalrici, Wolfgangi, Leonardi, Antonij, Florini Confessoris, Benedicti Abbatis. Nonnosi, Sauuini, Henrici, Marci, Confessorum: Ceciliæ, Gerdrudis, Christinæ, Speciosæ Virginum & Martyrum: Mariæ Magdalenæ, Hilariæ Martyris, vndecim millium Virginum.

Hæ reliquiæ continentur in altari S. Nicolai: Pauli, Andreæ, Philippi & Iacobi Apostolorum. Stephani Papæ & Martyris, Cleti Papæ & Martyris, Sixti Papæ & Martyris. Apollinaris Episcopi & Martyris, Lamberti Episcopi & Martyris, Laurentij, Chrysogoni, Christophori, Albani, Valeriani, Pancratij, Cyriaci, Venceslai Martyrum. Quatuor coronatorum: Cosinæ & Damiani Martyrum: Marci Papæ & Confessoris, Nicolai & Martini Episcoporum, Augustini, Ambrosij, Rustici, Gothardi Episcoporum, Henrici & Florini Confessorum. Ceciliæ, Walpurgis, Balbinæ, Leutrudis Virginum.

Hæ reliquiæ cõtinentur in altari S. Mauritij. Andreæ Apostoli, Bartholomæi Apostoli, Matthæi Euangelistæ, Mauritij, Gereonis, Victoris Martyrum, Cassij atque Florentij Martyrum: Dulcissimi & Charissimi Martyrum, Marci & Marcelliani Martyrum: Felicissimi & Agapiti Martyrum, Felicis & Adaucti Martyrum: Sanctorum Thebæorum, Clementis Papæ & Martyris, Viti, Georgij, Vitalis, Pancratij, Sebastiani, Christophori, Quirini, Cholomanni, Rustici, Martyrum: Anastasij

Papæ

Papæ, Alexandri Papæ, Gothardi Episcopi, Pantulfi Episcopi. Benedicti Abbatis, Ceciliæ, Emmerentianæ Virginum & Martyrum, Tharsillæ Virginis, Pelagiæ Martyris, vndecim millium Virginum.

Hæ reliquiæ continentur in cruce medio Monasterij pendenti. De ligno Domini, de sepulchro Domini, de mensa Domini, de sudario Domini, de sepulchro sanctæ Dei Genitricis. Ioannis Baptistæ. Pauli Apostoli, Iacobi Apostoli, Bartholomęi Apostoli, Stephani Protomartyris, Clementis Papæ & Martyris, Alexandri Papę & Martyris, Fabiani Papæ & Martyris, Marcelli Papæ & Martyris. Lamberti Episcopi & Martyris. Laurentij, Mauritij, Victoris, Christophori, Iustini, Vincentij, Cyriaci, Quiriaci, Pancratij, Constantij, Sisinnij, Martyrij & Alexandri Martyrum. Gregorij Papæ. Martini Episcopi, Nicolai Episcopi, Augustini Episcopi, Simpliciani Episcopi, Aurelij Episcopi, Valentini Episcopi, Henrici Confessoris, Benedicti Abbatis; Agathæ Virginis & Martyris, Agnetis, Ceciliæ, Afræ Martyris: 11000. Virginum.

Anno millesimo centesimo quinquagesimo octauo, 11. Maij Calenda, à venerabili Episcopo Hertwico Ratisponensi secundo, inuitato ab Abbate huius loci reuerendo Gebhardo, dedicata est Ecclesia B. Blasij ad sorores, in honore sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & S. Crucis, & S. Mariæ Virginis. Ioannis Baptistæ. Petri Apostoli. Pauli Apostoli. Iacobi fratris Domini, & sanctorū Martyrum Stephani Protomartyris, Blasij Episcopi & Martyris, Laurentij Martyris, Emmerammi Episcopi & Martyris. Viti Martyris. Pancratij Martyris, Georgij, Hippolyti Martyrū. Dionysij Episcopi & Martyris. Eustachij Martyris, & Sanctorum Confessorum. Augustini Episcopi, Syluestri Papæ. Nicolai Episcopi, Martini Episcopi, Vdalrici Episcopi, Egidij Confessoris, Leonardi Confessoris, Amandi Confessoris: Et Sanctarū Virginum: Mariæ Magdalenæ, Agathæ Virginis & Martyris, Ceciliæ Virginis & Martyris, Agnetis Virginis & Martyris, Margarethæ Virginis & Martyris, Barbaræ Virginis & Martyris, Pelagiæ Martyris.

Hæ reliquiæ continentur in altari S. Martini. Iacobi Apostoli. Matthæi Apostoli & Euangelistæ. Stephani Protomartyris, Victoris Martyris: Blasij Episc. & Martyr. Sebastiani Mart. Mauritij Mart. Pancratij Mart. Christophori Mart. Theodori Mart. Emmerammi Episcopi & Mart. Martini Episc. & Confes. Nicolai Episc. & Confes. Wolfgangi Episc. Vdalrici Epis. & Confes. Leonardi Confessoris. Bernardi Abbatis & Confes. Ceciliæ Virginis & Mart. Agathæ Virginis & Mart. Iulianæ Virginis & Martyris, & vndecim millium Virginum.

FINIS.

LECTORI.

TOMO tertio Bibliothecæ SS. Patrum exstat Libellus Alcuini de virtutibus & octo vitiis principalibus ad VVidonem Comitem. Reperimus eundem in Codice M. scripto S. Galli. Sed fine locupletiorem; nam in vulgato desunt hæc, quæ sequuntur.

SVPERSCRIPTIO.

HÆc tibi, dulcissime fili, breui sermone, sicut petisti, dictaui, vt habeas ea, quotidie, quasi manualem in conspectu tuo libellum, in quo possis teipsum considerare, quid cauere, vel quid agere debeas, atque per singulas vitæ huius prosperitates vel aduersitates exhortari, quomodo ad culmen perfectionis ascendere debeas. Nec te Laici habitus vel conuersationis sæcularis terreat qualitas, quasi in eo habitu vitæ cælestis ianuas intrare non valeas. Igitur sicut omnibus æqualiter regni Dei prædicata est beatitudo, ita omni sexui, ætati & personæ æqualiter secundum meritorum dignitatem regni Dei patet introitus: vbi non est distinctio, quis esset in sæculo laicus vel Clericus, diues vel pauper, iunior vel senior, seruus aut dominus, sed vnusquisque secundum meritum boni operis perpetua coronabitur gloria.

XXXVI. *Salomon dixit.*

Eccles. 6.

VERBVM dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis in bono homine abundabit. Multi pacifici sint tibi, & consiliarij tibi sint vnus de mille. Si possides amicum, in tentatione possi-

possideeum,& non facilè credas illi. Est enim amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis. Est amicus, qui egreditur ad amicitiam. Est autem amicus socius mensæ, & non permanet in die necessitatis, amicus si permanserit fixus, erit tibi coæqualis, & in domesticis tuis attende. Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, inueniunt illum. Qui timet Dominum, æque habebit amicitiam bonam, quoniam secundum illum erit amicus illius. Fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam, & quasi is qui arat & seminat accede ad illam, & sustine bonos fructus illius, in opere enim ipsius exiguum laborabis.

HIS SVBIICIEBANTVR VERSVS SEQVENTES, qui continent Epitaphium Alcuini.

Hic rogo pauxillum veniens subsiste viator
  Et mea scrutare pectore dicta tuo.
Vt tua deque meis cognoscas fata figuris.
  Vertitur en species vt mea sicq; tua.
Quod nunc es, fueram formosus in orbe viator:
  Et quod nunc ego sum, tuq; futurus eris.
Delitias mundi casso sectabar amore
  Nunc cinis & puluis vermibus atque cibus.
Quapropter potius animam curare memento
  Quam carnem; quoniam hæc manet, illa perit.
Cur tibi rura paras? quam paruo cernis in antro
  Me tenet hic requies, sic tua parua fiet.
Cur Tyrio corpus inhias vestirier ostro
  Quod mox esuriens puluere vermis edet?
Vt flores pereunt vento veniente minaci:
  Sic tua namque caro gloria tota perit.
Tu mihi redde vicem, lector rogo carminis huius,
  Et dic da veniam Christe tuo famulo.

Obſecro nulla manus violet pia iura ſepulchri,
Perſonet Angelica donec ab arce tuba.
Qui iaces in tumulo, terræ de puluere ſurge
Magnus adeſt iudex, millibus innumeris.
Alchuine nomen erat ſophiam mihi ſemper amanti,
Pro quo funde preces mente legens titulum.

Anno Domini 804. Secundum Baron.

Hic requieſcit beatæ memoriæ Dominus Alchuinus Abba, qui obiit in pace XIV. Cal. Iunias. Quando legeritis o vos omnes, orate pro eo, & dicite, Requiem æternam donet ei Dominus.

In eod. Cod. poſt Epiſtolam ad Eulaliam Virginem Conſtantiæ editam, ſubiunctamque illam Litaniam: *Miſerere Domine, miſerere Chriſte, &c.* Sequebantur verſus ſequentes.

Candida florigeris lucent ceu lilia campis
Fulgeat in meritis ſic pia virgo ſacris.
Dum ſedeas lætus pulchra poſſeſſor in aula
Tum miſeros ſtantes eſſe memento foras.
Vt* tibi perpetuam qui tradidit iſtam
Iamque domum clemens Chriſtus in arce poli.
Frigora qui fugiat veniat ſua membra fouere,
Ad me prægelidus nempe viator ouans.
Crux ſacrata Dei fulgeſcit ſanguine ſummi
Nos noſtramque ſimul protegat alma domum.
Hæc pateat charis iam ianua ſemper amicis
Qui læto quærant pectore namq; patrem.
Hic requieſcat ouans Abbas ſanuſque reſurgat
Quem tua conſeruet dextera Chriſte potens.
Sit tibi Chriſtus amor, potus, cibus, omnia Chriſtus,
Lux, via, vita, ſalus, laus venerande pater.

* verſus mutilus.

Poſt hos verſus ſequebatur in eodem Codice hoc, vt ſic appellem, fragmentum Chronologicum.

Anno DCCCIII. ab Incarnatione Domini, Indictione XIIII. Anno XXXVIII regnante Carolo Imperatore. VIII. Id. Febr. die Veneris, diuiſum eſt regnum illius inter filios ſuos, quantum vnuſquiſq; poſt illum haberet, & ego alio die hoc opus, &c. *cætera deſunt.*

In alio quodam Codice membranaceo S. Galli hoc reperi carmen acephalum.

Albinus precibus postulet ipse suis.
Vt felix viuas instantis turbine mundi
Hæc tua deposcit vernula turba Deum
Tempora post secli paradisi in sede locatus
Præmia percipias quæ sine fine manent
Huic coniuncta viro Ermengardis amabilis vxor
Sis regina valens tempus in omne bene.
Cum quo permultos viuas feliciter annos
Deque tua sobolem cernere prole queas.
Tu decus ô regni, Imperij fidissima spesque,
Sat bene Lothari pulcher ephebe vale.
Teque tuos Christi nectat dilectio fratres,
Vt nosmet nullus hostis adire queat.
Sic mundi regnum, mundi teneatis in aruis,
Vt vos post mortem regna superna habeant.

In Manuscripto Cod. S. Galli, in quo Epistola Alcuini Tom. 3. Antiquæ Lectionis publicata, leguntur isti versus, rudes quidem, sed non digni perire, nescio tamen an ex officina Alcuini.

VERSVS DE ECCLESIA S. Petri. Ad Corpus.

QVod duce te mundus surrexit in astra triumphans,
Hanc Constantinus Victor tibi condidit aulam.

IN PORTIS SANCTI PETRI ad Corpus.

LVMINE sed magno vibrare janua cerno,
Astriferumque polum indicat ipse nitor.

Terreor & vultus seruantum limina sacra
Geminis in portis ora iocunda nitent.
Simonis aspectus fulgens præcluditur vna,
Altera sed Pauli radiat orbe docens.
Aditus interior gazarum æstuat opes,
Et depicta nitent cumulis ipsa suis.
Aureis in petalis gemmarum cluditur ordo,
Et superba tegit blattea palla fanum.
Sic quoque coniunctis seruatur gloria rebus,
Et variata simul nexa natura manet.
Inclita cum opere surrexit fama perennis.
Indubitante fide reddite cuncti vota.
Lux arcana Dei verbum, sapientia, lucis,
Atque corruscantis splendida imago patris
Ad nos descendit,* nec vbi fuit ante recessit,
Vt cæcas mentes erueret tenebris.
Plenus homo in nostris & verus nascitur idem,
Virginis ex vtero totus vbique Deus.
Discipulis præcepta dedit, Petrumq; beatum,
Hos inter primum sanxit & egregium.
Cuius in arbitrio cælum terramq; reliquit,
Pandere vel potius claudere cumq; velit.
Nam sub mortigenæ quidam iacuere gehennæ
Verbere, confossi mente, fide, opere.
Instria testatur possessa hostilibus annis
Septies & decies schismate pestifero:
Esset vt impletum Ieremiæ voce canentis,
Vltio captiuis tam numerosa fuit.
Sed bonus Antistes, dux plebis Honorius armis
Reddidit Ecclesiis membra reuulsa piis.
Doctrinis monitisque suis de faucibus hostis
Abstulit exactis iam peritura modis.
At tuus argento præsul construxit opimi,
Ornauitq; fores Petre beate tibi.
Tu modo cælorum quapropter ianitor alme
Fac tranquilla tui tempora cuncta gregis.

*m.s. nec quo fuit esse.

f. Histria.

EPITO-

Epitome Canonum

QVAM ADRIANVS SVMMVS PONTIFEX HOC NOMINE PRIMVS CAROLO MAGNO

Romæ obtulit.

Nunc

Primum euulgata

Ex

M. S. Codice celeberrimi Monasterij Weingartensis.

LECTORI.

AVCTOR huius Epitomes Adrianus Pontifex Pontificatum iniit anno Christi 772. tenuitq; vsq; ad annum Domini 795. Sanctitate & rerum gestarum magnitudine conspicuus. Altero sedis suæ anno, qui erat annus Christi 773. Carolum Magnum Romæ excepit, Et hoc Canonum Breuiario donauit. Quod luce dignissimum, cum propter eius qui obtulit; tum propter eius, cui oblatum est, auctoritatem. Dolendum, correctius & integrius non prodire: nam deesse Canones Nicænos, nescio quo infortunio, vel inde coniicias, quod semel atq; iterum tanquam in hoc compendio exstantes citantur; & tamen nusquam apparent. Sed forte offeret bona sors vel nobis vel aliis perfectiorem codicem, cuius ope resarcire liceat, si quid huic editioni deesse videbitur.

INCIPIT COMPENDIOSA TRADITIO CANONVM ORIENTALIVM, SIVE AFRICANORVM

quos beatus Hadrianus Papa, in vno volumine cum superioribus Conciliis ad dispositionem Occidentalium Ecclesiarum Karolo Romæ posito dedit Regi Francorum, & Longabardorum, ac patricio Romanorum. In primis de Canonibus Apostolorum sub numero L. capitulorum.

INCIPIVNT ECCLESIASTICÆ REGVLÆ SS. PATRVM, APOSTOLORVM, PROLATÆ PER CLEMENTEM ROMANVM Pontificem: quæ ex Græcis exemplaribus in primo ordine ponuntur.

EPiscopus à duobus, vel tribus ordinetur. I

Presbyter, & reliqui Clerici ab vno Episcopo ordinentur. II

Ne mel, & aliud in sacrificio offeratur, nisi quod Dominus statuit. III

Nouas spicas, vuas, oleum, & incensum ad altare licet offerri, ad benedicendum. IV

Reliqua omnia ad domum Episcopi, & Presbyteri. V

Vt Presbyter vxorem suam à gubernatione sua non abiiciat, sed caste regat. VI

Ordinati, sæcularibus curis dediti, deiiciantur. VII

Vt Pascha ante æquinoctium vernale non celebretur. VIII

Vt ministri altaris facta oblatione communicent. IX

Vt & laici Ecclesiam ingressi communicent. X

Si quis cum excommunicato, saltem in domo orauerit, excommunicetur. XI

Si quis cum damnato Clerico, veluti cum Clerico, orauerit, damnetur. XII

XIII Vt nullus præter commendatitias litteras suscipiatur.

XIV Ne Episcopi alienam parochiam inuadant.

XV Ne Clerici suam Ecclesiam relinquant, præter Episcopi licentiam.

XVI Vt Episcopus, fugitiuum alterius Episcopi Clericum retinens excommunicetur.

XVII Ne bigamus, vel concubinam habens ordinetur.

XVIII Ne corruptarum mariti ordinentur.

XIX Vt duabus sororibus,* vel filiæ fratris corrupt........ ad Clerum non admittatur.

XX Clericus fideiussor abiiciatur.

XXI * Per vim eunuchizatus possit fieri Episcopus.

Et qui se eunuchizauerit, non ordinetur.

Si Clericus se eunuchizauerit, deponatur.

** Qui duas sorores duxit aut consobrinã clericus esse non potest.*

XXII Laicus semetipsum abscindens tribus annis excommunicetur.

XXIII Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus in fornicatione, periurio, vel furto capti, deponantur, non tamen excommunicentur.

XXIV Similiter reliqui Clerici iudicentur.

XXV Quod Lectoribus tantum liceat Matrimoniũ contrahere. Quod Episcopus, Presbyter, Diaconus peccantes fideles verberare non debeant.

XXVI Vt damnati pristinum officium vsurpantes, de Ecclesia penitus abscindantur.

XXVII Episcopus, Presbyter, Diaconus per pecuniam ordinatus, cum ordinatore suo, deponatur, & excommunicetur, vt Simon Magus à Petro.

XXVIII Vt Episcopus* seculares potestates Ecclesiam obtinens, deponatur.

**per*

XXIX Vt Presbyter qui contempto Episcopo suo seorsum conuentus fecerit, deponatur.

XXX Quod Clerici ab Episcopo suo damnati, ab aliis non debeant recipi.

XXXI Episcopi, Presbyteri, Diaconi, peregrini per commendatitias litteras suscipiantur hospitio, non ad communionem.

XXXII Vt Episcopi sine Primate suo: Primas, absq; suis Suffraganeis nil disponant, nec in propriis parochiis.

XXXIII Vt Episcopus, qui in aliena parochia Clericos, nesciente eorum Episcopo ordinauerit, deponatur cum his, quos ordinauit.

Vt

Vt Episcopus curam populi suscipere nolens, excommunicetur. Item Clerici, si populum non erudierint, vt legitimo Episcopo obediant, si ad illos venire noluerint. & bis in anno Concilia Episcoporum celebrentur. XXXIV

Vt Episcopus omnes Ecclesiasticas res dispenset, nec inde aliquid suis parentibus, non pauperibus subministrari patiatur. XXXV

Vt Presbyteri, & Diacones præter Episcopum nihil agant, sint autem ab inuicem separatæ res Ecclesiasticæ, & res Episcopi propriæ, quas ille dare possit quibus voluerit, ne eo moriente, propinqui eius proscribantur sub obtentu Ecclesiæ. XXXVI

Omnes res Ecclesiæ, in potestate sint Episcopi ad dispensationem pauperum. Episcopus, Presbyter, Diaconus, aleator, aut ebriosus, aut desinat, aut delinquentes Clerici, siue Laici eadem facientes, excommunicentur. XXXVII

Episcopus, Presbyter, Diaconus, vsurarij, aut desinant, aut damnentur. XXXVIII

Episcopus, Presbyter, Diaconus cum hæreticis tantum orantes excommunicentur. XXXIX

Si vero eos ad Clericale officium hortati fuerint, damnentur. XL

Episcopus, Presbyter, baptisma heretiorum, non in nomine Trinitatis baptizantium suscipiens, damnetur. XLI

Episcopus, Presbyter, qui recte baptizatum rebaptizauerit, vel non recte baptizatum non baptizauerit, deponatur. XLII

Si Laicus vxorem suam pellens, alteram vel ab alio dimissam duxerit, excommunicetur. XLIII

Si quis Episcopus vel Presbyter non baptizauerit in nomine sanctæ Trinitatis, abiiciatur. XLIV

Si quis Episcopus, vel Presbyter non per trinam mersionem baptizauerit, deponatur. XLV

Incipiunt Canones Ancyrani numero, XXIV.

Regulæ Ancyrani Concilij priores quidem sunt Nicænis: sed ideo Nicænis istæ postponuntur, propter sancti, & magni Concilij auctoritatem Nicææ congregati.

Incipit Ancyranum Concilium.

VT Presbyteri, qui immolauerunt inuiti, & postea paganis reluctati sunt, deposito quidem officio, honorem propriæ sedis retineant. I

II . Item de Diaconibus fiat, si similiter peccauerint; sic, vt digne pœnitentibus parcere possint.

III . Vt hi, qui ad sacrificandum idolis violenter attracti sunt, à communione non separentur, qui in arbitrio tamen Episcoporum ordinari possunt.

IV Vt hi, qui paganorum ritus inuiti fecerunt, tam diu se pœniteant, quam diu se paganizauerunt.

V Vt hi, qui non tormentis summis sacrificare coacti sunt, inter audientes vsq; ad magnum diem cœnæ Domini, suscipiantur, deinde sex annis pœniteant.

VI Vt hi, qui in locis idolorum proprios cibos manducauerunt, biennio pœniteant.

VII Vt, qui frequenter coacti sunt sacrificare, septennio pœniteant.

VIII Vt, qui & alios sacrificare compulerunt, decennio pœniteant.

IX Vt Diaconi incontinentes deponantur.

X Vt sponsæ à raptoribus, licet etiam corruptæ, sponsis suis restituantur.

XI Quod ordinandis non noceat, quod ante baptismũ sacrificauerunt.

XII Vt *correpti Presbyterum, vel Diaconum nõ ordinent, nec Presbyter aliquid agat in parochia sine præcepto Episcopi.

* Chor. episcopi.

XIII Vt Clerici esum carnium abominantes, deponantur.

XIV Et Ecclesiæ restituatur, quidquid Presbyteri de rebus Ecclesiasticis, absq; Episcopo vendiderunt.

XV Vt masculorum, & pecorum concubitores, nondum vicennes, post XV. annos in pœnitentia exactos, orationum communionem recipiant. Deinde post quinquennium, communionem altaris percipiant. Quibus etiam prolixius tempus ad agendam pœnitentiam imponendum est, si tale scelus frequentauerint. Qui autem iam vicennarij, & vxorati, ita peccauerint, XXVI. annis pœnitentia exactis tandem in oratione communicent, deinde post quinquennium oblationis Sacramenta percipiant. Qui vero quinquagenarij, & vxorati, ita peccauerunt, tandem ad exitum vitæ communionem recipiant.

XVI Vt masculorum, vel pecorum concubitores, inter Dæmoniacos tantum orent.

XVII Si Episcopi ordinati, nec recepti, aliis Episcopis vim seditionis inferant, abiiciantur.

XVIII Vt virginalis propositi prævaricatores, inter bigamos computentur: &, ne virgines habitent cum aliquibus, quasi sorores.

Si

Si cuius vxor adultera fuerit, vel, si vir adulterium commiserit, septennio pœniteat. XIX

Vt feminæ, quæ partus suos ex fornicatione necant, decennio pœniteant. XX

Vt spontanei homicidæ post iugem pœnitentiam in exitu vitæ communionem recipiant. XXI

Vt, non spontaneum homicidium septennio, vel quinquennio emendetur. XXII

Qui diuinationes expetunt, more gentilium, quinq; annis pœniteant. XXIII

Quidam sponsæ suæ sororē ingrauidauit. Deinde sponsa, ab eo in vxorem ducta, soror eius corrupta, laqueo se suspendit. Hi, qui fuerunt conscij decennio pœniteant. XXIV

Et subscripserunt XVIII. Episcopi: Vitalis Antiochenus, Marcellus Ancyranus. Agricolaus Cæsariensis, & reliqui XV. Episcopi.

Explicit Ancyranum Concilium.

Regulæ, in Neocæsariensi Synodo prolatæ, Ancyranis quidem, vel Cæsariensibus temporibus posteriores; sed Nicœnis anteriores.

Incipit XIV. Cap. Neocæsariensis.

PResbyter, si vxorem duxerit, deponatur. si vero in fornicatione, vel adulterio peccauerit, ad acriorem pœnitentiam compellatur. I

Vt mulier duobus fratribus nupta, vsque ad mortem abiiciatur. Verum in exitu suscipiatur: si promiserit se talem copulam non iteraturam si vita concedatur. II

Quod multinubi pœnitere debeant. III

Vt gratiæ diuinæ imputetur, si desiderata libido non perficitur. IV

Vt catechumenus expellatur, si post admonitionem peccans (iussa præuaricatur. V

Vt grauida catechumena baptizetur. VI

Ne Presbyteri nuptiis bigami intersint. quia digamia eget pœnitentia. VII

Vt laicus, cuius vxor adulterata est, non ordinetur. Et Clericus, cum adultera vxore viuens deiiciatur. VIII

Presbyter confessus se ante ordinem crimen perpetrasse, oblata non consecret, in reliquis manens officiis. Non confessus autem, si conuinci non poterit, suo iudicio relinquatur. IX

X Diaconus simili modo lapsus, deponatur.

XI Presbyter ante XXX. annos non ordinetur.

XII Vt in ægritudine baptizatus Presbyter non fiat, nisi necessitate.

XIII Ne Presbyteri ruris in ciuitate coram Episcopo, vel Presbyteris vrbis offerant, nisi forte illis absentibus aduocentur.

XIV Vt in ciuitate VII. sint Diacones sicut Actuum Apostolorum liber præcipit.

Et subscripserunt: Vitalis Salaminius: Amphion, & reliqui, qui in * Cæsarea conuenerunt XIX. Episcopi.

* *Neocæsarea legend.*

Explicit Neocæsariense Concilium.

Incipiunt XX. Canones Gangrensis Concilij, post Nicænum Concilium expositi.

I SI quis coniugium pro crimine detestatur, anathema sit.

II Si quis religiose carnes edentem execratur, anathema sit.

III Si quis seruum pro religione dominum suum contemnere docet, anathema sit.

IV Si quis spernit Presbyterum, eo quod legitime coniugatus fuerit, anathema sit.

V Si quis donum DEI contemptibile docet, anathema sit.

VI Si quis Ecclesiastica ministeria extra Ecclesiam temere vsurpauerit, anathema sit.

VII Vt nullus oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam, præter conscientiam Episcopi, vel Vicarij eius suscipiat.

VIII Vt nullus accipiat, vel distribuat oblationes pauperibus præter Episcopum, vel eius Vicarium.

IX Vt nullus pro virginitate execretur nuptias.

X Vt nullus virginitatem custodiens aduersus coniugatos superbiat.

XI Vt nullus exsecretur Agapas, id est, conuiuia pauperibus exhibita.

XII Vt nullus virorum in signum continentiæ, pallio vtatur, despiciens eos, qui solitis vestibus vtuntur.

XIII Vt nulla femina virilem habitum sumat, quasi pro continentia.

XIV Vt nulla femina virum relinquat, pro execratione nuptiarum.

Vt

Vt nullus filios suos negligat per occasionem continentiæ. XV

Ne filij parentes occasione Christianitatis despiciant. XVI

Ne mulieres quasi pro diuino cultu attondeantur. XVII

Ne quis in die Dominica, quasi pro continentia ieiunet. XVIII

Vt nullus Ecclesiastica ieiunia absque necessitate dissoluat. XIX

Vt nullus collectas execretur, quæ sunt in commemoratione Martyrum. XX

Et subscripserunt, Elianus, Eusebius, Basilius, Osius, Gregorius, & reliqui Episcopi numero X.

Expliciunt regulæ Gangrensis Concilij.

Incipiunt XXV. Regulæ apud Antiochiam in encæniis expositæ.

QVICVNQVE cum Iudæis contra statuta Nicæni Concilij Pascha celebrauerit, excommunicetur. Et damnatus Clericus omni quoque honore extrinsecus, quem sancta Regula, vel Sacerdotium promeruit, priuetur. I

Vt, quicunque se à sancta Communione, pro quadam intemperantia suspendit, vel qui excommunicato communicauerit, excommunicetur. II

Vt Clericus, qui ad propriam parochiam redire contempserit, degradetur. III

Vt Episcopus, Presbyter, Diaconus damnatus, si pristinum officium vsurpauerit, nunquam restituatur, & omnes ei post damnationem scienter communicantes, excommunicentur. IV

Si Clericus proprium Episcopum contemnens seorsim colligit, irreuocabiliter damnetur. Idem, si Ecclesiam turbare non desinit, per cæteras potestates opprimatur. V

Vt excommunicatus à suo Episcopo, non recipiatur. VI

Vt peregrini sine cõmendatitiis litteris non suscipiantur ab alio. VII

Presbyteri agrorum non possunt dare canonicas Epistolas, sed Chorepiscopi. VIII

Vt Metropolitanus, licet comprouincialibus Episcopis prælatus, nil tamen præter illos, nisi in propria parochia dispenset. IX

Quod Chorepiscopi ordines inferiores vsq; ad Subdiaconatum dare non possunt. Et Clericus, qui præter litteras comprouincialium X

Episcoporum, pro querimoniis adierit Imperatorem, honore, & communione priuetur.

XI Vt Clerici damnati, si Imperatorem adierint, nunquam restituantur.

XII Vt irritum sit, quidquid Episcopus non rogatus in aliena parochia ordinauerit.

XIII Si in damnatione Episcopi Prouinciales Episcopi dissenserint

XIV * *Nota hic desideratur.* à Metropolitano, vicinis Episcopis aduocatis, causa terminetur.

XV * Si omnes Prouinciales Episcopi in damnatione vnius consenserint, hunc apud alios iudicari non oportebit.

XVI Vt Episcopus vacantis Ecclesiæ inuasor abiiciatur.

XVII Si quis susceptum Episcopatum adire, & gubernare contempserit, excommunicetur.

XVIII Si quis susceptum Episcopatum non suo, sed aliorum vitio deuitauerit, honorem suum retinere debebit.

XIX Vt Metropolitanus non nisi cum pluribus Episcopis, ordinet Episcopos.

XX Vt in prouincia Episcoporum Concilia bis in anno fiant.

XXI Vt Episcopus de sua Parochia in alienam nullo modo transmigret.

XXII Quod irrita sit ordinatio, quam Episcopus in aliena Parochia in alienis Clericis vsurpauerit.

XXIII Vt irritum sit, si Episcopus sibi successorem elegerit.

XXIV Vt res Ecclesiæ iudicio Episcopi dispensentur, separatę quidem ab eius propriis rebus, quas ille dare possit, quibus voluerit: ne eo moriente, inuadantur res eius propriæ, cum rebus Ecclesiæ.

XXV Quod Episcopus Ecclesiasticas res sibi, & aliis dispensare possit, non tamen ad superfluitatem, sed ad indigentium necessitatem.

Et subscripserunt XXX. Episcopi. Eusebius Palęstinensis; Theodorus Mesopotamiensis, Theodotus Isauriensis, & reliqui.

Explicit Antiochenum Concilium.

Sancta

Sancta Synodus quæ apud Laodiciam Pacatiæ Phrygiæ conuenit, Regulas LVIIII. exposuit subter annexas.*

*Pacatianæ.

Si qui secundò legitimè nupserunt; post, qui paruo tempore transacto, orationibus vacauerint, ad communionem recipiantur. I

Vt perfectè pœnitentibus communio concedatur. II

Vt nouiter baptizati, non fiant Clerici. III

Ne ordinationes fiant sub conspectu audientium, id est, catechumenorum. IV

Ne Clerici aliquo modo sint vsurarij. V

Ne permanentes in hæresi, permittantur intrare domum Dei. VI

Vt Nouatiani, & Tessares cædecaditæ, & Sotiani ad Ecclesiam redeuntes, post* abiurationem hæresis, per vnctionem Chrismatis reconcilientur. VII

*M.s. adiurationem mendosè.

Vt ex hæresi Cataphrygarum conuersi baptizentur. VIII

Vt Catholici ad hęreticorum cœmeteria oratum euntes, excommunicentur. IX

Ne Catholici cum hæreticis indifferenter coniugium ineant. X

Vt illæ, quæ dicuntur Presbyteræ, pręsidentes in Ecclesiis, non ordinentur. XI

Vt Episcopi cum iudicio Metropolitani, & aliorum Episcoporum prouehantur. XII

Ne iudicio multitudinis ordinationes fiant. XIII

Ne eulogiæ, id est, oblatæ, ad alias Parochias destinentur. XIV

Vt nullus, præter regulares Cantores, in pulpito cantet. XV

Vt in Sabbatho Euangelia cum aliis scripturis legantur. XVI

Ne in Ecclesia Psalmi continuentur, sed per singulos Psalmos lectiones recenseantur. XVII

Vt id ipsum officium precum, & nona, & vespera celebrentur. XVIII

Vt post prædicationem Episcoporum, fiat oratio super Catechumenos: quibus egressis, oratio fiat super pœnitentes, tunc ad manum sacerdotis accedentes. His discedentibus consummantur tres orationes fidelium. XIX

Prima

Prima quidem ſub ſilentio: ſecunda verò, & tertia per ſolitas exclamationes. Et pace data, celebretur oblatio. Solis autem ſacris Miniſtris iuxta altare liceat communicare.

XX Ne Diaconi coram Presbytero ſedeant, niſi eo iubente. Similiter Diaconi ab inferioribus honorentur.

XXI Vt Subdiaconi remoti ſint à Diaconio, id eſt, Secretario, nec Dominica vaſa contingant.

XXII Ne Subdiaconus orario vtatur, nec oſtia relinquat.

XXIII Ne Lectores, vel Cantores cum orariis legant, vel pſallant.

XXIV Ne Clerici, vel Continentes, vel Monachi comedant in tabernis.

XXV Ne Subdiaconi panem dent, vel calicem benedicant.

XXVI Quod nuſquam exorcizare poſſint hi, qui ab Epiſcopo ad hoc non ſunt ordinati.

XXVII Ne Clerici ad Agapen vocati, partes Eccleſiarum accipiant.

XXVIII Quod non liceat in Eccleſiis Agapen fieri, vel manducari, vel accubitus ſterni.

XXIX Vt nullus in Sabbatho Iudaizando otietur.

XXX Vt viri cum mulieribus non lauentur.

XXXI Ne Catholici filios ſuos, vel filias hæreticis dent in coniugium, ſed magis accipiant, ſi tamen illi, ſe Catholicos fieri promittant.

XXXII Ne quis eulogias ab hæreticis ſuſcipiat, quæ non benedictiones ſunt, ſed maledictiones.

XXXIII Ne quis cum hæreticis, vel ſchiſmaticis oret.

XXXIV Quod anathema ſint, quicunque ad hæreticorum Martyres acceſſerint.

XXXV Vt anathema ſit, quicunque relicta Eccleſia, * Angelos colere, vel congregationes facere præſumpſerit. Vt Clerici incantationibus, vel phylacteriis vtentes excommunicentur.

** angulos: fortè legendum.*

XXXVI Ne quis à Iudæis, vel ab hæreticis dona feſtiuitatis eorum ſuſcipiat.

XXXVII Ne quis azyma ſuſcipiat, à Iudæis.

XXXVIII Ne quis cum gentilibus feſta celebret.

XL Ne Epiſcopi vocati ad Synodum venire contemnant.

XLI Ne quis Clericus ſine Canonicis litteris, id eſt, formatis proficiſcatur.

XLII Ne Subdiaconi vel paululum ianuas Eccleſiæ deſerant.

XLIII Ne Clerici ſine iuſſione Epiſcopi proficiſcantur.

Ne

Ne feminæ ingrediantur ad altare.	XLIV
Vt nullus post duas quadragesimæ hebdomadas baptizetur.	XLV
Vt baptizandi Symbolum discant, quod in quinta feria maioris septimanæ, Episcopo vel Presbytero reddant.	XLVI
Vt in ægritudine baptizati fidem postea addiscant.	XLVII
Vt baptizati Chrismate confirmentur.	XLVIII
Vt panis benedictionis in quadragesima non offeratur, nisi in Sabbatho, vel Dominica.	XLIX
Vt nullus in Cœna Domini ieiunium quadragesimale soluat.	L
Ne natalitia Martyrum in quadragesima celebrentur, * si eorum commemoratio in Sabbatis, vel Dominicis fiat.	*Sed LI
Ne nuptiæ, vel hominum natalitia, celebrentur in quadragesima.	LII
Ne Christiani in nuptiis plaudant, vel saltent, sed venerabiliter cœnent.	LIII
Ne Clerici ludicris spectaculis intersint in cœnis, vel nuptiis, sed ante discedant, quàm Thymelici veniant.	LIV
Vt nullus * ex.....vel commissationibus conuiuia celebret.	LV
Ne Presbyteri ante Episcopum intrent sacrarium, & sedeant, sed cum ipso.	LVI
Vt in villis, vel in agris, non Episcopi, sed visitatores constituantur.	LVII
Vt in domibus oblatio non celebretur ab Episcopo, vel Presbytero.	LVIII
Ne plebei Psalmi in Ecclesia cantentur: nec alij libri, nisi noui, & veteris Testamenti tantum in Ecclesia legantur. Et subscripserunt XXII. Patres.	LIX

*Collatis vel commissalibus (hoc est ex Symbolis.)

Explicit.

*Incipit præfatio Canonum * Sardicensium, siue Africanorum.*

* M.S. Serdicensium.

SVNT etiam XX. Regulæ, quæ per Osium Cordubensem Episcopum currunt, quæ titulantur, tanquam XL. Episcoporum apud Serdicam, quæ tamen non apud Græcos, sed magis apud Latinos inueniuntur. Sciendum est autem hunc Osium inter CCCXVIII.

Patres Nicęni Concilij honorabilem fuiſſe,atque ab Apoſtolica Sede, cum Victore, & Vincentio Presbyteris deſtinatum; qui & Hiſpanus vſque ad tempus Conſtantij Principis in corpore legitur permanſiſſe. Hic tamen in extremis ſuis ſatis pueriliter deſipuit, vt Seuerus * Sulpicius in Chronicis ſuis teſtatur, aſſerens,quod Conſtantius Imperator numeroſiſſimum Ariminenſe Concilium ab eo contra Catholicam fidem congregatum Arrianæ hęreſi ſubſcribere compuliſſet. Vnde etiam placuit, vt miſſa Apoſtolica legatione,à prædicto Oſio perquireretur,an Nicæna Synodus,cui ille interfuit,filium patri συνομοούσιον,id eſt,conſubſtantialem, quod Catholicorum eſt: an συνόμοιον, id eſt, conſimilem tantum, quod Arriani dicunt, decreuiſſet confitendum. Sed ille, aut pro longa ætate deſipiens; aut aſſentatione Principis verum diſſimulans,reſpondiſſe perhibetur,vtramque partem rectè confiteri ſiue συνομοούσιον, ſiue συνόμοιον. Quod reſponſum tam à Catholicis, quàm ab Arrianis vno ore irriſum eſt, atque refutatum.Denique poſt hoc reſponſum, in ciuitate ſua Corduba,in qua Epiſcopus fuit, nomen inter Catholicos Epiſcopos minimè recitatum eſt.

*M.ſ. Suplicius mendosè.

Sunt etiam Eccleſiaſticæ regulæ, quæ in Africanis regionibus frequentiſſime Synodali Concilio conſcriptæ ſunt. Sed in his omnibus illa ſequi debemus, quæcunque à Nicæno Concilio, & à ſancta atque Apoſtolica Eccleſia Romana non diſcrepare videmus.

Incipiunt Canones Sardicenſis Concilij, numero XXII.

I Vt Epiſcopus laica communione priuetur, ſi de ſua ciuitate in aliam tranſmigrauerit.

II Vt Epiſcopus nec laicam communionem in fine recipiat,ſi ſedem mutauerit per ambitionem.

III Vt inter diſcordes Epiſcopos, comprouinciales Epiſcopi audiant. Quod ſi damnatus appellauerit Romanum Pontificem:id obſeruandum eſt,quod ipſe cenſuerit.

IV Vt nullus appellantis Epiſcopi ſedem vſurpare præſumat.

V Vt in Prouincia, vbi vnus tantum Epiſcopus remanſerit, nec comprouincialem ſibi Epiſcopum ordinare voluerit, Epiſcopi alterius prouinciæ à Presbyteris vocati ordinent Epiſcopum, etiamſi ille

ille solus, qui remansit, post admonitionem eis cooperari noluerit.

Ne Episcopus ordinetur in vicis, vel in modicis ciuitatibus. VI

Quod Prouincialis Synodus per Vicarios Romani Pontificis retractari possit, si ipse ita decreuerit. VII

Vt Episcopi ad comitatum non vadant, nisi ab Imp. vocati, aut necessitatibus oppressorum subuenturi. VIII

Vt Episcopi, Diacones suos ad comitatum dirigant. IX

Vt Papa Diacones Romam ad comitatum venientes, solicitè discutiat, si iustam causam veniendi habeant. X

Vt Episcopi Episcopos ad comitatum transeuntes, solicitè discutiant, ne pro ambitione vadant. XI

Vt Episcopi ab aliis instruantur, si nondum Synodica statuta nouerunt. XII

Vt ex Laicis non fiant Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi vtpote per inferiores. XIII

Ne Episcopi vltra tres septimanas in aliena ciuitate morentur, quoniam Laici tanto tempore conuentum Ecclesiæ negligentes sunt excommunicandi. XIV

Ne Episcopus à sua Ecclesia plus quam duas hebdomadas absit. XV

Vt Clericus à suo Episcopo excommunicatus non recipiatur ab alio. XVI

Vt Clericum siue iustè, siue iniustè ab Episcopo suo excommunicatum finitimi Episcopi audiant; si ante excommunicationem, nullo modo excommunicent tam diu morari.* XVII

Vt nullus Episcopus alienum Clericum in Parochia sua ordinet. XVIII

Vt ordinatio alieni Clerici sine consensu proprij Episcopi irrita sit. XIX

**Locus mendosus. vide Can. 17. in ipso Sardicensi Concilio.*

Vt Presbyteri extra suam Parochiam non plus quàm III. septimanas demorentur. XX

Vt Episcopi à sede sua expulsi non prohibeantur in aliena ciuitate.* XXI

Omnis Synodus dixit: Vniuersa, quæ constituta sunt, Catholica Ecclesia in toto orbe custodiat. Et subscripserũt Episc. diuersarũ prouinciarũ, siue ciuitatum nu. LX. Osius à Spania Cordubensis: Vincent.

de Capua Legatus S. Romanæ Ecclesiæ. Ianuarius de Beneuento, Legatus S. Romanæ Ecclesiæ. Calipodius Neapolitanus Legatus S. Rom. Ecclesiæ. Athanasius de Alexandria. Marcellus à Macedonia de Ancyra. Protogenes ex Achaia de Serdica. Gaudentius ex Dacia de Naiso. Similiter & reliqui multi.

Explicit Sardicense Concilium.

INCIPIUNT CANONES CARTHAGInensis Concilij.

POst consulatum Honorij, & Theodosij Augustorum VIII. Kal. Iunias Carthagine in secretario Basilicæ Fausti cum Aurelius Papa vna cum Legatis Romanæ Ecclesiæ Faustino Episcopo Ecclesiæ Potentinæ Prouinciæ Italiæ, Picenæ, & Philippo, & Asello Presbyteris, nec non cũ Augustinus Hipponensis Episcopus, & reliqui CC. XVII. Episcopi consedissent; primùm recitato commonitorio, quod Zosimus Papa ad prædictos Legatos direxit. Deinde etiam XX. capitulis Nicæni Concilij recitatis, vt* superius descripta inueniuntur, communi decreto statuerunt capita XXXVII. quæ subsequuntur.

** Non exstant in hac Epitome. Hinc videtur mutila.*

I Vt statuta Nicæni Concilij omnimodis conseruentur.

II Vt sancta Trinitas populo Dei prædicetur.

III Vt altaris ministri se omninò contineant iuxta Apostolorum doctrinam.

IIII Vti à propriis vxoribus se abstineant ministri altaris.

V Vt à Clericis penitus auaritia vitetur: nec fænus de qualibet re accipiatur.

VI Ne Chrismatis confectio, vel puellarum consecratio, vel publica pœnitentium reconciliatio vllo modo fiat à Presbytero.

VII Quod in periculo positi à Presbytero possint reconciliari, si tamen præceperit Episcopus.

VIII Quod criminosi nequeant accusare Episcopos, neque maiores natu.

IX Vt Episcopus, vel Presbyter excommunicetur, si alterius Episcopi excommunicatum in communionem recepit.

X Vt Presbyter, si contra Episcopum suum inflatus schisma fecerit, anathema sit.

Vt

Vt Episcopus absq; Synodi tempore in crimine detentus,* XI *Locus mendosus*

Vt Episcopus non à paucioribus quam tribus ordinetur. XII

Si quis contra professionem suam, vel subscriptionem venerit, ipse se* honore Episcopatus audiatur. XIII *mendum.*

Vt apud Tripolim Presbyter à quinq; audiatur Episcopis; & Diaconus, à tribus, propter inopiam prouinciæ. XIV

Vt Clerici apud Ecclesiam incriminati, Ecclesiasticum iudicium non abnuant. Et, vt iudicibus Ecclesiasticis nil obsit, si eorum sententia soluatur, cum ab illis, ad alios Ecclesiasticos iudices maioris auctoritatis prouocatum fuerit, si tamen conuinci non poterint, quod aliqua cupiditate deprauati ita iudicassent. Item, vt a iudicibus consensu partium electis non prouocetur. Item, ne filij Sacerdotum, exhibeant secularia spectacula, vel expectent, vt vbi blasphemiæ fiunt, non accedant. XV

Ne Clerici sint conductores, vel procuratores: nec vllo turpi negotio victum quærant. Item, vt Lectores aut cogantur ducere vxores, aut profiteantur continentiam. Item, vt Clericus commodans pecuniam, tantum recipiat, quantum dedit. Item vt ante XXV. annum nec Diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur. XVI

Vt vnaquæque prouincia propter longinquitatem * Primatum habeat proprium. XVII *Primatem.*

Vt Clericis ab ordinatoribus suis Canones inculcentur. XVIII

Vt mortuis nec Eucharistia, nec baptismus detur. XIX

Vt annuatim Concilium celebretur, ad quod singularum prouinciarum legati dirigantur. Vt, nec accusatus Episcopus, nec accusator eius à communione suspendatur: nisi ad causam suam dicendã electorum iudicium die statuta occurrere noluerit. Vt Episcopus non communicans nec in sua Ecclesia communicet. Vt persona accusatoris, si culpabilis videtur, ad arguendum non admittatur, nisi proprias causas, non tamen Ecclesiasticas, asserere voluerit.

Vt accusatus Presbyter, vel Diaconus discutiantur ab Episcopo, adiunctis septem in Presbyteri nomine: & tribus in Diaconi nomine, quos ipsi petierunt. Reliquorum Clericorum causas solus Episcopus loci cognoscat, & finiat. XX

Vt filij Clericorum paganis, hæreticis, vel schismaticis in matrimonio non iungantur. XXI

Vt Clerici in eos, qui Catholici non sunt, nihil per donationes rerum suarum conferant, XXII

XXIII Vt Episcopi non transeant mare, nisi consulto eorum Primate.
XXIV Vt nihil in Ecclesia legatur sub nomine diuinarum scripturarum * testatum.
*mendum.
XXV Vt Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, Episcopi ab vxoribus contineant: quod nisi fecerint, deponantur. Cęteros autem Clericos ad hoc non cogi, nisi maturiori ætate.
XXVI Si quis Episcopus res Ecclesiæ suæ sine consilio finitimorum Episcoporum vendiderit, deponatur.
XXVII Vt Presbyteri, vel Diaconi in grauiori culpa conuicti, manus impositionem non suscipiant tamquam laici, ne rebaptizati Clerici fiant.
XXVIII Vt Clerici, qui ad transmarinos, non ad Primates suos, appellauerint, in communionem non recipiantur.
XXIX Si quis Clericus excommunicatus ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationem protulit.
XXX Vt Accusatus, vel accusator in loco, vnde est ille, qui accusatus est, si metuit aliquam vim multitudinis, locum sibi eligat proximum.
XXXI Vt Clerici, si Episcopis suis volentibus eos pro Ecclesiarum necessitate ad maiorem honorem promouere, non obedierint, nec ibi in gradu suo ministrent, vnde recedere noluerunt.
XXXII Vt Clerici res Ecclesiæ, quas de rebus conquisierint (Ecclesiasticis) Ecclesiæ relinquant.
XXXIII Vt Presbyteri rem Ecclesiæ suæ non vendant, nec Episcopus rem Tituli matricis Ecclesiæ vsurpet. Et subscripserunt; Aurelius Episcopus huic schedæ à nobis relectæ subscripsi. Faustinus Episcopus Ecclesiæ * potentiæ, Prouinciæ Italiæ Piceni, Legatus Ecclesiæ Romanæ huic schedæ subscripsi. Phillppus, & Asellus Presbyteri Romanæ Ecclesiæ Legati his gestis subscripsimus per nos relictis & directis. * Augustus Episcopus Hippone Regij Legatus Concilij Numidiæ huic chartulæ pro me, & eodem Concilio subscripsi. Et reliqui Episcopi CCXIII. diuersarum prouinciarum subscripserunt: qui in Carthaginensi Concilio conuenerunt.
*Potentinæ.
* Augustinus.

Explicit.

Incipiunt Canones diuersorum Conciliorum Africanæ prouinciæ, numero CV.

I QVod nihil de Hipponensi Concilio primo sit emendandum.
II Vt Clerici, filios suos à sua potestate non dimittant: nisi ea ætate, qua ad ipsos propria peccata pertineant.

Vt

Vt Clerici non ordinentur priusquam omnes ſuos fecerunt Catholicos. III

Vt nihil, niſi panis, & vinum aqua miſtum in Sacramentis offeratur. IV

Ne Clerici, vel continentes, aut viduas, vel virgines accedant, niſi iuſſu, vel permiſſu Epiſcoporum: nec tunc ſoli, ſed coram probatis perſonis accedant. V

Vt primæ ſedis Epiſcopus non vocetur Princeps Sacerdotum, vel ſummus Sacerdos: ſed tantum, primæ ſedis Epiſcopus. VI.

Ne Clerici in tabernis edant, vel bibant, niſi peregrinatio hoc cogat. VII

Vt Sacramenta altaris non niſi à ieiunis celebrentur. VIII

Vt Clerici in Eccleſia non conuiuentur niſi neceſſitate. IX

Vt Epiſcopus pœnitentiam pœnitentibus imponat iuxta differentiam peccatorum, nec Presbyter reconcilet pœnitentes inconſulto Epiſcopo, vt publice pœnitentibus manus ante abſidam imponat. X.

Ne Epiſcopus, vel Presbyter virgines ſacras paſſim vagari permittat. XI

Vt infirmi obmuteſcentes baptizentur, ſi teſtimonium ſuæ voluntatis habuerint. Vt ſcenicis, & hiſtrionibus, & aliis huiusmodi perſonis reconciliatio non negetur. XII

Liceat legi paſſiones Martyrum cum eorum anniuerſarij dies celebrantur. XIII

Vt ab Apoſtolica Sede inquiratur, ſi poſſint ordinari, qui apud hæreticos in infantia ſunt baptizati. XIV

Ne fiant rebaptizationes, reordinationes, & translationes Epiſcoporum. Vt Epiſcopus alieni Epiſcopatus inuaſor iudiciaria auctoritate excludatur, ſi Sacerdotalia monita contempſerit. XV

Vt Epiſcopus non à paucioribus, quam III. ordinetur. XVI

Vt ordinandus Epiſcopus, ſi ei contradicitur, non iam à tribus, ſed à pluribus expurgatus ordinetur. XVII

Vt de Eccleſia Carthaginenſi dies Paſchæ Affricanis Eccleſiis nuntietur Epiſcopis, & diſcutiatur. Interloquutio Honorati, & Vrbani Epiſcoporum ſit..... Mauritaniæ le....... XVIII

Vt diœceſes propriis Epiſcopis carentes Epiſcopos non accipiant, niſi ex conſenſu Epiſcopi qui illas eatenus non ſuperbe retinuit. Nam ſi ſuperbe retinuerit, & plebibus incubare affectás Coëpiſcopos ſuos deſpexerit, non ſolum à retentis diœceſibus, ſed à propria Eccleſia auctoritate iudiciaria propellendus eſt. XIX

Ne

XX Ne quis Episcopus alienum Clericum sibi vendicet, nisi concedente eius Episcopo.

XXI Quod Carthaginensi Episcopo liceat ex qualibet Ecclesia ordinare prępositos Presbyteros, vel Episcopos ad alias Ecclesias.

XXII Vt Episcopus nullam diœcesin sibi vendicet, nisi ad quam ordinatus est.

XXIII Quod paruuli à Donatistis baptizati, in Catholica ad Clerum ordinari possint.

XXIV Vt idolorum reliquiæ, vel templa destruantur.

XXV Petendum ab Imperatore, vt statuatur, ne Clerici de iudicij sui *cognatione cogantur in publico testimonium dicere.

*fort. cognitione.

XXVI Petendum ab Imp. vt paganorum comitia faciat auferri.

XXVII Petendum ab Imp. vt prohibeat spectacula theatrorum in diebus Dominicis, & aliis sanctorum festis.

XXVIII Petendum ab Imp. vt interposita pœna damni pecuniæ statuat, ne quis damnatum Clericum defendat.

XXIX Petendum ab Imp. ne permittat histriones post conuersionem ad pristinum ludum ab aliquo compelli.

XXX Petendum ab Imp. vt manumissiones in Ecclesia celebrentur.

XXXI Vt *Equirius damnatus quomodocunq; expelleretur, ne statum Ecclesiæ inquietaret.

*

XXXII Vt cum Donatistis leuius agatur, vt in mansuetudine correpti, resipiscant à laqueis diaboli.

XXXIII Vt iudices sæculares communem matrem sanctam Ecclesiam in hoc adiuuent, in quo Episcopi auctoritas contemnitur.

XXXIV Vt Clerici Donatistarum in catholicam recipiantur cum ordine pro tempore, & necessitate.

XXXV Vt ad Donatistas causa componendæ pacis legatio *.....in continentes.

*

XXXVI Vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi deponantur, si vel cum vxoribus inueniantur.

XXXVII Ne Episcopus diu absit à sua principali cathedra.

XXXVIII Vt infantes baptizentur, de quorum baptismo dubitatur.

XXXIX Vt dies Paschæ, & Concilij omnibus denuntietur.

XL Ne intercessor Episcopus Cathedram defuncti Episcopi diu retineat, sed infra annum eidem Cathedræ Episcopum prouideat.

XLI Vt defensores Ecclesiarum ab Imperatoribus postulentur.

XLII Vt Episcopi ad Concilium veniant, nisi aliqua graui necessitate impediantur.

Vt

Vt Episcopus inuasor alieni Episcopatus damnetur, si vocatus ad Synodum venire contempserit (* aliusq;) ordinetur. XLIII *in m. s. desiderabatur.*

Quod dissidentes populi impedire non debeant, quin Episcopus eis...... XLIV

Vt Clericus si post excommunicationem suam infra annum, causam suam purgare contempserit, penitus deinceps non audiatur. XLV

Si quis Episcopus de alio monasterio susceptum suæ Ecclesiæ præpositum, vel Clericum ordinauerit, excommunicetur, nec ille Clericus, vel præpositus perseueret. XLVI

Si quis Episcopus hæredes hæreticos, vel paganos Ecclesiæ prætulerit, vel post mortem anathematizetur, nec nomen eius inter DEI Sacerdotes recitetur. XLVII

Vt altaria ab Episcopis euertantur, vbi nullius sancti corpus, aut reliquiæ conditæ probantur. XLVIII

Vt ab Episcopo Carthaginensi, cum opus fuerit, omnium Episcoporũ nomina dictentur, subscribantur litteris in Concilio dictatis. XLIX

In M. S. Cod. desunt numeri à 49. vsque ad 60.

Vt Episcopi, qui posterius ordinati sunt, prioribus se non audeant anteferre. LX

Ne accusato Episcopo, Episcopatus adimatur, priusquam causa eius diffiniatur. LXI

Vt deposito Episcopo libere successor requiratur. LXII

Vt Episcopi, qui ordinantur ab ordinatoribus suis Epistolas accipiant, quæ diem, & Consulem præferant, ne deinceps de posterioribus, vel anterioribus altercatio fiat. LXIII

Vt quicunq; in Ecclesia vel semel legerit, ab alia Ecclesia ad Clericatum non teneatur. LXIV

Vt Donatistæ in singulis ciuitatibus ab Episcopis conueniantur vtrinque. LXV

* Ne quæstio, quæ Donatistas, & Catholicos ab inuicem separauit, pacifice tractetur. LXVI *fort. vt.*

Vt Donatistæ, qui pacifica præmonitione contempta, Catholicos infestare non cessant, militari auxilio submoueantur, sicut & Apostolus factiosorum conspirationem submouit. LXVII

Ne Episcopi ad trãsmarina facile proficiscantur si accipiant *.... LXVIII

Vt vniuersale Concilium non fiat nisi pro necessitate communium causarum, vt causæ, quæ communes non sunt, in suis prouinciis iudicentur. LXIX

LXX Si prouocatum fuerit,eligat,qui prouocatur,contra eũ, qui prouocat,iudices,à quibus deinceps prouocare non licet.

LXXI Vt ab Imp. postuletur aduocatorũ defensio, pro causis Ecclesiæ.

LXXII Vt plebes,quæ Episcopum nunquam habuerunt, non accipiant Episcopum nisi destinatum ex plenario Concilio prouinciarum,& Primatis consensu Episcopi,ad cuius diœcesim pertinuit.

LXXIII Vt plebes à Donatistis conuersæ etiam inconsulto Concilij Episcopum * erant.

**fort. creent.*

LXXIV Quod vocati ad Synodum, si venire contempserint, damnari possint vt contumaces.

LXXV Placuit vt Romana, & Alexandrina Ecclesia inuicem pacificentur.

LXXVI Vt desertores vxorum,vel desertrices maritorum, aut ita permaneant,aut sibi reconcilientur iuxta Euangelicam, & Apostolicam doctrinam.

LXXVII Vt illæ tantum preces,præfationes,commendationes,vel manus impositiones ab omnibus celebrentur,quas probauerit Concilium.

LXXVIII Vt qui publicorum iudiciorum cognitionem ab Imp. postulauerit, honore priuetur. Nil autem obsit, si quis Episcopale iudicium ab Imp. petierit.

LXXIX Si Clericus excommunicatus in Africa communicauerit apud transmarinos,à Clero deiiciatur.

LXXX Vt pergentes ad comitatum causam suam vel Carthaginensi, vel Romano Pontifici insinuent.

LXXXI Vt vnus Episcopus non sibi vendicet cognitionem ab Honorio, & Theodosio Imp. contra Pelagium,Cælestinum.

Octo cap. quæ sequuntur in Carthaginensi Concilio sub anathemate statuta sunt.

LXXXII QVod Adam non necessitate naturæ, sed pro peccati merito moreretur.

LXXXIII Quod paruuli in remissionem peccatorum baptizentur.

LXXXIV Quod gratia Dei non solum tribuit remissionem peccatorum, sed etiam præstat adiutorium,ne peccetur.

LXXXV Quod gratia Christi non solum scientiam tribuit,quid agamus, sed etiam dilectionẽ nobis inspirat,vt quod scimus,implere valeamus.

LXXXVI Quod sine gratia Dei nihil boni implere possimus.

LXXXVII Quod sancti cum sancto Ioanne non solum pro humilitate, sed etiam pro veritate * ......

Quod

Quod in oratione Dominica sancti pro se dicant, dimitte nobis debita nostra. LXXXVIII

Quod veraciter dicatur à sanctis, dimitte nobis debita nostra. LXXXIX

Vt Catholici, & Donatistę in vna diœcesi manentes, si * aduersus Cathedras pertinentes post conuersionem Donatistarum, ad illam Cathedram simul pertineant, ad quam Catholici iam ante pertinebant. XC

*fort. & ad diuersas.

Vt Catholici Episcopi & ex Donatistis conuersi, diœceses illas ęqualiter diuidant: in quibus tam Donatistæ, quam Catholici, iam ante commanserant. XCI

Vt nullus Episcopus diœcesin repetat, quam alius Episcopus ab hæresi liberans iam triennio absq; lite possederat. XCII

Ne Episcopi plebes, quas ad se pertinere putant, inconsultis Episcopis, à quibus detinentur, irruant. XCIII

Si Episcopus VI. menses, post admonitionē memor * Episcoporum, neglexerit Catholicas efficere plebes ad suam Cathedram pertinentes, quamlibet eos obtineat, qui illas ab hæresi liberauerit. XCIV

Vt Episcopus à iudicibus communiter electis prouocasse detectus, contumaciter eis nolens obtemperare, excommunicetur à Primate, vsq; dum illis obtemperet. XCV

Vt Episcopus, suam diœcesin ab hæresi liberare nolens, & negligens, excommunicetur. XCVI

Vt Episcopi Donatistas sibi communicasse mentiti deponantur. XCVII

Vt Clerici non ad Africana Concilia, sed ad transmarina prouocantes ab Africanis in communionem non recipiantur, (nisi) necessitas * ...... coēgerit. XCVIII

*Ad hoc forte.

Quod virgines etiam ante XXV. annos velari possint, si ..... aliqua iam non admittant. XCIX

Vt ex singulis prouinciis terni iudices seligantur, ne diutius in Concilio omnes Episcopi teneantur. C

Quod excommunicati ad accusationem non sunt admittendi. CI

Vt nullus seruus, vel libertus, vel infamis, vel hæreticus, vel paganus, vel Iudæus, vel illi, quos publicè leges non admittunt, ad accusationem admittantur. quibus tamen omnibus in propriis causis licentia accusandi non negatur. CII

Vt accusatores Clericis plurima crimina obiicientes, si hoc quod primum obiecerint, probare non valuerint, ad reliqua vt ad testimonium non admittantur. Qui nec accusare permittuntur vel illi, quos accusator de domo sua produxerit. CIII

CIV Nullus ad testimonium exhibeatur intra sextum annos ætatis suæ.

CV Vt si Episcopus aliquem sibi soli crimen confessum fuisse dixerit; ille negauerit, non indignetur Episcopus, si sibi soli non creditur.

Vt quamdiu Episcopus aliquem sibi soli crimen confessum pro excommunicato vitauerit: tamdiu eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis. Et hoc ideo, vt Episcopus caueat, ne in quenquam dicat, quod aliis documentis probare nequeat.

Et subscripserunt: Aurelius Episcopus his gestis statutorum apud nos habitis subscripsi.

** Faustinus.*

* Augustinus Episcopus Ecclesiæ Potentinæ Prouinciæ Italiæ Piceni, Legatus Ecclesiæ Romanæ his gestis subscripsi.

Philippus, & Asellus presbyteri, Romanæ Ecclesiæ Legati his gestis subscripsimus: quæ per nos Romam directa sunt.

Augustinus Episcopus Hipponensis Legatus Prouinciæ Numidiæ, his gestis subscripsi.

Item & reliqui CCX. Episcopi subscripserunt.

Quod prædicta Synodus Africana CCVII. Episcoporum per Faustinum Episcopum, & Philippum, & Asellum Presbyteros eiusdem Concilij statuta Bonifacio Papæ confirmanda direxerit, & quod per eundem Papam sibi exemplaria Nicæni Concilij ex Orientalibus Episcopis mutuari petierit.

Quod S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus Episcopis Africanæ Synodi authentica Nicæni Concilij exemplaria direxerit.

Quod & Atticus Constantinopolitanus Episcopus, Africanis Episcopis authentica Nicæni Concilij exemplaria direxerit.

Quod exemplaria Nicæni Concilij post Consulatum Honorij, & Theodosij Augustorum VI. Kal. Decemb. ad Bonifacium Papam sub XX. Cap. peruenerint, sicut per omnia in superioribus sunt.

Quod Africanum Concilium missis litteris, Cælestinum Papam rogauerit, vt excommunicatos ex Africa fugientes, nullatenus in communionem susciperet.

Explicit compendiosa traditio Orientalium Canonum, siue Africanorum, quos beatus Hadrianus Papa per manum KAROLI REGIS *Occidentalibus Ecclesiis direxit.*

LECTO.

LECTORI.

MISIT ad nos R. P. Iodocus Mezlerus officium de S. Carolo exscriptum ex vetusto quodam Rituali libro: illud Compendio Canonum attexere placet; vel ea de caussa, quod Carolo Magno oblatum sit dicatumque à Pontifice Adriano. Notum est autem multis in locis Carolum Magnum tanquam sanctum anniuersaria memoria coli; de quo hæc Illustris. Card. Baronius Tom. 9. Anno Christi 814. Egregiarum ipsius virtutum meritò Ecclesia Gallicana eiusdem Natalem celebrat, habentque inter Sanctos recensitum Aquisgranensis Ecclesiæ tabulæ. Sub Friderico Imperatore post annos centum sexaginta sex, Paschalis, Papa dictus, in numerum Sanctorum adscripsit. Cuius rei gestæ asseruari diploma in Aquisgranensi Ecclesia tradunt. Verum quod Paschalis ille haud legitimus Pontifex fuit, sed Schismaticus, eiusmodi canonizatio haud recepta est ab Ecclesia Romana, ob quam caussam nec nomen eius illatum est in Ecclesiæ Romanæ Martyrologium. Verum, quod non reperiantur legitimi Pontifices illud diploma aboleuisse, aut impugnasse, aut prohibuisse, res sic tacitą permissione siue tolerantia perseuerat: vt scilicet in propria Ecclesia, vbi sepultus fuit in Galliis coleretur: Ita quidem Canonum præcipui Interpretes declararunt. Ostiens. & Ioan. And. in ca. 1. de Reliq. & veneratione Sanct. Cæterum propagatus postea noscitur eius cultus in alias Ecclesias Belgij atque Germaniæ, in quibus idem Carolus sanctitatis titulo celebratur ac colitur: quibus fauent scripta plurium Francorum Historicorum. *Hæc Baron. In Martyrologio Germanico Petri Canisij ponitur Carolus Magnus 28. Ianuarij, vt & à Molano in additionibus ad Vsuardum: & in* Indiculo *Sanctorum Belgij.*

OFFICIVM DE SANCTO CAROLO.

IN virtute tua Domine, ℣. Magna est gloria. *Oratio.* Deus qui superabundanti fœcunditate bonitatis tuæ Beatum Carolum Magnum Imperatorem & Confessorem tuum deposito carnis velamine beatæ immortalitatis trabea sublimasti: Concede nobis supplicibus tuis: vt quem ad laudem nominis tui honore Imperij exaltasti in terris: pium ac propitium intercessorem habere mereamur in cælis. *Lectio libri Sapientiæ.* Beatus vir qui in sapientia morabitur. *Gradu.* Domine præuenisti. ℣. Vita petiit. *Alleluia.* Domine in virtute. Si infra. *LXX. pone. Sequent.* ℟. Beatus vir qui timet Dominum. ℣. Potens in terra. ℣. Gloria & diuitiæ. *Sequentia.* Vrbs * Thuregum vrbs Famosa, quam decorant gloriosa Sanctorum suffragia. Regi Regum pange laudes, quæ de magni Regis gaudes, Caroli memoria. Iste cætus psallat lætus, psallat Chorus hic sonorus vocali concordia. At dum manus operatur bonum, quod cor meditatur dulcis & psalmodia. Hac in die * festa magni Regis, magna gesta recolat Ecclesia, Reges terræ & populi simul plaudant ac singuli celebri lætitia. Hic est Christi miles fortis, hic inuictæ dux cohortis ducum sternit millia: terram purgat à lolio, atque metet cum gladio ex messe zizania. Hic est magnus Imperator boni fructus bonus sator & prudens Agricola. Infideles hic conuertit, fana, Deos, hic euertit, & confringit idola. Hic superbos domat Reges hic regnare sacras leges facit cum iustitia. Quam tuetur eo fine vt & iustus sed nec fine sit misericordia. Oleo lætitiæ vnctus dono gratiæ cæteris præ Regibus. Cum corona gloriæ maiestatis Regiæ, insignitur facibus. O Rex mundi triumphator Iesu Christi conregnator sis pro nobis exorator, sancte pater Carole, emundati à peccatis vt in regno

*Zürch in Heluetia.

gno

gno claritatis nos plebs tua cum beatis cæli simus incolæ. Stella maris ô Maria mundi salus vitæ via, vacillantum rege gressus, & ad Regem des accessus in perenni gloria. Christe splendor Dei Patris incorruptæ fili matris, per hunc sanctum cuius festa celebramus, nobis præsta sempiterna gaudia.

Euangelium secundum Lucam. In illo tempore, Dixit Iesus discipulis. Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, &c. *Credo in vnum*, non canitur ni sit Dominica. *Offerto.* Posuisti Domine in capite. *Secreta.* Hostias tibi Domine, quas pro Sancti Caroli Magni Imperatoris & Confessoris tui commemoratione deferimus * tui suppliciter exorantes, vt peccatorum indulgentiam nobisque pariter mentis, & corporis conferant salutem. *Commun.* Magna est gloria. *Complet.* Sanctificet nos quæsumus omnipotens DEVS sacri corporis tui veneranda perceptio, vt intercedente Beato Carolo Magno Imperatore, & Confessore tuo, per hæc mysteria nostræ salutis & fidei in præsenti peccatorum veniam, & in futuro vitam consequi mereamur æternam. Per Dominum, &c.

FINIS.

MARTY-

MARTYRIVM S. DESIDERII, VIENNENSIS IN GALLIA EPISCOPI.

olim

Ex antiquis membranis,

ab

ADONE EIVSDEM ECCLESIÆ EPISCOPO collectum,

Et nunc tandem in lucem editum,

Ex Bibliotheca S. Galli.

MARTYROLOGIVM Romanum 23. Maii.

IN territorio Lugdunensi sancti Desiderij Episcopi Viennensis, qui Theodorici Regis iussu lapidibus obrutus Martyrio coronatur. *Item Martyrologium 11. Februar.* Lugduni Sancti Desiderij Episcopi Viennensis & Martyris. *Vbi Card. Baronius. de eodem hac die Beda, Vsuardus, & alij: Lugduni scias poni, non quod fuerit Episcopus Lugdunensis, sed quia apud Lugdunum occisus est, vt hic optimè notat Ado. Agit de eodem Beda 23. Maij: qua die Martyrio occubuit: nam hac die Viennam in suam sedem pristinam venerandum corpus eius translatum est. Hic iubetur occidi iussu Brunichildis Reginæ Francorum. Caussam iniquissimam narrat Ado eiusdem Sedis Episcopus in Chronico Anno Domini 583. Recenset eius exilium Sigibertus in Chronico Anno 608. Necem verò anno 612. Vixit temporibus sancti Gregorij Papæ, qui ad eum sæpius dedisse litteras reperitur, quæ habentur in Regist. lib 5. Epist. 54. lib. 7. Epist. 116. lib. 9. Epist. 58. & lib. 12. Epist. 5. de eodem præterea fit mentio in actis Sancti Columbani Abbatis, vbi capit. 26. de exilio & nece eius agitur. Hæc Baronius.*

Sanctus Notkerus, Monachus Sancti Galli, in suo Martyrologio, (quod in hoc tomo nunc primum publici iuris facimus) 23. Maij

Maij eadem de Sancto Desiderio tradit; & hanc ipsam vitam ab Adone collectam in Compendium redegit; cum hac quasi præfatione. De quo (S. Desiderio) quia venerabilis Pater Ado eiusdem Ecclesiæ nostra ætate Pontifex, vtpote in præsentia posito, & ob id suis in cunctis notissimo, aliquid speciale dicere superfluum indicauit, nos iuxta scriptum, quod idem Apostolicus vir, anno ab Incarnatione Domini DCCCLXX. Indictione III. per virum Sanctissimum Beroldum, Presbyterum, indigenam eorundem locorum, sed nunc in Castro Turico Christi seruitijs insistentem, cum reliquiis ipsius Sancti Martyris Desiderij & aliorum sanctorum pignoribus atque agonibus nobis in cœnobio S. Galli constitutis direxit, pauca de eo summatim attingentes earundem rerum ignaris insinuare curauimus. Hæc S. Notkerus.

Porro Martyrium hoc exscripsit ex antiquo Codice R. P. Iodocus Mezlerus, Sancti Galli professus, & SS. Canonum Doctor, antiquitatis & studiosus & gnarus, illudque cum alio quodam Codice vastæ molis contulit, & variantes lectiones enotauit.

PRAEFATIVNCVLA ADONIS, VIENNENSIS ECCLESIÆ ANTISTITIS, ANNO INcarnationis Domini DCCC.LXX. Indictione III. cum passione S. Desiderij Episcopi* fidem Ecclesiæ directa.

* Viennens.

Magnus Codex M.S. præfatiuncula caret.

ADO peccator & humilis Episcopus Viennensis Ecclesiæ, Dilectissimis fratribus, & filiis eiusdem Ecclesiæ, in Patre & Filio, & Spiritu sancto, vero & essentiali vno Deo salutem.

Beatissimi Desiderij patris vestri vitam, & Martyrium, sicut antiquis scriptis commendatur, vobis idcirco reuoluere, & stylo committere aggressus sum, vt eius incitamentis & studiis, ad amorem vitæ æternæ vos amplius inflammarem. Vt qui pastor vobis munere superno datus est, pascua veræ innocentiæ, & postmodum æternæ societatis intercessione sui apud Dominum obtineat. Nec enim deerit vobis illius patrocinium, si eius exemplo Domino Iesu Christo casto amore hæseritis. Qui est verum, & æternum principium. Habetis enim non mediocre solatium, cum cernatis Ecclesiam veram præclarissimis Confessorum & Martyrum irradiatam fulgoribus, quorum splendore tenebras omnis erroris Domino Deo nostro protectore pedibus liberis euadere sufficitis. Gaudium, & corona ipsorum. Obsecro vos ego ipse seruus & minimus ipsorum, state in Domino Doctrinis, exemplis, intercessionibus tantorum muniti charissimi.

INCI-

INCIPIT PASSIO SANCTI DESIDERII EPISCOPI VIENNENSIS.

DESIDERIVS Viennensis Ecclesiæ clarissimus Pontifex, fuit à puero quidem sanctissime imbutus, vita purus, scientia scripturarum non parum eruditus, in gremio sanctæ matris Ecclesiæ exercitate profecit. Inde ad culmen Pontificale prouectus, quantæ gratiæ fuerit, honor Martyrij patefecit.

Fuit idem vir temporibus Chlotharij Regis Chlodeuei maioris filij, ac filiorum ipsius Chlotharij, Hereberti, qui sedit Parisiis, Chilperici qui sedit Suessionis, Gunthramni, qui sedit Aurelianis, Sigiberti qui seditRemensiũ vrbe, qui accepit Brunhildem Anagildi Regis Hispanorum filiam, quæ primum Arriana, postmodum Sacramento fidei Catholicis iuncta, operibus flagitiosissimis disiuncta. De qua Childebertum, Sigibertus genuit. Huius sororem Gansildam Chilbericus primum habuit. Quæ postmodum dolo Fredegundis strangulata est. Imperatores autem tunc temporis in Repub. Romana Iustinianus fuit maior. Post quem Iustinianus minor. Cuius tempore corpus B. Antonij Monachi reuelatione diuina repertum, in Ecclesia B. Ioannis Baptistæ apud Alexandriam sepultum est. Et ab Africa atrocissima gens Wandalorum expulsa. Cui Imperatori Iustinus succedit, sub quo gens Longobardorum Italiam inuasit. Deinde imperauit Tiberius, post quem Mau ricius.

Hæc verba: fuit idem vir, &c. vsque ad illa sequentia. Cum longe lateq; &c. desiderantur in magno Codice M.S.

Sed vt ad proposita reuertar, cum longe lateque fama beati viri Desiderij spargeretur, & foris iam miraculis vulgaretur, atq; virtus animi signis euidentibus patefacta claresceret, inuidus omnis boni Diabolus, in persecutionem tanti viri insani pectoris homines inflammat. Et quia videbat Domini Dei nostri Iesu Christi gloriam per beatum virum vbiq; diffundi, quibus artibus valuit tantum opus pietatis extinguere, aggreditur lacessere illum, & conuiciis afficere primo. Deinde etiam iniuriis propulsare, sicut certa res manifestabit. Sed Desiderius

de beatis pauperibus spiritu vnus, cuius desiderium exaudiebat Deus, & præparationem cordis eius audiebat auris eius, in petra fidei fundatus, tundi aduersitatibus poterat, moueri à statu rectitudinis non poterat.

Igitur interfecto Sigiberto Rege, factione Fredegundis Reginæ, Brunnehildis Regina cum Theoderico admodum paruulo, Childeberti Regis filio, Burgundiam obtinuit. Femina incomparabilis libidinis, quippe quæ non timuerit incestuosissime Merouæo Chilberici filio, mariti sui nepoti se misceri. Illoq; tonsurato, Presbyteroque facto, tali namque ordine pater vix eum potuit coërcere, per diuersorum iuuenum libidines excanduit, turpissimum lupanar ipsa semetipsam turpissimis iuuenibus exponens. Cuius inaudita flagitia, vir Pontifex Desiderius, zelo timoris Dei inflammatus, reprimere, & corrigere cupiens, tam priuatim, quam publice, meliorē vitam arripere, & pœnitudinem facti habere monebat. Sed quia qui arguit impium generat maculam sibi, nouis & inauditis odiis cœpit sanctum virum detestari, ac vt vitam auferret meditari. Sed quia id aperte non poterat, exilio deportari, & relegari in quadam insula virum Dei facit. Vbi quadriennio diuersis laboribus fatigatus, non tamen auxilio omnipotentis Dei nudatus est ac destitutus. quippe per quem beneficia infirmis quibuscumque Deus noster ibi contulerit. Nam quidam leprosus inspectante populo tactu Beatissimi viri mundatus est à lepra, quæ totum illum asperauerat. Ab ea die qua insulam ingressus est, cincindele oleo plenum, quod manu illius in luminatum fuerat, virtute diuina permansit indeficiens, semper ardens, & suam plenitudinem inexhaustam, ad gratiam viri Dei prædicandam omnibus manifestans. Et quod est mirabilius, quicumq; cuiuslibet infirmitatis à sancto Pontifice ex eodem liquore perunctus fuisset, ilico sanatus abibat.

Factum est autem vt vas plenum vini, propter aduentantes qui inde haurirent, à ministro illius diligentia cura seruaretur. Sed cum pluribus diebus iam expensum putaretur defecisse, & minister viri Dei * id nuntiasset illi, quia non haberet petentibus quid vltra pręberet, confortatus à viro Dei, de largitate, & bonitate creatoris, mox vt rediit, plenum quod paulo ante vacuum fuerat vasculum inuenit. Tua sunt hæc Domine, qui pro te passos semper glorificas, qui duces gregis tui, vt oues tuæ sequi non metuant, tot coronis virtutum exornas.

* Magnum Codex m. s. S. G. adnuntiasset illi.

Præter.

Præter ea congregata multudine Sacerdotum, licet impia fœmina venena malitiæ suæ non euomuerit, tamen victa precibus, sanctum virum sedi suæ vrbique reformari iubet. Quis dicere sufficiat quibus gaudiis receptus fuerit, quoque vlnis pietatis à Clero & populo amplexatus, quibus lacrymis rigatus? Vere pastorem pium, quem nullius generis tribulatio, à charitate ouium diuellere potuit. Vere beatus populus, qui talem meruit suscepisse * ductorem.

* *Magnus Codex S.G.MS. Doctorem.*

Hic cum iam totus Martyr esset corpore, hostiaque Deo placita, vt desiderium cordis eius tribueretur ei, instaretque tempus, vt poneretur in capite eius corona de lapide precioso: iterum * simultate Brunnehildis ac illam constuprantium, iubetur venire Pontifex sanctus ad palatium, quo tunc temporis Theodericus iuuenis residebat. Attemptatur itaque vir Dei vtrum in priori sententia permaneret. Interrogatusque vtrum melius esset vni viro mulierem coniungi, quam per diuersorum iuuenum appetitus libidines suas dispumare; à quo cum responsum esset, *Vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat, & fornicatores, & adulteros Deum iudicare, nec licere contaminari templum Spiritus sancti, cum corpora nostra templum essent Spiritus Dei, & si quis templum Dei violasset disperderet illum Deus.* Cum ergo hæc & his similia vir spiritu Dei perorasset, ilico nuntiantur hæc Brunnehildi. Cœpit furere, virum Dei telis malitiæ suæ appetere, & qualiter vitam ei auferret cum iuuenibus suis perquirere. Miserabile dictu, intra fores Ecclesiæ repulsus vir Dei clauditur, & vt furenti satis fieret, clamor popularis à fautoribus ipsius incitatus attollitur. Rebellem hunc & Reipublicæ ac honoris patriæ contrarium.

* *Magnus Codex S.G.MS. simulante.*

1.Cor. 7.
Heb. 13.
1.Cor. 3.

Sciens itaque vir Dei iam ad palmam se vocari, maxime cum id reuelatione Angelica patefactum esset, intrepidus, inperterritus, fixus totus in Deo, horam præstolatur. Abstrahitur iterum ab Ecclesia, & sanctus Domini indignis manibus pertractatur, atque agentibus Bettone, Gasifredo, & Æphane Comitibus, impiissimi sceleris consiliatoribus, custodiæ mancipatur, atq; ad territorium vsque Lugdunense perducitur, super fluuium Calaronam. Hinc inde vallatus iniquorum hominum turbis, cum iam videret furentem multitudinem in mortem suam velle consurgere, supradictorum iuuenum maxime hortatu,

genua

genua in terra figens orationi incubuit, ac pro suis persecutoribus orauit dicens, *Domine ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt.* Commendo tibi oues, quas gratia tua suscepi regendas. Non illas luporum rabies dispergat, sed in sancto ouili Ecclesiæ tuæ congregatæ, vinculo caritatis adnexæ, viuant in te de spiritu gratiæ, custodiantur in æterna misericordia tua Iesu Christe fili Dei, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum.

Act. 7. Luc. 23.

Insaniens itaq; multitudo, cum furorem suum nequaquam reprimere posset, vnus de sæuientibus corripiens lapidem, cerebro orantis fortiter inlisit, ac mox cerebello rupto sanguis vndatim profluxit. Alter vallum ex vtraq; parte vehementer acutum tam ceruici, quam capiti infixit. Sicq; sanct⁹ Pontifex Martyrij palmam adeptus migrauit victor ad Dominum. Tributaq; est ei vita, & longitudo dierum in sæculum sæculi. Cui si non est dictum à persecutoribus, sacrifica dæmonibus, est tamen dictum, consenti nobis peccantibus. Sile veritatem, vt fruamur cupitis amplexibus. Inde verè Martyr, quia & veritatem tenuit, & dilectionem, exhibuit in correptione patientiam. Mori non pertimuit, vt suos quos Christo nutrierat, doceret pro veritate etiam constanter mortem excipere, quando veritas Christ⁹ sit: Et quia nulla aduersitate ad vltimum neque morte deberent separari à charitate Christi. Vere amabat ipsos à quib⁹ iniuste occidebatur, suaq; pœna insinuabat illis quam periculosissimè ipsi in æternum punirentur, qui flagitiose & facinorose viuebant. quando ipse vt ne talibus faueret, non modo committeret, pœnam quamcumq; corporis excipere paratus esset.

Quæ autem vltio in præsenti impiam illam perculerit, vt ne inpune quis credat se peccare, breuiter attingam; * Chlothario Rege iudicantibus Francis, indomitis equis religata brachiis, & cruribus diuaricatis, membratim discinditur, Deo illi pro voluptatibus suis, dignam pœnam retribuente.

* Chlottario.

Beati viri corpus studio fidelium curatum, in loco passionis suæ sepultum est. Ibiq; quanti meriti apud Dominum esset, miraculis se publicauit.

Contigit vt quidam pauperculus omnibus membris contractus, insuper trementibus membris graui passione agitaretur; hic in qualo virgeo ad memoriam Martyris deportatus, mox vt cum fide opem Martyris expetiit, perfecta sanitate incolumis rediit.

Claudius nomine, habebat filiam multo tempore tibia claudicantem;

cantem; accessit, filiam Martyri sanandam commisit, oleo ipsius vt perlinita est, sanissima effecta, torturam claudicationis amisit.

Dici non potest quot cæci ibi lumen inexpertum receperint, dæmoniaci purgati sint, claudi sanati, & de diuersis infirmitatibus diuersi curati. Sed & si qui cum fide tulerint assellam, de fuste illo quo sanctum caput illius terebratum est, siue à dolore dentium, siue à typo variarum febrium, siue ab aliis infirmitatibus, meritis beati Martyris liberantur.

Euoluto itaq; tempore, visum est Pontifici Viennensium & sanctissimo Clero, ac vniuerso populo, vt precib' suis peruincerent Chlottarium tunc temporis pium Regem, quatenùs concedere dignaretur eis membra beatissimi viri, quæ sicut sepulta fuerant, in diœcesi Lugdunensi, & in loco passionis suæ seruabantur. Quæ idem pius Rex clementer indulsit; videbat enim dignissimam rem & Deo charissimam illos postulare, & affectum piorum filiorum circa patris reuerentiam esse profusum; quis tantum opus pietatis quærentibus non concederet? Debent Patres filiis thesaurizare; thesaurizauit plane iste thesaurum illis non deficientem in cœlis, quos purpura sanguinis sui, ad decorem filiorum, superuestiuit; debent & filij patribus affectum piæ charitatis & obedientiæ, ac de pomis desiderabilibus virtutum eos reficere, vt eorum gustu & odore refecti, & satiati, in caritate templum decoris, & domus Dei, vnum in Christo fiant; quæ gratia piæ matris Ecclesiæ maior, quam vt videat filios suos digne Deo ambulantes? Caput humilitatis in compage caritatis connexum, membris vigorem, timoris & pietatis bonæ spei subministrare?

Reuertuntur alacres à Principe, tam Clerus quam populus, desiderium cordis sui, desiderium amoris sui quod impetrare meruissent. Benedictus Deus qui dedit hoc in corde Regis, vt magnificaret ciuitatem nostram, de receptione beatissimi Pastoris nostri ac Martyris sui. Congregatur vniuersa Ecclesia, gaudium tam celebre omnibus indicitur, parantur cruces, parantur luminaria, feretrum pretiosissimis vestibus componitur, festiuis ornatibus vniuersi induuntur, ac tali pompa honoris fit processus ad sancti Pontificis Martyrium.

Rem dicturus sum deuotionis in Deum plenissimæ. Populi tam Viennenses quàm Lugdunenses in vnum conueniũt. fit pia altercatio, Lugdunenses Martyrem habere, Viennenses Pastorem referre; atque inter vtrosq; carissima concertatio, cum isti adquisitum, illi reposcerent Patronum. Isti cum quibus Martyr in Deo viuebat, illi, cum quibus & carne magister vixerat. Quid longius morer? dum perseuerantissime

tissime* vtrimq; pro amore Martyris in sententia durarent, ruit nox. Viennenses qui plus dilexerant, & quibus iustior causa famulabatur, consilium subtilius capessunt. Furtim egesta humo,& sanctum sepulchrum reserantes,nauicula cum rete piscatoria parata, subcelant corpus, atq; per* Saônam & Rhodanum ante mittunt; lætis vndis, tam sanctum funus,& ipse Rhodanus suis ciuibus seruiturus excipit. Crepusculum rediit, atq; caterua Viennensis cum feretro vacuo pedestris reuertitur. Exultant Lugdunenses decepti vana spe; sed non diu tã felix furtum eos latuit,sicq; lætitiam desperata victoria perdiderunt.

* Magnus Codex MS. S. G. vtrumque.

* Saona flumen fœtissimum, ingreditur Rodanum apud Lugdunum ciuitatem. Codex, M.S. habet in margine.

Illi autem qui naui transferebant membra Pontificis,vt venerunt contra Fasianam villam, appulerunt ad littus, sustinentes sanctam cateruã pedestrium. Erat tunc tẽporis ager Fasianus,iam vt proprius delegatus pauperibus sanctorum Martyrum in quorũ honore Viennensis Ecclesia fundata consistit; nam ante sicut idẽ Martyr in testamento suo ꝙ fecit sanctis Martyribus Machabæis, & sancto Mauricio,ac sex millibus sexcentis sexaginta,commemorat,ex maternis & paternis eadem villa,sorte beato Desiderio obuenerat. In quo testamento, quod præsentibus sanctis Coepiscopis manu propria fecit,sub Dei omnipotentis obtestatione constituit,vt nullus præsumeret votum ipsius, intuitu pietatis perfectum,in aliud quam ipse statuerat mutare. * Quod si aliquis spiritu cupiditatis incitatus fecisset, si sententiam suæ actionis pœnitendo non mutaret, anathema in æternum fieret. Sustinentes igitur vectores sancti funeris,in hac villa illos qui per terram pedestres veniebant, in loco mundissimo, interim sancta membra composuerunt. Quid miraculi tunc contigerit, silere non puto.

* Quæ sequuntur, desiderantur in magno Codice MS. S. G.

Mulier multis annis ab spiritu inmundo vexata, illuc manibus suorum attracta,vt sancti Martyris locum attigit, ilico virtute diuina curata est.

Vt autem B. Ætherius tunc Viennensis Antistes cum reliquis qui in vrbe remanserant aduenit,& sancto feretro vlnis piorum subuecto, chorusq; beati populi,voces cantantium deoq; nostro psallentium, in altum sustulit,quis ibi tam ferreum pectus,tam dura præcordia habere potuit, qui non aut gemitum, præ nimia exultatione cordis emiserit, aut lacrymis ora rigauerit?

Tali igitur cælesti agmine præeunte, & subsequente, peruehitur B. viri corpus vsq; ad locum sepulchri, quod digna veneratione paratum erat,in Ecclesia beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, extra ciuitatem, vbi & multorum Pontificum eiusdẽ vrbis Viennensis, membra

bra tumulata seruantur. Cumq; iam odoramentis, & preciosis lintea-minib' inuoluendum sanctissimi Martyris corpus, Episcoporum manibus tractaretur, quod in laude omnipotentis Dei reticendum non est, ita sanctissimi capitis vulnera integrata apparuerunt, vt penitus vbi cutis rupta fuerit non appareret. Nam & reliquum corpus suis iuncturis & neruis constrictum, sana pelle sua vestitum manebat. Recinentibus choris Psalmisq; antiphonatim consonantibus.

Vt sanctus Dei tumulo est ad tuitionem totius vrbis compositus, mox gloriosa mulier, quę fuerat quondam beati Ætherei in laicali habitu coniunx, sed tunc vere sanctimonialis, hominem à natiuitate cæcum, iuxta tumbam Episcopi, & Martyris Desiderij cõstituit, eumq; fidem habere præmonuit; affuit virtus diuina quæ semper suos glorificat, & quanti meriti esset apud Deum, is qui in loco illo teneretur, euidentibus signis manifestauit; nam in conspectu totius Ecclesiæ, cæcus isdem lumen inexpertum recepit. Multaq; postmodum ibi Dominus per seruum suum operatus est, quæ si vniuersa quis scribere voluerit, volumen longi operis consummabit.

Passus est autẽ beatissim' Desiderius Ecclesiæ Viennensis Episcopus, tẽporibus Theoderici Burgundiorũ Regis, factione Brunnehildis incestuosissimæ Reginę, iniquitati illius consentientib' & fauentib' Bethone, Ephâne, atq; Gasifredo Comitibus. Dies passionis illius celebris habetur X. Kal. Iun. Regnante Dño nostro Iesu Christo, qui cũ Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per oĩa sæcula sæculorum. Dies translationis eius, quando translatus est ab territorio Lugdunensi de Prisciniaco villa, in suburbio Viennensi, in Ecclesia beati Petri agit. III. Id. Feb.

Abhinc dicta Episcopi Adonis Viennensis.

HÆC vobis beatissimi fratres & filij, plena veritate, sicut in membranis antiquioribus insertum vidi, ad commonitionem vestri transposui. Obsecrans, & pietate qua vos diligo sanctitatem vestram commonens, vt huius aliorumq; patronorum vestrorũ meritis, assurgere totis viribus elaboretis. Sedeat vestro animo illorum feruens in Deum religio. Caritas pura, assiduitas toti' honestatis, patientia in varietate temporis perseuerans, modesta & bonis Christianorum moribus decens, verecunda & pudica mansuetudo in omni habitu & continentia, Deo cara & amabilis vnanimitas, vt cum cursum huius vitę per viam patrum vestrorum consummaueritis, lætitia sempiterna pariter cum eis intercessione illorum perfrui mereamini. Sitq; cumulus iustitiæ ipsorum, profectus vitæ vestrę, & gaudium perpetuum corona glorificationis vestræ.

FINIS.

INDICVLVS ISONIS.

HANC autem paſsionem, præfatus Ado Epiſcopus nobis fratribus, in Cœnobio ſancti Galli, ſub Grimaldo Abbate Deo militantibus; reliquiasq; S. Deſiderij ab eo poſtulantibus: cum ipſius aliorumque ſanctorum reliquiis, actibus quoque & paſsionibus infra deſcriptis, Anno ſupra memorato, per nuntios ſatis fideles dirigere curauit.

EPI-

EPISTOLA EVGIPPII Abbatis IN VITAM S. SEVERINI.

Ad

Paſchaſium Diaconum.

Nunc primum euulgata.

LECTORI.

ANTE *aliquot annos edidit amplißimus dominus Marcus Velſerus, II. vir Auguſtanus hiſtoriam Eugippij de Sancto Seuerino Sed abſque Epiſtola Eugippij ad Paſchaſium Diaconum, quam in antiquo Codice repertam, nunc vulgamus; vt tam præclarum antiquitatis monumentum, omnibus ſuis partibus abſoluetur ac integretur. Citat eandem Card. Baronius, & aliquam partem eius recitat Tom. VI. Anno Chriſti 454. Idem eidem Tomo, Anno Domini 496. totam epiſtolam Paſchaſij, qua epiſtolæ Eugippij reſpondet, inſerit; quam Velſerus editioni ſuæ præpoſuit: in Codice manuſcripto ad calcem annectitur. Putat autem Baronius hunc Paſchaſium eſſe illum ipſum Romanæ Eccleſiæ Diaconum, cuius miraculum Sanctus Gregorius in Dialogis memoriæ prodidit.*

EPISTO-

EPISTOLA EVGIPPII PRESBYTERI AD PASCHASIVM DE SANCTO SEVERINO MONACHO.

DOMINO Sancto ac merito venerabili Paschasio, Eugippius in Domino salutem. Ante hoc ferme biennium, Consulatu scilicet Importuni, epistola cuiusdam laici nobilis ad quendam directa Presbyterum nobis oblata est ad legendum, continens vitam Basilici Monachi; qui quondam in Monasterio montis, cui vocabulum est *Titas* super Ariminum commoratus, post in Lucaniæ regione defunctus est vir & multis & mihi notissimus. Quam Epistolam, cum à quibusdam describi cognoscerem, cœpi mecum ipse tractare, nec non & viris religiosis edicere, tanta per beatum Seuerinum diuinis effectibus celebrata non oportere celare miracula.

Quæ cum autor Epistolæ præfatæ resciret, animo promptiore mandauit, vt aliqua sibi per me eiusdem sancti Seuerini mitterentur indicia, quibus instructus libellum vitæ eius scriberet, posteriorum memoriæ profuturum. Hac ergo protinus oblatione compulsus, *commemoratorium* nonnullis refertum indiciis ex notissima nobis & quotidiana maiorum relatione composui non sine magno mœrore animi, iniustum, scilicet, reputans, vt te superstite laicus à nobis hoc opus effieere rogaretur: cui & modus & color operis non sine præsumptione quadam possit iniungi, ne forsitan sæculari tantũ litteratura politus tali

vitam

vitam sermone conscriberet, in quo multorum plurimùm laboraret inscitia,& res mirabiles,quę diu quadam silenti nocte latuerant,quantum ad nos attinet, ignaris liberalium literarum obscura dissertitudine non lucerent. Sed non vltra lucernæ illius igniculum,te,velut Sole splendente perquiram, tantum ne mihi peritiæ tuæ radios nube quadam excusationis obducas imperitiam videlicet accusando, noli,obsecro,tam duris me verberare sermonibus, dum dicis quid tibi aquas expectarem de silice? Iam vtique non expecto de silice plateæ sæcularis, sed à te, qui spiritalibus spiritalia comparans,nos de firmissima petra illo, quo profluis orationis melle * recreaberis, de quo iam nectareum suauissimæ promissionis gustum dirigens præcipis, vt *commemoratorium* vel indicia vitæ sæpe dicti Seuerini transmitterem,quæ donec in tuæ constructionis libellum transire mereantur, nequaquam animum recensentis offendant. Quisquis enim ad construendam domum architectum requirit, necessariam sollicitè materiam præparet: quod si moles ad instar parietum impolitis componatur, artifice tardante, lapidibus, nunquam ædificasse dicendus est, vbi nulla magistri structura prorsus intrauerit, nulla ritè subiiciuntur fundamenti munimina,iussione vestra vilissima compositione præparans num purum putare debeo conscripsisse quod cupio, vbi disciplinæ liberalis nulla constructio,nullus Grammatici culminis decor extitit? Habet planè certum fundamentum solius fidei,quo sanctum virum mirandis constat claruisse virtutibus, quod per manus linguæ tuæ nunc offero collocandum,de tui operis fastigio laudes Christo debitas redditurus.

* *recreabis.*

Illa quoque precor virtutum beneficia sanitatumque remedia quæ vel in itinere vel hic apud eiusdem beatissimi Patris memoriam diuina sunt peracta virtute,digneris adnectere, quæ quoniam fidelis portitor filius vester Deogratias optimè nouit, verbo commendamus intimandum, sperantes nos baiuli nomen etiam de tui operis perfectione iugiter esse dicturos, vt Dei fidelissimus famulus tantis virtutibus opulentus, sicut ad sanctorum gloriam suis per Christi gratiam meritis euehitur, sic ad humanam memoriam tuis litteris cōsecretur. Sane patria de qua fuit oriundus fortasse necessariò à nobis requiritur, vt inde, sicut moris est, texendæ cuiuspiam vitæ sumatur exordium. De qua, licet me fatear, nullum euidens habere documentum, tamen quid hinc habendum & à te cognouerim non tacebo.

Descripsit ista ex Eugippo Baron. Anno Christi 454.

Cum multi igitur sacerdotes & spiritales viri, nec non & laici nobiles atque religiosi vel indigenæ vel de longinquis ad eum regionibus

bus confluentes, sæpius hæsitarent intra se quærentes, cuius nationis esset vir, quem tantis cernerent fulgere virtutibus, nec vllus penitus ab eo auderet inquirere, tandem Pirmenius quidam Presbyter Italiæ nobilis & totius auctoritatis vir, qui ad eum confugerat tempore, quo Patricius Orestes inique peremptus est, interfectores eius metuens, eò quod interfecti velut pater fuisse diceretur; post multos itaque familiaritatis adeptæ dies, erupit quasi pro omnibus, & ita sciscitatus est dicens: Domine sancte de qua prouincia Deus his regionibus tale lumen donare dignatus est? Cui vir Dei faceta primùm hilaritate respondit: si fugitiuum putas, para tibi pretium, quod pro me possis, cum fuero requisitus, offerre. His talia * seriò subiiciens mox, quid prodest, inquit, seruo Dei significatio loci, vel quis sim, cum possit id tacendo sanctius vitare iactantiam, vt pote sinistram qua nesciente cupio opus bonum Christo donante perficere, quo merear dexteræ socius fieri & supernæ patriæ eius ascribi. Quam si me indignum veraciter desiderare cognoscis, quid te necesse est terrenam cognoscere, quam requiris? Verumtamen scito, quia Deus qui te Sacerdotem fieri præstitit, ipse me quoque periclitantibus his hominibus interesse præcepit: & tali memoratus Presbyter responsione conticuit, nec quisquam ante vel postea beatum virum super hac parte percontari præsumpsit; loquela tamen ipsius * Africanũ testabatur hominem omnino Latinum, quem constat ad quandam Orientis solitudinem feruore perfectionis vitæ fuisse profectum, atque inde pòst ad Norici Ripensis oppida Pannoniæ superiori vicina, quæ barbarorum crebris premebantur incursibus, diuina compulsum reuelatione venisse, sicut ipse * causa secretiore tanquam de alio loqueretur ferre solitus erat, nonnullas Orientis vrbes nominans, & itineris immensi pericula se mirabiliter transisse significans. Hæc igitur sola, quæ retuli, quotiens de beati Seuerini patria sermo ortus est, etiam ipso superstite, semper audiui: Indicia verò mirabilis vitæ eius huic epistolæ coniuncta prælatis capitulis * cum memoratorio recensita fient, vt rogaui,...libri vestri magisterio clariore, superest vt eius orationibus tuas sociare non desinas & indulgentiam mihi poscere non desistas.

Finit Epistola.

* *Bar. Senior.*

* *Baron. non habet illud Africanum.*

* *Baron. clauso sermone.*

* *forte. cum commemoratorio.*

VITA

S. GREGORII MAGNI, PONTIFICIS MAXIMI.

Ab

Incerto Auctore conſcripta,

Et

Nunc primum in lucem edita ex membranis M.S. Monaſterij Petruſiani.

LECTORI.

PAVLVM *Diaconum scripsisse vitam Sancti Gregorij testatur Sigebertus lib. de viris illust. cap. 80. desiderata est hactenus à doctis, eoquè magis, quod diu ante Ioannem Diaconũ, (cuius libri de rebus gestis S. Gregorij exstant) Paulus scripsit. Sed num hac, quam in præsenti publicamus auctorem Paulum habeat, affirmare non ausim; quia longè pronior sum, vt negem, quam vt asseram. Vidimus eandem D. Gregorij vitam in alio quodam S. Galli Codice; sed fabulis adeo paßim scatentem, vt si exscripsissem ac vulgassem, & operam & chartam ludos fecisse non iniuria censeri possem.*

INCIPIT VITA SANCTI GREGORII PAPÆ.

GREGORIVS genere Romanus, arte Philosophus, Gordiani viri clarissimi, & B. Siluiæ filius, præfuit Romanę Sedi annis tredecim, mensibus sex, diebus decem, temporibus Tiberij, Mauritij & Phocæ Augustorum. Iste senatoria stirpe progenitus tam nobilissimam quam etiam religiosissimam genealogiam duxit, ita vt quartus Felix sedis Apostolicæ venerandus Pontifex, eius atauus fuerit, & beata virgo Tharsilla, quæ moritura Christum ad se recipiendam videre meruit, amita nihilo minus eius extiterit. Quam Gregorius geminæ nobilitatis lineam piis moribus extulit, probis actibus exornauit, adeo vt præsagio quodam Gregorius, quod latine *Vigilantius* resonat vocaretur, siquidem inerant ei in tenera ętate matura studia. & auditurus incognita religiosis senibus indagator solertissimus adhærebat. Litteris igitur tam diuinis quam humanis adprime eruditus, cœpit incunctanter mundana cum sæculi voluptate relinquere, & cælesti desiderio totis viribus anhelare.

Sed cum conuersionis suæ gratiam longius protrahens, potius se Christo famulaturum putaret, si sub Prætoris Vrbani habitu mundo specie tenus deseruiret, cœperunt multæ contra eum eiusdem sæculi curæ succrescere, ita vt non iam, sicut proposuerat, specie, sed in eo retineretur & mente.

Tandem patre defuncto, vbi liberam disponendarum rerum suarum nactus est facultatem, sex Monasteria in Sicilia fabricans sufficientibus fratribus cumulauit, quibus tantum prædiorum contulit, quantum posset ad victum cottidianum Deo illic militantium sine indigentia suffragari, septimum intra Romanæ vrbis mœnia sub honorem sancti Andreæ Apostoli, in proprio domate instituit; In quo relictis sericis auro textis gemmisq; radiantibus vestibus, simulq; supellectilibus, reliquis in vsum pauperum prærogatis, ex huius mundi

naufragio nudus euasit, diuque desideratum Monachicum capiens indumentum, primo sub Hilarionis, deinde sub Maximiniani venerabilium patrum regimine, multis sibi sociatis fratribus, regulari tramite militauit, postea vero cum subesse mallet, fratrum votiua concordia imminente, etiam præesse non renuit.

Erat ei tanta abstinentia ciborum, solennitas orationum, & ieiuniorum, studiositas tam desiderata sacrorum librorum, vt infirmato stomacho lassatus, vix subsistere procul dubio videretur. Nam cum quodam tempore incisionem vitalium, quam Græci dicunt syncopen pateretur, crebrisq; angustiis per horarum momenta ad exitum propinquaret, Paschalis superuenit dies, & ipse sacratissimo sabbato, assumpto secum quodam sanctissimo viro nomine Eleutherio, oratorium petiit, seseque cum lachrimis pro infirmitate sua in orationem dedit. Completa igitur oratione digressus nihil molestiæ in suis visceribus sensit, ita vt ipse secum miraretur, quis esset, quis fuerit.

Verum quamuis pene cottidiano languore tabesceret, nullam tamen corpori suo cupiebat commodare quietem, quo minus aut oraret aut legeret, aut scriberet, aut dictaret. In his eum Angelus Domini quodam die reperiens, misereri sibi flebiliter sub habitu naufragi postulabat, cui Gregorius ex intimo corde compatiens, bis ternis numismatibus datis, abire præcepit, nec multo post eadem die naufragus rediit, seque multa perdidisse, pauca vero suscepisse perhibuit, à quo senis pari modo numismatibus sumptis lætabundus abscessit. Sed die tertia rediens, itentidem adiutorium naufragus importunis vocibus requirebat. Sed Gregorius nihil apud se tunc inueniens, vnde pauperem consolari posset, præter argenteam matris scutellam, quam ipsa ei cum alimentis mittere solita erat; Hanc itaque cum satis hilariter naufrago largiretur; pauper qui putabatur, lætus amplectitur, non iam ad expetenda, sed ad conferenda suffragia rediturus. A quo videlicet Angelicæ visitationis tempore; tantis miraculis, tantis est virtutibus publicatus, vt omnibus secum viuentibus exemplo fuerit & terrori.

Denique cernens Benedictus Papa virtutum gradibus Gregorium ad alta conscendere, violenter eum à quiete sui Monasterij abstrahens, Leuitam septimum ad suum adiutorium consecrauit. Nec multo post pro responsis Ecclesiasticis ad vrbem Constantinopolim, à Pelagio Papa ad Imperatorem destinatur, vbi quamuis in terreno

con-

conuersaretur palatio, vitæ cælestis tamen non intermisit propositum. Ibi Eutychianam restinxit hæresin, ibique à fratribus suis & maxime à Leandro Episcopo compulsus, librum beati Iob multis inuolutum mysteriis enodauit.

Igitur postquam Romam Gregorius venerabilis Leuita reuersus est, aliquanto interiecto tempore, tanta inundatione Tiberis fluuius alueum suum egressus est, tantumque excreuit, vt eius vndę super muros vrbis influerent, & multa loca inuaderent, atque ædificia plurima deiicerent.

Tunc etiam innumerabilis multitudo serpentum, cum magno dracone in modum trabis valide per Tiberim fluminis alueum in mare descendit. Sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris fluctus, sine mora in littore deciderunt, suaque putredine totum aërem corruperunt; secuta est è vestigio clades inguinaria, quæ Papam Pelagium perculit, & sine mora extinxit. Quo defuncto ita in reliquum vulgus desæuit, vt subtractis habitatoribus domos in vrbe plurimas, vacuas omnino reliquerit.

De electione eius.

DEFVNCTO igitur Romanæ Sedis Antistite Pelagio, quia Ecclesia Dei sine Rectore esse non poterat, Gregorium, licet totis viribus renitentē Clerus, senatus populusq; Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt, quem ille apicem totis virib' euitare decernens, sese indignū tali honore clamitabat; at vbi decretum generalitatis euadere nequiuit, consensurum se aliquando simulauit, & Imperatori Mauricio, cuius filiū ex lauacro sacro susceperat, latēter litteras destinauit, adiurans, & multa prece deposcens, ne vnquam assensum populis præberet; sed præfectus vrbis Germanus nomine eius nuntium anticipauit, comprehensumq; ac disruptis Epistolis consensum, quē populus fecerat Imperatori direxerat. At ille Deo gratias agens pro amicitia Diaconi data præceptione ipsum ordinari præcepit. Interim vero dum ab vrbe Constantinopolitana Imperatorius præstolaretur assensus, & lues ipsa populum vehementius deuastaret, venerabilis Leuita Gregorius verbum ad plebem exorsus est dicens; Oportet fratres dilectissimi, vt flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, saltim præsentia & experta timeamus: proinde fratres charissimi, contrito corde & correctis operi-

operibus, craſtina die primo diluculo, ad ſeptiformem letaniam iuxta diſtributionem inferius deſignatam, deuota cum lachrimis mente, veniamus. Hæc & alia multa cum diceret, demum ita pronuntiauit dicens.

De ſeptena Letania.

LETANIA Clericorum exeat ab Eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ; Letania virorum, ab Eccleſia ſancti Martyris Marcelli; Letania Monachorum, ab Eccleſia ſanctorum Martyrum Ioannis & Pauli; Letania ancillarum Dei, ab Eccleſia ſanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani. Letania fœminarum coniugatarum ab Eccleſia primi Martyris Stephani. Letania viduarum ab Eccleſia beati Martyris Vitalis; Letania pauperum & infantum ab Eccleſia beatæ Martyris Cæciliæ. Igitur dum magna multitudo diuerſæ ætatis, ſexus, atq; profeſſionis, iuxta præceptionem Leuitæ Gregorij die conſtituta conueniſſet ad Eccleſiam ſanctæ Dei genitricis Mariæ Dominum rogatura, in tantum lues ipſa, iudicio diuino deſæuit, vt intra vnius horæ ſpatium dum voces plebs ad Dominum ſupplicationis emitteret, octoginta homines ad terram corruentes ſpiritum exhalarent, ſed nequaquam pro hoc deſtitit facundiſſimus Rector Gregorius populo prædicare, ne ab oratione ceſſarent, donec miſeratione diuina peſtis ipſa quieſceret. Quod & factum eſt, nam mortalitas illa vltra non deſæuit, & ex hoc in conſuetudinem venit, vt per ſingulos annos die ipſa, hoc eſt VII. Kalend. Maij, ieiunium cum Letaniis ab Eccleſiis deuote agatur.

Enimuero cum Gregorius adhuc futurus Antiſtes putaret ſe principem à conſenſu ſuæ conſecrationis penitus auertiſſe, cognouit tandem ſuas litteras à Germano præfecto vrbis interceptas fuiſſe; cuius rei gratia Imperiale reſponſum, quod videlicet voluntati ſuæ contrarium rebatur præueniens, quia palam egredi portas ciuitatis non potuit, latenter ſe occultauit. Itaq; dum ab omnibus ſumma ſollicitudine quæreretur, indicio columnæ fulgidæ ſuper ſe iugiter è cœlo dependentis inuenitur, & inuitus apud Apoſtolorum principis Petri templum ſummus Pontifex rite conſecratur.

Mox ergo vt ſummum Pontificium feliciſſimæ Romanæ vrbis, Chriſto mortalibus conſulente, Gregorius ſortitus eſt, ſuperſtitioſum *vniuerſalis* vocabulum refutauit, & primus omnium ſe in principio Epiſtolarum ſuarum *ſeruum ſeruorum* Dei ſcribens ſatis humiliter definiuit.

De ordinatione ipsius.

ANNO igitur ab incarnatione Domini quingentesimo nonagesimo secundo, Gregorius in specula sanctæ vniuersalis Romanæ constitutus, vir totius humilitatis auctoritatis ac orthodoxiæ, vnde videri & audiri clarius Euangelicus præco valeret, oris sui diuinissimo gladio & rectam fidem muniuit, & cunctas hæreses in Symbolo dissipauit, & maxime Simoniam, quam omni annisu omni vitę suæ tempore insectabatur. Omnes ergo consuetudines, quas contra priscam traditionem Apostolicam nouiter pullulasse cognouerat, tam generaliter, quam perpetualiter condemnauit.

De Gregoriano cantu.

DEINDE propter Musicæ dulcedinem, antiphonarium aliumque cantum tam in die quam in nocte per annum canendum composuit, ordinauit atq; constituit; sed & Gelasianum Codicem de Missarum solemniis, multa subtrahens, pauca conuertens, nonnulla vero superadiiciens in vnius libri volumine coarctauit, in Canone apposuit, *diesque nostros in tua pace dispone, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari.* Stationes per basilicas ordinauit, in quibus & ipse dum adhuc loqui præualeret, viginti homilias Euangelij coram Ecclesia diuerso tempore locutus est, reliquas vero viginti dictauit quidem, sed languore continuo detentus ab aliis pronuntiandos decreuit; sequebatur exercitus Domini innumerabilis multitudo auide auditura dulcedinem illius doctrinæ. Alleluia per extrema Pentecostes tempora dici ad Missas constituit, Subdiaconos expoliatos procedere statuit. *Kyrieeleison* cantare præcepit, & orationem Dominicam mox post Canonem super hostiam censuit recitari, totum officium Missæ, sicut hactenus in Ecclesia obseruatur, composuit & ordinauit; super corpora beatorum Petri & Pauli singula ciboria fecit, Missarum ibi solemnia celebrari decreuit, luminaria addidit, de sepultura iuxta Ecclesiam commodum sperare prohibuit, memoriam defunctorum triginta diebus sacra oblatione agi præcepit, quia animabus hoc multum proficere certo experimento didicit. Nam cum quidam pro culpis suis communione priuati absque reconciliatione de hac vita migrassent, eius clementia etiam post obitum reconciliati, ac triginta dierum sacrosancta oblatione pro eis oblata, in requiem beatorum ipsis apparentibus & referentibus recepti sunt.

De liberalitate eius.

TANTÆ hospitalitatis Gregorius in ipso etiam Patriarchio permansit, vt exceptis, quos tam per diuersas regiones, quam Romæ quoq; Longobardorũ gladios fugientes, misericorditer nutriebat, cotidie ad mensam suam peregrinos quoslibet inuitaret; Inter quos die quadam vnus accessit, in cuius manibus, dum ipse aquam fundere vellet, conuersus vrceũ accepit, sed repente eum, in cuius manibus aquam fundere voluerat, non inuenit, cumq; hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte Dominus ei per visionem dixit: cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti.

Alio quoq; tempore, cum iuxta consuetudinem suam duodecim peregrinos ad prandiũ inuitasset, ipse solus tredecim numerauit. Cum nullus alius non nisi duodecim videret, animaduertit spiritalis pater Gregorius virum propius discumbentem vultus crebro conuertentem, & nunc adolescentem, nunc vero quasi senem sibi simulare, finito conuiuio duodecim quidem abire permisit, tertium decimum vero retinuit, ac per manum in cubiculum suum induxit, vehementer adiurans, vt ei se, nomenque suum simpliciter prodere dignaretur. Qui respondens dixit. *Et cur interrogas de nomine meo, quod est mirabile?* Veruntamen scito memoria recognoscens, quia ego sum naufragus ille, qui quondam veni ad te, quando scribebas in cella tua, cui dedisti duodecim numismata & argenteam scutellam & hoc pro certo tibi sit cognitum, quia ab illo die, quo mihi hæc hilari animo tribuisti destinauit te Dominus fieri Præsulem sanctæ suę Ecclesiæ, pro qua & proprium sanguinem fudit, & esse te vicarium Apostolorum principis Petri, cuius & virtutem imitatus es, cum substantias offerentium diuideret, prout cuiq; opus erat. Hæc autem audiens Gregorius dixit. Et tu quomodo nosti quod me Dominus sanctæ Ecclesiæ præesse destinauit? At ille inquit. Quoniam ego Angelus eius sum, & sum ab eo, ad tuum inquirendum propositum destinatus. Tunc Gregorius, quia nondum manifeste viderat Angelum, prorsus expauit, sibiq; hunc taliter dicentem audiuit; ne timeas, neq; formides. Ecce enim remisit me Dominus, vt sim tibi custos, quamdiu fueris in isto mortali sæculo, quatenus quamcunque rem petieris per me apud eum fiducialiter valeas impetrare; ilico Gregorius in faciẽ suam * orauit dicens: Si propter pusillum meæ paruitatis munusculum tanta mihi retribuit omnipotens Dominus, vt & Pontificem me sanctæ suæ Ecclesiæ faceret, custodemque mihi suum Ange-

* *ruit.*

Angelum deputaret, quanta putem mihi restituet, si in præceptis eius totis viribus permanens plura studuero de pluribus erogare? Igitur incipiens tantum largior esse de collato temporali commodo, quantum certior de recipiendo præmio sempiterno, quæ in auro argentoque de reditibus Ecclesiæ inferebantur, quater in anno, Pascha scilicet, natale Apostolorum, sancti Andreæ, natalitioq; suo, omnibus indigentibus tam Clericis quam Monasteriis & peregrinorum susceptionibus, fideliter erogabat.

Extra quos primo Dominicæ resurrectionis diluculo in Basilica ad impertiendum pacis osculum residens cunctis Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, aliisq; honestiorib' viris aureos erogauit: natalitio vero Apostolorum vel suo, aurum & argentum, ac pretiosa vestimenta donabat. Omnibus omnino Kalendis pauperibus generaliter easdem species, quæ congerebantur ex reditibus erogabat, tam frumentum quam vinum, ac totius generis alimentã, & hæc quibusq; temporibus congruentia, pigmenta vero aliaq; delicatiora commercia primoribus honorabiliter offerebat, ita vt nihil aliud quam communia quædam horrea, communis putaretur Ecclesia, tribus millibus ancillis Dei, quas Græci * Monasterias vocant, quindecim libras auri pro lectisterniis dedit, eisq; pro quotidianis stipendiis octoginta libras annualiter conferebat, harum, inquit, talis vita est atq; in tantum lachrimis & abstinentia districta, vt credamus quia si ipsæ non essent, nullus nostrum iam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorũ gladios potuisset; Quotidianis quibusq; diebus per omnium regionum vicos vel compita infirmis, seu qualibet corporis parte debilibus, cocta stipendia, per constitutos veredarios emittebat, verecundioribus vero, antequam ipse cibum caperet, à mensa sua benedictionis Apostolicæ ostiatim dirigere curabat scutellam, ita vt neminem prorsus exciperet misericordissimi beneuolentia prouisoris, quem ad fidem traxerat omnipotentis cognitio creatoris: demum cum quendam pauperem in angustis recessibus à vespillonibus inueniri mortuum contigisset, æstimans Gregorius eum stipis inopia defecisse, ita per aliquot dies à Missarum celebratione vacando tristatus est, tanquam si eum propriis manibus, quod dictu nefas est, peremisset; neq; lingua nec stylo opera misericordiæ eius comprehendi possunt, quia nullum excepit, nec maiorem nec minorem, sed plerosque etiam culpabat, quos indigentiam suam à se celari cognouit.

* *Monastrias.*

De Dedicatione cuiusdam Ecclesiæ.

PRÆTEREA cum Africanorum Basilica clausa usq; ad tempora permansisset Gregorij, placuit vt in fide Catholica dedicari debuisset; Cumq; Gregorius Missarum solemnia ibidē celebraret, astantes populi dæmonem quasi porcum inter suos pedes vsq; ad ianuas, discurrere senserunt, sed nihil viderunt: sequenti autē nocte magnus strepitus in tectis eiusdem Ecclesię auditus est, & altera nocte multo maior, ac deinceps nulla inquietudo maligni spiritus ibi apparuit, sed diuina luminaria ibi quàm sæpè inuenerunt, vt videlicet ex ipso lumine apertè clarescerct, quia per beatum Gregorium locus ille de tenebris ad lucem venisset.

De Anglis.

GREGORIVS tempore Diaconatus sui, dum quadam die Romæ per forum transiret, cernens inter alia pueros corpore atque forma pulcherrimos ibi haberi venales, interrogat mercatorem, de qua patria illos adduxisset: Ille respondit: De Britannia insula, cuius incolarum omnium facies simili candore fulgescit. Gregorius dixit: Christiani sunt iidem Insulani, an adhuc paganis tenentur erroribus implicati? Mercator respondit: non sunt Christiani, sed paganis tenentur laqueis irretiti. Tunc Gregorius acriter ingemiscens, heu proh dolor, inquit, quàm splendidas facies Princeps tenebrarum nunc possidet. Rursus interrogat, quod est vocabulum gentis illius? Mercator respondit, Angli vocantur. At ille, bene, inquit, *Angli*, quasi *Angeli*, & quia Angelicos vultus habent, & tales in cœlis Angelorum decet esse conciues. Iterum ergo interrogat, quod nomen haberet ipsa prouincia? Mercator respndit: prouinciales illi *Deiri* vocantur. Et Gregorius, benè, inquit, *Deiri*, quia de ira sunt eruendi, & ad gratiam Christi conuocandi. Rex, ait, illius prouinciæ quomodo nuncupatur? Mercator respondit. Aelle vocatur. Et Gregorius alludens ad nomen dixit, benè quia Rex dicitur Aelle, laus etenim in laude Creatoris oportet illis in partibus decantari.

Quomodo Prædicatores misit ad Anglos.

POSTQVAM ergo, Deo mortalibus consulente, Pontificatum Apostolicæ sedis adeptus est, mox vbi Ecclesiæ statum composuit, & quartum

quartum annum intrauit, anno ab Incarnatione Domini quingentesimo nonagesimo sexto, Augustinum cum aliis seruis Dei misit in Britanniam, vt verbum Dei Anglorum genti prædicarent. qui venientes ad Edilbertum Regem Cantuariorum, Dei cooperante gratia, non solùm licentiam prædicandi, verumetiam victus, subsidia, & mansionem in ciuitate Doruernensi, quæ erat regni eius Metropolis, facilè impetrauerunt. Prædicantibus autem eis, & in nomine Iesu miracula facientibus, crediderunt multi, & baptizati sunt, atque Augustino Episcopo consecrato, & pallio à Gregorio percepto, alios duos Metropolitanos constituit, vnum apud Lundoniam, & alium Eburacam, qui itidem pallio ab Apostolica Sede percepto, duodecim sub se Episcopos consecrarent; quibus relationibus Gregorius in Christo lætificatus misit Augustino plurimos verbi ministros, & per eos vniuersa, quæ ad cultum Ecclesię erant necessaria: atq; ita factum est, vt, Deo cooperante, totam pariter Anglorum Gregorius conuerteret gentem.

Igitur Gregorius non solum Saxones, in propriis sedibus commanentes Christo domino dedicauit, verumetiam pueros eorum per exteras regiones diffusos suis preciis comparans, baptizari fecit. Iudæos quoque & Paganos rusticos in ciuitatibus commorantes ab Episcopis tam suasionibus quàm præmijs, verberibus quoque & oppressionibus, vel quocunque pacto poterat, ad fidem cogi vel vocari fecit. & si isti, inquit, fideliter minimè veniunt, hi tamen, qui ex eis nati fuerint iam Christianis baptizantur. Aut ipsos ergo aut filios eorum Christo lucrabimur. Hæc quidem Gregorius intra vel extra vrbem studio pietatis exercuit; Cæterum Probum religiosum Abbatem cum multis pecuniis Hierosolymam destinauit, cuius instantia susceptionis peregrinorum ac pauperum tam ibi, quàm in monte Sina penes Arabiam hospitales domos constituit, vbi cottidiani victus & vestimenti copiam, quamdiu viuere potuit, annualiter procurauit.

De pane Christi.

CVM quadam die Gregorius Missas celebraret, matrona quædam accessit, vt corpus Dominicum perciperet; cumque illi diceret: *Corpus Domini nostri Iesu Christi conseruet animam tuam.* illa verbum intellexit & subrisit. Ille continuò dexteram ab eius ore conuertens, partem illam Dominici corporis super altare deposuit, eamque post

Missas interrogauit, quam ob rem corpus Domini sumptura, ridere præsumpserit. At illa diu mussitans, tandem prorupit, quia panem, in quiens, mihi ostendisti, & tu hunc *corpus Dominicum* perhibuisti; tunc Gregorius pro incredulitate mulieris cum tota plebe se in orationem dedit, & post paululum surgens, particulam panis, quam super altare posuerat, carnem cruentam in modum digiti factam reperit. Quam matronæ omnique plebi demonstrans, rursumque orando eandem carnem in panis primordia reformauit, sicque omnes in fide sancta, Deo opitulante, confirmauit.

Alio tempore vir Dei Gregorius quibusdam Occidentalibus, per legatos reliquias sanctorum petentibus, in singulis pixidibus sub nominibus petitorum Martyrum, more Romanorum, Brandeum cõcludens, cũ desuper sigillasset, legatis largitus est. At illi verò venerabiliter suscipiẽtes ac scrutãtes, quid à Romano suscepissent Pontifice, particulas Brandei repererunt, quod videntes legati vehemẽter irati sunt, dicentes, dominos suos pulcherrimis palliis abundare, ac per hoc Romanorũ vilibus Brandeis non egere. Quod audiens Gregorius ab eisdem legatis pannos suscepit, ac super altare composuit, & facta oratione coram legatis & populo, cultello pannos pupugit, & protinus sanguis emanauit, deinde iterum orauit, & orando cuncta foramina Brandeorum diuinitus conclusit.

De quodam diuite.

QVIDAM præterea diuitum Romanorum, relicta coniuge, fuerat à Pontifice communione priuatus, quod ille molestissime ferẽs Magorum suffragia requisiuit, qui magnis muneribus persuasi, magicis suis equo, in quo Gregorius sedebat, dæmonem immiserunt, eumque tam validè vexari fecerunt, vt nequaquam à sessore siue stratoribus teneri posse putaretur. Tunc Gregorius, reuelante spiritu, dæmonicam immissionem cognoscens, facto crucis signaculo, tam caballum à præsenti rabie liberauit, quàm maleficos ex latenti culmine iubens deponere perpetua cæcitate multauit. Quos reatum suúm suggestione incesti iudicis confitentes, ac post multum temporis ad sacri baptismatis gratiam venientes, luminibus quidem ne magicam relegerent reddere noluit, eos tamen Ecclesiastica stipe nutrire præcepit.

De Traiano Imperatore.

TRAIANVM quondam Romanorum Imperatorem paganum, Christianorum infestum persequutorem, fertur Gregorius flendo eripuisse ab inferorum ignibus, non autem vsque ad consortium beatorum fidelium, propter benignitatem quandam, quam idem Imperator in quadam vidua orbata perhibetur adimplesse quod scilicet sicut à prioribus traditur ita se habet; Quodam tempore, Traiano ad imminentis belli procinctum vehementissimè festinante, vidua quædam præcessit, flebiliter dicens: filius meus innocens, te regnante, peremptus est, obsecro vt quia illum mihi reddere non vales, sanguinem eius digneris legaliter vindicare. Cumque Traianus, si sanus reuerteretur à prælio, tunc se vindicaturum per omnia responderet, vidua dixit; si tu in prælio mortuus fueris, quis mihi præstabit? Traianus respondit: Ille, qui post me imperabit. Vidua dixit, & tibi quid proderit, si alter mihi iustitiam fecerit? Traianus respondit, vtique nihil, & vidua, nonne, inquit, melius est tibi, vt tu mihi iustitiam facias, & tu pro hoc mercedem tuam recipias, quàm alteri hanc transmittas? Tunc Traianus ratione pietateque commotus, equo descendit, nec antea discessit, quàm iudicium viduæ per semet imminens profligaret. Huius ergo mansuetudinem iudicis asseritur Gregorium recordatum ad sancti Petri Apostoli Basilicam peruenisse, ibique tamdiu super errore tam clementissimi Principis defleuisse, quousque responsum sequenti nocte cœpisset, se pro Traiano fuisse auditum, tamen pro nullo vlterius pagano preces effunderet.

Vide Bellarm. lib. 2. de purgat. cap. 8.

De quodam Heremita.

IGITVR Gregorij liberalitatis multitudinem quidam Heremitarum, vir magnæ in Christo virtutis, qui nihil in mundo possidebat, præter vnam catam, quam blandiens crebrò, quasi cohabitatricem suis gremiis refouebat, cognoscens orasse fertur ad Deum, vt sibi ostendere dignaretur, quam futuræ remunerationis mansionē sperare debuisset, qui pro illius amore sæculum deserens nihil ex eius diuitiis possideret: Cumque nocte quadam dormiret, cognoscit sibi reuelatum fuisse, vt cum Gregorio Romano Pontifice mansionem sibi præparandam sperare debuisset; at ille fortiter ingemiscens, parum sibi profuisse voluntariam rerum inopiam, tantaque ieiunia, si cum

eo mansionem reciperet, qui tantis mundialibus diuitiis redundaret; Cum verò Gregorianas diuitias suæ paupertati die noctuque suspirando conferret, alia nocte quiescens, audiuit sibi Dominum in somnis dicentem: Cur audes paupertatem tuam Gregorij diuitiis comparare, qui magis illam catam, quam habes, cottidie palpando atque demulcendo amplius diligere comprobaris, quàm ille qui tantas diuitias non amando sed contemnendo cunctisque liberaliter largiendo dispergit? Ita solitarius increpatus Deo gratias retulit, & qui interitum suum discreuisse putauerat si Gregorio conferretur, orare vehementius cœpit, vt cum eo mansionem quandoque percipere mereretur.

De Mauritio Imperatore.

IMPERATOR tenacissimus Mauritius, cœpit inuidiam habere contra Gregorium, eique detrahere propter illius liberalitatem, cui Gregorius in Dei virtute & Apostolica authoritate in nullo contra iustitiam voluit cedere, sed etiam aperta voce Dei iudicium in proximo superueniendum prædicere. Denique Mauricius Imperator libertatem vocis tanti Pontificis admiratus, quia de futuro iudicio eum terruerat, à tyrannide Gregorio inferenda semet quidem continuit, sed à cupiditatis, atque tenaciæ auaritia vsque adeò non recessit, vt exercitum in aliena terra hiemare statueret, nec eis stipendia publica dare vellet. Quapropter commoto intra Constantinopolim graui tumultu, Mauricius cum vxore & filiis fugit, quem quidam Centurio Focas nomine, cum exercitu insecutus occidit; ipseque fauente exercitu Imperator efficitur. Qui cum sibi mandari Romanæ sedis Diaconum cum magna humilitatis reuerentia postularet, Gregorius ei lætabundas litteras cum legato Sedis Apostolicæ direxit, & quia ipse Dominum suum occiderat, ipse quoque à quodam *Eraclione* octauo Imperij sui anno interfectus est, & Eraclius Imperium accepit, qui crucem Dominicam à Persis captam, reportauit.

Quantæ humilitatis Gregorius fuerit, cum ex multis, tùm ex his manifestissimè poterit deprehendi, quod omnes quidem Sacerdotes, *Fratres & Comministros*, Clericos autem diuersi ordinis, *dilectissimos filios*, at vero laicos, viros, *dominos*, & fœminas *dominas* in suis litteris nominabat. Ex hoc tamen, quàm maximè claret, quod neque ab aliquo se summum Pontificem aut *vniuersalem* siue *dominum* vocari æquanimiter permittebat. Tantæ autem auctoritatis fuit, vt nemini contra iusti-

iustitiam parceret, quin eius vitia manifesta inuectione redargueret, qualicunq; potestate, vel conditione præemineret, tantæ misericordiæ, vt nullum propter peccata sua despiceret; tantæ compassionis, vt omnibus in suis necessitatibus & ægritudinibus subueniret, tantæ largitatis, vt nullum omninò egenum sine consolatione relinqueret, & hæc omnia ita discretè, ita benignè, vt videretur paterno siue materno affectu prouidere.

De obitu ipsius.

CVm Dominus Iesus Christus famulum suum Gregorium de immensis cruciatibus, quibus in corpore, per multa tempora infirmando, torquebatur, eripere vellet, & in æterna quiete lassata membra refoueri decreuisset, postquam Sedem sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ annis tredecim, mensibus sex, diebus decem doctrinis pariter & operibus felicissimè illustrauit; anno ab Incarnatione Domini sexingentesimo quinto, Imperij Focæ secundo, indictione septima, quarto iduũ Martiarum à carnis corruptione subtractus est incorruptionis perpetuæ gloria sublimandus. Huius venerabile corpus in extrema porticu Basilicæ beati Petri tunc quidem tumulatum est, sed post annos circiter quinquaginta à Gregorio quarto Sedis Apostolicæ Præsule translatum sub altare sui nominis collocatur, vbi cunctis deuota mente petentibus, apud Deum piè suffragatur, & maximè sui monasterij ab infestantibus plerumque fortis tutator expertus est. Quo defuncto, vehementissima fames eodem anno incubuit, & quanto patrono tunc caruerit Roma persensit. Quidam autem incentores calumniarum, cum Gregorium prodigum dilapidatoremque multiplicis Patriarchatus perstreperent; deficiente personali materia, ob inuidiam cœperunt libros eius comburere. Quod videns Petrus Diaconus eius, vehementer cœpit obsistere, dicens, hoc ad delendam eius memoriam iam nihil proficere, quorum exemplaria iam per mundi penetrassent climata, subiungens immane sacrilegium esse, tãti patris tot & tales libros exurere, super cuius caput ipse Spiritum sanctum in specie columbæ tractantis perspexisset sæpissimè. Hoc audito Petri testimonio, in hoc omnium sententia deuenit, vt si quod dixerat iureiurandò confirmans, mori continuò meruisset, ipsi à librorum exustione desisterent. Itaque Petrus in ambonem ascendens, mox vt Gregorianæ sanctitati testimonium præbuit, inter verba veræ confessionis spiritum coram omnibus emisit.

FINIS.

De vita

SANCTI GEBHARDI CONSTANTIENSIS EPISCOPI, MONASTERII, QVOD PETRIDOMVS SEV PETERSHUSEN appellatur, fundatoris.

Libri duo

Ex antiquorum relatione & traditione Anno Domini 1511. conſcripti.

Per Felicem Manilium.

Et

Nunc primum ex chartis manuſcriptis Monaſterij Petershuſenſis publicati.

HERMANNVS CONTRACTVS IN CHRONICO.

ANNO 979. *Constantiæ Gamenolfus Episcopus obijt: eique Gebehardus nobilis & venerabilis Præsul succedens 16. annis Ecclesiam rexit, qui Basilicam Sancti Gregorij in ripa Rheni Abbatiamque suis ex prædiis construxit: iam dicitur Petri domus.*

INCI-

INCIPIT PRÆFATIO IN VITAM BEATI GEBHARDI SECVNDI CONSTANTIENSIS Episcopi & Confessoris Christi Petrishusensisq; cænobij constructoris.

CVM rerum conditor protoplastum in paradiso mandatis institueret salutaribus, eidemq; eum præficeret loco, vt spiritalem ibidem gigneret prolem, donec prædestinatorũ numero completo, sine vllo mortis interuentu, simul cum corpore & anima ad illum scanderet locum, de quo malignus cum suis sequacibus ceciderat spiritus: liuore inuidiæ stimulatus diabolus, quod caro possessura esset gloriam, quam ipse spiritus perdiderat, fallaci persuasione seduxit hominem, & promittendo diuinitatem, quam non habuerat, etiam immortalitate simul cum gloria, quam iam habebat, nudauit: Deus autem plus malitiam hostis, quam casum hominis detestatus, hominem quidem ad pœnitentiam reuocauit, deceptorem vero æterna pœna mulctauit, dedit vero homini rectores atq; magistros, quibus per Spiritum inspirauit suum, siue quid faciendum, quidue vitandum foret; vt cæteros regerent atq; docerent per semitas iustitiæ incedere, prauaq; itinera deuitare. Ad hoc promisit eis suum aduentum in mundum, vt sua carne nostram liberaret carnem, & sua luce nostram illustraret cæcitatem, qui sedebamus in tenebris, & in regione vmbræ mortis; hoc autem primo per Patriarchas, deinde per legem, postremo vero per multiformia Prophetarum prædixit oracula; hi enim omnes missi sunt, prænunciare aduentum Saluatoris in carne, parareque Domino plebem perfectam.

Vbi verò venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus, non solum autem eos, qui sine iugo erant, vocauit, dicens eis: *Tollite iugum meum super vos, & discite*

cite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Expleta ergo dispensatione, pro qua carnem assumpserat, cum reuerteretur ad Patrem, à quo nunquam per diuinæ maiestatis vnitatem recesserat, non reliquit suos seruos orphanos, sed consolatione sui Spiritus eos confirmauit atq; solidauit, & iussit eos prædicare & testificari per omnes gentes pœnitentiam, & remissionem peccatorum accipere per lauacrum regenerationis, & fidem Christi Domini, introitumq; Regni cælestis, & gloriam permansuram. Huius autem primi seminatores verbi fuerunt Apostoli, deinde eorum successores, videlicet Sacerdotes Domini, quorum plurimi etiam vsq; ad sanguinem pro eodem verbo certauerunt, & mortem libenter pro Domino pertulerunt, vt vitæ æternæ participes fieri mererentur. Alij verò ieiuniis, vigiliis, & orationibus semetipsos in ara cordis, Domino hostiam viuam immolantes, & aliis verbum vitæ annuntiantes, talentum sibi creditum cum lucro reportauerunt.

Inter quos beatissimus Gebhardus velut splendidissimum sydus, Alamannicis rutilabat in partibus, qui omni virtutum iubare ornatus, morum probitate & testimonio vitæ pollebat, adeo, vt Deus omnipotens per eius merita crebro faceret mirabilia, cuius nos omnia gesta non didicimus, sed pauca seniorum relatione ad nostras peruenerunt aures, quæ etiam prout possumus ad posteros transmittere curamus. neminem ergo leuitas remordeat verborum, nulli incultus sermo fastidium iniiciat legendi, nec attendat auditor quis, quomodo, sed quid, vel de quo loquatur, nec hoc quenquam mouere debet, quod non visa, sed audita scribere præsumimus, cum etiam Lucas & Marcus Euangelium suum, & pleriq; sanctorum Patrum conscripserint, quæ vtique non visu, sed solo auditu veraciter perceperunt. Quanquam & hi, quorum relatu nos hæc percepimus, tales ac tanti extiterint, vt eorum verbis melius quam propriis possemus credere oculorum obtutibus, sed in hoc anteriores videlicet non mediocriter culpandi sunt, qui viderunt & interfuerunt his, quæ per illum Deus operatus est, quod hæc litteris tradere ad laudem Christi minime curauere, sed his intermissis, nos, Deo adiuuante, ad narrandi ordinem veniamus.

Explicit præfatio.

INCIPIVNT CAPITVLA.

Expliciunt Capitula.

INCI-

INCIPIT VITA BEATI GEBHARDI EPISCOPI CONSTANTIENSIS.

BEATVS Gebhardus nobilissima Alamannorum stirpe, patre videlicet Vzone vel Huozone nomine, Rhetianorum Comite extitit oriundus. Quem mater dum gestaret in vtero, morte debitum exigente, languore correpta est, in extremis vero posita suis indicauit hominibus, viuum scilicet in vtero gestare infantem, rogatque, vt anima exhalata ventrem sibi incidant, infantulum tollant, calido aruinæ globo inuoluant Deiq; prouidentiæ cautissime custodiant. Quæ omnia vt ipsa rogauerat, completa sunt. Hora autem adueniente, qua infans nasci debuisset, si materno vtero foueri licuisset, vocem emisit infantulus, indeque cognitum est reuoluendum, lucique reddendum fore. ô mira omnipotentis Dei opera, qui, vt ait beatus Ioannes præcursor Domini, potens de lapidibus suscitare filios Abrahæ, pene sine fotu muliebris vteri columnam suæ procreauit Ecclesiæ. Huic certe accommodari potest illud, quod Dominus ad Hieremiam Prophetam dixit: priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te.

De pueritia eius cap. 2.

TVLERVNT ergo infantulum & nutriri commendauerunt, adultumq; litteris tradiderunt. Tunc puer cœpit bonæ indolis esse, & ceu prudentissima apis per multigenos flores mella, ita ille per diuersas sacræ scripturæ paginas in alueario cordis dulcisonas congerebat sententias quibus postmodum populorum dulcificaret fauces.

Quod iam iuuenis cum Beato Conrado conuersabatur. cap. 3.

CVM autem puerilia transcendisset iura, & iuuenilem vitam attigisset, Dei cœpit frequentare contubernia & præcipue beati ac Deo digni

digni Sacerdotis Conradi Constantiensis Episcopi, cuius etiam familiarissimus pedisequus extitit, vt videlicet in eius probitate disceret, quicquid adhuc in eius moribus emendandum foret. Sciebat enim scriptum esse; *Cum sancto sanctus ero, & cum viro innocente innocens eris, & cum peruerso peruersus eris;* ideo & prauorum fugiebat consortia dicens cum Propheta: *Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeam cum* eis *& ambulanti in via immaculata huic ministrabam.*

Quomodo à S. Conrado prædictus est futurus Episcopus. cap. 4.

VNDE & Spiritus sanctus dignatus est suis de eo prænuntiare fidelibus, quod iugum portaturus Domini, & pater familias in domo Domini futurus esset. Deniq; cum beatæ memoriæ Conradus, cuius superius mentionem fecimus, die quodam cum suis resideret, & causa existente domum ad horam fuisset * excessus: vir Domini Gebehardus, iocandi gratia, vt fieri solet, venit & sedit in loco, de quo Episcopus fuerat digressus. Ingrediens autem inopinate Episcopus, & videns Gebehardum suum occupantem locum, subridendo, vt fertur, ad eum locutus est. Eia, inquit, Gebeharde, quam cito meum anticipare voluisti locum? sed non ita erit; non enim tibi post me, sed alteri debetur. Illo vero assumpto, te Dominus suarum ouium rectorem prædestinauit atque Pastorem. Hanc autem Prophetiam veracem esse, rei exitus approbauit.

* *egressus.*

De electione S. Gebehardi in Episcopum Constantiensem. cap. 5.

NAM beatissimo Conrado ad Dominum translato * Bamenoldus ci in Episcopatum successit, qui plus minus quatuor præfuit annis, quo defuncto, Clerus, senatus, populusq; Constantiensis Gebehardum sibi Pastorem vnanimiter delegerunt, ipsam vero electionem summo Pastori acceptabilem atq; suis ouibus Pastorem hunc etiam ab ipso Domino prædestinatum fuisse euidenti signo monstratum est.

* *Alij, Gamiolphus.*

Imago Dei genitricis ei insomno apparet. cap. 6.

ERAT namq; in eadem Ecclesia imago sanctæ Dei genetricis Mariæ ligneæ insculpta tabulæ, quæ beato viro in somnis visa est vir-

gam præbuisse Pastoralem eique præcepisse vt Dominicum gregem pasceret, eiq; pascua vitæ monstraret æternæ.

De Ottone Imperatore. cap. 7.

OTTO etiam eiusdem nominis secundus Imperator, audiens obitum Constantiensis Episcopi consensumq; populi in electione venerandi viri Gebehardi, gratulabundus ei baculum cum Pontificali annulo direxit, præcipiens vt cum ouium subiectione Gebehardo omnes obedirent, eumq; sibi datum à Domino Pontificem gauderent; Erat enim idem vir Domino Imperatori familiarissim⁹, eo quod Compater eius esset, ideoq; gaudebat quod occasionem inuenisset ad hoc eum promouendi, quod iam dudum concupierat, & ad quod eum dignissimum omni vitæ sanctimonia decernebat.

De vnctione vitaq; eius sanctimonia. cap. 8.

CANONICA electione peracta, vnctusq; vnguento sanctificationis, quod *de capite descendit in barbam Aaron*, cœpit vir Domini, boni Pastoris imitari exemplum, mercenarij deuitare perfidiam; talentum sibi creditum cum lucro reportare, omni mentis annisu satagere, omni virtuti operam dare, sicut decebat Domini dispensatorem: bonus, pius, pudicus, sobrius, castus, & vt breuiter dicam, omni bonitate conspicuus vniuerso morum decore ornatus. *Ibat enim de virtute in virtutem* vt videret *Domini decorem in Sion. Omni custodia seruabat cor suum*, illud attendens quod Dominus in Euangelio ait: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt: omnibus omnia factus est*, vt omnes saluos faceret, omnia autem faciebat propter Deum, vt hæres eius fieret, cohæres autem Christi.

Quomodo fratrem suum hæreditatem paternam secum diuidere coëgerit. cap. 9.

SED quia de nobilissimis & ditissimis fuerat parentibus, qui sibi fratribusq; suis multitudinem copiosam prædiorum reliquerant, (sicut est humana auaritia, quæ diuitiis non impletur) fratres eius sibi vendicabant vniuersa, nec fratri quicquam dederant de sibi relicta substantia, vir autem Dei non cupiditate prædiorum, sed Dei, cui ea

tradere

tradere cupiebat, amore ſuccenſus, ſuam partem poſſeſſionum à fratribus ſibi dari poſtulabat: Illis autem negantibus, vi extorſit ab eis, vt omnia æqua lance diuiderent, nec quicquam eorum, quod ſuæ contigerat ſorti, permiſit habere. Hæc vero non malitia ſed diuino zelo, animo inardeſcente peragebat; ne forte fratres periculum ſuæ incurrerent animæ, ſi aliquid ſibi iniuſte vſurpatum poſſiderent.

De parte ſuorum prædiorum Monaſterium conſtruit. cap. 10.

PERACTA autem hac hęreditaria diuiſione, vir Domini Gebehardus, animo reuoluens illam ſententiam, qua Saluator in Euangelio ait: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo* : Et, *niſi quis renuntiauerit omnibus, quæ poſſidet, nō poteſt meus eſſe diſcipulus* ; Suis ex prædiis Monaſterium ſancti Gregorij Papæ in ripa Rheni fluminis iuxta Conſtantiam ciuitatem conſtruxit, deputatis illic duodenis fratribus, qui die noctuq; diuinis ibidem inſiſterent officiis, quibus ſufficienter victum veſtitumque ſuis ex facultatibus miniſtrari conſtituit: de terrena ergo ſubſtantia ſibi nihil reſeruauit, ſed cuncta Chriſti pauperibus fideliter erogauit, ſicut ſcriptum eſt: *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in æternum*, theſaurizare ſibi noluit in terra, vbi neſciret, cui congregaret, ſed theſaurizabat ſibi theſauros in cœlo, vbi nec *Ærugo, nec tinea demolitur*, vbi *fures non effodiunt, nec furantur.*

Quando cœperit ædificare Monaſterium. cap. 11.

ANNO autem Dominicæ incarnationis nongenteſimo octogeſimo tertio, Epiſcopatus autem ſui quarto, vndecimo vero imperij Ottonis ſecundi hanc eandem manufactam domum ex materialibus lapidibus Domino conſtruere cœpit, ipſe *viuus lapis* ponendus in non manufacta domo æterna in cœleſtibus, dicens cum Apoſtolo: *Non enim habemus hic manentem ciuitatem ſed futuram inquirimus* ; Theſaurizabat ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehenderet veram vitam, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Architectus in terram casu prolapsus & exstinctus, ab eo in vitam reuocatur. cap. 12.

CVM autem, Deo prosperante, iecisset fundamenta Ecclesiæ, toto nisu cœpto operi cœpit cottidie insistere, & Deo incrementum dante, ventum est ad hoc, vt parietibus in altum excrescentibus, necessario etiam lignorum instrumenta subrigerentur per quæ onera portantes ascenderent & descenderent, super quæ etiam opera facientes constare possent. Et ecce quadã die subito ex improuiso accidit, quod omnes assistentes valde contristauit. Nam cum omnes certatim operi instarent, contigit vt fractis sustentaculis, in quibus stabant operarij caderent in terram; ita vt opifex, qui præerat operi, toto conquassato corpore, quasi exanimis inueniretur. Cumque ex eo quod acciderat, magna afficerentur tristitia, vir Domini Gebehardus confisus in eo qui dixit: *Quæcunq; petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis;* Iussit eum leuari, & in oratorium sancti Michaëlis, quod ibi erat, deportare, & eiectis omnibus, ipse clausit ostium sesq; in orationem dedit. Quo orante elisus sanus surrexit, eumque ad opus redire iussit, atq; ait: Vere nullus deinceps ex hoc cadendo suæ periculum patietur animæ: Iussitque omnes parietes certo tramite sursum sine vestibulis sicut hactenus cernuntur construi, ita vt laquearia eiusdem templi in modum crucis suspensa esse videantur. Quæ laquearia deauratis baculis in modum stellati cœli vndiq; decorauit: muros vero per circuitum varia pictura perornauit, non tali, qualem Propheta Ezechiel perfosso pariete conspexit, sed tali, quę opera Saluatoris, quę vel in veteri vel in nouo Testamento operatus est, ad ædificationem intuentium repræsentaret.

De situ & dedicatione templi, & reliquiis in eo reseruatis. cap. 13.

SITVS autem eiusdem templi ad Occidentalem plagam versus est, secundum formam basilicæ principis Apostolorum Romæ constructam formatum est, propter quod eundem locũ *Petri domum* appellauit: per circuitum vero congrua Monachis construxit habitacula, perfectisq; omnibus decimo anno Ecclesiam in honore sancti Gregorij Papæ dedicauit, eamq; multiplicibus & magnificis sanctorum reliquiis cumulauit, inter quas etiam brachium sancti Philippi Apostoli ab Ottone tertio Imperatore sibi cum aliis plurimis condonatum, summo studio ibidem collocauit.

De

De priuilegio Romæ acquisito Cap. 14.

CVMQVE summo studio sanctorum reliquias & cætera quæque ad diuinum cultum pertinentia vndique ex diuersis locis congregaret, eiusdem rei gratia etiam Romam properauit, vt & de Apostolorum liminibus, sanctorum exuuias, priuilegiumque libertatis perciperet, quod & magnificè impetrauit. Nam cum iam sæpe dictũ locum principi Apostolorum proprietatis iure contradidisset, ab eius vicario Ioanne tale priuilegium accipere promeruit.

Priuilegium summi Pontificis. Cap. 15.

IOANNES Episcopus, seruus seruorum Dei, in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris videlicet & Filij & Spiritus sancti. Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus, qualiter Gebehardus secundus amabilis Episcopus sanctæ Constantiensis Ecclesiæ, dilectissimus confrater noster, orationis causa Romam veniens ad limina Apostolorum Principum Petri & Pauli, & ante nostram præsentiam, retulitque nobis, quatenus ipse Dei nutu compulsus, Ecclesiam cœnobitarum construxisset, super ripam fluminis, quod dicitur Rhenus, ad honorem beati Gregorij Confessoris Christi, in quo loco regulam sancti Benedicti Abbatis, & Monachorum fratrum luculentissimè ordinaret: vbi deuotissimè de suis propriis prædiis, quæ à suis parentib' illi euenerunt, & partẽ de rebus S. suæ Ecclesiæ deuotissimè obtulit, ad sustentationem & stipendium illorum videlicet Monachorum, qui in ipso sancto Monasterio sedulò Christi laudes persoluere, die noctuque non cessant: de quibus nostræ humilitatis supplicans clementiam, vt prædictus locus ipse sub tuitione & defensione sancti Petri nostra nostrorumque successorum Pontificum in perpetuum maneat: Ita tamen vt nullus Rex aut Dux neque Marchio, nec etiã Episcopus, qui per tempora in ipso Episcopio fuerit, aut vlla persona audeant de omnibus, quę ibidẽ ab ipso iam dicto Gebehardo Episcopo concessa sunt, alienare, aut quoquo modo de ipso sancto Monasterio extrahere, sed tuta & stabilita atque firma vsque in futura tempora concedimus permanenda, sed & hoc Apostolica præceptione, rogante supradicto confratre nostro, interdicimus; in nomine Domini nostri Iesu Christi, ne aliquis eidem Monasterio præficiatur, nisi quem communi consensu fratres ibidem Christo sedulò seruientes elegerint, electumq; Episcopus be-

nedictionis titulo confirmare procuret. Et hoc ipsum de aduocati electione decerni placuit; si verò, quod absit, aliquando contigerit, vt Episcopus eiusdẽ sanctæ Ecclesiæ hæreticus vel schismaticus existat, fratres suprà dicti Monasterij ex auctoritate Sedis Apostolicæ habeant potestatem Ecclesiasticos ordines requirendi vbicunque Catholicum nouerint esse Episcopum, nec ille iniquus, de hoc aliquam eis iniuriam inferre præsumat; nam si quis aliquis homo cuiuscunque sit ordinis vel potestatis, quod nõ credimus, in aliquo disrumpere tentauerit ea, quæ ab ipso iam dicto confratre nostro in prædicto Monasterio concessa sunt, & à iure & ditione ipsius Monasterij auferre voluerit, nisi resipiscat, excommunicatus à corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi consistat, & anathematizatus à sanctis Patribus omnibus & à nobis, nec in exitu vitæ communicet, sed etiam mortuo nomen eius inter Missarum solennia nullo modo recitetur. Qui vero pio intuitu custos & procurator huius nostri præcepti extiterit, benedictionis gratiam, vitamque ab ipso Domino Deo & Saluatore Iesu Christo mereatur, in sæcula sæculorum, Amen. Scriptum per manus Iohannis Notarij & Regionarij & Scriniarij sacri Lateranensis Palatij in mense Aprilis & indictione secunda, datum verò septimo Kalendas Maias, per manus Gregorij Episcopi sacræ Portuensis Ecclesiæ, & Bibliothecarij Sedis Apostolicæ, Anno Pontificatus Domini nostri Ioannis sanctissimi Papæ quarto.

Caput S. Gregorij Magni acquirit, Cap. 16.

INTER cæteras verò, quas idem Pontifex, beato viro sanctorum dederat reliquias, Caput quoq; sanctissimi Papæ sibi cõdonauit Gregorij: sed hoc paucis & sibi familiarissimis cognoscentibus; vir autem Dei tanto munere accepto, maximo delibutus gaudio, festinus vrbem egreditur, verens hoc, quod etiam contigisset, nisi diuina ministratione profectus fuisset. Romani enim cognoscentes se tanto pignore priuatos, se quasi orbatos, gementes ciuitatem egressi, virum Dei vnanimiter prosequuntur.

Padum siccis pedibus pertransit. Cap. 17.

QVOD ille sentiens fugam iniuit, fugiendoq; Placentiæ ad Padum fluuium vsq; peruenit, quem in immensum excreuisse inuenit, nauemq; altera in parte fluminis consistere doluit; cumq; nullum adesse

ſe conſpiceret, qui nauim aduehere potuiſſet, iam iamq; inſequentes ſe aduenire formidaret, quod tunc ſolum ſubſidij nouerat, ad arma orationum confugit, ſeſeque in ripa fluminis Deo ſupplicem dedit, quē mox ſe inuocantem Chriſtus in tribulatione dilatauit: quia *oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum*, & adhuc eo clamante dixit: Ecce adſum: illo namque orante & omnipotentis Dei miſericordiam implorante, vt ſi voluntatis ipſius eſſet, quatenus iſte ſanctorum exuuiæ ad locum deſtinatum peruenirent, ſibi in hoc neceſſitatis articulo ſubueniret. Mirum dictu Padus ſe ſubmiſit, & per medium ſuimet ſanctiſſimo viro nodum optimum patefecit, & ſicut de Iſraëlitico populo Pſalmiſta canit, *Mare vidit & fugit, Iordanis conuerſus eſt retrorſum*: & iterū; *Deduxiſti ſicut oues populum tuum in manu Moiſi & Aaron*, ita & nos de iſto proclamare poſſumus: quia Padus illum vidit & fugit, & de curſu ſuo conuerſus eſt retrorſum, & fideles ſuos deduxit Dominus per aquas multas, in manu ſerui ſui Gebhardi; Ipſe autem vir Dei, ſtatim vt ſibi viam à Domino proſpexit patefactam, cum ſuis omnibus ingreſſus omni cum alacritate pertranſiuit; vnus autem nequam ex obſequio ipſius ſancti poſtremus pertranſeuntium factus, cunctis aliis egreſſis, in alueo fluminis ſolus inuentus, concurrentibuſque aquis præuentus, atque ſuffocatus eſt, ſecundum illud quod ſcriptū eſt, *Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habet qui eum adiuuet, vt ſurgat.* Quod cum viro Dei nuntiatum fuiſſet, ait: Ex hoc nolite contriſtari, naulum enim hoc in loco dare debueramus, pro quo iſtum à Domino ſublatum credamus; & cum lætitia Chriſto gratias agentes iter noſtrum peragamus; Illi vero, qui virum Dei illo perſequuti fuerant, videntes quæ facta ſunt, ad propria reuertuntur; quis verò hæc audiens non obſtupeſcat, quiſue obſtupeſcens credat de ſterili Alemannorum terra, tantum emicuiſſe virum, per quem Deus his temporibus antiqua renouare dignatus eſt mirabilia, ſicut enim Moiſes cum Iſraëlitico populo, per mare rubrum; & Ioſue, Helias, & Heliſeus, per Iordanica fluenta ſicco pertranſierunt veſtigio: Ita iſte Domini dilectus præpetes fluctus Padi alueo fidei concludens per ſemitam humanis pedibus hactenus inconceſſam ſecuris greſſibus commeauit.

Duodenos Monaſterio deputat fratres Cap. 18.

DOMVM autem cum perueniſſet, collocatis cum omni diligentia reliquiis ordinatiſque duodenis, vt ſupra dictum eſt, ad locum fratribus, Periggerum tertium decimum vicem Chriſti inter eos agere conſtituit.

De

cite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Expleta ergo dispensatione, pro qua carnem assumpserat, cum reuerteretur ad Patrem, à quo nunquam per diuinæ maiestatis vnitatem recesserat, non reliquit suos seruos orphanos, sed consolatione sui Spiritus eos confirmauit atq; solidauit, & iussit eos prædicare & testificari per omnes gentes pœnitentiam, & remissionem peccatorum accipere per lauacrum regenerationis, & fidem Christi Domini, introitumq; Regni cælestis, & gloriam permansuram. Huius autem primi seminatores verbi fuerunt Apostoli, deinde eorum successores, videlicet Sacerdotes Domini, quorum plurimi etiam vsq; ad sanguinem pro eodem verbo certauerunt, & mortem libenter pro Domino pertulerunt, vt vitæ æternæ participes fieri mererentur. Alij vero ieiuniis, vigiliis, & orationibus semetipsos in ara cordis, Domino hostiam viuam immolantes, & aliis verbum vitæ annuntiantes, talentum sibi creditum cum lucro reportauerunt.

Inter quos beatissimus Gebhardus velut splendidissimum sydus, Alamannicis rutilabat in partibus, qui omni virtutum iubare ornatus, morum probitate & testimonio vitæ pollebat, adeo, vt Deus omnipotens per eius merita crebro faceret mirabilia, cuius nos omnia gesta non didicimus, sed pauca seniorum relatione ad nostras peruenerunt aures, quæ etiam prout possumus ad posteros transmittere curamus. neminem ergo leuitas remordeat verborum, nulli incultus sermo fastidium iniiciat legendi, nec attendat auditor quis, quomodo, sed quid, vel de quo loquatur, nec hoc quenquam mouere debet, quod non visa, sed audita scribere præsumimus, cum etiam Lucas & Marcus Euangelium suum, & pleriq; sanctorum Patrum conscripserint, quæ vtique non visu, sed solo auditu veraciter perceperunt. Quanquam & hi, quorum relatu nos hæc percepimus, tales ac tanti extiterint, vt eorum verbis melius quam propriis possemus credere oculorum obtutibus, sed in hoc anteriores videlicet non mediocriter culpandi sunt, qui viderunt & interfuerunt his, quæ per illum Deus operatus est, quod hæc litteris tradere ad laudem Christi minime curauere, sed his intermissis, nos, Deo adiuuante, ad narrandi ordinem veniamus.

Explicit præfatio.

INCI-

INCIPIVNT CAPITVLA.

Expliciunt Capitula.

INCIPIT VITA BEATI GEBHARDI EPISCOPI CONSTANTIENSIS.

BEATVS Gebhardus nobilissima Alamannorum stirpe, patre videlicet Vzone vel Hůozone nomine, Rhetianorum Comite extitit oriundus. Quem mater dum gestaret in vtero, morte debitum exigente, languore correpta est, in extremis vero posita suis indicauit hominibus, viuum scilicet in vtero gestare infantem, rogatque, vt anima exhalata ventrem sibi incidant, infantulum tollant, calido aruinæ globo inuoluant Deiq; prouidentiæ cautissime custodiant. Quæ omnia vt ipsa rogauerat completa sunt. Hora autem adueniente, qua infans nasci debuisset, si materno vtero foueri licuisset, vocem emisit infantulus, indeque cognitum est reuoluendum, lucique reddendum fore. ô mira omnipotentis Dei opera, qui, vt ait beatus Ioannes præcursor Domini, potens de lapidibus suscitare filios Abrahæ, pene sine fotu muliebris vteri columnam suæ procreauit Ecclesiæ. Huic certe accommodari potest illud, quod Dominus ad Hieremiam Prophetam dixit: priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te.

De pueritia eius cap. 2.

TVLERVNT ergo infantulum & nutriri commendauerunt, adultumq; litteris tradiderunt. Tunc puer cœpit bonæ indolis esse, & ceu prudentissima apis per multigenos flores mella, ita ille per diuersas sacræ scripturæ paginas in aluearío cordis dulcisonas congerebat sententias quibus postmodum populorum dulcificaret fauces.

Quod iam iuuenis cum Beato Conrado conuersabatur. cap. 3.

CVM autem puerilia transcendisset iura, & iuuenilem vitam attigisset, Dei cœpit frequentare contubernia & præcipue beati ac Deo

dignì

digni Sacerdotis Conradi Constantiensis Episcopi, cuius etiam familiarissimus pedissequus extitit, vt videlicet in eius probitate disceret, quicquid adhuc in eius moribus emendandum foret. Sciebat enim scriptum esse; *Cum sancto sanctus ero, & cum viro innocente innocens eris, & cum peruerso peruersus eris*; ideo & prauorum fugiebat consortia dicens cum Propheta: *Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeam cum eis & ambulanti in via immaculata huic ministrabam.*

Quomodo à S. Conrado prædictus est futurus Episcopus. cap. 4.

VNDE & Spiritus sanctus dignatus est suis de eo prænuntiare fidelibus, quod iugum portaturus Domini, & pater familias in domo Domini futurus esset. Deniq; cum beatæ memoriæ Conradus, cuius superius mentionem fecimus, die quodam cum suis resideret, & causa existente domum ad horam fuisset * excessus: vir Domini Gebehardus, iocandi gratia, vt fieri solet, venit & sedit in loco, de quo Episcopus fuerat digressus. Ingrediens autem inopinate Episcopus, & videns Gebehardum suum occupantem locum, subridendo, vt fertur, ad eum locutus est. Eia, inquit, Gebeharde, quam cito meum anticipare voluisti locum? sed non ita erit; non enim tibi post me, sed alteri debetur. Illo vero assumpto, te Dominus suarum ouium rectorem prædestinauit atque Pastorem. Hanc autem Prophetiam veracem esse, rei exitus approbauit.

* *egressus.*

De electione S. Gebehardi in Episcopum Constantiensem. cap. 5.

NAM beatissimo Conrado ad Dominum translato * Bamenoldus ci in Episcopatum successit, qui plus minus quatuor præfuit annis, quo defuncto, Clerus, senatus, populusq; Constantiensis Gebehardum sibi Pastorem vnanimiter delegerunt, ipsam vero electionem summo Pastori acceptabilem atq; suis ouibus Pastorem hunc etiam ab ipso Domino prædestinatum fuisse euidenti signo monstratum est.

* *Alij, Gamimolphus.*

Imago Dei genitricis ei in somno apparet. cap. 6.

ERAT namq; in eadem Ecclesia imago sanctæ Dei genetricis Mariæ ligneæ insculpta tabulæ, quæ beato viro in somnis visa est vir-

gam præbuiſſe Paſtoralem eique præcepiſſe vt Dominicum gregem pa-ſceret, eiq; paſcua vitæ monſtraret æternæ.

De Ottone Imperatore. cap. 7.

OTTO etiam eiuſdem nominis ſecundus Imperator, audiens obitum Conſtantienſis Epiſcopi conſenſumq; populi in electione venerandi viri Gebehardi, gratulabundus ei baculum cum Pontificali annulo direxit, præcipiens vt cum ouium ſubiectione Gebehardo omnes obedirent, eumq; ſibi datum à Domino Pontificem gauderent; Erat enim idem vir Domino Imperatori familiariſſim⁹, eo quod Compater eius eſſet, ideoq; gaudebat quod occaſionem inueniſſet ad hoc eum promouendi, quod iam dudum concupierat, & ad quod eum digniſſimum omni vitæ ſanctimonia decernebat.

De vnctione vitaeq; eius ſanctimonia. cap. 8.

CANONICA electione peracta, vnctusq; vnguento ſanctificationis, quod *de capite deſcendit in barbam Aaron*, cœpit vir Domini, boni Paſtoris imitari exemplum, mercenarij deuitare perfidiam; talentum ſibi creditum cum lucro reportare, omni mentis anniſu ſatagere, omni virtuti operam dare, ſicut decebat Domini diſpenſatorem: bonus, pius, pudicus, ſobrius, caſtus, & vt breuiter dicam, omni bonitate conſpicuus vniuerſo morum decore ornatus. *Ibat enim de virtute in virtutem* vt videret *Domini decorem in Sion. Omni cuſtodia ſeruabat cor ſuum*, illud attendens quod Dominus in Euangelio ait: *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt: omnibus omnia factus eſt*, vt omnes ſaluos faceret, omnia autem faciebat propter Deum, vt hæres eius fieret, cohæres autem Chriſti.

Quomodo fratrem ſuum hæreditatem paternam ſecum diuidere coëgerit. cap. 9.

SED quia de nobiliſſimis & ditiſſimis fuerat parentibus, qui ſibi fratribusq; ſuis multitudinem copioſam prædiorum reliquerant, (ſicut eſt humana auaritia, quæ diuitiis non impletur) fratres eius ſibi vendicabant vniuerſa, nec fratri quicquam dederant de ſibi relicta ſubſtantia, vir autem Dei non cupiditate prædiorum, ſed Dei, cui ea

tradere

tradere cupiebat, amore succensus, suam partem possessionum à fratribus sibi dari postulabat: Illis autem negantibus, vi extorsit ab eis, vt omnia æqua lance diuiderent, nec quicquam eorum, quod suæ contigerat sorti, permisit habere. Hæc vero non malitia sed diuino zelo, animo inardescente peragebat; ne forte fratres periculum suæ incurrerent animæ, si aliquid sibi iniuste vsurpatum possiderent.

De parte suorum prædiorum Monasterium construit. cap. 10.

PERACTA autem hac hęreditaria diuisione, vir Domini Gebehardus, animo reuoluens illam sententiam, qua Saluator in Euangelio ait: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo*: Et, *nisi quis renuntiauerit omnibus, quæ poßidet, nō potest meus esse discipulus*; Suis ex prædiis Monasterium sancti Gregorij Papæ in ripa Rheni fluminis iuxta Constantiam ciuitatem construxit, deputatis illic duodenis fratribus, qui die noctuq; diuinis ibidem insisterent officiis, quibus sufficienter victum vestitumque suis ex facultatibus ministrari constituit: de terrena ergo substantia sibi nihil reseruauit, sed cuncta Christi pauperibus fideliter erogauit, sicut scriptum est: *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum*, thesaurizare sibi noluit in terra, vbi nesciret, cui congregaret, sed thesaurizabat sibi thesauros in cœlo, vbi nec *Ærugo, nec tinea demolitur*, vbi *fures non effodiunt, nec furantur*.

Quando cœperit ædificare Monasterium. cap. 11.

ANNO autem Dominicæ incarnationis nongentesimo octogesimo tertio, Episcopatus autem sui quarto, vndecimo vero imperij Ottonis secundi hanc eandem manufactam domum ex materialibus lapidibus Domino construere cœpit, ipse *viuus lapis* ponendus in non manufacta domo æterna in cœlestibus, dicens cum Apostolo: *Non enim habemus hic manentem ciuitatem sed futuram inquirimus*; Thesaurizabat sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehenderet veram vitam, quæ est in Christo Iesu.

Architectus in terram casu prolapsus & exstinctus, ab eo in vitam reuocatur. cap. 12.

CVM autem, Deo prosperante, iecisset fundamenta Ecclesiæ, toto nisu cœpto operi cœpit cottidie insistere, & Deo incrementum dante, ventum est ad hoc, vt parietibus in altum excrescentibus, necessario etiam lignorum instrumenta subrigerentur per quæ onera portantes ascenderent & descenderent, super quæ etiam opera facientes constare possent. Et ecce quadã die subito ex improuiso accidit, quod omnes assistentes valde contristauit. Nam cum omnes certatim operi instarent, contigit vt fractis sustentaculis, in quibus stabant operarij caderent in terram; ita vt opifex, qui præerat operi, toto conquassato corpore, quasi exanimis inueniretur. Cumque ex eo quod acciderat, magna afficerentur tristitia, vir Domini Gebehardus confisus in eo qui dixit: *Quæcunq; petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis;* Iussit eum leuari, & in oratorium sancti Michaëlis, quod ibi erat, deportare, & eiectis omnibus, ipse clausit ostium seseq; in orationem dedit. Quo orante elisus sanus surrexit, eumque ad opus redire iussit, atq; ait: Vere nullus deinceps ex hoc cadendo suæ periculum patietur animæ: Iussitque omnes parietes certo tramite sursum sine vestibulis sicut hactenus cernuntur construi, ita vt laquearia eiusdem templi in modum crucis suspensa esse videantur. Quæ laquearia deauratis baculis in modum stellati cœli vndiq; decorauit: muros vero per circuitum varia pictura perornauit, non tali, qualem Propheta Ezechiel perfosso pariete conspexit, sed tali, quę opera Saluatoris, quę vel in veteri vel in nouo Testamento operatus est, ad ædificationem intuentium repræsentaret.

De situ & dedicatione templi, & reliquiis in eo reseruatis. cap. 13.

SItvs autem eiusdem templi ad Occidentalem plagam versus est, secundum formam basilicæ principis Apostolorum Romæ constructam formatum est, propter quod eundem locũ *Petri domum* appellauit: per circuitum vero congrua Monachis construxit habitacula, perfectisq; omnibus decimo anno Ecclesiam in honore sancti Gregorij Papæ dedicauit, eamq; multiplicibus & magnificis sanctorum reliquiis cumulauit, inter quas etiam brachium sancti Philippi Apostoli ab Ottone tertio Imperatore sibi cum aliis plurimis condonatum, summo studio ibidem collocauit.

De priuilegio Romæ acquisito Cap. 14.

CVMQVE summo studio sanctorum reliquias & cætera quæque ad diuinum cultum pertinentia vndique ex diuersis locis congregaret, eiusdem rei gratia etiam Romam properauit, vt & de Apostolorum liminibus, sanctorum exuuias, priuilegiumque libertatis perciperet, quod & magnificè impetrauit. Nam cum iam sæpe dictũ locum principi Apostolorum proprietatis iure contradidisset, ab eius vicario Ioanne tale priuilegium accipere promeruit.

Priuilegium summi Pontificis. Cap. 15.

IOANNES Episcopus, seruus seruorum Dei, in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris videlicet & Filij & Spiritus sancti. Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus, qualiter Gebchardus secundus amabilis Episcopus sanctæ Constantiensis Ecclesiæ, dilectissimus confrater noster, orationis causa Romam veniens ad limina Apostolorum Principum Petri & Pauli, & ante nostram præsentiam, retulitque nobis, quatenus ipse Dei nutu compulsus, Ecclesiam cœnobitarum construxisset, super ripam fluminis, quod dicitur Rhenus, ad honorem beati Gregorij Confessoris Christi, in quo loco regulam sancti Benedicti Abbatis, & Monachorum fratrum luculentissimè ordinaret: vbi deuotissimè de suis propriis prædiis, quæ à suis parentib' illi euenerunt, & partẽ de rebus S. suæ Ecclesiæ deuotissimè obtulit, ad sustentationem & stipendium illorum videlicet Monachorum, qui in ipso sancto Monasterio sedulò Christi laudes persoluere, die noctuque non cessant: de quibus nostræ humilitatis supplicans clementiam, vt prædictus locus ipse sub tuitione & defensione sancti Petri nostra nostrorumque successorum Pontificum in perpetuum maneat: Ita tamen vt nullus Rex aut Dux neque Marchio, nec etiã Episcopus, qui per tempora in ipso Episcopio fuerit, aut vlla persona audeant de omnibus, quę ibidẽ ab ipso iam dicto Gebchardo Episcopo concessa sunt, alienare, aut quoquo modo de ipso sancto Monasterio extrahere, sed tuta & stabilita atque firma vsque in futura tempora concedimus permanenda, sed & hoc Apostolica præceptione, rogante supradicto confratre nostro, interdicimus; in nomine Domini nostri Iesu Christi, ne aliquis eidem Monasterio præficiatur, nisi quem communi consensu fratres ibidem Christo sedulò seruientes elegerint, electumq; Episcopus be-

se conspiceret, qui nauim aduehere potuisset, iam iamq; insequentes se aduenire formidaret, quod tunc solum subsidij nouerat, ad arma orationum confugit, sesequein ripa fluminis Deo supplicem dedit, quē mox se inuocantem Christus in tribulatione dilatauit: quia *oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum*, & adhuc eo clamante dixit: Ecce adsum; illo namque orante & omnipotentis Dei misericordiam implorante, vt si voluntatis ipsius esset, quatenus iste sanctorum exuuiæ ad locum destinatum peruenirent, sibi in hoc necessitatis articulo subueniret. Mirum dictu Padus se submisit, & per medium suimet sanctissimo viro nodum optimum patefecit, & sicut de Israëlitico populo Psalmista canit, *Mare vidit & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum*: & iterū; *Deduxisti sicut oues populum tuum in manu Moisi & Aaron*, ita & nos de isto proclamare possumus: quia Padus illum vidit & fugit, & de cursu suo conuersus est retrorsum, & fideles suos deduxit Dominus per aquas multas, in manu serui sui Gebhardi; Ipse autem vir Dei, statim vt sibi viam à Domino prospexit patefactam, cum suis omnibus ingressus omni cum alacritate pertransiuit; vnus autem nequam ex obsequio ipsius sancti postremus pertranseuntium factus, cunctis aliis egressis, in alueo fluminis solus inuentus, concurrentibusque aquis præuentus, atque suffocatus est, secundum illud quod scriptū est, *Væ soli, quia si ceciderit, non habet qui eum adiuuet, vt surgat.* Quod cum viro Dei nuntiatum fuisset, ait: Ex hoc nolite contristari, naulum enim hoc in loco dare debueramus, pro quo istum à Domino sublatum credamus; & cum lætitia Christo gratias agentes iter nostrum peragamus; Illi vero, qui virum Dei illo persequuti fuerant, videntes quæ facta sunt, ad propria reuertuntur; quis verò hæc audiens non obstupescat, quisue obstupescens credat de sterili Alemannorum terra, tantum emicuisse virum, per quem Deus his temporibus antiqua renouare dignatus est mirabilia, sicut enim Moises cum Israëlitico populo, per mare rubrum; & Iosue, Helias, & Heliseus, per Iordanica fluenta sicco pertransierunt vestigio: Ita iste Domini dilectus præpetes fluctus Padi alueo fidei concludens per semitam humanis pedibus hactenus inconcessam securis gressibus commeauit.

Duodenos Monasterio deputat fratres Cap. 38.

DOMVM autem cum peruenisset, collocatis cum omni diligentia reliquiis ordinatisque duodenis, vt supra dictum est, ad locum fratribus, Periggerum tertium decimum vicem Christi inter eos agere constituit.

De seruis suis artifices deligit, & iura ipsis constituit. Cap. 19.

POST hæc, conuocatis seruis suis, elegit ex eis optimos quosque & constituit ex eis cocos & pistores, caupones & fullones, sutores & hortulanos, carpentarios & singularum artium magistros, & constituit eis, vt eo die, quo fratribus deseruirent, de cibo & pane fratrum cibarentur, quia dignus est operarius cibo suo. Vt autem bono animo suis ministrarent dominis, huiusmodi donario ipsos cumulauit: scilicet vt cum quis præsentium, vel eorum successorum, qui de progenie illorum esset, moreretur, * exuuiæ de eis non sumerentur, sed hæredes relictam hæreditatem indiuisam possiderent: si vero de alia progenie aliquis successisset, ab hoc donatiuo alienus extitisset.

* *In Marg. exempl. Manuscripti: Legend. puto: Exuuiæ exin inde non sumerentur.*

De militibus, quos Monasterio deputauit. Cap. 20.

CONSTITVIT etiam alios clientes, qui equitando deseruirent, scilicet vt semper parati essent ad equitandum, quocunque necessitas exegisset, & ad commodandum fratribus caballos suos quocunque poposcissent. Hęc autem vir Domini, quasi pennatum *animal plenum oculis antè & retrò* parauit, vt videlicet fratres ibidem Christo famulantes, spiritalibus atque carnalibus necessariis sufficienter instructi, expediti contemplatiuæ cum Maria ad pedes Domini vacarent vitæ. Nec eos sollicitudo Marthæ in actiua aliquoties perturbaret, & esset sicut scriptum est; *Nihil deest timentibus eum*; sciebat enim scriptum: *Propter inopiam deliquerunt multi*, & ideo prouidebat illis interius exteriusque: Quæque erant necessaria, ne inopia vrgente cum periculo animæ subsidium quærerent huius vitæ, & ipse pro hoc non beneficium, sed à districto iudice Deo gehennæ tulisset supplicium.

Claudum sanat. Cap. 21.

CVM ergo quodam die in sæpè dicto deambularet loco, obuium habuit quendam claudum eiusdem loci incolam, qui curuatis ad terram genibus & scabellulis, quæ manibus gestabat, caput à terra sustentabat, in modumque quadrupedis omni corpore curuus deambulabat. Is autem peritissimus erat in omni sculptura lignorum, sicuti etiam in eiusdem Basilicę valuis melius addisci poterit. Hunc ergo cum vene-

venerabilis vidisset Pontifex, ait ad eum; homo cur manibus genibusque tellurem premis, nec rectis graderis plantis? scitis ait, scitis dudum Domine, quod Dei debilitatus iudicio erectus quoquam gressum mouere nequeo. At ille, baculum, quem manu gestabat, claudo porrexit: sume, inquit, & in hoc te sustenta, rectoque cursu deinceps ambula: ille autem sumens baculum super eo se erexit, nouisque gaudendo Dominumque laudando gressibus currere cœpit; ô virum ineffabilem & principibus Apostolorum, Petro videlicet atque Paulo, comparandum, quorum vnus claudum ad Speciosam portam templi iacentem & mendicantem erexit, alter verò dormitantem Eutychum & de tertio cænaculo in inferiora cadentem viuum reddidit atque saluum: sic iste Domini dilectus claudum non iacentem, sed manibus genibusque reptantem propriis gradi fecit plantis, hominemque de altitudine murorum cadentem viuum reddidit & incolumem; qua in re considerandum est, quam sanctus quantique apud Deum meriti fuerit, per quem Christus non minora, quam etiam per suos Apostolos monstrare dignatus est. In modernis enim adhuc temporibus refrigescente etiam charitate multorum, in suo fideli, veritas complere dignata est, quod suis promisit discipulis dicens: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.*

De obitu Sancti viri, Cap. 22.

CVm autem bonorum remunerator operum, famulum suum de turbulento huius mundi salo ad portum perpetuæ quietis educere decreuisset, molestia corporali pulsatus, dormitans non est inuetus, sed succensa lampade venienti Domino atq; pulsanti obuians ouando ei aperuit, dicens cum Apostolo: *Cupio dissolui, & esse cum Christo*; cumq; languor corporis ingrauesceret, & se de hoc sæculo citius migraturum præsensisset, rogauit, se in templo, quod ipse fabricarat sepeliri; nam tunc temporis in Constantiensi morabatur ciuitate, in qua etiam hęc eadem eum infirmitas occupauerat. Languore autem ad vitalia veniente sexto decimo Episcopatus sui anno, sexto Calendas Septembris viam vniuersę carnis ingressus est. Angelicisque, vt verè credendū est, manibus euectus, talētum sibi creditū Domino duplicatum repræsentauit, & ab ipso auctore audire promeruit: *Euge serue bone & fidelis, quia in modico fidelis fuisti: super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui:* Cum ergo lotus ac sacerdotalibus, vt moris est, vestibus indutus & feretro impositus ad Ecclesiam fuisset deportatus; dissensio exorta

est, vtrum in ipsa Ecclesia, sponsa videlicet sua, an vti ipse rogauerat, in ea, quæ ab ipso constructa fuerat, debuisset tumulari. illis verò ita inter se altercantibus, aliis quidem eius petitionem implere cupientibus, aliis verò tanti pastoris exuuiis carere dolentibus: tandem maior minorem vicit partem, quæ se sui patris reliquiis exorbitare nolle clamabat, & decreuerunt eum in eodem loco sepeliri.

De sepultura eius, & miraculis in funere curando factis. Cap. 23.

ACCEDENTES autem hi, qui ad portandum feretrum deputati fuerant, loculum leuare atque ad præparatum sepulchrum deferre conabantur, cumque brachia tenderent ad feretrum, cœperunt toto corpore tremere, ac immenso pauore concuti, ita, vt etiam penè humano amisso sensu, amentes efficerentur, tantoque pondere ipsum depressum est feretrum, vt humanis viribus moueri nequiuisset; tunc omnes qui aderant, hoc miraculo perterriti, cœperunt dicere, illum sepulchri locum à Deo sibi prædestinatum non fuisse, tandemq; diuino correcti iudicio, decreuerunt, eum, vbi ipse rogauerat, sepeliendum fore. Portitores autem iterum accedentes cum omni velocitate loculum leuauerunt, atque omnis illi pristina grauitudo ita ex toto immutata est, vt penè nil ponderis se portare præsensissent.

Cum autem ianuam eiusdem egrederentur Ecclesiæ, aliud non minus miraculum diuina monstrare dignata est misericordia. Nam illis, vt dictum est, Ecclesiæ limen egredientibus columba, cunctis cernentibus aduolauit, & supra iam sæpè dictum beati viri, nullo ambigente consedit feretrum, indeque non recessit, donec transnauigato flumine, Ecclesiam sancti Gregorij ingressi fuissent. Quam mox, vt intrauerunt, columba, quæ videbatur, disparuit eamque nullus deinceps videre præualuit, tantique odoris fragrantia eos illic excepit, vt omnes se quasi renouatos crederent, nullusque se vnquam aliquid, quod tanti esset odoris, præsensisse memorarit. Quæ etiam fragrantia, tamdiu super sanctum corpus permansit, quousque eum maximo in honore in Meridiana parte eiusdem templi sepulturæ tradidissent: quia enim columbinæ fuerat simplicitatis, rectè in eius funere columba apparuit; per quam meritis illius sinceritas vitæque monstraretur innocentia; rectè in exequiis pij Pastoris noua odoris fragrantia bonarum refectæ sunt nares ouiū, quæ videlicet prius in anima eius prædicatione semper reficie-

reficiebantur simul & oratione. Vtrum autem in ipsa columba sancta eius anima, sicuti & de aliis sanctis legitur, quorū animæ sæpius in columbæ specie, cælum visæ sunt penetrare: an quis alius apparuerit Spiritus, nobis quidem incognitum, Deo autem cui omnia nuda & aperta sunt, est cognitum: qui etiam hoc ipso miraculo suum in cælis dignatus est famulum hominibus monstrare clarificatum. Igitur beati Pontificis anima cælo recepta, carne verò terræ honorificè commendata, tale Epitaphium eius tumbæ aureis subscripserunt characteribus.

Epitaphium.

DEBITA pars terræ fallentia tempora sperne.
Et memorare viæ quam testatur cinis iste.
Gentis honor nostræ iacet hic, gentis dolor atque.
Præfuit huic vrbi, cuncto sed profuit orbi.
Hancque Deo Sedem Templi fundauit & ædem.
Parti terrenæ Deus ignoscens miserere.
Redde vicem iustè quia te dilexerat iste.

Post hæc quadam nocte eiusdem Monasterij Abbas Periggerus nomine, cuius superius mentionem fecimus, Oratorium, causa orandi ingressus est, cumque attentius in ipso noctis silentio orationi incumberet, ei beatus apparuit Gebehardus, & hilari vultu ad eum loquutus est: scias pro certo me apud omnipotentem impetrauisse Deum, vt nullus fratrum modò in hoc Monasterio Christo deseruientium à morte lædatur secunda; sed omnes mortem subeuntes temporalem vitam cum Christo possidebunt sempiternam, hoc dicto, ab oculis eius euanuit, nec eum vlterius cernere quiuit. Ipse enim beatus iam de hoc sæculo victoriam nactus, suorum adhuc in mundo laborantium ærumnis non est oblitus; sed vt quidam ait: *Verus amor Christi vera est custodia legis. Et mandata Dei complet amans homines*, prioris recordatus amoris, sibi famulantibus & adhuc in via laborantibus, apud Deum est auxiliatus, eosque de prosperitate consummandi itineris est consolatus; vt videlicet eò ardentiores viam rectitudinis properarent, quò se ad patriam peruenturos minus dubitarent. Quapropter & nos assiduè eius implorare condecet auxilium, vt eius meritis adiuti de periculis huius euadamus exilij & patriam mereamur Paradisi.

Erat etiam idem venerabilis Heros capite caluus omnino, sermonem autem suum hoc iuramento solebat firmare quasi diceret: per meum caput non natum: quia videlicet non natus, sed de vtero matris excisus; calido aruinæ globo est inuolutus, propter quod & dicebant, eum latum habere caluitium.

Sedit autem in Episcopatu annis sedecim: sexto decimo defunctus est, die sexto Calendarium Septembrium; Anno ab Incarnatione Domini nongentesimo nonagesimo sexto; tertio decimo vero anno Ottonis Augusti eiusdem nominis tertij, regnante Domino nostro Iesu Christo, cui vna cum Patre & Spiritu sancto vnus est honor & gloria per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Explicit liber primus de vita S. Gebhardi Episcopi.

INCIPIVNT CAPITVLA SECVNDI.

INCI-

INCIPIT SECVNDVS LIBER DE MIRACVLIS SANCTI GEBhardi.

IGITVR postquam redemptor humani generis famulum suum Gebhardum de voragine huius sęculi ad supernam patriam transduxit, referuntur multæ virtutes, quas per eum nobis Dominus ostendere dignatus est, dum sancta eius anima absoluebatur à vinculis carnis, & rediit ad Dominum, qui dedit illam; & quantam potentiam eius misericordia cunctis auxilium & gratiam ad eius tumbam deuote precantibus, Dominus fecerit; non est nostræ scientiæ, vt dignum est, vobis intimare: quædam tamen ad notitiam posteriorum, prout Dominus donare dignatus fuerit, litteris commendare; quædam vero silentio præterire curamus; ne tędioso lectori fastidium incutiamus, & tantum studioso satisfacere valeamus. Nomina vero eorum à quibus nobis tradita sunt, supprimimus, sicut fecimus, ne ipsa barbaries vocabulorum offendat, & Latinus sermo suum decorem non amittat.

Vir itaq; Angelicæ in carne vitæ, Deo deuotione contriti cordis militauit, dum vixit, & penitus se in hac carne crucifixit, ideo & Dominus, quia socius fuit passionum, consortem fecit eum & consolationum, non tantum in supernis sedibus, remunerando; verumetiam in terris coram humanis obtutibus, signis & virtutibus illustrando, sicut in sequentibus luce clarius patebit relationibus.

Nebula super tumbam eius videtur, & ipse gloriosus cuidam apparet. cap. 1.

FRATER quidam iam sæpe dicti Monasterij ad tumbam sancti viri Gebehardi se orationi accommodauit, dumque se attentius Deo precibus commendaret, vidit nebulam totum sepulchri ambitum contegentem, & suauissimum odorem ex ipsa nebula naribus pręsensit

 redo-

De muliere obsessa à Dæmone. cap. 5.

MVLIERCVLA de villa Schwindorf, dicta, de infestissimo dæmonio per multorum temporum curricula crudelissime vexata, per plurima sanctorum loca est deducta, nec mundata. Tandem ad beatum Gebehardum amici eius illam se perducere velle dixerunt. Hoc audiens dæmon, contristatus est valde & dixit. Et quid prodest, si me ad illum perduxeritis virum, in quo nil sanctitatis constat haberi? Ego enim nulla ratione per eum de hoc vase expelli potero. Nam in vita sua simulator atq; seductor extitit, & hic talis quomodo in me aliquam exercere poterit virtutem? hæc & his peiora illo memorante: Inuentori falsitatis nequaquam fidem accommodantes, inuadunt iter, quod ducit ad locum *Petri domum* dictum. Quod cum dæmon præsensisset, cœpit perturbari & contristari, & diras voces ad cœlum dare, & multo plus solito hominem discerpere atque vexare. Ad locum autem cum peruenissent, magno cum labore ad Ecclesiam pertracta est. Statim dæmon per os mulieris sanctum Dei maledicere cœpit, vociferando sæpius, quã replicando atq; dicendo. Væ tibi male Gebeharde, vt quid me incendis? tunc ad sepulchrum ducta, ibiq; miserabiliter ab hoste discerpta est, post paululum reducta est. Item post Missas, sanctorum allatis reliquiis, multorum hominum viribus, aliis trahentibus, aliis vero cõpellentibus adducta magnis clamoribus vociferando, sanctumq; Dei per nomen maledicendo, & quod se incenderet importunis vocibus conquerendo, tandemque, quamuis laboriose, tumbę sancti Confessoris superposita, atq; à Presbytero exorcismus cunctis fratrib' cum aliis multis astantibus super eam recitatus est. Quæ statim à maligno spiritu liberata conticuit, nec vltra vocem clamoris emisit. Antiquo ergo hoste recedente, mulier cui paulo ante pene nemo appropinquare ausus fuit, iam quasi exanimis iacuit, nec vllum corporis membrum mouere quiuit. Tandem resumptis viribus surrexit, discoopertumque pectus velauit, & lachrimabiliter Deum ac Saluatorem eiusq; Confessorem Gebehardum quantis potuit verbis magnificauit. Quanta illic gaudia lachrimarum plena, quis memorare quisue effari poterit? Ibi enim resonabant voces diuersæ, Monachorum, populorum, diuersi sexus & ætatis. Cum sono campanarum, omnes hymnum Deo concrepantes, qui per suum seruum facturam manuum suarum de manu superbi calumniatoris eripuit, & vas sacro fonte baptismatis ablutum ab immundissimo autem inuasore coinquinatum emundauit, ad laudem

dem & gloriam nominis sui sancti; & Confessoris atq; Pontificis sui Gebehardi, deinde vero cum vexillo sanctæ crucis & populorum fauore transmissa venit Constantiam, vt mater Ecclesia mortuæ filiæ & resuscitatæ congauderet, congaudensque spirituale conuiuium præpararet, ad quod amicos atque vicinos conuocaret, dicens eis: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat*, & iterum; *Epulari & gaudere oportet, quia hæc filia mea mortua fuerat & reuixit, perierat, & inuenta est*; nocte autem subsecuta malignus iterum aduenit habitator, & mulierem iam pridie dimissam suscitauit, eiusq; auribus talia infudit venena dicens: O dilectum vas, quare tam nequiter contra me fecisti, quod me tui antiquum inhabitatorem respuisti, & fidelitatem mecum iam dudum conseruatam abnegasti, propter seductorem illum Gebehardum, qui me expulit à te? Nam hunc ipsum scias tibi nullo modo profuturum fore. Sed redi quæso, redi ad me; non enim dignum est, vt alterum pro me tuum in vas recipias, sed rogo mihi non deneges iam tamdiu multum amabilem mei tecum cohabitationem. His & huiuscemodi sermonibus antiquo serpente auribus mulieris insibilante, illa religiosas fœminas, inter quas illa nocte manebat, excitauit, eisq; quas pateretur ab aduersario molestias aperuit, & vt Domino pro se supplicarent postulauit. Quo facto, & die crastino imagine Crucifixi & Euangelio, quod beatus Ioannes de verbo, quod in principio erat apud Deum, conscripserat, donata atq; consignata: omnis illa infestatio immundi spiritus ita ex toto discessit, vt vlterius nunquam eam molestauerit, sed sanissima cum omni gaudio ad propria commeauit, laudans & glorificans eum qui fecit misericordiam cum illa cuius gloriosum nomen erit benedictum ex hoc nunc & vsq; in sæculum, Amen.

Cuidam ex fratribus se aspectabilem præbet. cap. 6.

IN eodem Monasterio erat quidam Monachus psalmodiæ nimium deditus, cui per somnum visum est, quasi coram tumba sanctissimi Confessoris Episcopi Gebehardi constitisset: cui sic stanti sanctus Pontifex, quasi de tumulo progrediens apparuit, & salutationis verba ad eum protulit, eique pauitanti sic ait. Noli timere frater: Ego enim sum Gebehardus ille, qui hanc ædem Christo, eiusq; Confessori Gregorio fabricaui; vade ergo & dic fratribus meis, vt bono animo sint, & voluntarie Christo sanctoq; Papæ Gregorio in hoc meo Monasterio

De seruis suis artifices deligit, & iura ipsis constituit. Cap. 19.

POST hæc, conuocatis seruis suis, elegit ex eis optimos quosque & constituit ex eis cocos & pistores, caupones & fullones. sutores & hortulanos, carpentarios & singularum artium magistros, & constituit eis, vt eo die, quo fratribus deseruirent, de cibo & pane fratrum cibarentur, quia dignus est operarius cibo suo. Vt autem bono animo suis ministrarent dominis, huiusmodi donario ipsos cumulauit: scilicet vt cum quispræsentium, vel eorum successorum, qui de progenie illorum esset, moreretur, * exuuiæ de eis non sumerentur, sed hæredes relictam hæreditatem indiuisam possiderent: si vero de alia progenie aliquis successisset, ab hoc donatiuo alienus extitisset.

** In Marg. exempl. Manuscripti: Legend. puto. Exuuiæ exinde non sumerentur.*

De militibus, quos Monasterio deputauit. Cap. 20.

CONSTITVIT etiam alios clientes, qui equitando deseruirent, scilicet vt semper parati essent ad equitandum, quocunque necessitas exegisset, & ad commodandum fratribus caballos suos quocunque poposcissent. Hęc autem vir Domini, quasi pennatum *animal plenum oculis antè & retro* parauit, vt videlicet fratres ibidem Christo famulantes. spiritalibus atque carnalibus necessariis sufficienter instructi, expediti contemplatiuæ cum Maria ad pedes Domini vacarent vitæ. Nec eos sollicitudo Marthæ in actiua aliquoties perturbaret, & esset sicut scriptum est; *Nihil deest timentibus eum*; sciebat enim scriptum: *Propter inopiam deliquerunt multi*, & ideo prouidebat illis interius exteriusque: Quæque erant necessaria, ne inopia vrgente cum periculo animæ subsidium quærerent huius vitæ, & ipse pro hoc non beneficium, sed à districto iudice Deo gehennæ tulisset supplicium.

Claudum sanat. Cap. 21.

CVM ergo quodam die in sæpè dicto deambularet loco, obuium habuit quendam claudum eiusdem loci incolam, qui curuatis ad terram genibus & scabellulis, quæ manibus gestabat, caput à terra sustentabat, in modumque quadrupedis omni corpore curuus deambulabat. Is autem peritissimus erat in omni sculptura lignorum, sicuti etiam in eiusdem Basilicę valuis melius addisci poterit. Hunc ergo cum

vene-

venerabilis vidisset Pontifex, ait ad eum; homo cur manibus genibusque tellurem premis, nec rectis graderis plantis? scitis ait, scitis dudum Domine, quod Dei debilitatus iudicio erectus quoquam gressum mouere nequeo. At ille, baculum, quem manu gestabat, claudo porrexit: sume, inquit, & in hoc te sustenta, rectoque cursu deinceps ambula: ille autem sumens baculum super eo se erexit, nouisque gaudendo Dominumque laudando gressibus currere cœpit; ô virum ineffabilem & principibus Apostolorum, Petro videlicet atque Paulo, comparandum, quorum vnus claudum ad Speciosam portam templi iacentem & mendicantem erexit, alter verò dormitantem Eutychum & de tertio cænaculo in inferiora cadentem viuum reddidit atque saluum: sic iste Domini dilectus claudum non iacentem, sed manibus genibusque reptantem propriis gradi fecit plantis, hominemque de altitudine murorum cadentem viuum reddidit & incolumem; qua in re considerandum est, quam sanctus quantique apud Deum meriti fuerit, per quem Christus non minora, quam etiam per suos Apostolos monstrare dignatus est. In modernis enim adhuc temporibus refrigescente etiam charitate multorum, in suo fideli, veritas complere dignata est, quod suis promisit discipulis dicens: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.*

De obitu Sancti viri, Cap. 22.

CVm autem bonorum remunerator operum, famulum suum de turbulento huius mundi salo ad portum perpetuæ quietis educere decreuisset, molestia corporali pulsatus, dormitans non est inuētus, sed succensa lampade venienti Domino atq; pulsanti obuians ouando ei aperuit, dicens cum Apostolo: *Cupio dissolui, & esse cum Christo*; cumq; languor corporis ingrauesceret, & se de hoc sæculo citius migraturum præsensisset, rogauit, se in templo, quod ipse fabricarat sepeliri; nam tunc temporis in Constantiensi morabatur ciuitate, in qua etiam hęc eadem eum infirmitas occupauerat. Languore autem ad vitalia veniente sexto decimo Episcopatus sui anno, sexto Calendas Septembris viam vniuersę carnis ingressus est. Angelicisque, vt verè credendũ est, manibus euectus, talētum sibi creditũ Domino duplicatum repræsentauit, & ab ipso auctore audire promeruit: *Euge serue bone & fidelis, quia in modico fidelis fuisti: super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Cum ergo lotus ac sacerdotalibus, vt moris est, vestibus indutus & feretro impositus ad Ecclesiam fuisset deportatus; dissensio exorta

est, vtrum in ipsa Ecclesia, sponsa videlicet sua, an vti ipse rogauerat, in ea, quæ ab ipso constructa fuerat, debuisset tumulari. illis verò ita inter se altercantibus, aliis quidem eius petitionem implere cupientibus, aliis verò tanti pastoris exuuiis carere dolentibus: tandem maior minorem vicit partem, quæ se sui patris reliquiis exorbitare nolle clamabat, & decreuerunt eum in eodem loco sepeliri.

De sepultura eius, & miraculis in funere curando factis. Cap. 23.

ACCEDENTES autem hi, qui ad portandum feretrum deputati fuerant, loculum leuare atque ad præparatum sepulchrum deferre conabantur, cumque brachia tenderent ad feretrum, cœperunt toto corpore tremere, ac immenso pauore concuti, ita, vt etiam penè humano amisso sensu, amentes efficerentur, tantoque pondere ipsum depressum est feretrum, vt humanis viribus moueri nequiuisset; tunc omnes qui aderant, hoc miraculo perterriti, cœperunt dicere, illum sepulchri locum à Deo sibi prædestinatum non fuisse, tandemq; diuino correcti iudicio, decreuerunt, eum, vbi ipse rogauerat, sepeliendum fore. Portitores autem iterum accedentes cum omni velocitate loculum leuauerunt, atque omnis illi pristina grauitudo ita ex toto immutata est, vt penè nil ponderis se portare præsensissent.

Cum autem ianuam eiusdem egrederentur Ecclesiæ, aliud non minus miraculum diuina monstrare dignata est misericordia. Nam illis, vt dictum est, Ecclesiæ limen egredientibus columba, cunctis cernentibus aduolauit, & supra iam sæpè dictum beati viri, nullo ambigente consedit feretrum, indeque non recessit, donec transnauigato flumine, Ecclesiam sancti Gregorij ingressi fuissent. Quam mox, vt intrauerunt, columba, quæ videbatur, disparuit eamque nullus deinceps videre præualuit, tantique odoris fragrantia eos illic excepit, vt omnes se quasi renouatos crederent, nullusque se vnquam aliquid, quod tanti esset odoris, præsensisse memorarit. Quæ etiam fragrantia, tamdiu super sanctum corpus permansit, quousque eum maximo in honore in Meridiana parte eiusdem templi sepulturæ tradidissent: quia enim columbinæ fuerat simplicitatis, rectè in eius funere columba apparuit; per quam mentis illius sinceritas vitæque monstraretur innocentia; rectè in exequiis pij Pastoris noua odoris fragrantia bonarum refectæ sunt nares ouiũ, quæ videlicet prius in anima eius prædicatione semper reficie-

reficiebantur simul & oratione. Vtrum autem in ipsa columba sancta eius anima, sicuti & de aliis sanctis legitur, quorū animæ sæpius in columbæ specie, cælum visæ sunt penetrare: an quis alius apparuerit Spiritus, nobis quidem incognitum, Deo autem cui omnia nuda & aperta sunt, est cognitum: qui etiam hoc ipso miraculo suum in cælis dignatus est famulum hominibus monstrare clarificatum. Igitur beati Pontificis anima cælo recepta, carne verò terræ honorificè commendata; tale Epitaphium eius tumbæ aureis subscripserunt characteribus.

Epitaphium.

DEBITA pars terræ fallentia tempora sperne.
Et memorare viæ quam testatur cinis iste.
Gentis honor nostræ iacet hic, gentis dolor atque.
Præfuit huic vrbi, cuncto sed profuit orbi.
Hancque Deo Sedem Templi fundauit & ædem.
Parti terrenæ Deus ignoscens miserere.
Redde vicem iustè quia te dilexerat iste.

Post hæc quadam nocte eiusdem Monasterij Abbas Periggerus nomine, cuius superius mentionem fecimus, Oratorium, causa orandi ingressus est, cumque attentius in ipso noctis silentio orationi incumberet, ei beatus apparuit Gebehardus, & hilari vultu ad eum loquutus est: scias pro certo me apud omnipotentem impetrauisse Deum, vt nullus fratrum modò in hoc Monasterio Christo deseruientium à morte lædatur secunda; sed omnes mortem subeuntes temporalem vitam cum Christo possidebunt sempiternam, hoc dicto, ab oculis eius euanuit, nec eum vlterius cernere quiuit. Ipse enim beatus iam de hoc sæculo victoriam nactus, suorum adhuc in mundo laborantium ærumnis non est oblitus; sed vt quidam ait: *Verus amor Christi vera est custodia legis. Et mandata Dei complet amans homines*, prioris recordatus amoris, sibi famulantibus & adhuc in via laborantibus. apud Deum est auxiliatus, eosque de prosperitate consummandi itineris est consolatus; vt videlicet eò ardentiores viam rectitudinis properarent, quò se ad patriam peruenturos minus dubitarent. Quapropter & nos assiduè eius implorare condecet auxilium, vt eius meritis adiuti de periculis huius euadamus exilij & patriam mereamur Paradisi.

Erat etiam idem venerabilis Heros capite caluus omnino, sermonem autem suum hoc iuramento solebat firmare quasi diceret: per meum caput non natum: quia videlicet non natus, sed de vtero matris excisus; calido aruinæ globo est inuolutus, propter quod & dicebant, eum latum habere caluitium.

Sedit autem in Episcopatu annis sedecim: sexto decimo defunctus est, die sexto Calendarium Septembrium; Anno ab Incarnatione Domini nongentesimo nonagesimo sexto; tertio decimo vero anno Ottonis Augusti eiusdem nominis tertij, regnante Domino nostro Iesu Christo, cui vna cum Patre & Spiritu sancto vnus est honor & gloria per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Explicit liber primus de vita S. Gebhardi Episcopi.

INCIPIVNT CAPITVLA SECVNDI.

INCI-

INCIPIT SECVNDVS LIBER DE MIRACVLIS SANCTI GEBHARDI.

IGITVR postquam redemptor humani generis famulum suum Gebhardum de voragine huius sęculi ad supernam patriam transduxit, referuntur multæ virtutes, quas per eum nobis Dominus ostendere dignatus est, dum sancta eius anima absoluebatur à vinculis carnis, & rediit ad Dominum, qui dedit illam; & quantam potentiam eius misericordia cunctis auxilium & gratiam ad eius tumbam deuote precantibus, Dominus fecerit; non est nostræ scientiæ, vt dignum est, vobis intimare: quædam tamen ad notitiam posteriorum, prout Dominus donare dignatus fuerit, litteris commendare; quædam vero silentio præterire curamus; ne tędioso lectori fastidium incutiamus, & tantum studioso satisfacere valeamus. Nomina vero eorum à quibus nobis tradita sunt, supprimimus, sicut fecimus, ne ipsa barbaries vocabulorum offendat, & Latinus sermo suum decorem non amittat.

Vir itaq; Angelicæ in carne vitæ, Deo deuotione contriti cordis militauit, dum vixit, & penitus se in hac carne crucifixit, ideo & Dominus, quia socius fuit passionum, consortem fecit eum & consolationum, non tantum in supernis sedibus, remunerando; verumetiam in terris coram humanis obtutibus, signis & virtutibus illustrando, sicut in sequentibus luce clarius patebit relationibus.

Nebula super tumbam eius videtur, & ipse gloriosus cuidam apparet. cap. 1.

FRATER quidam iam sæpe dicti Monasterij ad tumbam sancti viri Gebehardi se orationi accommodauit, dumque se attentius Deo precibus commendaret, vidit nebulam totum sepulchri ambitum contegentem, & suauissimum odorem ex ipsa nebula naribus pręsensit redo-

redolentem: quæ aliquantisper morata, ab oculis cernentis atque stupentis paulatim subtracta est, qua in re considerandum quanta claritate quantoque odore sancta eius anima in superna ciuitate perfruatur, cuius etiam corporea putredo in terris tanta odoris fragrantia illustrata est. Quia enim de illis fuerat quos Esaias Propheta præuidens admiratur dicens: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Recte ab odorifera nube eius visitatum est mausoleum, cuius conuersatio semper in cœlis fuerat, & qui die noctuq; suas ad cœlum cum odoramentis bonorum operum direxerat orationes, quasi incensum sacrificij vespertini; & vt per hæc apertius monstraretur æternæ lucis hunc inhabitare valde gloriosam mansionem. Sic enim istis etiam temporibus, rudibus fratribus eius merita ignorantibus, eiusq; sanctitati detrahentibus, cuidam eorum in visione apparuit in lucidissima sedens mansione, Sacerdotalibus indutus vestimentis, mitra capiti superposita cum ineffabili claritate excelso sedens in throno; dicens ad eum: ecce frater oculis approbare poteris tuis, quod conspectui omnipotentis Dei non ita despicabilis assisto, quomodo quorundam fratrum tuorum existimationi appareo. In omnibus enim vtilitati suorum consulens, ne fortasse sibi detrahendo peccarent, suam, Deo opitulante, dignatus est eis præmonstrare claritatem, vt videlicet scirent, quanto honore dignus, qualiue reuerentia ab hominibus in terris esset excolendus: sed quia frater ille cui visus est præ humilitate ipsam visionē pene nulli innotescere voluerat hominum, diuina clementia aliud apud sepulchrum illius cunctis astantibus atq; cernentibus in dæmoniaco homine ostendere dignata est miraculum, sicut postea plenius scriptum inuenitur. Ex quo omnes correcti sanctum Dei digna deinceps cum veneratione excoluerunt, eiq; se suis in orationibus studiosissime commendauerunt.

Cæcus illuminatur, cap. 2.

ALio quoque tempore cæcus quidam de pago Turgau aduenit, & apud sepulchrum sancti Confessoris ad orationem constitit. Quem Deus secundum quod per Prophetam suum pollicitus est dicens: *Inuoca me in die tribulationis & eruam te, & honorificabis me;* sua miseratione se inuocantē respexit, eumq; per merita sui famuli Gebehardi de tenebris cæcitatis erutum lumen solis videre donauit. Ille autem admirans quis esset, quis fuerit, orbes oculorum circumducere cœpit, explorare cupiens vbi esset, vel qualiter circa se actum fuisset.

Tan-

Tandem se soli redditum recognoscens, magno cum clamore Christo eiusque Confessori gratias egit. cunctisque se oculorum officia recepisse ingenti cum gaudio intimauit. At hi, qui eum cæcum aduenisse viderant, videntem tardius credere poterant: sed postquam veritatem experti sunt maximo cum tripudio misericordi Deo gratias retulerunt, qui in suis sanctis semper est mirabilis, & quoniam in sæculum misericordia eius, super omnes qui ex toto corde quærunt illum.

Plures energumeni per eum liberantur. cap. 3.

PRÆTEREA dæmoniaci multi per eum sunt liberati, quorum quidam dum ad spelæum ducerentur, dixerunt, se ibidem esse exituros, sed apud sanctum Conradum se eiiciendos esse proclamabant. Cumque illo adducti fuissent, similia fatebantur & reducendi plerumque in medio fluminis liberabantur, vt per hæc manifeste daretur intelligi vtrorumque interuentu eos à calumniatore esse liberatos.

De sanatione Paralytici à Dæmone vexati. cap. 4.

QVIDAM autem colonus eiusdem loci paralysi dissolutus, per multa tempora lecto decubabat languidus, qui die quadam solus cum sola coniuge domi remanens, subito arreptus à dæmonio de lecto prosiliuit, fustem arripuit, mulierem petiit, fustemque ad percutiendum eam librauit. Illa autem exiliens in mansiunculam aufugit magnisque clamoribus ciues aduenire fecit. Audientes enim clamorem mulieris accurrerunt, hominemque quem iam dudum Paralyticum nouerant, insanissimum repererunt, quem vix maximo cum labore tenuerunt, nec vlla ratione eius rabiem domare potuerunt, donec multorum viribus hominum collectis, sellæ illigatum ad Ecclesiam deportarunt, & tumbæ sancti Confessoris superposuerunt, qui statim secundum illud Apostolicum: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari super quam potestis portare; sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere,* meritis beati Pontificis Gebehardi liberatus, nec multo post etiam ex hac vita subtractus est.

De muliere obsessa à Dæmone. cap. 5.

MVLIERCVLA de villa Schwindorf, dicta, de infestissimo dæmonio per multorum temporum curricula crudelissime vexata, per plurima sanctorum loca est deducta, nec mundata. Tandem ad beatum Gebehardum amici eius illam se perducere velle dixerunt. Hoc audiens dæmon, contristatus est valde & dixit. Et quid prodest, si me ad illum perduxeritis virum, in quo nil sanctitatis constat haberi? Ego enim nulla ratione per eum de hoc vase expelli potero. Nam in vita sua simulator atq; seductor extitit, & hic talis quomodo in me aliquam exercere poterit virtutem? hæc & his peiora illo memorante: Inuentori falsitatis nequaquam fidem accommodantes, inuadunt iter, quod ducit ad locum *Petri domum* dictum. Quod cum dæmon præsensisset, cœpit perturbari & contristari, & diras voces ad cœlum dare, & multo plus solito hominem discerpere atque vexare. Ad locum autem cum peruenissent, magno cum labore ad Ecclesiam pertracta est. Statim dæmon per os mulieris sanctum Dei maledicere cœpit, vociferando sæpius, quā replicando atq; dicendo. Væ tibi male Gebeharde, vt quid me incendis? tunc ad sepulchrum ducta, ibiq; miserabiliter ab hoste discerpta est, post paululum reducta est. Item post Missas, sanctorum allatis reliquiis, multorum hominum viribus, aliis trahentibus, aliis vero cōpellentibus adducta magnis clamoribus vociferando, sanctumq; Dei per nomen maledicendo, & quod se incenderet importunis vocibus conquerendo, tandemque, quamuis laboriose, tumbę sanctiConfessoris superposita, atq; à Presbytero exorcismus cunctis fratrib' cum aliis multis astantibus super eam recitatus est. Quæ statim à maligno spiritu liberata conticuit, nec vltra vocem clamoris emisit. Antiquo ergo hoste recedente, mulier cui paulo ante pene nemo appropinquare ausus fuit, iam quasi exanimis iacuit, nec vllum corporis membrum mouere quiuit. Tandem resumptis viribus surrexit, discoopertumque pectus velauit, & lachrimabiliter Deum ac Saluatorem eiusq; Confessorem Gebehardum quantis potuit verbis magnificauit. Quanta illic gaudia lachrimarum plena, quis memorare quisue effari poterit? Ibi enim resonabant voces diuersæ, Monachorum, populorum, diuersi sexus & ætatis. Cum sono campanarum, omnes hymnum Deo concrepantes, qui per suum seruum facturam manuum suarum de manu superbi calumniatoris eripuit, & vas sacro fonte baptismatis ablutum ab immundissimo autem inuasore coinquinatum emundauit, ad laudem

dem & gloriam nominis sui sancti; & Confessoris atq; Pontificis sui Gebehardi, deinde vero cum vexillo sanctæ crucis & populorum fauore transmissa venit Constantiam, vt mater Ecclesia mortuæ filiæ & resuscitatæ congauderet, congaudensque spirituale conuiuium præpararet, ad quod amicos atque vicinos conuocaret, dicens eis: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat*, & iterum; *Epulari & gaudere oportet, quia hæc filia mea mortua fuerat & reuixit, perierat, & inuenta est*; nocte autem subsecuta malignus iterum aduenit habitator, & mulierem iam pridie dimissam suscitauit, eiusq; auribus talia infudit venena dicens: O dilectum vas, quare tam nequiter contra me fecisti, quod me tui antiquum inhabitatorem respuisti, & fidelitatem mecum iam dudum conseruatam abnegasti, propter seductorem illum Gebehardum, qui me expulit à te? Nam hunc ipsum scias tibi nullomodo profuturum fore. Sed redi quæso, redi ad me; non enim dignum est, vt alterum pro me tuum in vas recipias, sed rogo mihi non deneges iam tamdiu multum amabilem mei tecum cohabitationem. His & huiuscemodi sermonibus antiquo serpente auribus mulieris insibilante, illa religiosas fæminas, inter quas illa nocte manebat, excitauit, eisq; quas pateretur ab aduersario molestias aperuit, & vt Domino pro se supplicarent postulauit. Quo facto, & die crastino imagine Crucifixi & Euangelio, quod beatus Ioannes de verbo, quod in principio erat apud Deum, conscripserat, donata atq; consignata: omnis illa infestatio immundi spiritus ita ex toto discessit, vt vlterius nunquam eam molestauerit, sed sanissima cum omni gaudio ad propria commeauit, laudans & glorificans eum qui fecit misericordiam cum illa cuius gloriosum nomen erit benedictum ex hoc nunc & vsq; in sæculum, Amen.

Cuidam ex fratribus se aspectabilem præbet, cap: 6.

IN eodem Monasterio erat quidam Monachus psalmodiæ nimium deditus, cui per somnum visum est, quasi coram tumba sanctissimi Confessoris Episcopi Gebehardi constitisset: cui sic stanti sanctus Pontifex, quasi de tumulo progrediens apparuit, & salutationis verba ad eum protulit, eique pauitanti sic ait. Noli timere frater. Ego enim sum Gebehardus ille, qui hanc ædem Christo, eiusq; Confessori Gregorio fabricaui; vade ergo & dic fratribus meis, vt bono animo sint, & voluntarie Christo sanctoq; Papæ Gregorio in hoc meo Monasterio

deseruiant,atq; his addidit: sciatis pro certo quod omnes quicumq; in hoc Monasterio voluntarie cum bono proposito deseruiens inuentus fuerit,in omni tentatione atq; tribulatione me sanctumque Gregorium fortes auxiliatores apud Deum habebit, & in extremo iudicij examine ante thronum iusti Iudicis æterna vita coronandum ipsum perducturi sumus. His dictis ab oculis cernentis elapsus est.

De custode Ecclesiæ. cap. 7.

NEQVE hoc prætereundum puto,quod quidam è custodibus eiusdem Ecclesiæ, dum lumen lucernæ ad sepulchrum eius ardens, ante lucem dici extinguere solitus esset, quadam nocte ei sanctus in somno apparuit Gebehardus,eiq; digito oculum tetigit. Quem statim morbus inuasit, & in breui luscum reddidit, & merito,vt qui sanctum Dei æterna luce in cœlis clarificatum in terris materiali lumine ex parte priuauit, ipse quoq; lumine, quo semitã regeret ex parte priuaretur.

De fratre scabie infecto. cap. 8.

ALIVS etiam in eodem iam sæpedicto cœnobio iuuenis fuit,cuius brachia,tibiasq; tumor & scabies valde grauis inuaserat,nec vllis medicaminibus illi subueniri poterat; Cumque iam de humano desperaret auxilio,ad illius se contulit præsidium,qui dixit: *Ego occidam, & viuere faciam,percutiã & ego sanabo*: sed quia semet nequaquam idoneum conspexit ad eius adiutorium implorandum,fideiussorem quæsiuit per cuius auxilium etiam,quod voluerat,impetrauit. Nam cum ad Missas quæ apud sepulchrum sanctissimi Pontificis celebrantur Gebehardi Subdiaconi sæpius fungeretur officio,deuoti cordis supplicatione flagitabat, vt quoniam humano sibi non potuisset subueniri medicamento, diuino per intercessionem ipsius sancti sanaretur iuuamento; ad hæc se in eadem congregatione, si sibi sanitas concederetur, voluntarie vsq; ad finem vitæ suæ permansurum Deo & sanctis eis deuotissime spopondit.

Quadam vero die post gemitus & suspiria orationum, caput super tumulum fessus reclinauit: Cumq; surripiente somno obdormisset,vidit beatum Gebehardum quasi de crypta, quæ iuxta est, Pontificalibus amictum ornamentis procedentem & ferula, quam manu gestabat,se tangentem,sibiq; audiuit dicentem: sanus sis in brachiis & tibiis;

hæc dixit & expauit, & videns euigilauit, & illa hora leuius habere se sensit, iuxta illud, quod Psalmista de Domino loquitur dicens: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.* Ergo ex illa hora, sicut ipse postea referebat, brachia, cruraq; ipsius sanitate temperari cœperunt, donec in breui ad instar pueri nuper nati omne corpus eius integerrimæ sanitati restitueretur.

Curat Paralyticum puerum. cap. 9.

QVIA vero Regis secretum bonum scimus esse celatum, Dei autem mirabilia, quæ sunt nimis inenarrabilia, optimum esse palam narrare, Christicolisq; studiosius prædicare, nos quoq; nequaquã silebimus, quod diuina pietas nuper apud sepulchrum iam sæpe dicti Cõfessoris Christi operari dignata est. in Constantia namq; ciuitate erat muliercula diuitiis valde paupercula, sed fide Christi, vt post patuit plena, habens paruulum filium ab incunte ætate Paralyticum. Hic namq; nunquam erectus sederat, nunquam pedibus ambulauerat, sed semper æger lateri incubabat, & iam fere per quinquennium matrem sic debilis vexabat. quem mater ipsa miserabilis secum detulit in vlnis cum plebs vndique conflueret, vt festiuitatem concelebraret beati Papæ Gregorij in loco piissimi Præsulis Gebehardi, ergo iam dicta matercula flebilis venit ad tumbã beati Antistitis, paruulum iuxta antrum sancti proiecit, & ipsa secus illum orans constitit: cum subito se puerulus erexit & per semetipsum tunc primum assedit; quod cernens muliercula lætabunda nimis est facta, de sibi præstita omnipotentis gratia, festinaque accurrit, filium in brachia sustulit, ad altare sancti Gregorij ipsum deportauit, & lætissimis vocibus Domini misericordiam collaudauit, & sic ad propria gaudens repedauit. Ex hoc cœpit puer in dies viribus confortari, & post paucos dies, à matre duos baculos postulare: quos cum accepisset, se super hos vtraq; manu sustentauit, & aliquantis diebus huc atq; illuc per semetipsum in laribus deambulauit. Post hæc calceamenta sibi comparari, & ad Medicum iterum se reduci cœpit postulare. Mater vero libens nuntia peregit, quæ paruulus eius postulans exegit. Porro calceamentis datis mulier filium tulit ad Sanctum, perrexit, & coram lecto se in oratione prostrauit; tunc post paululũ puer baculos proiecit, & per semetipsum firmis gres-

ſibus domum lætus cum matre remeauit. Ecce, Pater, vt potui, tua iuſſa libens peregi, nec manibus conſcripſi, niſi quod auribus audiui, à viris veraciſſimis, probatis etiam ſenioribus, nec me culpare poteſt lector quod mea conſcientia veritatum ſim in aliquo transgreſſor: ſi quid tamen mea imperitia culpatur, tua pater authoritate defendatur, erroremque benigne corrigat, ſi quis lector eum in hoc deprehendat. Ad extremum vero pie ſupplicamus Chriſto, vt intercedente beato Gebehardo veniam delictis tribuat, cæleſteque Regnum nos intrare faciat, vbi ipſe cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Finit vita ſancti Gebehardi feliciter.

THEO-

THEODVLPHI AVRELIANENSIS EPISCOPI, ET ALIORVM

Poëmata quædam.

Nunc primum ex Bibliotheca Sancti Galli edita.

LECTORI.

EDIDIMVS tomo quinto Antiquæ lectionis poëmata quædam Theodulphi Aurelianensis Episcopi ad Modoinum, & Aigulphum, itemque Modoini ad Theodulphum: Interea incidimus in aliud exemplar calamo exaratum, in quo eadem, imò & plura, Theodulphi carmina libuit conferre, & locis quibusdam, quæ vix videbantur sanabilia, medicinam facere, & quæ lucem nedum viderant, luce donare. Adscriptæ sunt ad marginem nostræ editionis correctiones, quæ fermè omnes confirmantur ab altero manuscripto Codice. pag. 879. Haud legit, haud docet, &c. ita etiam Cod. secundus. Et rectè. Ibid. v. 27. Salutes. pag. 880. V. 1. laborem. Ibid. post versum 23 pone hoc distichon. Qui labefactatur nunc sine lege sua. p. 881. v. 16. Alueus, & plebem ad interiora vocat. Ibid. v. 27. Non ad piscandum quis quærit rete. p. 882. v. 2. geri conta. Ibid. v. 7. gestæ. Ibid. v. 13. Tale quid asseuerunt a flumen idonea passum. mendosè. Extundat inde veram lectionem, qui potest. Ibid. v. 25. Miraque sint per idem. Ibid. v. vlt. penna. p. 883. v. 1. Nam Zepheri parsas Aquilonis vexerat illas: Ibid. v. 13. postquam sat vtrinque volatum est. Ibid. v. 32. iam veniente gelu. p. 884. v. 16. pauca patent planis. Ibid. v. 18. Quas Europa tuus, Et hæc est vera lectio. Ibid. v. 21. iuuentus. Ibid. v. 29. Egit idem athys, lege, Egit idem Amathiis. Ibid. v. 33. magnæ auolasse feruntur. Ibid. post versum 34. sequitur hoc distichon. Vtraque pars vincit, mulcet victoria neutram, vtrinque oppletam strage reliquit humum. p. 885. v. 3. Et tua magna. Ibid. v. 8. Qui tua grata mihi perferat ossa, vale.

Est autem prima hæc Elegia Theodulphi ad Modoinum, non ad Aiulfum, vt recentior manus adscripsit alteri Codici S. Galli: nam hoc ex primo versu liquet, qui Modoinum compellat: etiam in secundo Codice, vbi est: Hoc modo, ne tibi Theodulphus dirigit exul. Quod ita scribendum. Hoc Modoine tibi, &c. Non Hoc modo ne tibi. Et paulò post in eod. Cod. Donec peruenias modoini ad tecta beati, quod aliud non est, quam Modoini.

IN

IN ELEGIAM AD AIGVL-fum, pag. 885.

Ibid. v. 9. Aiulfe. Ibid. v. 12. Nunc vir es ornatus. Ibid. v. 19. Ingenuas studium tibi discere tandem. Videtur deesse; artes, *vt versus suis pedibus constet. Ibid. v. 28. Quæ Siptegaudus iste referre solet. Siptegaudus vbi probitas, &c. pag. 886. v. 5. Est Deus in cælo. Ibid v. 6. cura sit & proprij. Ibid. v. 11. Hic vicores studet à nobis quærere quasdam vestra. Sic legendum proculdubio. Licet versus needum integer sit. nisi vtramq; syllabam verbi* studet *produxerit. Ibid. v. 20. meet. Ibid. v. 21. Es Patriarchali primæ. pag. 887. v. 4. Quæ superant numero temet arena maris. Ibid. v. 7. Hæc sunt ærumnis ego sum cur missus in istis. Ibid. v. 9. crede. v. 10. meritis. v. 12. me obiecti. v. 13. propriũque nepotem. v. 14. Hæc tria sunt nunquam. v. 24. diligit æquum æquus diligit omne bonum.*

In Elegiam Modoini, pag. 888. Iam enim Modoino expressè adscribit primus Codex manuscriptus.

v. 7. Non audet nam nauta ratem intrare absque paratu. v. 23. adfirmant etiam insanire. pag. 889. v. 5. fortasse, vt erunt, v. 12. inorme malum. v. 21. Ipse Seuerinus, v. 28. huc situs ipse fores. v. 29. Elige si quid agas, & quod tibi cunque videtur. v. 38. rursus adire gradum. p. 891. v. 5. Matfridum. v. 13. mihi crede negabo. v. 16. vt mandes.

VERSVS THEOTOLFI EPISCOPI.

INCLITE Cæſar aue *Ludouice* ſerene valeque
Et tibi cunctipotens, det bona cuncta pius.
Orbis te totus laudat, veneratur, amatque,
Et monitis paret, ſedulus vnde tuis.
Primus in orbe micas, nulli es virtute ſecundus,
Viribus armipotens, te ſcio nemo præit.
Arma es Pontificum, venerandi culmina iuris,
Tu vigil inſtanter, ad meliora leuas.
Tu decus es Cleri, populi, ſeu norma ſalutis,
Iudicij callem arbiter æquus amas.
Hæc facis & facienda doces quæ ad ſydera tollunt,
Quæ mergunt ſolers ſemper ad ima caues.
Es quoque pacificus ſapiens Salomonis ad inſtar,
In ſpecie es Ioſeph, viribus inque Dauid.
Eſt & ſcripturis patulus tibi ſenſus in almis
Lectio te quarum paſcit alitque frequens.
Corporeis epulis ſatiaris corpore parcè,
Sed tua diuina mens alimenta ſitit.
Nam cibus illatus ſatiat tua viſcera parcus,
Sed cibus æternus mentem animumq; cibat,
Plus epulas animæ quam carnis diligis ipſe,
Has capis ad tempus, has ſine fine ſitis.

Es

Es quoque tu multum proprio laudandus in actu
Quod caro vult parce, mens quid & optat amas.
Quæ mala sunt refugis, bona quæq; amplecteris vltro,
Inde Deus tecum Rex benedicte manet.
Ecclesiæ sanctæ dilectus filius extas,
Quam tibi commisit vnicus ipse Patris.
Hanc tu constanter doctrinis imbuis almis.
Incolis, augmentas, instruis, ædificas.
Nemo fide Christi nam te præstantior extat,
Plus orthodoxus est tibi nemo super.
Est tibi nemo super similis pietate vel actu,
De te vera loqui me tua facta probant.
Diuitias mundi cauto sectaris amore,
Queis tibi constanter regna beata paras.
Non temet mi Rex* Lanbus non aureus inflat
Non diadema micans mentis in arce sedet.
Regius hæc fastus tua non deuotio quærit
Cui semper dulcis gloria Christus inest.
Moribus eximius, rutilus bonitate coruscus
Semper adhærere est tibi velle Deo.
Teque tuas laudes liquido depromere nulla
Vox potis est, quas nunc nostra camæna tacet.

*fort. limbus.

Alij versus Theodulphi exstant Tom. VIII. Biblioth. SS. Patrum. Subsequentibus nullus auctor adscriptus est.

Epitaphion Geroldi Comitis.

MOLE sub hac magni seruantur membra Geroldi
Huius iura loci, cunctis qui viribus auxit,
Pannoniis vera Ecclesiæ pro pace peremptus,
Oppetiit sæuo Septembribus ense Kalendis,
Sideribusque animam dedit, artus Saxo fidelis
Abstulit, huc retulit, dignoq; hic clausit honore.

Epitaphion Constantij.

HIc decus Italiæ tegitur Constantius Heros.
Qui patriæ tegmen, murus & arma fuit,

Inuictus bello, non fictæ pacis amator
Confixus plagis, victor vbiq; tamen.
Hic mare per medium gentem compescit euntem
Et victis pariter terra negauit opem.
Sobrius, armipotens, castus, moderamine pollens,
Primus in ingenio, primus in arma fuit.
Romanis blando quantùm flagrauit amore
Tantùm Pannoniis gentibus horror erat.
Iste sibi & natis bello mercauit honores,
Munera Principibus colla secata dedit.
Natorum medio pictus pater, anxia mater
Quem plangat, nescit, stat stupefacta dolens,
Peius Roma dolet tanto spoliata senatu,
Perdidit ornatum, perdidit arma simul,
Tristes stant acies magno ductore remoto,
Cum quo Roma potens, quo sine pressa iacet.
Hunc tumulum Dux magne tuum tibi condidit vxor,
Quæ tecum rursus consociata iacet.
Istud nulla manus tentet violare sepulchrum,
At * Thedora tuum te cupiente parens.

* fort. Theodora.

Hymnus de Natali Domini metro trochaico tetrametro scriptus.

LVMEN clarum ritè fulget, orto magno sidere
Quod per totum splendet orbem vmbras noctis aufugans,
Christo nato Rege magno totus orbis gaudeat.
Dux de Iuda quem Propheta olim iam prædixerat
Lætus nobis ecce venit Bethlem nascens inclyta.
CHRISTO NATO REGE MAGNO TOTVS MVNDVS GAVDEAT.
Hunc regalis virgo mater partu gaudens edidit
Quem Gabriel nunciauit Saluatorem gentium
CHRISTO NATO &c.
Cum Pastores excubantes cura mordet nam gregis
Clarus ipsos ad lætandum exhortatus nuncius

CHRI-

CHRISTO NATO,&c.
Concinebat Angelorum turba læta laudibus
Terræ pacem prædicantes cælo reddunt gloriam
CHRISTO NATO,&c.
O ſtupendum mirandumque Sacramentum gloriæ
Quod tonantem ſupra cuncta virgo geſtat paruula
CHRISTO NATO&c.
Factor cæli terræ factor vulua eſt clauſus feminæ
Auctor ſummus Angelorum fit præſepe conditus.
CHRISTO NATO&c.
Palmo cælum qui metitur, terram claudit * pugili
Pannis paucis obuolutus infans vagit paruulus
CHRISTO NATO&c.
Quæ diuiſit lucem ab vmbris ſummi primum dextera
Matris mammas ecce tractat lactis potum quæſitans
CHRISTO NATO&c,
Os præclarum conditoris quod formauit ſæculum
En admotum nunc libenter ſugit matris vbera,
CHRISTO NATO&c.
O beata mater Chriſti Dauid ſtirpis femina
Tu laus orbis & regina læta virgo Maria
CHRISTO NATO&c.
Votis adſis tu piorum omne ſeruans ſæculum
Patriarchis & Prophetis laus, corona gloriæ
CHRISTO NATO&c.
Ex te ſperant lætabunda Angelorum agmina
Chriſti plebem quod gubernes arcanorum conſciā
CHRISTO NATO&c.
Nam te virgo cęlebs nupta ſexus omnis appetit
Tu parentes atque natos deprecando protege
CHRISTO NATO&c.
Gaude cælum cum ſupernis Angelorum millibus
Omnis terræ plenitudo, pontus, aſtra, flumina.
CHRISTO NATO&c.

*pro pugillo

IONÆ EPISCOPI.

Ionas Aurelianensis Episcopus cuius exstant libri de imaginibus contra Claudium Taurinẽsem.

EN adest Cæsar pius, & benignus
Orbe qui toto rutilat coruscus,
Atque præ cunctis bonitate pollet
Munere Christi
Cernuus, prudens, sapiens, modestus,
Mitis, & clemens, moderatus actu,
Temperans, fortis, probus, & honestus,
Censor, & æquus
Hic decus * Sudam Ecclesiæ paterq;
Ornat hanc solers recreat, fouetq;
Erudit, munit, colit, instruitq;
Dogmate largo.
Hic potens armis, Domino fauente,
Viribus gentes reprimit superbas
Harum & hic victor * subiendo calcat
Colla triumphans
Cuius aduentu, miserante Christo,
Et nitens multum facies serenat
Ciuitas temet populosa nempe
Aurelianis,
Hinc Deo laudes agito perennes
Cuius hic nutu properauit ad te
Huius & vultum tibimet videndum
Præbuit ecce.
Has canat Clerus simul omnis & plebs
Has senex pangat puer, atque paruus
Pauper, & diues reboënt ouantes
Pectore puro.
Hoc chorus Cleri, populique turba
Supplicum carmen recinens precatur,
Det Ludouico vt Deus imperandi.
Tempora longa
Prosperum clemens ferat omne semper
Pellat aduersum procul & repellat
Huius & vitam tueatur æuo
Tempore clemens

*Ita. M.S. Cod.

* subigendo

Cæsaris

Cæsaris huius valeat per æuum
Nobilis coniux * seu clara proles
Gaudeat felix, populus; domusque
pace perenni
Muniunt vrbem hanc proceres fideles
Qui pio Christo sua dedicarunt
Hostis aduersi tolerando, bella,
corpora casta
Hi duces sancti reducesque sunto
Vt tui Cæsar, foueantque temet
Horum & obtentum superes......
poscimus omnes
Artibus cunctis placeas tonanti
Et Dei leges mediteris almus
Queîs viam vitæ valeas tenere
tramite recto,
Temporis huius spacio peracto
Alta conscendens subeas polorum
Te pius captet chorus Angelorum
Et sibi iungat.
O decus Regni, Imperij propago,
Macte tu semper vigeas Lothari
Et Patris sedem teneas potentem,
secla per ampla
Sit Patri, & Nato, tibi spiritusque
Semper æternus honor, atque perpes
Nunc vt in præsens ita & in futurum
secula semper. Amen.

*Ita cod. M.S.

.... deest vocabulum aliquod.

Ad Ludouicum Regem in persona cuiusdam Presbyteri.

REx pie, Rex clemens, almæ virtutis amator,
Suscipe quæ prono vobis fert pectore Paldmann.
Grates pro vestra summus pietate rependam
Æterno Patri, qui vos regnare potenter
Et mores sanctos seruare salubriter egit.

Prospera multigenis concedens cuncta triumphis.
Et vos ergo Pater curam sanctissime sanctam
Sumite reddentes Domino pro munere grates
Multiplici quo vos istam seruarit in horam
Atque dedit semper felici pace potiri.
Non vos ex vobis disponere tanta potestis
Sed * sum ad est per secla Dei mirabile donum,
Si placitum hoc fuerit, faciam tibi multa per illum
Carmina conscribi supplex, qui scripserat ista.
Vos Pater, & Gnatus, sanctus quoq; Spiritus omni
Tempore concedat Domino præstante valere.

* *fort. sed suum adest.*

In aduentu Caroli Filij Augustorum.

ECce votis apta vestris
Venit hora Psallite
Gaudium cordis patescat
Claritate carminum.
Salue Regum sancta proles
 Chare Christo Carole.
Nullus ordo, nulla rerum
 Nunc silescat vastitas
 Mens & lingua, cor, voluntas
 Laudem dando personet. Salue, &c.
Credimus superna votis
 Angelorum millia
 Nostris congaudere digne
 Vt dicamus cernui. Salue, &c.
Anna vatem Sarra risum
 Non fudit libentius
 Quam te toto nunc tenellum
 Corde mulcet Augia. Salue, &c.
In te terra nostra patrem
 Suscipit cum fratribus
 Cum quibus tibi decora
 Pars honoris permanet. Salue, &c.

Ferte

Ferte nabla, tibiasque
Organum cum cymbalis
Flatu quidquid, ore, pulſu
Arte conſtat Muſica. Salue, &c.
Dicat omne plebis agmen
Clerus ipſe primitus
Diues, pauper, ſoſpes, æger
Conſonent in laudibus. Salue, &c.
Te Maria ſancta Virgo
Cum ſubiectis omnibus
In ſalutem Chriſtianam
Protegat feliciter. Salue, &c.
Turba quid ſimul piorum
Qui Deo ſunt proximi
Actitet penes ſupernam
Poſcimus clementiam. Salue, &c.
Gloriam dignam triformi
Pangimus potentiæ
Quæ te ſanum vexit iſthuc
Francorum per regmina. S.

In Aduentu Lotharij Imperatoris.

INNOVATVR noſtra lætos
Terra flores proferens.
Ver nouum præſentat æſtas
Dum datur te cernere.
Imperator magne viuas
Semper, & feliciter
Gaudeat totum tuorum
Agmen hic fidelium
Omnis ætas, omnis ordo
Corde dicens intimo. IMPERATOR, &c.
Extet aduentus beatæ
Nunc tuæ præſentiæ
Gaudio plenus ſereno
Et fauore ſimplici. IMPERATOR, &c.

Iuſte,

Iuste, felix, & benigne
Mitis & piissime
Pande mentis hic nitorem
Nostra complens gaudia. IMPERATOR, &c.
Quod minus digne valemus
Seruitute debita
Hoc tui donet fauoris
Læta nobis gratia. IMPERATOR, &c.
Sancta Lothari, Maria
Virgo te cum fratribus
Et simul cum Patre magno
Seruet, armet, protegat. IMPERATOR, &c.
Et Valens iunctus beatis
Hoc precetur omnibus
Vestra pax in pace cunctos
Firmet apta subditos. IMPERATOR, &c.
Intus, extra, longe, iuxta
Fulgeat concordia
Britto cedat, atque Bulgar
Omnis ardor hostium. IMPERATOR
Vita, virtus, & potestas
Robur, & victoria
Fama felix te sequatur
Atq; vitæ præmia. IMPERATOR
Summa summæ Trinitati
Sit per æuum gloria
Quæ gubernet, & coronet
Te per omne sæculum. IMPER.
Amen.

Hymnus in sanctos Martyres Sergium & Bacchum.

PANGITE cœli, reboemus odas
Alma promamus Domini trophea
..... Sanctis celebremus hymnum
Cordis ab imo

Marty-

Martyres ſancti meritis micantes
Sergius, Bacchus ſocij corona
Carnis à clauſtro pariter migrando
Sidera ſupra.
Athletæ fauſti Domini ſuperni
Morte deuicta ſuperaſtis arma
Hoſtis antiqui trucis atque coſmi
Carnis agone.
Nunc coronati fidei fauore
Vos decus, virtus, ſequiturque Schema,
Eſſe cæleſtis meruiſtis Agni
Sanguine loti.
Qui pius mundi Deus ac redemptor
Martyr & miles radians herilis
Rore robuſtus roſeo ſalutis
Schemate ſerui.
Quem vocat votis polus, vnda, tellus,
Quemque collaudat chorus Angelorum
Tagma cæleſtis Solymæ ſupernæ.
Conſona cantu.
Quem timens atrox erebi vorago
Dæmonum princeps metuit rebellis
Zabolus teter ſceleris repertor
Mortis origo.
Inde vos ſæcli pretium ſequentes
Quæſumus nobis meritis fauete
* Noſos vt veſtris nequeat nocere — * *morbus.*
Ciuibus iſtis.
Hic Topus veſter vocitatur Alba
Ciuitas ſacris decorata gazis
Quem ſacroſancti cineres adornant
Somata ſancta.
Soſpitas ægris, * iatria laſſis — * *medicina.*
Vosque cæleſtis veniaque noſtris
Fertur omiſſis, timor atque mœror
Tollitur omnis
Hymniger pſallit chorus hicque vobis
Concinens nablo, ſonitu ſonoro,

Cantibus ſancti Trophini videmus
Pangere melos
Vos crucis Chriſti ſocios rogate
Qui Dei Patris comitantur Agnum
Intra cœlorum mereamur vrbis
Septa ſubire.
Doxa ſit Patri genitoque Ieſu.
Pneumati ſancto ſimul ac poteſtas
Sit tibi trino deitate ſola
Compar in æuum, Amen.

Verſus de Euangelio. Ad picturam.

ANGELVS ecce ſeni promittit munera nati
Quem populus trepidans foris expectabat & orans.
Concipit en verbo prolem caſtiſſima virgo.
Angelus hic ſponſam Ioſeph commendat alendam.
Hic genitrix Domini meat, Eliſabethque ſalutat;
Vtque Deo exultet, Ioannem Spiritus implet.
Zacharias ſoboli nomen poſuere propinqui;
Sed mage Ioannes certant vocitare parentes.
Nunciat Angelicus Chriſtum Paſtoribus hymnus,
In ſtabulo Dominum celebrant en omnia paruum.
Ecce Magi Solio præſentant munera vero.
In ſomnis moniti faciem fugere Tyranni.
Siſtitur hic Domino Ieſus cum munere iuſſo
Mox ipſum Dominum didicerunt corda piorum.
Partibus Ægypti differtur paſſio Chriſti
Quem ſimulacra tremunt, & chara habitacula linquunt.
Præcipit Herodes natos cruciare recentes,
Millia lactantum tendunt lætantia cœlum.
In ſenibus potior reperitur puſio doctor.
Qui tamen imperium dignatur ferre parentum.

Explicit de infantia Chriſti.

Hi

Hi versus in dextro pariete Chori.
Isti vero in dextro pariete stationis populi.

BAPTIZAT Dominum serui deuotio summum.
Prædicat hunc genitor, inuisit Spiritus vnctor.
Dæmonis en fraudes Christus contemnit inanes
Eius cunctimodas ducens vt stercora pompas.
Demonstrat placidum Ioannes mitibus Agnum.
Andreas sequitur, fratri comperta profatur.
Imperat os vitreum post se properare Philippum
Nathanaël spissa, qui mox subducit ab vmbra,
Testibus hisce nouum fecit de flumine signum,
Conuiuis latices in vitea pocula vertens.
Retia germani linquunt in nomine Christi,
Mox alij lacrymas spernunt cum naue paternas.
Omnipotens medicus hominum miserator & vnus
Omnimodis pressos iussit discedere sanos.
Spiritibus diris hominum de corpore pulsis
Das pecorum furiare greges iustissime Iudex.
En verbum Domini curat medicamine verbi
Præcipit & sanum proprium portare grabatum.
Principis vt natam sanet vel suscitet ibat.
Furatur mulier sacra de veste salutem.
Reddidit en stupidæ Dominus sua munia dextræ.
Consilium stolidi faciunt de sanguine Christi
Vnicus en viduæ rediuiuus redditur * orbe. ** fort. orbæ.*
Ingeminant plebes, ô vere magne Prophetes.
Saltatrix petiit caput, innocuumque recepit.
Lictores * fluuidum linquunt in carcere truncum. ** fluidum.*
Panibus ex quinis & piscibus haud mage binis,
En hominum large satiantur millia quinque
Christus aquæ fluctu pressit vestigia gressu.
At fidei dubium mergunt vada turgida Petrum,
Hydropicum tangente manu, quæ cuncta creauit,
Pallidus humor abit, facies & læta rubescit.
Ecce decem mundans templo se ferre iubebat.
Vnus regreditur grates persoluere Iesu.
Contentus pueros Deus est benedicere paruos

Talibus atque sui promittit gaudia Regni.
Hic scribæ Domino sistunt in crimine captam,
Quam placidus censor damnatis soluit eisdem,
Ex limo reparat, quidquid natura negabat,
Qui luteum primo totum plasmauerat Adam.

Hucusque de Miraculis Domini in dextro pariete. Hi vero in fronte Occidentali, in spacio quod supra thronum est.

ECce tubæ crepitant, quæ mortis iura resignant,
Crux micat in cælis nubes præcedit & ignis.

Hi etiam subtus thronum inter Paradisum & infernum.

HIc resident summi Christo cum Iudice sancti
Iustificare pios, barathro damnare malignos.

Passio Domini in sinistro pariete stationis populi.

ESse sibi Patrem Domino tractante Tonantem
Plebs furibunda pium certat lapidare magistrum
Mortue quatriduo fœtens & corpore toto
Lazare surge, veni, te morti tollo rapaci.
Funeris obsequium mulier præuenit amicum
Dum caput atque pedes nardo perfudit * honora
Mansuetum Regem plebes deuota frequentat.
Frondea cum festis præiens comitansque choreis.
En vrbis miseræ dignatur flere ruinas,
Quæ manibus crudis ipsum discerpere gestit.
Hic sub carne latens deitas per signa patescit,
Dum turbas patria flagro proturbat ab aula.
En ficum viridem sterilem remanere iubebat,
Quod sibi ieiuno fructum præbere negabat.
Agricolæ seruos cædentes vulnere sæuo,
Post natum Domini, satagunt hic mittere morti.
Gentiles Dominum cupiunt iam cernere Christum.
Discipulos idem mortem perferre docebat.

* *f. odora.*

Ecce Sacerdotum primi populiq; nefandi
Infidum famulum censu corrumpere gaudent.

De S. Hilario.

GALLIA me genitum Pictauis ore tonantem
Doctorem Hilarium misit alumna suum.

De S. Ambrosio.

AMBROSIVS doctor signis insignis & hymnis
Enitet hic multis enitet eloquiis.

De S. Augustino.

MENTITVR qui te totum legisse fatetur
Aut quis cuncta tua lector habere potest.
Namque voluminibus mille Augustine refulges
Testantur libri, quod loquor ipse, tui.
Quamuis multorum placeant volumina libris,
Si Augustinus adest sufficit ipse tibi.

De S. Hieronymo.

HIERONYME interpres variis doctissime linguis
Te Bethlem celebrat, te totus personat orbis.
Tequoq; nostra tuis promit Bibliotheca libris.

CARMINA

INCERTI AVCTORIS DE CAROLO MAGNO, ET LEONIS PONTIFICIS MAXIMI AD eundem Carolum aduentu.

Ex Bibliotheca celeberrimi Monasterij S. Galli.

LECTO-

Prospera multigenis concedens cuncta triumphis.
Et vos ergo Pater curam sanctissime sanctam
Sumite reddentes Domino pro munere grates
Multiplici quo vos istam seruarit in horam
Atque dedit semper felici pace potiri.
Non vos ex vobis disponere tanta potestis
Sed * sum ad est per secla Dei mirabile donum,
Si placitum hoc fuerit, faciam tibi multa per illum
Carmina conscribi supplex, qui scripserat ista.
Vos Pater, & Gnatus, sanctus quoq; Spiritus omni
Tempore concedat Domino præstante valere.

* *fort. sed situm adest.*

In aduentu Caroli Filij Augustorum.

ECce votis apta vestris
Venit hora Psallite
Gaudium cordis patescat
Claritate carminum.
Salue Regum sancta proles
Chare Christo Carole.
Nullus ordo, nulla rerum
Nunc silescat vastitas
Mens & lingua, cor, voluntas
Laudem dando personet. Salue, &c.
Credimus superna votis
Angelorum millia
Nostris congaudere digne
Vt dicamus cernui. Salue, &c.
Anna vatem Sarra risum
Non fudit libentius
Quam te toto nunc tenellum
Corde mulcet Augia. Salue, &c.
In te terra nostra patrem
Suscipit cum fratribus
Cum quibus tibi decora
Pars honoris permanet. Salue, &c.

Ferte nabla, tibiasque
Organum cum cymbalis
Flatu quidquid, ore, pulsu
Arte constat Musica. Salue, &c.
Dicat omne plebis agmen
Clerus ipse primitus
Diues, pauper, sospes, æger
Consonent in laudibus. Salue, &c.
Te Maria sancta Virgo
Cum subiectis omnibus
In salutem Christianam
Protegat feliciter. Salue, &c.
Turba quid simul piorum
Qui Deo sunt proximi
Actitet penes supernam
Poscimus clementiam. Salue, &c.
Gloriam dignam triformi
Pangimus potentiæ
Quæ te sanum vexit isthuc
Francorum per regmina. S.

In Aduentu Lotharij Imperatoris.

INNOVATVR nostra lætos
Terra flores proferens.
Ver nouum præsentat æstas
Dum datur te cernere.
Imperator magne viuas
Semper, & feliciter
Gaudeat totum tuorum
Agmen hic fidelium
Omnis ætas, omnis ordo
Corde dicens intimo. IMPERATOR, &c.
Extet aduentus beatæ
Nunc tuæ præsentiæ
Gaudio plenus sereno
Et fauore simplici. IMPERATOR, &c.

Iuste, felix, & benigne
Mitis & piissime
Pande mentis hic nitorem
Nostra complens gaudia. IMPERATOR, &c.
Quod minus digne valemus
Seruitute debita
Hoc tui donet fauoris
Læta nobis gratia. IMPERATOR, &c.
Sancta Lothari, Maria
Virgo te cum fratribus
Et simul cum Patre magno
Seruet, armet, protegat. IMPERATOR, &c.
Et Valens iunctus beatis
Hoc precetur omnibus
Vestra pax in pace cunctos
Firmet apta subditos. IMPERATOR, &c.
Intus, extra, longe, iuxta
Fulgeat concordia
Britto cedat, atque Bulgar
Omnis ardor hostium. IMPERATOR
Vita, virtus, & potestas
Robur, & victoria
Fama felix te sequatur
Atq; vitæ præmia. IMPERATOR
Summa summæ Trinitati
Sit per æuum gloria
Quæ gubernet, & coronet
Te per omne sæculum. IMPER.
Amen.

Hymnus in sanctos Martyres Sergium & Bacchum.

PANGITE cœli, reboëmus odas
Alma promamus Domini trophea
..... Sanctis celebremus hymnum
Cordis ab imo

Marty-

Martyres sancti meritis micantes
Sergius, Bacchus socij corona
Carnis à claustro pariter migrando
Sidera supra.
Athletæ fausti Domini superni
Morte deuicta superastis arma
Hostis antiqui trucis atque cosmi
Carnis agone.
Nunc coronati fidei fauore
Vos decus, virtus, sequiturque Schema,
Esse cælestis meruistis Agni
Sanguine loti.
Qui pius mundi Deus ac redemptor
Martyr & miles radians herilis
Rore robustus roseo salutis
Schemate serui.
Quem vocat votis polus, vnda, tellus,
Quemque collaudat chorus Angelorum
Tagma cælestis Solymæ supernæ.
Consona cantu.
Quem timens atrox erebi vorago
Dæmonum princeps metuit rebellis
Zabolus teter sceleris repertor
Mortis origo.
Inde vos sæcli pretium sequentes
Quæsumus nobis meritis fauete
* Nosos vt vestris nequeat nocere Civibus istis. ** morbus.*
Hic Topus vester vocitatur Alba
Ciuitas sacris decorata gazis
Quem sacrosancti cineres adornant
Somata sancta.
Sospitas ægris, * iatria lassis ** medicina.*
Vosque cælestis veniaque nostris
Fertur omissis, timor atque mœror
Tollitur omnis
Hymniger psallit chorus hicque vobis
Concinens nablo, sonitu sonoro,

Cantibus sancti Trophini videmus
Pangere melos
Vos crucis Christi socios rogate
Qui Dei Patris comitantur Agnum
Intra cœlorum mereamur vrbis
Septa subire.
Doxa sit Patri genitoque Iesu.
Pneumati sancto simul ac potestas
Sit tibi trino deitate sola
Compar in æuum, Amen.

Versus de Euangelio. Ad picturam.

ANGELVS ecce seni promittit munera nati
Quem populus trepidans foris expectabat & orans.
Concipit en verbo prolem castissima virgo.
Angelus hic sponsam Ioseph commendat alendam.
Hic genitrix Domini meat, Elisabethque salutat;
Vtque Deo exultet, Ioannem Spiritus implet.
Zacharias soboli nomen posuere propinqui;
Sed mage Ioannes certant vocitare parentes.
Nunciat Angelicus Christum Pastoribus hymnus,
In stabulo Dominum celebrant en omnia paruum.
Ecce Magi Solio præsentant munera vero.
In somnis moniti faciem fugere Tyranni.
Sistitur hic Domino Iesus cum munere iusso
Mox ipsum Dominum didicerunt corda piorum.
Partibus Ægypti differtur passio Christi
Quem simulacra tremunt, & chara habitacula linquunt.
Præcipit Herodes natos cruciare recentes,
Millia lactantum tendunt lætantia cœlum.
In senibus potior reperitur pusio doctor.
Qui tamen imperium dignatur ferre parentum.

Explicit de infantia Christi.

Hi

Hi versus in dextro pariete Chori.
Isti vero in dextro pariete stationis populi.

BAPTIZAT Dominum serui deuotio summum.
Prædicat hunc genitor, inuisit Spiritus vnctor.
Dæmonis en fraudes Christus contemnit inanes
Eius cunctimodas ducens vt stercora pompas.
Demonstrat placidum Ioannes mitibus Agnum.
Andreas sequitur, fratri comperta profatur.
Imperat os vitreum post se properare Philippum.
Nathanaël spissa, qui mox subducit ab vmbra,
Testibus hisce nouum fecit de flumine signum,
Conuiuis latices in vitea pocula vertens.
Retia germani linquunt in nomine Christi,
Mox alij lacrymas spernunt cum naue paternas.
Omnipotens medicus hominum miserator & vnus
Omnimodis pressos iussit discedere sanos.
Spiritibus diris hominum de corpore pulsis
Das pecorum furiare greges iustissime Iudex.
En verbum Domini curat medicamine verbi
Præcipit & sanum proprium portare grabatum.
Principis vt natam sanet vel suscitet ibat.
Furatur mulier sacra de veste salutem.
Reddidit en stupidæ Dominus sua munia dextræ.
Consilium stolidi faciunt de sanguine Christi
Vnicus en viduæ rediuiuus redditur * orbe. *fort. orbæ.*
Ingeminant plebes, ô vere magne Prophetes.
Saltatrix petiit caput, innocuumque recepit,
Lictores * fluuidum linquunt in carcere truncum. *fluidum.*
Panibus ex quinis & piscibus haud mage binis,
En hominum large satiantur millia quinque
Christus aquæ fluctu pressit vestigia gressu.
At fidei dubium mergunt vada turgida Petrum,
Hydropicum tangente manu, quæ cuncta creauit,
Pallidus humor abit, facies & læta rubescit.
Ecce decem mundans templo se ferre iubebat:
Vnus regreditur grates persoluere Iesu.
Contentus pueros Deus est benedicere paruos

Talibus atque sui promittit gaudia Regni.
Hic scribæ Domino sistunt in crimine captam,
Quam placidus censor damnatis soluit eisdem,
Ex limo reparat, quidquid natura negabat,
Qui luteum primo totum plasmauerat Adam.

Hucusque de Miraculis Domini in dextro pariete. Hi vero in fronte Occidentali, in spacio quod supra thronum est.

ECce tubæ crepitant, quæ mortis iura resignant,
Crux micat in cælis nubes præcedit & ignis.

Hi etiam subtus thronum inter Paradisum & infernum.

HIc resident summi Christo cum Iudice sancti
Iustificare pios, barathro damnare malignos.

Paßio Domini in sinistro pariete stationis populi.

ESse sibi Patrem Domino tractante Tonantem
Plebs furibunda pium certat lapidare magistrum
Mortue quatriduo fœtens & corpore toto
Lazare surge, veni, te morti tollo rapaci.
Funeris obsequium mulier præuenit amicum
Dum caput atque pedes nardo perfudit * honora
Mansuetum Regem plebes deuota frequentat.
Frondea cum festis præiens comitansque choreis.
En vrbis miseræ dignatur flere ruinas,
Quæ manibus crudis ipsum discerpere gestit.
Hic sub carne latens deitas per signa patescit,
Dum turbas patria flagro proturbat ab aula.
En ficum viridem sterilem remanere iubebat,
Quod sibi ieiuno fructum præbere negabat.
Agricolæ seruos cædentes vulnere sæuo,
Post natum Domini, satagunt hic mittere morti.
Gentiles Dominum cupiunt iam cernere Christum.
Discipulos idem mortem perferre docebat.

* *f. odora.*

Ecce Sacerdotum primi populiq; nefandi
Infidum famulum censu corrumpere gaudent.

De S. Hilario.

GALLIA me genitum Pictauis ore tonantem
Doctorem Hilarium misit alumna suum.

De S. Ambrosio.

AMBROSIVS doctor signis insignis & hymnis
Enitet hic multis enitet eloquiis.

De S. Augustino.

MENTITVR qui te totum legisse fatetur
Aut quis cuncta tua lector habere potest.
Namque voluminibus mille Augustine refulges
Testantur libri, quod loquor ipse, tui.
Quamuis multorum placeant volumina libris,
Si Augustinus adest sufficit ipse tibi.

De S. Hieronymo.

HIERONYME interpres variis doctissime linguis
Te Bethlem celebrat, te totus personat orbis.
Tequoq; nostra tuis promit Bibliotheca libris.

CARMINA

INCERTI AVCTORIS DE CAROLO MAGNO, ET LEONIS PONTIFICIS MAXIMI AD eundem Carolum aduentu.

Ex Bibliotheca celeberrimi Monasterij S. Galli.

LECTO-

LECTORI.

QVIS sit auctor huius poëmatis, definire non audeo. Codex, vnde exscriptum; habet in extrema pagina hos versus antecedente hæc signa. tei helpc. *Vnde recentior coniecit & adscripsit quoque hæc verba* Ferius Helpericus Auctor sequentis carminis. *Ego hæreo, & magis ad Alcuinum inclino, non propter notas illas; quas ad hoc poëma non pertinere existimo, sed quia constat Alcuinum de rebus gestis Caroli Magni scripsisse; id enim testantur cum alij, tum Hæreticus Balæus in catalogo scriptorum Britanniæ. Forsan autem hoc poëma vel pars vel fragmentum est grandioris illius operis; non enim credam totum opus esse. Nec stylus & genus orationis abludit à vena Alcuini; vt notum illis, quibus Alcuini carmina nota. Quid, quod aliquoties vocat Carolum* Dauidem? *Quæ appellatio Alcuino tam familiaris fuit, vt scribens ad Carolum, Caroli nomen sæpius omitteret; Dauidemq́ Regem nuncuparet. Nec ratio temporum repugnat. Venit enim Leo III Pontifex ad Carolum Anno Christi 799. quo adhuc viuebat Alcuinus, quippe qui demùm anno 804. obierit. Et ipse initio significat se iam fessum ad scribendum accedere, & sæpius fortunam expertum esse, hic tamen, occasione tam præclari argumenti denuò scriptionis aleam subeundam fuisse. Et certè tam piè & religiosè aduentum Pontificis ad Carolum & Francos describit, & tam enucleatè honores Pontifici habitos percenset; vt vel ob hoc indicium ex religiosissima Alcuini officina poëma hoc non improbabiliter profectum, credi queat. Accedit demum, quod Auctor huius poëmatis omnia quæ scribit, præsens spectasse videtur. Quare nihil etiam caussæ relinquitur, cur quis fortasse referre velit ad illum Helpericum, de quo hæc Trithem in lib de viris illust. Germaniæ* Helpericus Monachus cœnobij S. Galli. Ord. D. Patris Benedicti, vir & ipse in diuinis scripturis multum eruditus, atq; in sæcularibus litteris doctissimus, Philosophus, Astronomus & Poëta celeberrimus, ingenio subtilis & disertus eloquio, nec minus vita, quàm eruditione insignis. Scripsit tam metro quam prosa multa præclara opuscula, sed pauca eorum ad manus nostras peruenerunt. Vidi enim duntaxat & legi librũ clarissimũ, quem de computo Ecclesiastico edidit. Et alium de Musica prænotatum, sed & quædam carmina. claruit eodem tempore, quo Hermannus Contractus. An. Dõi. MXL.

Car-

CARMINA.

INCERTI AVCTORIS DE CAROLO MAGNO ET LEONIS PApæ ad eundem aduentu.

RVrsus in ambiguos grauis admonet anchora calles
Vela dare incertis classem concredere ventis,
Languida quæ geminas superarunt membra procellas,
Ad noua bella iubet lassos reparare lacertos,
Victricemque manum grauidis consurgere remis,
Quo vocat aura leuis placidis superare profundum
Flatibus æquoreas tentando classibus vndas,
Tendere ad ignotas celeriq; per æquora terras
Cursu,& præcipites scopulos pulsare natatu
Vela mouet placidus tremulis cita flatibus Eurus
Cogens me rapido nunc tendere in ardua gressu
Europæ quo celsa Pharus cum luce coruscat
Spargit ad astra suum Carolus Rex nomen opimum,
Sol nitet ecce suis radiis, sic deniq; Dauid
Inlustrat magno pietatis numine terras
Res tamen vna duos variando separat istos
Et vice disiuncti mutata sæpe feruntur,
Illum aliquando tegunt nimboso nubila tractu
Hunc vllæ nunquam possunt variare procellæ.
Ille caret proprio bissenis lumine horis:
Iste suam æterno conseruat sidere lucem
Pace nitet læta pariter pietate redundans

Nescit habere pio lapsurum lumine casum.
Vultu hilari, ore nitet, semper quoque fronte serena
Fulget, ab æterno pietatis lumine Phœbum
Vincit ab occasu dispergens nomen in ortum
Armipotens Carolus victor pius atque triumphans,
Rex cunctos superat reges bonitate per orbem
Iustior est cunctis, cunctisque potentior exstat,
Ille Duces magno & Comites illustrat amore
Blandus adest iustis, hilarem se præbet ad omnes
Iustitiæ cultor cultores diligit omnes
Iustus in exemplum cunctis se donat habendum,
Ingreditur prior ipse sequi quo se cupit omnes.
Tentat iter facilè cuncti quo iure sequantur.
Iniustos merito duris constringit habenis,
Atque iugum imponet grauidum ceruice superbis
Discere iustitiam diuinis admonet actis
Impia colla premit rigidis constricta catenis
Et docet alti throni præcepta implere tonantis,
Quod mens leua vetat suadendo animusque sinister,
Hoc saltem cupiant implere timore coacti
Quod non sponte prius miseri fecere rebelles,
Exercere student auide instimulante timore,
Qui prius esse fero iam dudum more repugnat
Fitque timore pio pius impius ille coactus,
Erigit hinc humiles, humilesque extollit in altum
Prona colit releuans ad celsa, cacumina colla
Ora trahit summissa gradus Rex iustus ad altos
Colla suprema premit subdens excelsa petentes,
Et quantum miseri conantur surgere ad altum
Rursus ad ima facit merito descendere tantum
Strenuus ingenio Carolus sapiensque modestus
Insignis studio resplendens mente sagaci
Nomen & hoc merito Carolus sortitur in orbe,
Hæc cara est populis lux & sapientia terris,
Omne decus pariter famulis ornatus & omnis
Exstat honor populi & plebis spes gloria summa
Nominis. hunc olim terris promisit origo
Tam clarum ingenio, meritis quam clarus opimis

Fulget in orbe potens prudens,gnarusque modestus
Inluster,facilis,doctus,bonus,aptus,honestus,
Mitis,præcipuus,iustus,pius,inclitus, Heros,
Rex,rector,venerandus, apex, Augustus opimus
Arbiter insignis.Iudex, miserator egenum,
Pacificus,largus,solers,hilarisque venustus
Grammaticæ doctor constat prælucidus artis
Nullo vnquam fuerat tam clarus tempore lector,
Rethoricæ insignis vegetat præceptor in arte
Summus apex regum summus quoque in orbe sophista
Exstat & orator facundo famine pollens
Inclyta nam superat præclari dicta Catonis
Vincit & eloquij magnum dulcedine Marcum
Atque suis dictis facundus cedit Homerus,
Et priscos superat dialectica in arte Magistros.
Quatuor ast alias artes quæ iure sequuntur
Discernit simili rerum ratione magistra
Doctus in his etiamque modo Rex floret eodem,
Solus iter meruit doctrinæ adipiscier omne,
Occultas penetrare vias mysteria cuncta
Nosse Deo seriem reuelante ab origine rerum,
Omnem quippe viam doctrinæ inuenit & omnem
* Arosopacum aditum secretaque clancula verba
Omnia. solus enim meruit pius ille talenta
Suscipere & cunctis præfertur in arte Magistris.
Scilicet imperij vt quantum Rex culmine reges
Excellit,tantum cunctis præponitur arte.
Quis poterit tanti præconia promere Regis
Quisue putat sermone rudis se principis acta
Posse referre: senes eum vincant omnia vates
Exsuperatque meum ingenium iustissimus actis
Rex Carolus,caput orbis,amor populique decusque
Europæ venerandus apex,pater optimus,Heros,
Augustus,sed & vrbe potens,vbi Roma secunda
Flore nouo ingenti magna consurgit ad alta
*Moletholis muro præcelsis sidera tangens
Stat pius arce procul Carolus loca singula signans
Altaque disponens venturæ mœnia Romæ.

* Artiu

* f. Moletholis,

Hic iubet esse forum, sanctum quoq; iure senatum,
Ius populi & leges, vbi sacraq; iussa capessant.
Insistitq; operosa cohors, pars apta columnis
Saxa secat rigidis arcem molitur in altum,
Ast alij rupes manibus subuoluere certant
Effodiunt portus statuuntq; profunda theatri
Fundamenta tholis includunt atria celsis,
Hic alij thermas calidas reperire laborant,
Balnea sponte sua feruentia mole recludunt
Marmoreis gradibus speciosa sedilia pangunt,
Fons nimio bullentis aquæ feruore calore
Non cessat partes riuos deducit in omnes
Vrbis & æterni hic alij benè regis amœnum
Construere ingenti templum molimine certant.
Scandit ad astra domus muris sacrata politis
Pars super in summis populi procul arcibus ardens
Saxa locat solidè coniungens marmora nexu,
Altera stat gradibus portantum sorte receptans
Pars onera atque auidis manibus prædura ministrat,
Saxa alij subeunt voluunt ad mœnia rupes,
Ingentes passim fasces, ceruice reflexa
Deponunt humeris valido sub pondere fessi
Plaustraq; dant sonitum, vastus fragor æthera pulsat
Fit strepitus magna consurgit stridor in vrbe,
Itq; reditq; operosa cohors diffusa per vrbem
Materiam Romæ certatim congregat altæ.
Hic alij arma parant acuentes vtile ferrum
Marmora quo possunt sculpi, & quo saxa secari
Feruet opus velutique solent æstate futuræ
Pulchra hyemis non immemores alimenta ciborum
Cum * facere ore legunt carpentes floscula apesque
Per latices per thyma volant stridentibus alis,
Floribus insidunt aliæ, prædaque redire
Accepta studeant redolentia castra reuisant,
Aut fœtus aliæ certant educere adultos
Aut cum nectareas componunt ordine cellas
Roscida stipantes sinuoso poplite mella:
Haud aliter læta Franci spatiantur in vrbe.

* locus corrupt.

Non

Non procul excelsa nemus est & amœna vireta
Lucus ab vrbe virens & prata recentia riuis
Obtinet in medio multis circumsita muris.
Hic amnem circumuolitat genus omne volucrum
In ripis resident rimantes pascua rostris
Non procul in medio summergunt flumine sese
Nunc quoque præcipiti properant ad littora cursu
Hosque toros iuxta ceruorum pascitur agmen
Riparum in longa per amœnaque pascua valle
Huc illuc timido discurrit damula gressu
Fronde retecta vacat, passim genus omne ferarum
His latet in siluis, etenim nemora inter opaca
Hic pater assidue Carolus venerabilis Heros
Exercere solet gratos per gramina ludos,
Atque agitare feras canibus, tremulisque sagittis
Sternere cornigeram nigraque sub arbore turbam.
Exoritur radiis cum primum Phœbus honestis,
Et iubar ignicomo perlustrat lumine montes
Præcipites scopulos & summa cacumina tangens
Siluarum thalamo properat dilecta iuuentus
Regali parte ex omni collecta resistit
Nobilium manus expectans in limine primo.
Fit strepitus clamor consurgit vastus in vrbe,
Desuper ex alto respondent culmine tecta
Aerea præcipuus * considerat stridor in auras — * f. consīdit.
Hinnit equusque ad equum conclamat turba pedestris
Inque vicem proprio reuocatur pignore quisque
Ad Dominnm famulusque suum sequiturq; vocantem.
Hic phaleratus equus grauidis auroque metallis
Terga recepturus Regem in sua gaudet opimum
Stans * monet care caput, montes cupit ire per altos — * locus corrupt. f. mouet acre.
Egreditur tandem circum stipante caterua
Europæ veneranda Pharus se prodit ad auram
Enitet eximio vultu facieque coruscat.
Nobile namque caput precioso amplectitur auro
Rex Carolus cunctos humeris super eminet altis,
Lata ferunt iuuenes ferro venabula acuto
Retia quadruplici iniunctaque linea limbo

Atque canes auidos ducunt per colla reuinctos
Ad prædam faciles furiosoque ore molossos.
Iam pater excelsi Carolus sacra limina templi
Deseruit, mox castra ducum comitesque priores
Mouere, altæ vrbis panduntur classica portæ
Cornua concrepitant fragor ingens atria complet
Præcipitique ruunt iuuenes ad littora cursu.
Hinc thalamo cunctata diu regina superbo
Procedit multa circum comitante caterua
Luitgardis Caroli pulcherrima nomine coniux
Fulgida colla nitent roseo simulata colore
Cedit opimum & enim redimitis crinibus ostrum
Candida purpureis cinguntur tempora vittis
Aurea fila ligant chlamydem, capitique * byrillus
Inseritur, radians claro diadema metallo
Enitet & vestis biscocco purpura bysso
Ornantur variis radiantia colla lapillis
Agmina seiungit pulchris stipata puellis
Magnanimos inter proceres regina superbo
Gaudet equo & iuuenum circum magna emicat ardens.
Cętera regalem pubes pulcherrima prolem
Expectat foribus, turmis comitatus opimis,
More Patri & vultu similis procedere tandem
Tentat item Carolus genitoris nomine pollens,
Terga ferocis equi solito de more fatigat,
Hinc Pipinus aui sequitur de nomine dictus
Restaurat proprij qui publica gesta parentis
Bellipotens animosus heros fortissimus armis
Seque suos inter famulos fert ductor opimum.
Cœtibus innumeris circumdatus enitet alto
Vectus equo eximio vultu facieque coruscans
Tempora cui rutilo cinguntur pulchra metallo
Circumfusa ruit comitantum turba rotatu
Per patulas portas certatim exire senatus
Conatur magno cum murmuris inde tumultu
Cornua rauca sonant, auido latratibus auras
Complent ore canes, fragor ignea sidera pulsat:
Inde puellarum sequitur mox ordo coruscus.

* berillus.

Rhodrud ante alias, rapidoque inuecta puellas
Fulget equo & placidum prior occupat ordine greſſum
Immixta eſt niueis ametyſtina vitta capillis
Ordinibus variis gemmarum luce coruſcans
Namque corona caput precioſis aurea gemmis
Implicat, & pulchrum ſubnectit fibula amictum
Virgineos interque choros, turbamque ſequentem
Proxima Berta nitet multis ſociata puellis
Voce virile animo, habitu, vultuque coruſco,
Os mores oculos imitantia pectora patris
Fert, caput aurato diademate cingitur almum
Aurea ſe niueis commiſcent fila capillis
Lactea quippe ferunt precioſam colla murinam
Ornatur veſtis variis ſpecioſa lapillis
Ordine gemmarum numeroſa luce coruſcat.
* Bratea Chryſolithis ornantur tegmina gemmis. ** Bractea.*
Giſala poſt iſtas ſequitur candore coruſcans
Virgineo comitata choro, micat aurea proles
Tecta melocineo fulgeſcit femina amictu,
Mollia purpureis rutilant velamina filis,
Vox, facies, crines radianti luce coruſcant,
Splendida colla nitent roſeo inflammata rubore
Argento ſtat facta manus, frons aurea fulget
Et magnum vincunt oculorum lumina Phœbum
Læta ſuper rapidum conſcendit virgo caballum
Frena ſuperbus equus ſpumantia dente volutat
Hinc comitata viris, illinc ſtipata puellis
Innumeris circum circumſtrepit agmen equorum
His cumulata bonis præcelſa ſolaria linquens
Virgo pudica pij ſequitur veſtigia regis
Rhodhaid inde micat multis ornata metallis
Agmen ouans rapido præcedit femina greſſu,
Pectora colla comæ lucent variata lapillis
Serica & ex humeris dependent pallia pulchris
Inſeritur capiti nitido gemmata corona
Stringit acus chlamydem gemmatis aurea bullis
Pulchra vehetur equo Rhodhaidis virgo ſuperbo:
Quo latitare ſolent hirſuto tergore cerui,

Inte-

Interea ingreditur vultu Theodrada corusco.
Fronte venusta nitens & cedit crinibus aurum,
Pulchra peregrinis conlucent colla Smaragdis
Res, manus, ora, genæ, ceruix radiata nitescit,
Clara serenatis fulgescunt lumina flammis
Pallia permixtis lucent Hiacynthina talpis
Clara Sophocleoque ornatur virgo cothurno
Turba puellarum circumstrepit agmine denso,
Atque venusta cohors procerum nitet ordine longo
Et sedet in niueo pulcherrima virgo caballo
Acri fertur equo Caroli pia filia Regis,
In nemus ire parat sacrata palatia linquens,
Agminis extremam partem sibi vindicat Hildrud,
Illi sorte datur, dehinc vltimus ordo * senatum
Ipsa autem medio fulgescit in agmine virgo,
Temperat expositum spatij moderamine gressum
Litorei iuxta ora * soli plens inclita tendit
Venandi studio, regique exercitus omnis
Iam sociatur, adest, mox ferrea vincta rapacum
Cuncta cadunt resoluta canum; lustra alta ferarum
Nare sagace petunt quærentes rite rapinam
Et lustrant auidi condensa fruteсta molossi,
Diffusi errantes in opacis saltibus omnes,
Sanguineam siluis prædam reperire laborant,
Cingit eques saltum fugitiuis obuia turbis
Turba paratur, aper fuluus fit valle repertus,
Mox nemus insiliunt equites & voce sequuntur,
Prædam agiles certant fugitiuam agitare molossi,
Et sparsi currunt per opaca silentia siluæ.
Iste tacendo volat celerem post rite rapinam
Ille autem vacuas complet latratibus auras.
Errat hic vmbrosis delusus odore frutectis
Alter in alterius hinc saltibus inde rotatur.
* Ille vidit hic prædam sentit odore fugacem
Fit strepitus siluis consurgit stridor in imis
Et tuba magna * nimos incendit ad * acra molossos
Prœlia dirus aper quo se fert dente minaci,
Arboribusque excussa cadunt folia vndique in altis

* *f. Senatus.*
* *f. soli pleni.*
* *ita cod. M.S*
* *ita cod. M.S*
* *pro acria.*

Per

Per loca vasta fugit, rapidoq; per inuia cursu
Tendit iter frendens * teret alta cacumina montis
Cursibus exhaustus lasso pede constat anhelus.
Iam parat arma necis canibus turbamq; sequacem
Sternit & horrendo rapidos rotat ore molossos.
Mox Carolus pater ipse volat, mediumq; per agmē
Ocior aligeris auibus forat ense ferinum
Pectus. & intinguens gelidum in præcordia ferrum:
Corruit ille vomens vitam cum sanguine mixto
In flaua moriens seseq; volutat harena,
Regalis monte hæc proles speculatur ab alto
Mox aliam Carolus prædam iubet inde mouere,
Et socios verbis claris ita fatur amicis:
Hanc fortuna diem nobis deducere lætam
Annuit auguriis & nostra incepta secundat,
Ergo fauete omnes istum exercendo laborem
Venandi studio, curamq; adhibete benignam.
Vix hæc dixit Heros subitò fremit agmen ab alto
Monte nemus repetunt proceres hinc inde ruentes
Præceleres agitare feras, pater inclitus ipse
Ante volans Carolus manibus fert missile ferrum
Sternit & innumeras porcorum strage cateruas
Corpora multa cadunt passim prostrata ferarum.
Tunc Carolus prædam proceres partitur in omnes,
Et spoliis onerat grauidis sociosq; sequaces,
Inde reflectit iter campum repetensq; priorem
Frondosum lucum patulis, fontesq; recentes
Ramis prætextos & opacam frigoris vmbram,
Aurea hic terris passim tentoria fixa,
Stant pomposa ducum hinc inde & castra nitescunt,
Læta parat Carolus sociis conuiuia, lætus
Conuocat huc omnes longæuos ordine patres,
Maturum populum natum melioribus annis,
Impubem pariter plebem, castasq; puellas
Conlocat, inde iubet mensis donare falerna,
Sol fugit interea lucem nox occupat vmbris,
Membra sed exoptant placidum defessa soporem.
Portentum Rex triste videt monstrumq; nefandum

* f. terit, aut, tenet.

In ſomnis ſummum Romanæ adſtare Leonem
Vrbis Pontificem mæſtoſq; effundere fletus;
Squalentes oculos maculatum ſanguine vultum,
Truncatam linguam horrendaq; multa gerentem
Vulnera, ſolicitos gelidus pauor occupat artus,
Auguſti rapidos Romana ad mœnia miſſos
Tres iubet ire, foret ſi ſanus paſtor opimus,
Explorare gregis, quid triſtia ſomnia ſignent
Miraturq: piam curam gerit ille fidelem.
Feſtinant rapidis legati paſſibus, ipſe
Saxoniam repetit cum multis milibus Heros
Agmina conueniunt diuerſis partibus orbis
Cognatæq; acies properant ſuper ardua Rheni
Littora Saxonum populum domitare rebellem.
Et ſæuam gelido gentem reſcindere ferro.
Culmina iam cernunt vrbis procul ardua Romæ.
Optatiq; vident Legati à monte theatrum,
Triſtior occurit vulgataque fama repente
Lumen Apoſtolicum crudeli funere plagis
Occubuiſſe feris, nam ſerpens ſæuus & atrox
Qui ſolet vnanimes bello committere fratres
Semina peſtiferi iactare nocenda veneni
Suaſit in innocuum cęcatis mentibus omnes
Sæuire, & famulos dominum trucidare potentem.
Dira animis inlapſa lues & ſenſibus hæſit,
Virus peſtiferum concepit pectus anhelum.
Inſidias poſuere viro mortemq; parabant
Inſonti, triſtemq; necem plebs impia telis
Paſtorem in proprium ſeſeq; armauit iniquis,
Dum ſolitum tranſiſſet iter Leo papa benignus
Et ſacra Laurenti peteret pede limina ſancti
Plebs demens populuſq; * vecthros male ſana iuuentus
Fuſtibus & gladiis nudatis enſibus omnis
Inruit in ſummum paſtorem turba tumultu,
Cæca furens, ſubito diris commota procellis,
Sacra ſacerdotis torquebat membra flagellis,
Vnius in caſum multorum ſæuit hiatus,
Carnifices geminas traxerunt fronte feneſtras,
Et celerem abſcindunt lacerato corpore linguam, Pon-

** vecor t.nec refert quod ratio quantitatis repugnat, quā iſte non adeo religioſe obſeruat.*

Pontificem tantum sese extinxisse putabat
Plebs pietate carens atrisq; infecta venenis.
Sed manus alma patris oculis medicamina adeptis
Obtulit atq; nouo reparauit lumine vultum.
Ora peregrinos stupuerunt pallida visus.
Explicat & celerem truncataq; lingua loquelam.
Cum sociis magnus paucis fugit inde sacerdos
Clam petere auxilium Spolitinam tendit ad vrbem
A Duce cum magno fit hic susceptus honore
Winigiso, & multis cumulatus in ordine donis.
Audit Italiam Missos venisse fideles
Francorum, & solitam Romanis ferre salutem
Non voluisse, suum quoniam sine culpa potentem
Suppliciis dominum cruciassent, mox manifestos
Ille venire viros ad se iubet, atq; ita fari
Incipit, & truncata breui infra lingua palatum
Cursu errat placidam depromens voce loquelam:
Vos ego per caram Caroli coniuro salutem
Regis vt eiectum me * defendetis in armis
Finibus à propriis & sedis honore repulsum.
Me quoq; vobiscum ad vestrum ducetis opimum
Regem, & præcipui liceat mihi principis ora
Cernere, qui iusto nostros examinet actus
Iudicio, & vindex sæuissima verbera nostra
Vindicet insignis luctus gemitumq; meumq;
Alleuet, addendo nostræ solatia vitæ.
Ergo agite, & vestra si nunc mihi gratia certa est,
Eripite his terris, Dauid me obtutibus almis
Præsentate viri, iam nos mora nulla tenendo
Impediat, gelidas superemus cursibus alpes.
Hæc Leo Papa, cohors Francorum mixta latinis
Obstupuit Domino grates laudesque rependens
Qui noua Pontifici reddebat lumina summo
Et desperatam condebat in ore loquelam.
At Germar contra breuiter sic vocibus vsus,
Lux, decus egregium populorum, lumē amœnum,
Pastor Apostolicus venerandus in orbe sacerdos
Te mandare decet quidcumq; in corde volutas,

* defendatis.

Nos parere tuis fas est, pater optime, iussis.
Inde iter incipiunt læti rapidisq; metiri
Passibus Augusti iuuat ire ad limina magni
Difficiles temptare vias, callemq; seuerum
Vincere certatim diuersa per oppida pergunt.
Innumeræ occurrunt passim ad spectacula turbæ,
Pontificis sacras gaudentes lambere plantas,
Multaq; præterea cumulantes munera portant
Et capite in veteri visus cernendo nouellos
* Obstipeant, linguamq; loqui mirantur ademptam
Iam dudum & celerem recreantem voce loquelam.
Rex pius interea gelidum transnauigat amnem
Dauid spumosi superans vaga cerula Rheni,
Armatas acies inter primosq; coruscat
Arduus arma tenens equitatus vertice toto
Exsuperat comites fulgentes ære cateruæ,
Vndiq; collectæ properant atq; agmina iungunt,
Cum fremitu vario, sese & stupet inscia tellus
Loricas, enses, galeas, tot scuta virorum
Ac concussa * tremet sub tanto pondere ferri
Vastus ad astra frequens conscendit clamor, & echo
Rupibus è gelidis saxoso à monte resultat,
Est locus insignis quo Patra & Lippa fluentant
Altus & in nudo campo iacet vndiq; largo
Vestitus spacio celso de colle videri
Namq; potest legio omnis, & hinc exercitus omnis
Castra Ducum & Comitum radiantiaq; arma virorum
Huc Carolus multis stipatus milibus Heros
Aduenit, & tandem iuuat hic succedere tectis.
Missus Apostolici regalem tendit ad aulam
Interea & summum manifestat quippe venire
Pontificem expulsum Romana à Sede Leonem
Ciuibus à propriis & tot tolerasse recenset
Verbera, commemorans extinctum lumine vultum,
Narrat & abscissam liquido de gutture linguam
Nunc medicante Deo sanatum, & ab omnibus istis
Esse malis animis stupet ipse exercitus omnis
Audita, & Carolus recolendo somnia retro

* f. obstupeát.

* tremit.

Præte-

Præteriti indicio agnoſcens veſtigia viſus,
Hoc fore non dubitat quod triſtes fundere fletus
Pontificem in ſomnis iam dudum vidit eundem.
Hinc iubet extemplo Pippinum occurrere magno
Paſtori, pacem & placidam portare ſalutem
Obuius ire parat genitoris iuſſa faceſſens.
Pippinus centum lætus cum milibus * ibit.
Ipſe ſedet ſolio Carolus Rex iuſtus in alto
Dans leges patriis, & regni fœdera firmat
Vtq; videt patulo aduerſum ſe tendere ſcampo
Paſtor Apoſtolicus centum cum milibus altum
Pippinum, geminas extendit ad æthera palmas
Pro populoq; preces effundens pectore largas.
Ante Sacerdotem ter ſummum exercitus omnis
Sternitur, & ſupplex vulgus ter fuſus adorat.
Mox Leo Papa ſolo Pippinum more benigno
Excipit & ſacris circumdans colla lacertis
Hæret in amplexuq; diu placida oſcula * libens.
It Comes, & ſupra ſe confert vertice toto
Pippinus, varias miſcent ſermone loquelas
Inquè vicem diuerſa leuant pro ....
Rex pius interea ſolium conſcendit, & omnem
Alloquitur populum Carolus venerabilis heros
Ergo agite ô proceres, inquit, quibus induite arma
Ire eſtis ſoliti ad bellum Martemq; ſeuerum
Temptare, & crudo voſmet confidere pugno,
Pontifici celeri curſu occurremus opimo,
Vix hæc dixit heros fremit vndiq; turba tumultu
Tela manu glomerat, mox loricasq; trilices
Et latos clypeos; galeasq; & ſpicula peltæ
Aeratæ reſonant, acies hinc inde videntur
Ire equitum, ſparſo nigreſcunt puluere nubes
Et tuba lugubri medio ſtrepit aggere voce
Claſſica ſigna ſonant, campi denſantur aperti
Agmine criſtatus fulgetq; exercitus omnis,
Tela micant pariter vexilla leuata coruſcant
Armati incedunt iuuenes & freta iuuentus
Gaudet equis, ſiccus ferueſcit in oſſibus ardor

* ſ. ibat.

* libans.

Cod. M.S. problepſ innata vmbo. fort. leg. problemata verbo.

Audendi, ac Carolus medio micat agmine lætus
Aurea criſta tegit frontem, & conſpectus in armis
Fulget, equo ingenti portatur ductor opimus,
Ante Sacerdotum porrò caſtra agmina ternis
Stant diuiſa choris in longis veſtibus almæ
Sacra crucis vexilla leuant, & Præſulis omnis
Aduentum expectat Clerusq́; & candida plebes.
Iam pater in campo Carolus vidit agmina aperto
Pippinum & ſummum Paſtorem tendere contrà
Conſtat, & inq; modum populum exſpectare coronæ
Præcipit, atque aciem hinc diuidit vrbis ad inſtar
Ipſe autem medio conſiſtere in orbe beatus
Præſulis aduentum expectans & vertice toto
Altior eſt ſociis populum ſupereminet omnem.
Iam Leo Papa ſubitq́; externo ſe agmine miſcet.
Quam varias habitu linguas tam veſtis & armis,
Miratur gentes diuerſis partibus orbis.
Extemplo properans Carolus veneranter adorat,
Pontificem amplectens magnum & placida oſcula libat
Inq́; vicem dextras iungunt pariterq́; feruntur,
Greſſibus, & multò miſcentes verba fauore,
Ante Sacerdotem ter ſummum exercitus omnis
Sternitur & ſupplex vulgus ter fuſus adorat,
Pro populoq́; preces ter fundit pectore Præſul,
Rex pater Europæ, & ſummus Leo paſtor in orbe
Congreſſi, inq́; vicem vario ſermone fruuntur,
Exquirit Carolus caſus auditq́; laborum
Diuerſos ſceleris populi impia facta ſtupeſcit,
Miratur geminas iam dudum luce feneſtras
Extinctas, & nunc reparatum lumine vultum
Truncatamq́; loqui mirantur forcipe linguam
Alter in alterius configunt lumina vultus.
Et * parali ſedes tendunt ad culmina greſſu.
Ante Sacerdotes ſacri ſtant oſtia templi;
Alternis vicibus modulantes carmina laudum
Atque creatori grates laudesq́; frequentant,
Qui noua Pontifici reddebat lumina ſummo,
Et deſperatam condebat in ore loquelam

* f. parili.

Exori-

Exoritur clamor, vox ardua pulsat Olympum,
Intrat Apostolicus Carolo ducente beato,
Templa creatoris solito sollemnia more
Concelebrare, pio Missarum sacra fauore.
Ex hinc officiis diuinis ritè peractis
Inuitat Carolus celsa intra tecta Leonem.
Clara intus pictis conlucet vestibus aula
Auro ostro ornantur hinc inde sedilia multo,
Ad mensas resident læti variisq; fruuntur
Deliciis, medio celebrant conuiuia tecto,
Aurea namque tument per mensas vasa falerno.
Rex Carolus simul & summus Leo Præsul in orbe
Vescitur atque bibunt pateris spumantia vina
Post lætas epulas & dulcia pocula Bacchi
Multa pius magno Carolus dat dona Leoni.
Hinc lætus repetens aulæ secreta reuisat
Rex & Apostolicus repetit quoq; castra suorum.
Cum tali à Carolo Leo fit susceptus honore,
Romanos fugiens propriis repulsus ab oris.

FINIS.

POE-

POEMATA
VVALAFRIDI
STRABI.

Nunc primùm luce donata,

Ex Bibliotheca S. Galli.

TRITHEMIUS LIB. DE SCRIPTORIBUS Ecclesiasticis.

WAlafridus Abbas S. Galli, vt dicitur, natione Germanus, vir in diuinis scripturis studiosus & in secularibus litteris omnium suo tempore doctissimus, ingenio & eloquio clarus, carmine valens & prosa, Monarcha disciplinæ regularis, & multorum pater Monachorum. Scripsit ad ædificationem omnium fidelium deuotè legentium vitam S. Galli prosaicè lib. 3. Eandem postea metricè lib. 1. De officiis diuinis lib. 1. Epistolas plures ad diuersos. Et alia nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad manus nostras non venerunt, inquit Trithemius, inter quæ numeranda sunt poëmata, quæ nunc primò vulgamus ex manuscripto Cod. S. Galli. Vtinam addere licuisset vitã S. Galli carmine ab eodem VValafrido scriptam: sed absterruit nos Codex tam vitiosè scriptus, vt eo solo editionẽ moliri temeritatis potius, quàm diligentiæ conatus visus fuerit. Interea accipe, quæ offerimus, rogatu & studio R. P. Iodoci Mezleri, cui id vnum in optatis erat, vt typis Ingolstadiensibus VValafridus excuderetur. Cuius desiderio libenter obtemperauimus: sed vt VValafridũ magis cognoscas, adscribere licet, quæ idem Mezlerus eximius pater in suo libello de illustribus viris S. Galli litteris mandauit. Ait enim, VValafridum, quem appellant Strabonem, ex Decano Monasterij Sancti Galli fuisse creatum Abbatem Augiæ diuitis, annotauit manu sua (si tamen manum benè noui) reuerendissi-

dißimus dominus Ioachimus *Abbas noster, in margine ad VValafridi nomen, in exemplari quodam vitæ S. Galli, quod apud nos est. Et videtur idipsum innuere liber ille Epitaphiorum Patrum Sancti Galli, qui auctoritate & iussu reuerendißimi quoque Abbatis nostri* Francisci *editus illiq́ oblatus, in quo quidem præfatus etiam VValafridus celebratur, atque illi in sua & reliquorum sancti Galli patrum persona sic confitetur Auctor*: Obseruatores tuæ legis quondam eramus quasi modo geniti infantes: *Simile quid colligi posset ex eo, quòd Gosberto Abbati nostro in prologo vitæ sancti Galli ait VValafridus, se obediendi (Gosberto nimirum Abbati, & patribus) cupiditate suscepisse onus scribendi, & nolle se pro inobedientia condemnari, & quæ sequuntur. Et (vt scribit) ad neceßitatem obediendi se constringi præceptis patrum sancti Galli; vbi vigilanter aduerte in toto proœmio, nil nisi obedientiam ingeminare VValafridum, cuius ordinem diligenter describit, quem paulò pòst citabo. Et demum ex eo quod ait,* Confessoris Christi Galli patroni nostri vitam, *& cætera: vbi nisi VValafridus sub Abbate sancti Galli aliquando ante prælaturam suam fuit, neceßitate obediendi constringebatur nulla, neque pro inobedientia condemnari potuit, neque etiam sanctum* Gallum patronum nostrum *dixerit, qui patrimonij eius portio nulla vnquam fuit.*

His omnibus accedit antiqua & spectata auctoritas Anonymi cuiusdam Monachi sancti Galli, qui in Metricam à VValafrido decantatam, annotationes non indoctas scripsit, vbi quidem ille in prolegomenis sic ait: Idem quoque Abbaas (Gosbertus videlicet, vt ibidem clarum est) iniunxit cuidam Cœnobitæ & Monacho eiusdem Monasterij (sancti Galli scilicet) vt vitam & gesta beati Galli lumine rectæ locutionis ornatam Capitulorum limitibus distingueret. Quod sanè VValafridus sibi fatetur Gosbertum iniunxisse, vt habes in prologo eiusdem vitæ, vbi & iisdem penè verbis præfatus VValafridus ipsum hoc commemorat apud Surium Tom. V. ad diem decimum sextum Octobris. Et post multa deinde idem commenta-

mentator & hæc ait: Causa autem efficiens & mouens & mota simul fuit præmemoratus cœnobita Monasterij sancti Galli; qui ad instantiam & mandatum Gosberti Abbatis sui, repromißione ei facta, præsentem librum metricè composuit. Hæc ille ad verbum. Est autem VValafridi operis vna cum præfato commento liber vetustus Ms: in quarto folij regalis, quem ego nuper ex Bibliotheca veteri transportaui in nouam. Cum eo ligatus est alius de miraculis beatæ Virginis heroico carmine, qui fuit descriptus anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo per Ioannem de Hotbingen; Atque etiam hinc videtur esse natus error ille (quod quidem etiam pro hac sententia dixerim) quo Tritbemius & alij quidam, sicut & tituli quorundam VValafridi impressorum operum, appellant eundem VValafridum Abbatem sancti Galli. Has igitur & similes ob causas, ego VValafridum sæpe nominatum, Abbatibus quoque postulatis seu extraneis adscripsi, non quidem vt statuerem opinionem nouam, sed vel vt resuscitarem antiquam, vel certè vt pro memoria mea annotarem quæ legeram. Creatus est VValafridus, Poëta, Geographus, & Theologus toto orbe celebris, Augiæ Abbas duodecimus, anno Domini octingentesimo quadragesimo secundo. Et scripsit de vita sancti Galli libros duos, qui sunt apud Surium. Eandem metricè cecinit, vt dixi, & testantur alij, vt Tritbemius, Arnoldus VVion, libro vno, cuius initium: Promissi memor ecce mei Gosberte quod olim &c. *De vita sancti Othmari scripsit librum vnum, qui itidem est apud Surium tomo sexto ad diem decimum sextum Nouembris. De officiis diuinis librum vnum, qui etiam habetur impressus. De comparatione mundanarum & Ecclesiasticarum dignitatum librum vnum, epistolarum librum vnum. Extat etiam in Bibliotheca nostra opus integrũ vitæ sancti Mammetis, visionis VVettini & epigrammatum, quæ ab anno ætatis suæ decimo quinto scripsit, vbi quoque de sancto Gallo vnum est, & Epitaphium VVendonis, Abbatis nostri, vbi ait:* Huius namque loci fuerat patronus & Abbas, nomine VVendo &c. *Ex quibus, sicut & quod VVettinum nostrum, Regi scribit*

mor-

mortuum, collige VValafridũ fuiſſe Monachum S. Galli. Idem quoque edidit gloſſam in Leuiticum & Numerum lib 1. Et in ſeptem epiſtolas Canonicas. Et in epiſtolam S. Hier. ad Marcellam de Hebraicis nominibus. Item Eclogas tractatorum in Pſalterio, volumẽ vnum. Quæ pene omnia apud nos ſunt Mſ. ſicut & alia quædam, quæ ipſius eſſe videntur, fortè vix vſpiam alias reperienda. Ex quibus etiam nota, maxime vero ex Epigrammatis, etſi certum eſt VValafridum anno ætatis ſuæ decimo octauo fuiſſe in Augia, & VVettini Monachi Augiæ viſionem ibi ſcripſiſſe, non tamen ſequitur, eum non fuiſſe vel tunc vel poſtea Monachum S. Galli, nam fuit etiam Fuldæ ſub Rabani Mauri magiſterio, vt ibidem patet, nemo tamen dicit fuiſſe eum Monachum Fuldenſem. Noſtros certe patres Helpericum, & VVerenbertum fuiſſe diſcipulos eiuſdem quoq; Rabani ſcimus, ſed vt nemo eſt qui propterea dicit eos fuiſſe Monachos Fuldenſes, ita etiam nemo dixerit VValafridum fuiſſe Monachum vel Fuldenſem, propterea quod Fuldæ Rabanum; vel Augienſem, quod in Augia Tattonem audiuit. Hæc de illo. Obiit Strabo anno Domini 849. in Augia, regiminis ſui octauo.

POE-

POEMATUM VUALAFRIDI STRABONIS INDEX.

Super aliud. De hymno trium puerorum.
Versus in quodam Mantili.
Ad Werdrichum.
Versus in baculo.
Versus in flagello.
In capulo cultelli.
Item in alio.
In manicis.
In tabula.
In cerco.
In conuiuio.
Ad Episcopum Ferend.
Ad amicum.
Versus Walaheridi, quos post annum ætatis XV. edidit de rebus diuersis. Ad Hebonem Archiepiscopum Remensem in persona Tattonis.
Ad Deganchor, Episcopum Treuirensem in persona Tattonis.
Item ad eundem.
Ænigma.
Drogoni Episcopo Mettensi.
Ad Muatuuinum Episcopum.
Item ad quendam.
Ad Agobardum Episcopum Lugdunensem.
Ad Maurum Hrabanum Abbatem Fuldensem, magistrum suum.
Ad eundem pro calciamentis.
Ad eundem pro seruitore dando.
De quinque partibus Rhetoricæ.
Ad Wenibertum Abbatem.
Ad Sigimarum modo Abbatem.
Ad Magistrum Tattonem.
De carnis petulantia.
Ad Lipharium Monachum.
Ad Altgerum Monachum.
In persona cuiusdam Monachi ad Abbatem suum.
Gottesscalcho, qui & Fulgentius.
De quodam somnio ad Erluinum.

FINIS.

INCIPIT PRÆFATIO STRAbi vel Strabonis.

LEgistis meminit vestra sagacitas
Antiquos propriis carminibus viros
Horum subsidiis credere sæpius,
Quorum facta stylo dona vel explicant,
Vt paucis valeas cætera discere,
Martem bella canens orat & Herculem.
Nymphas ruricolæ panaque præferunt.
Extra hæc sunt varia, vana sed omnia,
At nobis Dominus ore vocandus est
Laudandusq; pio corde vel actibus,
Cuius pandit opus quisquis honoribus
Sanctorum celebrat nomina congruis,
Anshelme inuigila, chare precatibus
Vulfing ne sileas poscere iudicem
Importunus ei Lantuuine clamita,
Quem qui plus petiit, plus meruit boni,
Hos iam versiculos, quos volo subdere
Pro me continuis promite solibus
Donec perficiam quod modo poscitis,
Perfectis etiam sensibus arduum,
At multis egomet sordibus obsitus,
Sanctorum precibus, quos colo carmine
Donari veniam credo fideliter
Magnis & nimiis quas veho classibus.

Oratio eiusdem.

O rerum sator omnium tremende,
Qui mirabiliter genus creasti
Humanum, recreans idem potenter,
Dum pœnas crucis innocens luisti,
Audi me miserum malis grauatum,
In quo nil nisi repperis ruinam,
Tu solus vitiis potes mederi,

Te

Te solum medicum requiro, sana,
Indignus quoque te rogare quicquam
Nil possum meritis meis mereri.
In quo deficiunt opes precandi
Mammę subueniat tui precatus.
Cuius facta libet metro referre
Ad laudem tibi gloriamque factor,
A quo sanctus habet beatitatem
Et peccator habet reuersionem.
Iam nunc ordiar ô beate Mammes
Assis obsecro Spiritusque sancti
Munus concilies meo labori
Trino vt digna Deo loquar; sed & te.

INCIPIVNT CAPITVLA OPERIS.

Finiunt capitula.

VERSVS STRABI VEL STRABONIS DE VITA & FINE MAMMÆ MONACHI.

VRbem Cappadoces habitant, quos ille refertur
Progenuisse Mosoch, veniens de semine Iaphet,
Quos Asiæ versus occasum rura minoris,
Armeniæq; latus per fines tangit Eoos
Campus Amazonidum septen de parte trionis
Nubifer opponit calidum iuga taurus ad Austrum.
Quam virtute potens construxit Perseus olim,
Post Romana suis rebus lætata potestas,
Cæsaream vocitare dedit, peregrinus & hospes
Corporis ac mundi felix hanc incola Mammes

Incoluit

Incoluit partim, cœlum nam mente petebat,
Vtque fides sobolis multo pretiosior esset
Perfectam tenuêre fidem pietate parentes
Et natum docuêre sui seruare timendo
Lucida iussa Dei; non segnior ille repertus,
Moribus ætatem sensu tener extulit annos,
Carne puer sed corde senex; qui deinde parentum
Post mortem custos vitæ cautissimus almæ
Obseruans mandata Dei dedit ocius artæ
Exemplum normamq; viæ, latitare nequibat
Vrbs in monte sedens, modio neque tecta lucernæ
Flamma perit sed lumen agens in domate cunctis
Cunctorum in sese purum conuertit amorem.

Et iam bis senos puerilis flosculus annos | II
Attigerat, cum sæua mali lex Aureliani
Ecclesiæ mactaret oues, vastaret ouile
Lictoresque pium sequerentur vbique tyranno
Præcipiente genus, variis vt corpora pœnis,
Afficiant, variis nolentum soluere diuis
Liba precesq; patrum; mox ergo vt vidit in ipsa
Cæsarea puer ista geri, fanisq; profanis
Seductos seruire choros, non passus inerti
Tantum animo tolerare nefas, quascunque parentum
Cura parauit opes spreuit, montemque petiuit
Mentem carne sequens, mansit quæ semper in alto
Contemplata Deum, regumque æquabat opimas
Delicias in lacte gregis, has denique solum
Ad montem perduxit opes, pascebat ouillum
Ipse pecus, victumque sibi quærebat ab illo.
Sæpius insistens precibus, librisque legendis
Otia longa trahens vitam sine crimine duxit,
Quod montem petiit monitis consensit IESV,
Excidii qui signa canens, hoc addit agendum.
Tunc qui plana colunt, ad summa cacumina tendant,
Maturentque fugam, mores imitatus auitos
Pauit oues simplex magni sectator Iacob,
Alter Abel Patriarcharum sanctissima proles.

III. Hæc inter campum Domini petat ore monetur,
Et pergens quo Christe vocas, quo te sequar? inquit,
Fulgida continuò per cœli virga serenum
Voxq; simul cecidit, tibi mittitur accipe Mammes,
Et quodcumque tibi suadet mens sancta petendum,
Hac dabitur: faciem tum lætus ad æthera tollens,
Fert grates domino; mox virga vt contigit occas
Campi, Euangelium miro datur ordine sanctum
Quod postquam sumpsit supplex & legit apertum
Credo sciens virga pastorem, codice magnum
Doctorem institui, Dominum veneranter adorans
Et quis, ait, dictis; ostende, monebitur istis?
Donasti iam velle loqui, da credere verbis
Corda aliena meis; dixit, vocemq; loquentis
Audiit, accelera, Mammes, montemq; reuisens
Mox paruam compinge domum, dabo deinde iubendo
Hæc sacra dicta, quibus doctor capienda ministres.

IIII. Ille pij præcepta patris veneranda secutus
Montem conscendit, præcisisq; vndique solers
Arboribus, struit antra magis quàm dædala celsis
Tecta tholis, simul ædificans altare Tonanti,
Postq; laboris onus, sancto sudore fluentes
Artus composuit fessum librumq; reuoluit,
Dumq; sacros versus depromeret ore beato
Syluestres venêre greges, animalia iussu
Acta Dei, fixoq; genu patienter adorant.
Quo recitante tacent, & acutis auribus astant,
Post verbum, cum lustra mares siluestria cuncti
Expeterent, quasi carnalem doctoris ad vsum
Femineos liquere choros, quîs lacte tumebant
Vbera tota nouo, domitis sine lite cohærent,
Quæ sancti sociauit honor; si dicere dignum est,
Sic edocta suo seruit Macedonia Paulo
Dat carnale bonum per quem cœlestia sumpsit.
Miremur virtutis opus, doleamus iniqua
Brutaq; corda hominum; verbum faciente magistro,
Intentæ stupuere feræ. at ratione vigentes

Audi-

Auditum ſtrepitu ſenſum ſermone retundunt,
Dat fera mercedem, nos impia probra docenti,
Hinc fera non meritum, ſed habet mens dura reatum.

V.

Vir domini agnoſcens ideo remanere libenter
Vt grege cum proprio fætas mulgeret agreſtes,
Accedens niueo ſinum de fonte repleuit,
Caſeus efficitur paulatim lacte coacto
Pinguis & immiſſis diteſcit fiſcina formis
Cernit abundantes lactis de munere fructus,
Et rogat vt Dominus quidquid velit inde futurum
Oſtendat; tum ſancta virum mox iuſſio portas
Cæſareæ properare iubet, tandemq; repertis
Pauperibus, viduis, orbatis luce parentum
Quod Dominus tribuit, largis contradere palmis.
Non ſecus ac iuſſum eſt, prompto perfecit amore.
Sæpius hæc paſſim ciues miranda videntes
Inuidiæ pulſante malo conſpectibus aſſunt.
Fortis Alexandri qui dudum Præſes ab illo
Miſſus erat nonam, qui mouit in orbe procellam
Chriſticolis, cuius ſanctum lex horrida Mammem
Propulit in montem; clemens, ô Præſes, obaudi
Accuſator ait: quendam de ſtirpe Magorum
Vidimus inlicitis leges mutare ferarum
Carminibus, ſollers ortas compeſce querelas.

VI.

His commota ſuper furibundi Præſidis ira,
Ire duos equites, ſanctumq; adducere iuſſit.
Obuius his Mammes montis ſcandentibus alta
Quo properatis ait? Mammetem quærimus, aiunt.
Si noſti monſtrato viam, qua manſit & ipſe,
Vel qua paſcat oues; non huius nominis, inquit,
Hic cognoſco virum, nec huius manſio nota eſt;
Non trepidans hoc dixit enim, ſed verba monentis
Impleuit Domini, ſanctos, qui iuſſit apertas
Declinare minas, vt ſeruet iuſſa peregit
In ſolo ſermone fugam. Nam cætera fortis
Temptamenta tulit, pro Chriſto ponere malens

Quam

Quam seruare animam, verbisque sequentibus ipsum
Non timuisse docet; Mammes cur quæritur, inquit,
Declarate mihi & vobis monstrabo videndum.
Proditione, aiunt, pulsantur Præsidis aures,
Audit & hunc puerum magicis confidere rebus
Et domitare feras & agrestibus imperitare.
Ille Dei dono monitus, respondit, eamus,
Gustemusque prius, tum iussa facessere tempus,
Adductisque domum conuiuia larga parauit,
Panis, aquæ niueique apponens munera lactis,
Non tantum propriis precibus dilexerat hostes,
Verùm quod sancti monuit sollertia Pauli
Esuriemue sitimue pati non pertulit ipsos.
Hinc videas mentem prunas tetigisse calentes,
Dum velut affines Mammem venerantur amicum.
Et redeunt sanctæ testes virtutis opimi.

VII.

Ergo illis pariter prandentibus intrat agrestis
Turba cateruatim, legeret dum dogmata sanctus
Verbi Euangelici, turbantur nescia visu
Corda virum, supplex alius complectitur aram,
Ille sacris genibus Mammæ timefactus inhæret.
Attoniti terrore nouo, summamq; salutis
Iam dubio sub corde tenent; cernensq; timentes,
Ne timeatis, ait, Mammetem cernitis, ecce
Quæritis, hunc ipsum vos inuenisse sciatis,
Confortate animos, nihil hic nisi mite videtis.
At mihi restat adhuc, dubitatio nominis huius:
Nam *Mammas Mammæ* & *Mammes Mammetis* habetur,
Et *Mammes Mammis* scriptum liquere priores.
Sit quodcunque tamen cœlestis scriptio seruat
Quodcumque exprimimus sanctum signamus eundem.
His actis timuêre viri sanctumq; precantur,
Si vis sponte veni, si non, permitte reuerti.
Pergite, ait, nil vestra timor iam pectora turbet,
Nam quocumque Dei me spiritus egerit, ibo,
Continuò redeunt gaudentes atque timentes.
Quam facilè Omnipotens hominum mutare repente
Corda

Corda potest, laudemq; suis concedere sanctis.
Non modò vt hos homines timeant, sed cuncta creata.

VIII.

Spiritus egregium docuit sublimia Mammem,
Surge aiens, iam iamq; voca de monte leonem
Qui multum virtutis habens, & corpore præstans
Iudæos gentesq; vocet, cum stirpe maligna.
Lætus ad ætherium Mammes suspexit Olympum.
O Deus alme patrum, mundi pie conditor, inquit.
Iam miserere, tuumq; pater, ne desere seruum,
Respice Mammetis, quid corda fidesq; volutent.
Passurumq; tuo pro nomine multa tuere.
Dixit, cum veniens heremi de parte rugitus
Dat leo terribiles horrendus colla iubasq;
Cui Mammes, quo Christus ait, vocat, impiger ibo.
Tu quoque diuino venias ad scammata iussu
Dumque cauo fuerint spectacula in amphitheatro
Impia turba suum moriens te sentiat hostem.
Ac velut hoc dicens, miles vexilla sequeris.
Sternere disce ducis strictis mucronibus hostes.

IX.

Cæsaream post ista puer venerandus adiuit,
Repperit & portas iuxta residere patentes
Quos dudum *Præses* capiendum misit ad ipsum
Qui sancto veniente stupent, humiliq; salutant
Alloquio, saluum temet gaudemus adesse.
Amplexiq; pedes, verbis venerantur amicis.
Surgentes ad celsa viri prætoria currunt
Dicentes, ô Præses, adest, quem quæris vt hostem,
Non Magus vt stulti confinxit opinio vulgi.
Nec reus illorum, quæ garrula fama ferebat,
Sed seruus milesq; Dei sine crimine summi.
Iudex hæc contrà: pretio cognoscitur iste
Corrupisse meos, sererent vt falsa volentes.
Nos aiunt non falsa tibi, sed visa locuti,
Haud cupimus pretio verum mutare saporem.
Vidimus ad vocem Christum de more vocantis,
Siluicolas astare greges, quasi mitia quædam.
Orantemq; satis humili circumdare gestu.

Nescimus hunc esse magum; si credere nobis
Duxeris indignum, præsto est, nam venerat vltro.
Iudiciis inquire tuis nos vera locutos.
His simul auditis multa de parte piorum
Ad Mammem venêre, sacri consortia verbi
Quærentes, animos per gaudia sancta refecti.

X

Interea Præses Mammem iubet ante tribunal
Constitui, & verbis adductum pulsat amaris.
Tu Mammes, quem fama magum ferit, ille vocaris?
Seruus ait, Christi, *Mammes* vocor. Incola montis.
Dic, inquit, magica compescere qualiter arte,
Et domitare feras, debes nam pandere, possis.
Seruio ait sanctus Christo, qui cuncta gubernat,
Cuius ad imperium substantia flectitur orbis,
Illum terra timet, cælum, mare, spiritus omnis.
Hæc scio & hæc fateor, noui nam cætera numquam.
Dixit Alexander, magicas si pandere fraudes
Dissimulando fugis, tormentis fortibus actus,
Nudabis quæ tecta tenes; dic ergo quod opto.
Non, inquit, didici mysteria fœda magorum
Inuocò sed Christum, cuius venerabile nomen,
Omnia sancta facit, carnem tibi cedo terendam
Quam cruciare potes, liber sed spiritus iste,
In Domini virtute manet, quem cuncta tremiscunt,
Præses ait magicis pœnas contemnere sacris
Te video; ne crede tamen me flectere posse
Nequitiæ commenta tuæ, vel carmine ludi,
Dixit, & è contra sanctus fert talia Mammes.
Odit quippe Deus vitamq; genusq; magorum
Et magus esse nequit Domini qui flagrat amore,
Non tua scito miser timeo tormenta minasue;
Saluatoris habens scutum, qui sidera seruat
Qui me teq; suo iudex sub iure retentat,
Quem colo, quem solum per legem doctus adoro.
Præses ait, diuersa studes opponere veris
Hactenus artifici licuit lusisse loquela

Iam montana mihi citiùs secreta patescant.
Et quid ait tibimet iudex scelerose fatebor?

XI.

Hinc aliam tentare viam dementia cœpit
Iudicis, inuicti iura per Cæsaris, inquit
Fortunam * nomenq; Deûm, nihil esse nefandæ
Artis apud Mammem, & citius securus abibis.
Per nomen confirmo Dei patris omnia Mammes
Lætus ait natiq; simul cum numine flatus,
Ast hominum figmenta sequi sæuisq; redempta
Dæmonibus damnare animam nullo ordine possum:
Præsidis ira videns sibi fortia tela remitti
Increpat, & dictis ardens pro talibus intus
Nomen ait contemne Dei iamq; ipsa negato
Iura tui nostrisq; ferens libamina diuis
Aureliana iubet cunctis quod sanctio comple;
Vir domini solita fretus virtute Tonantis
Quod didici sectabor, ait, qui cuncta gubernat,
Huic libare volo, quem solum semper adoro,
Dæmones ille colat Dominum qui nescit Olympi.
Vane puer nimium Præses seduceris inquit
Et doleo, nam pulchra tibi nunc suppetit ætas,
Et primos teneris ostentat floribus annos
Nec poteris pœnas penitus perferre paratas,
Feruet enim crudo virtus in pectore magna,
Feruida sed languet bellis audacia cœptis,
Flectere, frange fidem, facilis fuga, forte furoris
Supplicium nostri; Dominumq; Deum negando
Offer sacra Diis incensa potentibus, hoc est,
Quod iubet Augustus, quo facto liber abibis,
Fultus amicitia: reddit cui talia Mammes
Iam cessa sperare miser mea vota reflecti,
Et pro te potius tandem doluisse memento,
Atque annos deflere tuos, me desine flere,
Cui Dominus protector adest. volo protinus, inquit
Præses vt ipse neges, quem dicis iure colendum.
Non nego, sanctus ait, Dominum, tormenta parari
Cuncta iube, tolerabo libens pro nomine Christi,

* f. numenq;

.IXI

Inflammat magnis vehemens feruoribus ira
Pectus Alexandri miserum, iubet altius ergo
Sanctum suspendi, tormentisq; acribus amens
Pulsat vtrumq; latus; dum carpitur vnguibus vncis.
Nullum dat Mammes vocem de more dolentum,
Nondum Præses ait, sensisti saxee plagas?
Dure nec humanos iuuenili in corpore sensus
Error habere finit; Mammes ad sidera lætus
Intuitum vertens, grates persoluimus, inquit,
Terrarum cœliq; Deo, quia non magis ipse
Intus adhuc sensi, mentis securus in arce
Crudeles quam te pœnæ tetigere sedentem.
O pia sanctorum miris patientia, vincens
Aspera cuncta modis, cœlestia mente petentes
Contemnunt carnem memori vel cernere visu
Sic perdunt vitam, vita sine fine reperta.
Est leue momentoq; volans, fugit ocius omne
Quod tolerant, acuit spes muneris, ardor amoris
Immensumq; suis cœlestis gloria pondus
Mercedis tribuit, quid pronum in prælia semper
Tyronem miraris, habet sua præmia victor,
Pro regno pugnat, regnans post bella quiescit.

XIII.

Præses vt inuictum sensit per vulnera Mammem
Obnixis durare animis, nec velle reflecti
Ad mundi ridentis opem, iam funditus, inquit
Interiora viri manibus pulsentur obuncis
Vt tandem cesset magicis confidere vanis,
Et saltem nolens, vestigia nostra sequatur.
Mammes sidereo figens sua lumina cœlo,
Spe meliore metum pœnarum liber abegit.
Credo tenens quod Christus ait non esse timendos
Corpora qui perimunt, communi obnoxia morti,
Victuras sine fine animas, quia perdere nullis
Suppliciis possunt; Ergo dum talia Mammes
Perpetitur, tractu cœli vox missa cucurrit.
Nunc opus, ô Mammes, animis, nunc pectore forti,
Confortare, propè est victoria, plena corona

Vtere

Vtere duritia miles inuicte virili.
Hanc vocem quidam sanctis è fratribus almo
Auditu excipiunt,& pleno pectore gaudent,
Ast alios qui nulla sacri solamina dicti
Percepere, metus pariter mærorq; premebant.

XIV.

Postquam illa Iudex animatum voce furentes
Carnificum tolerare manus & spernere Mammem
Vidit,ab incepto mutatus,iussit ab alto
Deponi totaque strui virtute caminum.
Vt quem non flexit ferus vnguibus igne perurat,
Demens,qui magnam regnare in pectore flammam
Sanctorum ignorans ignes adhibere caducos
Non timuit,cum restingui non ignis ab igne,
Sed magis augeri soleat;nec fortibus vndis
Sanctorum flammas superari posse beatas,
Testis adest scriptura sacro quæ prædicat ore
Quod multis non possit aquis pius ardor amoris
Extingui. Tormenta parat dum talia miles.
Præses ab interno pulsatus iudice iussis
Obuia iussa ferens Mammem iubet inde beatum
Carceris extremi gremio,tenebrisq; ligari,
Ipse magis tenebris,cæca & caligine pressus
Qui Domino ductore carens petit exteriores,
Quis fletus stridorq; manent, sine luce tenebras.
At sanctis mundus carcer, quo soluiër orat
Se psalmista, domum paradisi lætus vt intret.

XV.

Sanctus in angusti perductus carceris antrum,
Repperit inclusos vario pro crimine dura
Sorte quater denos, mox primo in limine fixis
Ad Dominum genibus, fundebat talia Mammes,
Omnipotens immense Deus, quem deniq; nostri
Dilexere patres,quia tu miseratus amasti,
Exaudi quas fundo preces,nec linquere memet
Auxiliis qui viuo tuis,dignare creator
Protinus inclusi percepto nomine Mammis
Ad plantas voluere sacras sua corpora passim,

 A qui-

A quibus vt Mammes quid vellent voce reposcit.
Audiit esuriem, languentum cuncta per ossa
Iam rabiem traxisse suam, nutare subactis
Viribus incessum, linguæque retundier vsum.
Hæc inter patulam penetrare columba fenestram
Visa ferens mellis, niuei quoque munera lactis
Vox simul increpuit, tibi mittitur, accipe Mammes,
Dulcius hoc donum preciosis sumito cunctis.
Accipiens Mammes manibus sacra dona supinis
Mandit, & adiunctam satiat benedictio turbam,
Vt panes, quos forte puer portauerat vnus,
Quinque dedit Dominus quondam per millia quinque:
Sic quod portat auis, Mammæ sub honore beati,
Hanc turbam satiare valet, hæc munera sanctum
Trina decent, qui felle carens, dulcedine vitæ
Cælestis iucundus erat, cui trina potestas,
Vita, fides, virtus, dilectio, spes, via, palma.

XVI.

Iam mediæ cum noctis iter labentia cælo
Sidera signarent, subito sublata ferarum
Claustra, viam tribuunt cunctis, quos carcer habebat,
Iamque fugam celerant miseri, solumq; relinquunt
Conuiuam sub nocte suum, timor indicat ergo
Hos tolerasse reos, illum sub crimine nullo,
Sed tantum virtute animi, per prælia regem
Velle sequi proprium, palmamq; subire quietis.
Præses vt explosas audiuit carceris vmbras,
Effugisse reos, solumq; residere Mammem,
Custodi iubet accito sibi sistere sanctum,
Adductumq; affatur ita; hæc datur optio Mammes,
Sola tibi, veniam cunctorum presto malorum
Si tantum puro Dominus sermone negetur,
Quem verbo vitaque Deum colis, asseris, oras.
Sanctus ait, prolata semel sententia stabit.
Præses ait, libare Diis tibi vane necesse est.
Mammes, cesset, ait, Christum colo, iussio vana.
Iudex, vincet, ait feruens tua dicta caminus.
Eia age quæque placet tandem tormenta parato;

Mam-

Mammes lætus ait; Iudex cui talia reddit.
Atribus vt semper magicis contemnis & ignes,
Sacrifica, fer dona Diis, da munera templis,
Dic, inquit, Mammes, censes quibus esse litandum
Ira licet dare verba vetet, tamen hæc quoque Præses.
Alcides votis, magnusque colatur Apollo,
Proles sancta Iouis. Tum Mammes protinus infit;
Conueniunt tua dicta tuis erroribus ergo,
Perditio quod Apollo sonat, vastare colendum,
Non saluare animas, sæuo solet igne tenendas
His simul auditis irato pectore Iudex
Triste Dionysio, Satanæ, Zosimoq; ministris
Mandat opus sanctumque iubet cruciare camini
Ignibus, vt totas confundat flamma fauillas.

XVII.

Cumq; Dei miles perductus ad ora camini
Cerneret officium pœnas sudare parando
Visibus ætherium totis suspexit Olympum,
Hæc sacra dicta pio supplex de pectore fundens,
O patrum nosterque timor, tua iussa tenendo,
Te propter patior furibundi iudicis iras,
Exaudi quas fundo preces, patientia nostram
Dirigat alma viam, virtus simul ignis hebescat,
Integer & Mammes vincat tormenta Tyranni
Lucis vt ignari capiant manifesta patenter
Virtutis documenta tuæ, te vincere solum
Posseq; cuncta sciant. sancto tum nomine Christi
Munitus, signoq; crucis per singula facto,
Haud trepidat flammæ medios intrare per æstus,
Protinus ingresso cessit vis tota caloris,
Ignis, & extinctis cœpit rarescere prunis.
Conspecta nouitate, pio fert talia Mammes
Ore, pater rerum tibi reddimus optime grates,
Nos quia non aliter dignatus visere saluas,
Quam quondam pueros Babylonia sacra fideli
Pectore temnentes, medio fornacis honorem
Concelebrare tuum, saluator rore dedisti,
Mammes namque tuus, non sentit in ignibus ignes,

XVIII.

Tertia præterea dum cælum aurora teneret,
Solis & impigri conſcenderet ardua currus
Ne qua ſepulturæ cineris ſupereſſe vel oſſum
Igne minuta queant, reparato multa * fauore
Ligna iubet præſes, conſumptis addere flammis
Arida terrificis crepitant incendia tectis
Murmure de magno, fumus volat ater ad auras.
Nec mora pulchra cito dimiſſa columba natata
De cælo venit, flammas ſecreuit, & omne
Ignis onus, cameræ curuari more peregit.
Nec longum reſtrincta rogi violentia ceſſit.
At poſt quinque dies Iudex ſi corporis vllæ
Scire volens tanto reſtarent igne fauillæ
Fornacem reſerare iubet, tum plurima turba
Militibus permixta volat, mirabile dictu,
Auribus appoſitis, intus ſenſere loquentem
Pſallentemque Deo laudes grateſq; ferentem.
Forſitan hæc ſanctis Mammes permiſcuit odis,
Feciſti nos magne Deus tranſire per ignes
Fluminaque, & reddis poſt omnia dura quietem
Attoniti, properata premunt veſtigia retro
Iudicis hæc rabido portantes dicta furori.
Hic homo non Magus eſt, Præſes crede optime nobis,
Sed potius virtute Dei, non carmine vincens
Sæuitiæ tormenta tuæ, quem ſedulus orat
Sub Chriſto ſaluante valet. Sed præſes, vt audit
Non ignes tetigiſſe virum: nunc arbitror, inquit,
Nos magicos ſuperare dolos, miles tamen ibis
Adduceſq; virum: non me viuente recedet
Sanus & incolumis, pœnis vincetur amaris.

* ſ. furore.

XIX.

Miles vt ingentis reſerauerat ora camini
Angelicos aſtare choros, & cingere Mammem,
Suauiter in media vidit fornace ſedentem,
Virtutemq; humili trinam prece ritè vocantem
Laudibus intentum Domini, ſancto agmine ſeptũ,
Chriſticolæ pariter, teſtes virtutis habendi
Hoc etiam ſpeculantur opus; procede, vocat te,

Miles

Miles ait, Mamma, præses, te cernere quærit;
Quo iussam carpente viam petiere supernas
Fulgida continuo sanctorum millia sedes.
Quis dubitabit enim ciues pro ciue beatos
Aduenisse suo solatia sancta ferentes.
Hunc ad certa suæ properantem præmia palmæ
Non linquunt, sed stare monent occultius ipsum,
Victorem sancti ducant vt * ardua ciues. *f. vt ad
Præses vt astantem sæua ad prætoria Mammem
Conspicit, his mentem pulsat sermonibus almam,
Quid magicæ tantum artis opus per singula posse
Cernitur? vt flammæ vires hac fraude perirent,
Sic ignes, sic nostra tibi tormenta videntur
Contemnenda? feras nuper quibus artibus, edic,
Legibus à propriis aliena ad fata vocasses,
Idem hæc error agit, fraudesque videntur eædem,
Te tantus fragilem quicquam ne læderet ignis,
Has artes dic sponte tua, tum liber abibis.
Nomen ait, Christi, Mammes, mihi talia magnæ
Virtutis documenta dedit; neque vana docebat
Vlla superstitio, paui syluestria iussu
Quæ venêre Dei, memetq; secuta tonantem
Vocibus in propriis mecum laudare solebant.
Hæc Mammem fecisse scias. Iam plurima cesset
Verborum iactura velim, veracia tandem,
Præses ait, proferre stude, si fidere vanis
Indubitanter habes, habeo quoque vincere pœnis
Conatus decepte tuos, iam detege demens
Qua ratione feras, qua tantum viceris ignem.
Non, inquit, magicas didici, vel profero fraudes,
Sed natum coluisse Dei, de nomine cuius
Nomen habens, vitam tali pro rege paciscar.
Præsidis ira feras, inquit, promitto paratas
Humano gaudere solent quæ sanguine semper,
His dulcem te ferre volo velociter escam.
Non terremur, ait Mammes, immitte, feremus.

Hæc vbi dicta, vocat iudex de more ministros

Venandi quos cura ligat, perniciter, aiens,
Ite, parate feras, quas nostis habere cruentos
Atrocesq; animos, perimant ne corpora tantum,
De præda sed habere cibos videantur amatos.
Qui dum deinde cauo consideret amphitheatro
Adducunt Mammem, dimittitur vrsa nouellæ
Sæuitiæ mentita minas, quæ carcere postquam
Processit caueæ, cæliq́ue nitore potita est,
Mammam læta quidem, prædæq; petebat amore
Sæuitiæ memor antiquæ, tamen inscia rerum.
Iam metas emensa viæ stupet ora beati
Conspectumque viri. Nam quod temeraria venit
Excusat prostrata solo, veneranter adorans;
Bestia, quem tantis hominum dementia damnat.
Post pardum laxare iubet, fera concita Mammem
Obsequium latura petit, collumq́ue beati
Martyris amplectens, vlnis præmollibus ambit,
Sudoremque sacri detergit corporis, ergo
Seruitio deuota fouet, quem sternere iussa est.
Possumus hinc etiam meritum perpendere sancti,
Nam dum primus homo, domino plasmante, creatus
Staret imago Dei, peccati & criminis expers,
Illa potestatis gaudens insignia primæ
Percepit donante Deo, quo cuncta creata
Orbis in obsequio solus subiecta teneret.
Postquam colla animo subrexit dura superbo
Deseruitque Deum, Domini non seruus haberi
Sed magis ipse volens dominatum indignus adire,
Hinc conlata prius cœpit fugitare potestas
Cunctorum, qui nuper erat sublimis honore
A cunctis patitur iam factus apostata pœnas.
Hanc sancti pestem primi fugêre parentis
Atque humili virtute animi, medicamine Christi
Suscepto, primi meruêre insignia Iuris.

XXI.

Vt Mammem nullo violari vulnere Iudex
Conspicit. Ite viri totis conatibus, inquit,
Lustrentur montes, siluis sint retia totis

Valli-

Vallibus insidiæ,cunctas peragrate latebras,
Egregium donec sistatis in vrbe leonem
Qui vires animis acuat,qui viribus iras,
Qui primo Mammis commisceat ora furore,
Et ne præceptis angustia temporis obsit,
En vobis spatium bis denum cedo dierum.
Mox iussis famulantur, eunt, mirique repertum
Roboris alta citi ducunt ad tecta leonem.
Præses adesse feram dictis vt pluribus audit
Inclusam caueis,ornent iubet amphitheatrum,
Tertia deinde dies certo dum tempore surgit,
Procedit,monstrumque iubet dimittere sancto.
Dum timefacta manus,dissoluere vincula tardat
Nam leo sæuus erat,descendit montibus altis,
Cui martyr pridem dederat præcepta vocato
Vrbem adiens,nullum læsit sub mænibus vrbis
Per patulas festiua fores spectacula luctum
Non risum laturus adit,mox ora beati
Intuitus Mammæ,vocem,mirabile dictu,
Induit humanam,primumque his vocibus vsus.
Salue cultor ait summi venerande Tonantis;
O natura hominis sancto spiramine plena
Plena simul meritis vitæ,tibi denique iussu
Cogimur angelico,naturæ munera contra
Humanos proferre sonos,seruitur honori
O pastor dilecte tuo:nam quod minus ipsa
Dat natura,fides itidem tua magna meretur.
Tu pastor,tibi nos æquum seruire libenter.
Miremur virtutis opus,doleamus iniqua
Facta hominum,laudat brutus bene facta magistri
Concesso sermone leo,meritisque fatetur
Hunc sancti venisse viri,doctoris amore
Non turbas,non arma timet,seruire paratus
Exitium tolerare cupit;nos omnia contra
Vltro doctorum miseri benefacta silemus.
Fingere falsa libet,serimus vel facta libenter.
Scire quidem volumus,sed plus iuuisse laborem
Quam doctoris opem, probris lacerare magistros

Iam pauci metuunt, multi non frangere partas
Sed ſtruere inſidias, polluto pectore gaudent,
Hos canibus porciſq; pares ſententia Chriſti
Sancta vocans, iubet hos fraudare nitela. *

* Verſus mutilus.

XXII.

Poſtquam verba leo volitantia fine peregit
Oſtia cuncta loci clauduntur, cœlitus arta
Obice, ne facilis miſeros fuga demere poſſet
Quin omnes vnum paterentur ſæuius hoſtem.
Protinus horribili proſternere cuncta furore
Ingreditur, tinguitq; hominum rabida ora cruore.
Dentibus hos lacerat, ſæuis ſecat vnguibus illos,
Impulit hos currens, caſuq; peremit amaro.
Illos morte timor ſubita proſternit inertes
Caſibus & variis, pariter gentilibus inſtat,
Iudæosque premit, proſtratis omnibus ergo
Solus ab exitio Præſes, paucique miniſtri
Mammetis iuſſu, dilata morte feruntur
Immunes, optata viro ne paſſio deſit,
Ipſe parat vitam tormenta parantibus, ipſe
Palmam morte petit. Iudex, vt crimina nondum
Finem habeant, viuit, numerum quis ſcire cadentum
Milia vel valeat paſſim cum fruſta per omnes
Sunt diſperſa gradus? longe ceruice reuulſum
Rore caput rubeo commixta ſtrage natabat.
Abſciſſas aliena manus ad corpora iungi
Cernere erat, truncos gemino ſine poplite ferri,
Cunctaque membra loco vel cæſa carere priori,
Saucia vel remanere ſuo, tantuſq; repente
Sanguis ad indicium facti terroris ab oris
Cædis iit plenis, vt flumen abire putares
Litoribus, veluti ſummis cum montibus ingens
Grando cadit, mixtiſque ſimul tonat imbribus æther.
Tum collecta imas deſcendunt flumina valles
Saxa trahunt, ſyluaſque ferunt, totaq; vagantur
Planicie agrorum, gemitus dat ruſticus imo
Pectore, non aliter cæſorum membra feruntur
Sanguine rapta ſuo, plebis ſpectacula, talem

Finem

Finem habuere malæ. Mammes vocat inde leonem,
Et mandat propriis, celerem se condere lustris.

XXIII.

Præsidis ira tamen, tali nec vulnere plebis
Tacta capit requiem, verum ne euadere possit,
Induratur adhuc, Mammemq́; furore vocatum
Alloquitur prisco, Mammes libamina diuis
Aut deuota dabis, pœna aut moriêre cruenta.
Respondet Martyr, miror te dæmoniorum
Participem, tentare Dei post talia seruum.
Nam Dominum cognosco meum, qui linquere memet
Nunquam credo volet, vos contra vindice flamma
Quos facit impietas Dominum scelerosa negare
Quiq́; Deos colitis, ligni lapidisue metallo
Quos manus artificum vano compegit honore,
Damnabit, stringetq́; reos sententia mortis.
Præses vt irato percepit talia sensu
Noris, ait, nostro retineri iure leonem
Sæuior ille tuas discindet friuole carnes,
Si mea iussa animo ducas temnenda superbo,
Ne dubita, vinceris enim; tum talia Mammes,
Quæ facienda putas, tandem fecisse licebit.
Si modo quod memoras celeri compleueris actu.
Continuo stadium Præses petit, & iubet illum
Qui miræ virtutis erat, laxare leonem
Quem dudum spatio iussit quæsisse dierum
Viginti, captumq; sibi iam credidit esse
Vincendi auspicium. Mammes fera iussa vomentem
Increpat, & dictis miserum mordacibus vrget,
Impie, vane, miser, maledicte, insane, profane.
Iussa patris satanæ sequeris, quæ mente maligna
Sunt facienda tibi, temet vincemus & illum.
His dictis magno mittunt clamore leonem,
Protinus adueniens sanctum fera, vt alta tuentem
Dicentemq; Deo laudes meditamine forti
Perspexit, pedibus supplex prostrata, beatas
Lambebat plantas, veniam pro crimine poscens,
Vt scriptura refert, contra præcepta Tonantis.

Consilium, ratio, sapientia, nulla voluntas
Præualuisse potest, frustra tormenta parauit
Præses, vbi Mammem Domini pia dextera texit.

XXIV.

Ista videns populus fremitu vultuq; minaci
Murmura longa cient, celsa tùm voce virum vir
Hortatur, pœnas inimico à sanguine sumant,
E medioq; magum sæuo cruciamine tollant.
Continuò ad lapides animo feruente legendos
Oppositas rupere moras, fit grando sine imbre
Saxa volant, sanctumq; ruunt super aggere facto.
Gaudentes abeunt, sese vicisse putantes.
Sed potius victos rerum docet exitus ipsos.
Nil nocuere quidem tanto sub turbine Mammem,
Se verò æternis damnarunt crimine pœnis.
Post modicum Mammes, vt facta silentia circum
Sensit, ab aggesto surgens inlæsus aceruo,
Discedit, laudes Domino, gratesq; frequentans.

XXV.

Pergenti, sudum dimissa per aëra venit
Vox aiens, ascende virûm sanctissime Mammes.
Ianua te cæli paradisi & claustra patenti
Excipiunt gremio, gaudet te Christus adire,
Quamq; tibi portat tandem meruisse coronam.
Iam propera, sanctus quem flatus vbique gubernat.
Angelicos cernes misso certamine ciues.
Hic Dominum laudans, orat mox talia Mammes.
Hæc illis dimitte precor, nec reddere Iudex,
Quæ fecere mihi, districto examine quæras,
Talia qui mandas, exaudi talia clemens
Atq; animam permitte meam cum pace reuerti,
Ad requiem quandoq; suam, post prælia mundi.
Dixit & ætheriam conscendit spiritus aulam
Liber in æterno semper mansurus honore.
At somnus sanctæ conclusit lumina carnis.
Semina quæ lacrimis Mammes infusa serebat
Messuit hic fructu gaudens, qui flebat eundo
Fert veniens plenos lætus mercede maniplos.

Iam

XXVI.

Iam quia Mammetis vitam finemq; beati,
Deformi sermone licet, tamen ordine quodam
Clausimus, ad laudis cumulum licet addere quædam
Dona quibus Domini, serui quoq; facta fidelis
Narrentur, mercesq; humili sit plena Poëtæ
Munera de proprio sacræ super addere laudis.
Quem non sanctorum Mammes pietate fideq;
Moribus & signis, nec non certamine forti
Aequiparet? sanctos cuius tibi vita priores
Sancta repræsentat, cunctorum facta resignans.
Simplicitas primi semper pastoris in illo
Longæui pia vita Enoch, perfectio Noë
Loth sacra sedulitas, Abraham credula virtus
Isaac cautela patris, benedictio Iacob,
Consilium Ioseph, sancti sapientia Moysi,
Gratia tum Samuel, patientia fertilis Iob,
Pax Idida magni, dilectio mutua Dauid.
Ardor Apostolicus, feruorq; Propheticus æquè
Quodq; suum tenuere locum; miracula verò
Tam manifesta dedit, quàm sunt duo lumina mundi,
Ex quibus ad tanti laudem famamq; patroni
Quædam pauca libet, * verum componere gestis,
Vt liquidò agnoscas cunctorum dote piorum
Hunc nituisse virum; prior in deserta vocatus
Est populus, legemq; Deo donante receptans
Pellibus & tabulis tentoria sacra parauit.
Sic Mammes deserta petens, dum construit ædem,
Donum Euangelici meruit venerabile libri.
Huic instar Salomonis amet quodcumque petendum
Cælitus annuitur; Mammem sacra dicta legentem.
Attonitæ stupuêre feræ, mirabile dantes
Doctori obsequium; Samsoni ex ore leonis
Vt dulcedo data est; propriis in mænibus hostes
Helisei sectator alit; quod agrestia parent
Tam tritum est sanctis, vt non sit ferre necesse,
Nec mirum quod stulta magum sententia dixit,
Belzebub Dominum si gens Iudæa vocauit,
Cumq; tribus pueris, mundi simul idola temnens,

** l. veterum*

Clau-

Clauditur ignicremis flamma feruente caminis.
Verbera cum Paulo tolerat; sectatur vtrosq;
In pœnis, itidem vincens sectatur vtrosq;
Vnguibus hic fossus, ferris est tortus Esaias.
Heliam corui, Mammem pauêre columbæ
Vt Ionas cæto viuus sorbente repertus,
Sic Mammem seruare feræ, non lædere possunt.
Opprobrium Helisei geminis deletur ab vrsis
Et leo Mammetis strauit sæuissimus hostes.
Vt bruti Dominus linguam reserauit aselli,
Ne populi exitium vates tractaret iniquus,
Humana sic voce leo Mammetis honorem
Prædicat, vt tali saltem Doctore cruentus
Resipiat iudex; lapidum quoq; grandine pressus,
Cum Paulo, Stephanoq; Deum pro talibus orat.
Exemplum morientis habens, in corpore IESV.
His aliisq; Dei clarissima dona ministrans,
Ad regnum cæli, sanctis per sæcla paratum
Omnibus, æterna tandem pietate vocatus,
Pace Dei fruitur summa, sine fine beatus
Illic sancte tui Mammes memor esto Poëtæ
Augia quem fælix Strabonem nomine nutrit.

Explicit passio sancti MAMMÆ *Martyris.*

IN NATALEM SANCTI Mammetis Hymnus eiusdem Strabonis.

LAudem beati Martyris
Ad Trinitatis gloriam
Sanctæ canamus supplices
Quæ dat coronam testibus.
Aduersa mundi pertulit,
Calcauit eius prospera.
Mammes Tonanti reddidit
Quod pro reis hic passus est.

Virtu-

Virtute, vita, moribus,
Sermone iucundiſſimus
In charitatis gratia
Semper manens ditiſſimus.
Spernens opes cum caſibus
Mundi, ſupernis inſtitit.
Liber caducis exiit,
Nil ambiens ex infimis.
Mitis domans immitia
Illisq; promens myſtica,
Viuebat inter beſtias
Quo ciue gaudent Angeli.
Adiutus armis ſpiritus
Vicit furores Principum
Sæui draconis conterens
Sacris caput conatibus.
Magni fauor præconij
Debetur iſti Martyri,
Cui Chriſtus eſſet viuere,
Lucrum reſolui maximum.
Manſit fides in pectore
Spes mente felix, integra
His maior illum charitas
Intus foris poſſederat.
Exultet omnis ſupplicum
Cætus ſereno gaudio
Huius patris ſuffragia
Pronis rogando cordibus.
Te Martyr ergo quæſumus
Mammes faue poſcentibus
Sacro precatu protege,
Quos inſtruis certamine.
Impende curam dapſilis
Aufer malum placabilis,
Confer boni ſolatia
Vitæ parando præmia.
Sit Trinitati gloria,
Virtus, honor, per ſæcula

Quæ nos beatis Martyrum
Semper iuuet suffragiis.
Amen.

VERSVS DE BEATI BLAITHMAIC VITA ET FINE.

SI tantam meruêre suo pro carmine famam
Qui sceleroforum mores & facta tulerunt
Laudibus in cælum perfusi dæmonis arte,
Friuola nectentes hominum monimenta malorum:
Cur non liberius sanctorum facta canamus,
Quos placuisse Deo nobis miracula produnt,
Quæ fidei virtute gerunt per munera Christi.
Nam scriptura canit, Domino spondente, pusillis,
Os aperire tuum studeas, ego verba ministro.
Qua propter venerande pater, charissime Felix
Præceptis parere tuis ex corde paratus
Strabus ego, misit quem terra Alamannica natu,
Scribere disposui de vita & fine beati
Blaithmaic, genuit quem diues Hibernia mundo,
Martyriiq; sequens misit perfectio cælo.
Ipsius vt meritis veniam per sæcla capessam.
Regali de stirpe status summumq; decorem
Nobilitatis habens, florebat regius hæres
Iste Dei sanctus, vitam ducendo pudicam,
Quodq; solet rarò factum & non sæpe videri;
Quanto maior erat, tantò deiectior ibat
Spes patriæ, fortuna patris, Rex ille futurus,
Iudicio iustus, prudens & corpore castus,
Sobrius, ornatus, iocundus, cautus, honestus,
Nobilis in genere egregio, generosior actu,
Obsequio locuples, melius virtutibus auctus,
Tractabat laicus, quod Clericus efficiebat.

Cuius

Cuius honorandum nomen sermone Latino
Pulcher natus adest, meritoq; probabilis illo
Nomine dignus erat, patrem qui cunctipotentem
Elegit pulchroq; Deum quæsiuit amore,
Sordebant terrena animo diuina petenti,
Secretumq; latens in solo pectore mansit,
Donec ad effectum processit sancta voluntas.
Cœnobium furtim quoddam sine teste petebat,
Quiq; fuit pridem patriæ per regmina Princeps,
Nomine pro Christi est factus tunc verna minoris,
Fascibus in mediis qui quondam terruit omnes
Omnibus admissis sibimet sine milite seruit.
Fama vt forte volans patris peruenit ad aures,
Hinc stupor atq; dolor mentem cinxêre parentis
Subtractum dolet hæredem mittitq; senatum
Agmina, Prætores, populum, præcepta, maniplos,
Duxq; comesq; ibant, properanter Episcopus astat,
Abbatumq; cohors, vicini carne propinqui
Hoc solum nitente manu, si qualibet arte
Efficerent reducem vitata pericula mentem
Corde subire alio, ô talis, quàm cæca voluntas,
Ille procellarum se vix de gurgite dempsit
Quæsitoq; diu titubans stetit anchora portu
Nondum curarum potuit laxasse rudentes,
Nec terra fixisse pedem, cum concita ventis
Aura pharetratis impegit ab æquore puppim,
Viq; sua tremulam dissolueret vnda carinam;
Ni regeret proram, qui sæcula cuncta gubernat,
Mox miro à cunctis semper complexus amore,
Cunctorum studuit fieri diciq; minister.
Mente humilis, linguæ custos, & norma bonorum,
Verba Dei capiens sitienti corde libenter
Discendi studiosa gerens præcordia libris.
Perdidicit diuina animo documenta sagaci
Sicq; vigens doctrinarum morumq; nitore
Agmina multorum rexit veneranda virorum.
Exemplis sua dicta probans, vanosq; fauores
Pro nihilo ducens, cui laus & gloria solum

 Chri-

Christus erat, Christus sermo, Christus documentum;
Pax, clypeus, lorica, preces, patientia, bellum,
Mucro Dei Verbum; spes & dilectio totum,
Nulli detraxit, nulli conuitia struxit,
Singula quid fari per singula verba necesse est?
Cum quidquid legitur virtutum ritè teneret,
Et quidquid vitij monstrat scriptura caueret,
Omnibus existens feliciter omnia factus,
Vt cunctos faceret Christo sua lucra referre,
Vtilis & prudens seruus per ouilia Christi,
Tempore qui certo mensuram farris opimi
Conseruis tribuens radiauit vbique fidelis.
Vtq; nihil meriti nihil & probitatis abesset,
Martyrij palmam quæsiuit mente benigna,
Sæpius hac causa peregrinas visere terras
Nisus, ab incepto populo retrahente quieuit,
Vnde animo sedit fugitiuo calle parumper
Optatam tentare viam cum discipulorum
Agmine non multo preciosa monilia secum
Virtutum sub mole gerens, ruptisq; tenebris
Nocte fugam capiens properanter abire parabat,
Ecce superueniens fugitiuis turba sequentum,
Ad caulas capto retrahit pastore bidentes.
Hoc quoque non taceam sanctus quod spiritus illi,
More Prophetarum rerum secreta ferebat;
Nam dum fama patrem longè latéq; beati
Ipsius ad superos vita fugiente volasse
Proderet, expoluit non esse, sed esse futurum,
Post modicum tempus sancto Spiramine doctus.
Insula Pictorum quædam monstratur in oris
Fluctiuago suspensa salo, cognominis Eo
Qua sanctus Domini requiescit carne Columba;
Hanc petiit voto patiendi stigmata Christi
Illic namque frequens pagana caterua Danorum
Aduentare solet furiis armata malignis.
Sed sanctus Domini tales tentare leones
Disponens animo vana formidine mentem
Exuit & clypeo fidei galeaq; salutis

Muni-

Munitus, hominum non horruit arma malorum.
Qui cum doctiloquo potuit cecinisse propheta
Est Deus adiutor mihimet, timor improbus absit.
Iam quoque doctus erat per publica bella ministros
Temnere dæmonicos, ipsum qui rite Tyrannum
Strauerat, & cunctis solus superauit in armis.
Tempus erat quo magna Dei clementia seruum
Consociare suum nitidis super astra maniplis
Disposuit, certamque bono conferre coronam
Victori, cum sancta viri mens præscia rerum
Venturos properare lupos, vt membra piarum
Diuiderent ouium, sensu prænosceret alto.
Vos, ait, ô socii vobiscum mente sagaci
Quærite, si pœnas Christi pro nomine vobis
Sit tolerare animus mecum quicumque potestis
Exspectare, precor sensus armare viriles.
At quibus infirmi pauitant penetralia cordis
Ecce fugam celerent, vt parta pericula vitent,
Ad meliora suos armantes vota lacertos.
Proxima stat nobis certæ tentatio mortis
Firma fides vigilet rebus suspensa futuris
Cauta minus fortes seruet tutela fugarum.
Hic dictis compuncta cohors, quod posse videbat
Hoc animo statuit, quidam sub pectore firmo,
Sacrilegas spectare manus gladio * furenti
Supposuisse caput gaudebant mente serena,
Ast alii quibus hoc nondum fiducia mentis
Persuasit per nota fugam loca calle capescunt.
Aurea discutiens tenebras aurora madentes
Claruit, & nitidus pulchro Sol orbe refulsit.
Cum sacer hic doctor Missarum sancta celebrans
Officia ante sacram vitulus stetit integer aram,
Hostia grata Deo mucrone litanda minaci
Cætera turba iacet, lacrimis precibusque Tonanti
Commendans animas de pondere carnis ituras.
Ecce furens maledicta cohors per aperta ruebat
Tecta viris minitando pericula sæua beatis

* qua

Et reliquis rabida sociis feritate peremptis,
Ad sanctum venêre patrem, pretiosa metalla
Reddere cogentes, queîs sancti sancta Columbæ
Ossa iacent, quam quippe suis de sedibus arcam
Tollentes tumulo terra posuêre cauato,
Cespite sub denso gnari iam pestis iniquæ.
Hanc prædam cupiere Dani, sed sanctus inermi
* Restitit manu firmo conamine mentis
Contra stare aciem pugnamque lacessere doctus
Cedere dissuetus tibi talia barbare dicta
Ingerit, ignoro penitus quod quæritis aurum,
Quo sit humi positum, tectum quibus atque latebris?
Quod si scire mihi, Christo admittente, liceret
Numquam nostra tuis hoc auribus ora referrent.
Ba bare duc gladios, capulum cape, iamque trucida
Auxilio Deus alme humilem commendo tuo me.
Hinc pia truncatis discerpitur hostia membris.
Quodque ferox miles censu pensare nequibat
Rimari in gelidis cœpit per vulnera fibris.
Nec mirum, nam semper erant, semperque resurgunt.
Quos furor in famulos Domini malus excitet omnes
Vt quod pro cunctis Christi censura peregit,
Cuncti hoc pro Christo faciant, licet impare facto.
Ille igitur Christi factus pro nomine Martyr,
Testis, fert vt fama, loco requiescit eodem,
Multa vbi pro meritis dantur miracula sanctis,
Quo colitur Dominus digno veneranter honore,
Cum sanctis, quorum meritis mea crimina solui
Credo quibus laudum supplex donaria misi,
Nil negat his Christus, cui maxima lucra tulerunt,
Qui cum Patre pio, sanctoque in sæcula Flatu,
Regnat & æterno pollet sine fine decore.

* loc. corrupt.

DOMI-

DOMINO PATRI, VEREQVE FELICI, ET PVRISSIMA SINCERITATE VENErando Grimaldo Cappellano, Strabus VValafridus æternæ beatitudinis in Saluatore mundi salutem.

EX quo, pater beatißime, familiari quadam pietate exiguitatem meam dignati estis agnoscere, sedulò tenaci memoria amplexabar, cuius præsentiam summo ardore sitiebam, sicut & hactenus ago. Licet enim longa interiectæ telluris spatia sequestrent, vasti montium & saltuum dirimant anfractus: animo tamen spiritali igne æstuans quamuis absens, aßiduè vestros quasi quoddam speculum intueor obtutus. Deniq; iussu Adalgisi venerãdi patris in Domino, visionem VVettini propinqui vestri, quam beatus pater Hetto vrbana facundia, mellifluis floribus adornans, prosaicis verbis doctißimè cõposuit, versibus hexametris furtim exemplare coactus sum. Ideo nulli hoc, vt placeat, exhibeo, tantum illius voluntati satisfeci, & maior erat obedientia quam facultas. Sciebam etenim quia qui spiritalibus viris obtemperat, numquam errat. Et si in pedum mensuris & synalœpharum positione fefelli, contra nullum luctamen inibo, quia ad rumusculos spargendos non egi sed potius ob propositi mei conseruationem. Quippe cui nec ætas ad talia competit, nec scientia suppetit. Scintilla [illegible]ædam inest, & eget fomite.*

* *f. ramusculos, vt paulo infra.*

In hoc autem primitiuo carmine, nec tempus morosum ad cautelam concessum est, nec proprii sermonis habui potestatem. Arbitror autem quod si per campos darentur vagandi induciæ, quiuissem for-

tasse

tasse ramusculos aliquos decerpere quibus mea rusticitas aliquantisper tegeretur. Vnam itaq; ob causam impoßibilitatem superauit voluntas. Comperimus etenim quosdam esse, qui hoc nil amplius vanis somniis diiudicantes, nec habere aut credere aut audire dignantur: Hanc autem præsumptionem vt audierint, turgentes assumunt in manus, auidiq; vitia, quibus redundat rimantes, velint nolint, ipsum quod oderunt inuenient, dum quod sitiant, quæsierint. Compulsum tamen me sciant in hoc prorupisse, & quasi stimulis plerumq; impulsum scriptitasse. Sed propter amorem eius qui hæc vidit, & ista fieri desiderauit, & me hac fiducia animauit.

*Quapropter beatißime pater, quæso sanctitatem vestram, vt emendare dignemini, quidquid in hoc * pittacio censura vestra aptum correctioni, vel à vero discordans deliberauerit. Necesse enim est, vt Erlebaldum dominum, & Tattonem præceptorem meum hæc res nõ lateat, quia fas non est Monacho suum quicquam celare Abbatem. Si itaq; considerantes nimiis nacti fuerint sordere mendaciis, statim pungent, non palpabunt. Et vt vereor, qui penè octauum decimum iam annum transegi, dignis verberibus vapulabo. Optimè enim hac arte, sicut & in aliis imbuti sunt. Sed minus diligunt. Ideo defendere dignemini vilitatem meam, & huius scedulæ infirma tueri. Quædam etiam nomina in contextu occultata, qui diligenter inuestigauerit, istis versibus impressa reperiet. Bene valentem, & Strabi memorem, te Deus omnipotens in æterna felicitate conseruare dignetur sanctißime Pater,*

Amen.

* pittacio.

(o)

Christe

CHriste nouum qui pascha mihi concedis agendum,
Suscipe dona precum, laudisq; salubria nostræ
Vota, voluntatem potius quam dona requirens.
Quantum posse dabis, tantum sum velle paratus
Cum tua maiestas velle atq; valere ministret.
Te precor alme Deus, pueriles disiice ludos,
Et fermenta tui placida insere dogmatis, vt sit
Blanda mihi dulcisq; Patris sententia, cuius
Iussa sequor: ne, dorsa fero lacerare flagello
Incipiat, carmenq; animo reprobare citato.
Non aliunde quidem primum componere carmē
Disposui, quam sancta sequens præcepta priorum,
Primitias deferre Deo, cui cordis in ara
Fertur adeps, sanctæ cum laudis odore litatus.
Iesu Christe crucis rogo per merita alma sacratæ
Atque resurgentis per maxima festa leonis,
Cuius adest hodie festum venerabile cunctis:
Vt me digneris vitiis mundare nefandis,
Ne quod voce probo, hoc nostro dānetur in actu:
Quid loquar vlterius? mundi miserere redemptor,
Perq; potestatis numen succurre triformis.

RHenus ab Ausoniis quo ducitur Alpibus, æquor
Miscet, in occiduis diffusus partibus, ingens
Illius in medio suspenditur insula fluctu,
Augia nomen habens, iacet hanc Germania circa.
Hæc solet egregias monachorum gignere turmas.
Primus in hac Sanctus construxit mœnia præsul
Pirminius, ternisq; gregem protexerat annis.
Huius quisque velit sanctam cognoscere vitam,
Ipsa sepulchra petat, satis ipse probabit in Hornbach.
Postea septenis præsedit cursibus Eto:
Tum sequitur binis laudandus Geba sacerdos,
Bina Ermenfredus tum lustra peregerat Abbs,
Sydonius ternis denisque ibi præfuit annis.
Vicenos binosque receperat inde Ioannes.
Quinque Petrus sortitur item venerabilis annos,
Quatuor inde tulit Waldonis lustra potestas.

Tempore ſub quorum iuuenis velut aurea ſurgit
Stella, tenebroſum citius vulganda per orbem
Cœnobium quinquennis enim Inſulanenſe petiuit.
Nec latet vrbs homines in vertice ſtructa leuato
Sed neque teſta ſubit modium peregrina volando
Tanti fama viri regales verberat aures.
Poſt rapitur non ſponte foras de carcere charo
Et qui liber erat fit libertate ſoluta
Paſtor ouile tuens, cuius pars magna profanis
Actibus inſiſtens Chriſti de valle viauit.
Prouida quippe Dei talem ſapientia patrem
Conſtituit, qui cuncta ſacris ſub legibus arcens
Rure tenus deſtructa nouat, geminamque ruinam
Eleuat, inque Dei varium tranſmutat honorem
Interiora medens, atque exteriora reformans.
Cuius ad ingenium nullus mihi ſermo redundat
Narrandum, quando ſpecialis in orbe refulſit
Doctus in incultis iaciens ſacra ſemina ſulcis,
Largus in auxilio, vita probus, aptus amori
Iuſtus in arbitrio, arte ſagax, perfectior actu,
Quid moror iſta canens, cum poſſim iure fateri
Me neſcire alium, qui compenſetur ad iſtum?
Cogitur interea Monachorum paſtor haberi
Diſcipulus dudum, diſponitur ipſe magiſter
Carceris ipſe fuit cuſtos, quo ſæpe cupiuit
Finitimum expectare diem, tum morte reuicta
Perpetuaque frui Chriſto donante corona.
Vocibus in ſeptem, ſi promat verba palatus
Non erit vlla tamen narrandi cuncta facultas,
In quibus immenſum perfecerit ille laborem,
Quidquid erat Chriſti per ouilia iure regendum,
Fecit, & aſſidua conſtanter pace ſalutem
Chriſticolis ſtatuit, regali munere fultus
Dirigiturque maris trans æquora vaſta profundi
Græcorum ad proceres, ſcopuliſque illiſa carina
Fudit onus, cunctumque virum, ſed Præſul ab vndis
Seque ſuoſque manum Domino præbente recepit.

Nulla

Null a maris poſt hæc rabidi diſcrimina paſſus
Sed potius recto curſu, fatiſque ſecundis
Argiuum reſponſa rato tulit ordine Francis
Denique longa tulit poſtquam faſtidia, cœpit
Mente ſub obſcura refugus tractare receſſum
Ordine de tanto, ne captus amore tenendi
Linqueret æternum cui ſemper munus inhæſit.
Anno igitur decimo HLudouuici Cæſaris, atque
Bis ceſsêre nouem illius tunc ordinis anni,
Sexaginta quoque ætatis iam tempora clauſit
Morbus in exitium traxit lethale patronum.
Ille dolor dilectus erat, chariſſima febris,
Mors contempta, fugæ hæc occaſio prima patebat,
Venit adoptiuum redeundi in carceris antrum
Tempus, vt alterius contemplans ora iubentis,
Quod prius iniunxit, iam tunc ſeruaret agendo,
Soluitur ex onere, atque ſibi ſubiecta refutat,
Perfruiturque quiete ſilens feliciter exin.
Fare precor, quicumque velis quæſitor honoris
Quod tibi munus erit, cuius mala fama cerebrum
Turbat & hanc famam duriſſima pœna ſequetur?
Conſpicis ecce meum dulci rumore refertum
Pro * nihili duxiſſe volans & inane fauoris
Molle decus, multumque viris miſerabile iuſtis
O ne magna dies damnans inhonoret, honores
Spernite, per normamque ſacri reſipiſcite patris.
Verſibus in paucis Hettonis geſta parumper
Depinxi, breuitate tamen maiora poteſtis
Noſſe ſub inuidia ſi mens non veſtra grauatur.
Muſa ſoror maiora refer celerique volatu
Pange melos, laudiſque facem, generiſque latebras,
Cuius ab exortu Hettoni traditur hæres,
Eſt famoſa tribus quæ legum docta per artes
Promeruit primo populi ſediſſe ſenatu
Iudicioque bonas iuſto diſcernere leges.
Illius è medio ſurgit generamine proles
Dicitur Erbaldus verſo ſermone *vir audax*.
Poſt ſeptem denoſque petit venerabilis annos

* *nihilo.*

Inſula-

Insulanense solum, sociatur fratribus illis
Atque magisterio Hettonis traditur almi,
Quo monstrante sacris non parua ex parte libellis
Imbuitur, variæque vetant ne traderet artes
Septenas curæ, antiqui quas auribus indunt
Nobilium, namq; illa refert scriptura Ioannis
Ante retroque animalia sancta oculata fuisse,
Sensus adest, sic doctus homo ex ratione biformi,
Ante superna videt, retro terrena, cauetque
Hac ex parte foret ne clauso lumine cæcus.
Mittitur ad quendam socio comitatus ab inde
Cuius multa viret sapientia dogmate Scottum
Quem dixi socium, carmen perquirit abundans
Nam vitam meta & vires in morte triumphat.
Nunc incepta sequar, post pauca parabor ad illud.
Denique post reditum luxit perfectior actus.
Moribus ardor inest, sermone fidelis amor stat,
Fulget in ingenio verax, probus, aptus, honestus,
Norma boni, æqua fides, dilectio sancta sub illo
Innumerisque bonis nituit, quæ cuncta sub ista
Non possum breuitate sequi, ne audire recuses.
Hæc Hettonis erant postquam iactata per aures
Approbat ipse suo passim moderamine vera
Esse satis, secumque vehit per terga liquentum
Camporum, fluctusq; secant, Argosque penetrant,
Diximus vt supra, redeuntq; Augense sub antrum.
Ergo vbi Hettonis silet argumenta potestas
Per multa, alteriusque licet dum iura leuare
Iam precis arte patet, curritque per ora vicissim
Erbaldo debere dari his in mænibus arcem.
Annuit ipse Deus cunctos qui mente sub vna
Hoc voluisse dedit, pastori mandat alendas
In tellure ferax quæ gaudet fruge bidentes.
Tum perfecta magis Domino seruire voluntas
Incubat, insignemq; virum vota optima produnt.
Mentis in occulto quantum prius esse benignus
Vellet in adiecta poteris bonitate probare,
Dicam equidem quid in antiquis donasse figuris

Hinc agnosco Deum veteres recolendo Prophetas.
Heliæ succeſſit enim venerabilis ille
Heliſeus, vectumq; leues affatur in auras;
Spiritus oro tuus mecum duplicetur, at ille
Grandia nate petis, fiat tamen ipſa voluntas.
Maxima Hettonis nituerunt facta per orbem
Si quid adeſſe poteſt, tamen exſuperatur ab iſto,
Qui ſolita virtute potens pariterq; benignus
Virtutum cuſtos, vitiis ſæuiſſimus hoſtis
Ex ætate fuit puerili ipſam vſque ſenectam.
Quàm pulchrè & dignè multumq; inſigniter hæres
Vernat, vterq; pater vitaq; graduq; beatus,
Hic pater ante fuit, modo filius, aſtat, obaudit
Per natumq; regi proprium vult corde paterno.
Filius iſte prius ductor patris eſſe iubetur,
Et tamen intendit, qua ſe ſententia docti
Iam ſenioris agat, ſequiturq; per omnia pacis
Congeries, iungitq; gregem concordia præpes
Paſtorum, nullumq; dolus, nullum ira laceſſit,
Res laudanda quidem pacis innata magiſtris.
Omnipotens vitæ pacis lucisq; repertor
Ambobus vitam per ſæcula multa miniſtret.
Spiritus alme veni, noſtræq; adiungere Muſæ
Vnius vt vitam præſtanti fine capeſſam
Perge camæna, virum quem ſupra, tolle, reliqui,
Nam Wettinus erat celebri rumore magiſter,
Artibus inſtructus ſeptem de more priorum
Cui fortuna dedit ſcholis adnectier illis
Quis gaudere ſolet nitida & laſciua iuuentus.
Sed tamen exterius quantum diſcernere noſtrum eſt
Moribus in caſtis vitam mediocriter egit,
Laudibus ex hominum multas vulgatus ad auras.
Hic igitur poſtquam Dominus deſcendit ab alto
Carnis in hoſpitium ſexto quater atq; peracto,
Octingenteſimo rapidis diſcurſibus anno
Vndecimoq; pij Ludouici Cæſaris, & dum

* Octobcr.

Sexies * Octimber declinat quinque diebus
Adfuit illa dies quæ septima in ordine constat,
Vt sibi moris erat quendam pro corporis haustum
Prosperitate tulit, quod tunc non solus agebat,
Adduntur socij reliquisq; salubriter actis,
Ipse noua ingentes patitur grauitate dolores,
Indigesta v omens, dapibusq; in corporis vsus
Sumendis fastidit ali, iam venit ab ortu
Prima dies, multusq; parum discesserat angor,
Tum reficit non cepta tamen fastidia linquens,
Nec tractauit in hoc vllum se ferre periclum
Mortis, ad hanc vitam quando cibus ille animauit.
Tertia lux oritur noctisq; rotam Hesperus adfert,
Colligitur mixtura virûm, residetur ad escas
Tum fratri non mensa placet, non pabula prosunt

* f. Cedo.

* Cædo locum, compellor enim feritate doloris
Strata videre mea, hæc aliam portate sub vmbram.
Tolluntur stramenta, aliamq; feruntur in ædem
Contiguam cellæ, quam cenatum antè petiuit.
Ergo vbi membra suo componit languida lecto
Conclausis oculis penitus dormire nequibat,
Spiritus ecce doli foribus processit apertis,
Clericus in specie, frontis latuêre fenestræ,
Vt nec signa quidem parui videantur ocelli,
Iam manibus tormenta gerens, capitiq; propinquans
Magna sub ardenti complectens gaudia corde,
Cras torqueris ait, meritumq; rependitur omne.
O mens orba hominum, quo te deducere cæcum
Expetis, & cuius retinentur sidera septem
In palma, hunc inimicitia auersaris amara
Et cum luce cares tenebris circundaris atris
Ille feroxque, rapaxque, minax, mendaxque, sagaxque
Finibus insidians fundo te tinguit auerni,
At Dominus si ductor erit, transmittit Olympo.
Ille igitur dum tanta minans promittit inermi
Turba cateruatim piceum comitata magistrum
Affluxit totumq; locum tetro agmine supplet

Arma-

Armáti velut in bellum curruntq; per aulam,
Structuri angustum pœnalis carceris antrum
Nulla relinquentes fugiendi dona pauorem.
Hic locus insinuat Solymæ quod dixit IESVS,
Ecce dies venient, & tu circundata vallo
Laberis vsque solum, gladio mactabitur infans,
Et lapis esse super lapidem hac strage vetatur.
Vrbs animam; lapides tractatus nempe figurant,
Vallus in angorem positus dinoscitur esse.
Destructor, nam dæmon erit, destructio finis,
Euenit hoc illi, qui notum spernit IESVM.
His actis timor ora premit, pauor occupat artus,
Spes iam nulla fuit nigram vitare cateruam,
Sed diuina cito aduenit clementia cursu,
Viderat in cella Monachos sedisse nitentes
Forma quibus radians, habitusq; ignotus in armis,
Vnus ait, media quem sors in sede locauit,
Res iniusta patet, fugite his sedibus hostes,
Hic homo sumet adhuc huius compendia vitæ.
His dictis velut in vallem cum lympha minatur
Fertur ab aspectu subitis discessibus agmen,
Cessit & anxietas, tandemq; decorus in aulam
Angelus ingreditur fulgens in veste rubenti
Gressibus insistens, sermone acclamat amico,
Te dilecta anima hoc momento visere veni.
Talia dicenti recubans sermone Latino
Subdidit, omnipotens nostris si ignoscere culpis
Dignatur, pietatis opus perfectius auget,
Sin alias, pugno concludimur illius omnes,
Impendat quodcumque placet, sequimurq; libenter.
Nam prima sancti Patriarchæ fronte statuti,
Inde Prophetarum collectio sancta priorum
Sanctus Apostolici demum globus ordinis omnes.
Hi genus humanum multo vexêre labore,
Nunc etiam maiora petit solamina præsens,

Tem-

Colloquio in medio rumpuntur viſa duorum
Nondum verborum, ſed viſus finis habetur.
Euigilat, ſi quiſque ſibi quæſiuit, adeſſet,
Vidit adeſſe duos, cunctis qui ad ſtrata reuerſis,
Forte domum intrabant, quorum tunc vnus in ipſo
Cœnobio præpoſtus erat, meus ipſe magiſter,
Præcipua bonitate vigens & moribus omnes
Præcellens, latitare volens, ſed notus vbique,
Repperit hunc aliumq; domo conſiſtere fratrem,
Accitisq; cauas vtrûm iaculauit in aures,
Quidquid in anguſto cognouit temporis actu,
Palluit ac timuit, carnisq; dolore remoto,
Surgit ab excubitu pronus tellure recumbens.
In patulæq; crucis diſtendens membra figuram,
Iam tota virtute viri, prece poſco frequenti,
Inquit, adorantes, veniam depoſcite nobis,
Intentas formate preces, clementia magna eſt.
Conſpiciunt igitur tanto terrore gementem,
Cantibus inſiſtunt, palmasq; in ſidera tendunt,
Cantantur ſeptem lacrimarum carmina, nec non
Plurima Pſalmorum modulamina firmiter addunt,
Quæ tanta anxietas ſibi continuare requirit.
Tunc ſurrexit humo, lectoq; reſedit anhelus
Expoſcitq; legi ſibi verba nouiſſima ſancti
Gregorij in ſcripto quod noſcitur illius eſſe,
Dialogus, quo multa bonis documenta miniſtris,
Conſtruxit, mortisq; ſitus per multa ſerebat,
Grandis in hoc libro perlecta eſt lectio fratri.
Tunc ait, oro patres componite corpora terræ,
Atque quiete grauem placida releuate laborem.
Et mihi quod reſtat ſpatium concedite noctis,
Corpus vt inualidum ſomno paſcatur inani.
Poſtquam laſſa ſuo proſternunt membra papyro,
Ipſeq; tam diros animæ carnisq; labores
Dum recreare cupit, cælorum è culmine miſſus,
Angelus albato veſtitu venit amictus,
Aſſiſtens capiti, qui viſum in veſte priorem

Purpu-

Purpurea ostendit, iuxta vestigia stando,
Blandaque dictorum præmittit verba suorum,
Laudat & hoc studium, quod confugisset ad almum,
In precibus Dominum, quod lectio sancta placebat,
Tempore quo grauiter terrens angustia pressit.
Hoc seruabis, ait, nec prætermiseris exhinc
In multa quoque est Psalmus perfectior vnus,
Cui virtus moralis inest, post carmina constant,
Septena atque decem centumque, hunc sæpe reflectes,
Lectio quo legitur, psalmique canuntur aperta
Veracique fide, iucundum munus habetur,
Talis & ad Dominum vtiliter deuotio fumat,
Atque serenatum hoc placat certamine Christum,
His igitur dictis assumens Angelus idem
Infirmum, duxitque via præcessor amœna,
Dum vadunt, montana vident, quæ sidera tangunt,
Marmoris in specie pulchro commixta colore,
Quæque in circuitu præcingens igneus amnis,
Ambit, inexhaustos tribuens intrantibus ignes.
In quo multa nimis monstrata est turba reorum,
Inque locis aliis diuersas facta sequentes
Agnouit pœnas, multosque recumbere dudum,
Quos habuit notos, ibi maior & alter in vndis
Ordo Sacerdotum præfixo stipite vinctus,
Terga dedit vinclis, quæ curis carne superbis
Contra quemque stetit, mulier pro crimine stupri
Fomes adulterij, est consors pœnalis auerni.
Tertia cum radios semper produxerit aura
Dicuntur cædi genitalibus artubus ambo.
E quibus ille aliquos sese cognosse ferebat,
Magna Sacerdotum numero pars, Angelus inquit,
Lucra petunt terrena quibusque inhiantur adhærent,
Atque Palatinis pereuntia præmia quærunt
Obsequiis, ornantque magis se veste polita
Quam radiis vitæ, pomposis fercula mensis
Glorificare parant, animarum lucra relinquunt,
Deliciis ducti per scorta ruendo volutant,
Hac ratione alios, neque se defendere possunt,

Peste fameque inopem possent solarier orbem
Si tota virtute Deo sua lucra referrent
Hanc summam mercedis habent, qui talibus instant.
Rebus, vt æternam capiant in finibus iram.
O patres, si pauca addam, ne spernite, quæso,
Quid facit Antistes? in ouile lupus ruit vllo
Non claudente fores, iacet ebrietate sepultus
Pastor adulterium in Domini committere sponsam
Qualiter audebis, thalamum vsque inducere debes,
Regis & ipse thorum prior inuasisse nec horres?
Miror auaritiam sacratum pectus habere,
Cui seruas? resipisce, precor, non nascitur hæres,
Quid cumulas? non quippe tuo sub iure tulisti,
Sed sic dona Dei quæ dispensare iuberis.
Nemo bono obsistit, si rectum velle tenebis.
Quid rapis & vendis Solymorum more columbas?
Valde caue expulsum, Dominus ne torqueat atris
Verberibus, pompasque truci condemnet auerno,
Cur tibi magnus eris, numerum si forte bidentum
Te recolis debere Deo signare potenti
Crebra sub occultum claudis suspiria pectus,
Si non damna doles, verecundia ducat ab igne.
Cumque videbis oues dextra tui, parte sinistra
Esse tuas nuper ductor, nec terga sequeris,
Pro cunctisque lues patiens incendia pœnas,
Nolo tibi ille canat, Præsul sacrate, Propheta
Plebis erit similis stultæ peccando Sacerdos,
Laus gregis esse stude, & cælestia Regna mereris.
Vidit & horrendum, ligni lapidisque opus illic
Materia extructum, castelli more locatum
Ordine confuso, summo atque vapore repletum.
Territus his frater, quærens quis mansor inesset,
Audiit inclusam Monachûm pro sorte cateruam
Purgandi variis patriisq; locisque manentum.
Hos inter speciale tenet discrimen, & vnus
Frater in inlicitum cecidit qui crimen habendi,
Secretas cumulans iniusto pondere gazas,
Roboream ille habuit, quem plumbea possidet arca,

Iudicij

Iudicij vsque diem dubio sub fine vomendum,
Hac se fraude duo primo armauere iugales.
Saphira & Ananias communis vasa pericli.
De quo fratre prius cuidam dum peste laborat,
Annos ante decem similis sententia visa est,
Dum raperetur in excessu,iamque illa vetustas
Diluit,donec memores reuocentur ab isto.
Ille etiam cui nunc patuit,non audiit ante,
Indicat iste locus vitium,quod sæpe notatur
Sæpius hoc Monachis magis ac magis esse cauendum.
Succidique iuuat,quod tantum pondus adauget.
O Monache esse cupis,quod te iam velle negasti,
Diues opum,cui nulla patrum hoc documenta dederunt,
Sed paupertatem cuius pars Christus habetur,
Si vendis Christum,maneat quæ,cerne, gehenna,
Liquisti commune bonum, furtumque peculij
Eligis,haud capies communi sorte coronam.
Tu tamen omnipotens proprios rege ductor alumnos.
His visis celsum cœlo montemque propinquum
Aspiciunt,dum ductor ait,hac arce tenetur
Abbas ante decem corpus qui liquerat annos.
Ventorum in cursus tempestatumque furores
* Vim pluuiæ multumque discrimen ibidem
Abluit incauto quidquid neglexerat actu.
Lætus vt æterni ducatur Regis in aulam,
Deliciasque sacras sanctorum sedis in æuum
Obtineat,pœnaque carens vbi vita sequatur.
Angelus hæc addit,quidam quod Præsul eundem
Deberet precibus factisque iuuare benignis,
Ante dies multos ceu demandauerat ipsi
Legato ostensus,quem tunc per somnia ferre,
Hortatur sibi dicta Patri,sed Episcopus ille
Esse ratus soliti mendacia inania somni,
Ludendo excepit,dispecto fratris amore,
Mente piger,nec corde sagax,succurrere tardus,
Vi tormentorum iam nunc succumbit amare
Sortiturque suas proprio pro crimine pœnas.
Ad quem frater vbi quem dicis clauditur inquit;

* vers. corrupt.

Dixerat ex alia montis male parte tenetur,
At nos quæ paucis dedimus iam somnia verbis
Monstramus per verba viri, qui hæc ipse videbit.
Orsus ait dormire casa squalente videbam
Disposito sedisse loco, quem diximus ante
Abbatem, surasque & crura cruore fluentes,
Labitur in vocem, fili ferdicta patrono,
Respicis hanc ædem, bini coluisse iubemur
Informem socij, duo namque lauare suescunt,
His comites sese nantes in gurgite thermis
Resperguntque domum hanc lethalis pestis odore
Vt miseri istius pellantur ab æde coloni,
Ad loca sanctorum pete mittat vt ille virorum
Deposcens quod gratis agunt solacia ferre,
Reprimere vt possit paries vbi nullus habetur
Immensum fætoris onus, releuetque dolores.
Hæc mi nate precor, non obliuisceris hæc tu.
Post hæc Antistes dum cuncta ex ore ferentis
Audiit, hæc inquit, phantasmata credo fuisse,
Idcircoque fidem verbis non commodo fictis,
Credere quæ renuit, hæc Angelus iste resignat
Quippe quod admonitus functis incredulus extans
Auxilium conferre precis tardaret egenti,
Atque ideo propriis fruitur sine munere pœnis.
Denique quod paucis visum percurrimus odis
Ante nec audiuit qui nunc renouata reuexit,
Et velut ad superos imo deuexit abysso,
Annuit iste locus multum pia vota mereri.
Fidere sed noli, post vitæ tempora solui
Alterius per verba, locos quos colligit ipse
Actibus ex prauis, licet intercessio purget
Crimina multorum, tamen hac securus haberi
Nemo potest, quia quo nescit sua pondere facta
Pensentur, quapropter ego esse mihi vtile dico
Quod gessi purgare prius, sua quemque sequentur.
Contemplatur item quendam lustrante pupilla
Ausoniæ quondam qui regna tenebat, & altæ
Romanæ gentis, fixo consistere gressu

Oppo-

Oppositumq; animal lacerare virilia stantis
Lætaq; per reliquum corpus lue membra carebant.
Viderat hæc, magnoq; stupens terrore profatur,
Sortibus hic hominum, dum vitam in corpore gessit
Iustitiæ nutritor erat sæcloq; moderno
Maxima pro Domino fecit documenta vigere
Protexitq; pio sacram tutamine plebem.
Et velut in mundo sumpsit speciale cacumen
Recta volens dulciq; volans per regna fauore.
Ast hic quam sæua sub conditione tenetur,
Tam tristiq; notam sustentat peste seueram
Oro refer. Tum ductor in his cruciatibus, inquit,
Restat ob hoc, quando bona facta libidine turpi
Fœdauit, ratus inlecebras sub mole bonorum
Absumi, & vitam voluit finire suetis
Sordibus, ipse tamen vitam captabit opimam,
Dispositum à Domino gaudens inuadet honorem.
Admonet hic hominem qui dignis moribus horas
Has seruare cupit, ne quodam crimine cuncta
Perdat, & omne probum fundat vastante ruina.
Talis aquas haurit pertuso vase receptans.
Quodque diu immisit sorbente foramine linquit.
Est labor iste grauis, malus atque miserrimus, ex quo
Semper habet damnum, nunquam mercedis honorem,
Omnibus in rebus, vitam moderetur in aruis,
Qui cupit in cælis regnum retinere perenne.
Illic magnificis conspexit munera pompis
Dæmonis in manibus, iam præsentanda parari
Pallia, & in vasis auri argentiq; metallum
Et lini obsequitur candentia fila caballus,
Plurimus hunc ornat species fulgentis habenæ.
Tum rogat hæc cuius hominum de parte venirent,
Quidq; figurarent, tali sermone rependit
Angelus, hæc comitum sunt per diuersa manentũ
Regna soli iniustè legalia iura regentum
Quatenus huc ducti inspiciant, quod cuncta rapinis
Collegêre, auidoq; minores ore vorabant.
Nomina quorundam manifestè protulit, ex his

Dixit,& hæc nunquam finiri dona,priusquam
Quisque sinum in proprium præuentus morte receptet
Quicquid ad hospitium æternæ transmiserat aulæ.
Quàm vero horrendo comitum sermone profanam
Intulerit vitam,nullus narrare redundat,
Non scelerum vltores Satanæ,sed habentur amici,
Illorum quidam multis stringendo periclis
Afficiunt homines;iustos damnare,reosque
Iustificare viros,contempta lege solentes,
Furibus adnexi,vitiumque per omne sodales
Muneribus capti qui pro mercede futura
Nil faciunt,sed cum quædam sub lege coercent
Debita iustitiæ,furiunt pietate carentes,
Ardor auaritiæ nescit concedere quicquam
Sed totum extorquet,totumque ad tartara mittit,
Accumulans iram cum venerit hora furoris.
Iustitiam nunquam vitam quærendo beatam
Impendunt,& quam gratis præbere videntur
Venalem portant animam pro pignore dantes
Iudicio quosdam iam nunc succumbere dixit.
Dixerat vt Dominus de non credentibus olim
Iudicium sumpsit quicunque incredulus extat.
Iam satis est dictum,felix qui corde reseruat,
Ne sit amor nummi maior,quam mansio cæli,
Grandi abundantes subito comprendet egestas,
O comites,cuius comites perpendite sitis,
Christus ait,quicumque polum conscendere quærit
Debet in angusto gressum configere calle.
Seruus item mortis vestigia lata sequendo
Vergit in æternum miseris ploratibus ignem.
Omnia mittantur,nunc tristes læta tenebunt,
Quos gaudere libet,tristes tundentur in vmbras.
Quod placet ingredere, est melius tunc læta tenere.
Vidit & innumeras diuersa sorte phalanges
De Monachis,gradibusque aliis,populique senatu
De variisque locis longè patriisque remotis
Hos gaudere hilares,illos frendere gementes,
Hos Paradisus habet,discindit tartarus illos.

His visis multisque aliis, quæ scribere longum est,
Quæque stylus currens stricta breuitate relinquit,
Ducitur ad quædam præpulchrę mœnia sedis
Quæ naturali consistere mole ferebat.
Hoc opus immenso nituit splendore coruscans
Arcubus effulgens, variisque ornatibus aureis
Argentique gerens multum structura metallum
Præbuit arte oculis anaglifa pascere mentem
Mœnia quæ tantum latam longamque tenebant
Mensuram, pulchrumque statum, mirabile factum
Altaque per volucres pandebant culmina ventos
Quantum nulla potest intentio mentis * in visum
Claudere tractandi, nec quis sermone fateri
Aut operi tanto veracem optare staturam
Aut decus excellens veris disponere verbis.
Hæc cernunt fratrique sacer tunc Angelus illi
Cras migrabis, ait, vitæ confinia linquens
Terrenæ, tamen interea certabimus ambo
Pro pietate preces sanctis prosternere Christi.
Vt vel parua tuis fiat concessio factis.
Inde beatorum parili venêre volatu
Sedes vsque Sacerdotum, quis fulgidus ordo
Captat onus meriti, iugique potitur honore.
Angelus, hos, inquit, secum dominator opimis
Ditauit meritis, ideo enarrare coronam
Nemo potest, qua quisque nitet, cui Christus obumbrat.
Et quibus officia ornatas præbetis ad aras
Hos rogitemus apud Dominum intercedere pro te.
Tunc pedibus venerandorum subnixus vterque
Vnius illecebras precibus releuare precatur,
Nec mora sanctorum pariter consortia surgunt.
Aggressique thronum Christum petiere iacentes
Vt potius laxare velit quam digna referre.
Tum reboat de sancta vox testudine dicens,
Debuit exemplis multos incendere fratres
Sed torpore madens desiuit ferre laborem.
Hinc responsa silent, vocemque emittere cessant.
Angelus hæc inter, fraterque in parte steterunt

*[margin: * / in visum]*

Eminus

Eminus,& sancti sedes,cum pace reuisunt.
Ipse Dionysium,Hilarium,sanctosque ferebat
Martinum Anianumque suas cognosse fenestras
Qualiter agnouit,quos nunquam corpore vidit?
Sed sperare datur,quod vel sermone beati
Hæc ducis audiret,vel quæ sibi gratia cuncta
Monstrarat,quosdam faceret cognosse silentes.
Tunc hortante iterum gressum ductore retorquent
Ad sedesque viam nitidas presaêre * resuptam,
Gloria Martyribus qua pollet opima beatis.
Credere non poteris speciem numerumque quot essent,
Hos ait,inuictus tulit hæc in regna triumphus.
Hos etenim terris cælesti laude tenetis.
Hos precibus commissa suis tua soluere sanctis
Poscamus,statimque sacra ad vestigia sese
Proiiciunt, citiusque sacer consessus ab inde
Surgit,& ante Dei auratam prosternitur aulam.
Dimitti peccata rogans,vox sede recurrit.
Si quos praua docens peccati felle fefellit
Deque via in præceps * inlex commisit abire
Hos iterum * reuocat, soluentur debita gratis,
Inquiruntque modum,quo crimina soluere possit.
Qualiter ex aliis prauæ miserabile virus
Doctrinæ eximeret,tum vox processit ad illos,
Conuocet hos omnes quorum per inania mentes
Dogmata peruertit,nocuit vel in actibus vnquam.
Aut quibus exemplum dicti,vel præbuit actus.
Quo vitam moresq; suos corrumpere possent,
Et se sternat humo, dicatque per omnia sese
Esse reum,gessisse malè,& docuisse pudenter.
Sic veniam exposcat,statimque astantibus addat.
Vos precor ô nati Domini per numina summi,
Per sanctosque viros, addens,animasque beatas
Cælicolasque omnes repetat, ne crimina quisquam
Hæc vestrum tradatque alij faciénsue docénsue.
En patet alterius quantum qui polluit actus,
Desipiat vel in exemplo seu dogmate prauo
Qui malus est,multos secum inuitare suescit,

* f. resumptam
* illex
* reuocet

Et

Et tamen è cunctis scelerum commercia sumet:
Infelix sua ferre nequit maiora requirens.
Interea à longè bini de parte steterunt,
Ecce Sebastianum magno splendore micantem
Atque Valentinum specie cognouit aperta.
*Inde etiam auerso ducente, cateruas
Virgineas adeunt, vbi splendor luce corusca
Summus adornauit nitidis consessibus ipsas,
Sunt, ait, hæ Sanctæ, quarum sub honore Tonantis
Nomina diuinis colitis famulatibus, ipsas
Pro longa ad Dominum vita præmittere præsta.
Sic ait, & pedibus sese prosternere certant,
Protinus assurgunt, citiusque ad limina pergunt
Celsa throni longam fratri deposcere vitam,
Sed prius orantes quam se prosternere possent,
Obuia maiestas Christique immensa potestas
Eleuat inclines miro splendore nitescens,
Qualis ab humanis cerni agnoscique figuris
Nunquam posse datur, certant vt bella fidei:
Mitis ad astantes Christus dat verba puellas.
Iusta docens si recta gerat, dignumque ministret
Omnibus exemplum reuocans ad mœnia vitæ,
Quos aduersa docens æterno prodidit igni,
Tunc vester præstabit honor quod cuncta remittam.
O meritum sublime tuum sanctissima mater
Virginitas, quæ casta poli terræque supremum
Imperium retines, Domino quæ proxima Christo
Æternam super astra domum inuiolata locasti
Sola quidem celebs tantum cognomen habebit,
Et corrupta tamen si se post crimina saltem
Conuertens anima ad Dominum summissa recurrit,
Præmia certa manent, si nomine in æua carebit,
His igitur gestis facili discedere gressu
Incipiunt, itinerque suum sacer Angelus istis
Prosequitur dictis, quantis humana volutet
Progenies vitiis, ô quis narrare valebit?
Nam licet à Domino numerosa peste laborans
Abscedat genus humanum factore relicto,

*vers. mutilus

Atque iugo Satanæ sua colla grauare sueſcat,
Nulla tamen tanto peccata furore creator
Vindicat offenſus, quàm quæ contraria conſtant
Naturæ, quod quiſque nefas vitare laboret.
Quapropter cunctos nimium certare neceſſe eſt,
Ne ſubeat mater ſcelerum Sodomita libido,
Et Templum Domini mutetur in horrida nigri
Serpentis delubra, quibus ſe degere gaudet.
Sordida non tantum hic morbus contagia præbens
Inficit alternas maribus dum turpiter inſtat,
Commaculatque animas ardente cupidine ſtupri.
Verum multiplici thalamum violare iugalem
Adſolet illuuie, rabiem dum quiſque ſequentes
Luxuriæ inſtinctu violenti dæmonis acti
Naturæ conceſſa ſuis ſtimulante relinquunt
Coniugibus luxu, licitumque in ſtupra calorem
Vertentes Satanæ incedunt hoſtile lupanar,
Vnde tibi iubeo auctoris de nomine noſtri
Iſta palam referens, vt clara voce reuoluas,
Nec celare velis, quantum diſcrimen adhæret
Eſſe ſub inductas mulieres pluribus aptas
Tempore nam quanto tam fœdis ſordibus inſtant
Non capiunt aditus cæli vitamque beatam.
O quicumque malis cupimus nos ſubdere tantis,
Incidat in mentem tormenti pœna futuri,
Dulcis enim eſt animo, carnique inſana voluptas,
Durior heu miſeri grauibus plangoribus ignis
Tunc veniet, cum finis erit, qui quemque ſequetur.
Quæſo probare velis digitum ſi ferre per ignem
Hunc facilem poſſis, certè ſufferre recuſas,
Qualiter æternum tota cum mole calorem
Corporis incedis, quo vermis & ignis in æuum
Conſiſtant vitiiſque vicem dant omnibus atram.
Tunc Wettinus ait, Domine hæc proferre paueſco,
Vilis enim perſona mihi eſt, nec congruit iſti
Iudicio, quod ad humanas tranſmittimus aures,
Angelus è contra magnam promotus in iram
Incuſat, quod ſumma Dei ſententia iuſſit,

Non audes proferre pigro torpore retentus.
Tum satis ammonuit proprios componere mores,
Atque suam radiis vitam inlustrare beatis,
Adiungens; ego sum, qui te seruare iubebar
Angelus & custos rerum persisto tuarum.
Quem scriptura vetus Samsonem vulgat in orbem,
Huius in auxilio semper mansisse solebam
Et miranda fauente Deo compleuimus ambo
Quem mandante Deo primo comitabar ab ortu,
Donec per Dalilam in Domini procurreret iram
Venderet & scorto auctoris sacra munera Christi,
Quo scelere infectus Dominumque Deumque reliquit.
Tunc ego discessi vitiis offensus ab illo.
Ergo puer benè castus eras, mihi quippe placebas,
Sed postquam propriis cœpisti viuere votis
Displicuit tua vita mihi, nam prauus abisti.
Nunc iterum placido temet complector amore
Mærentem lacrimis, & toto corde reuersum.
Cœlicolas hominum custodes esse sacrata
Scripta ferunt, Dominusque docens ostendit IESVS,
Ante Patris faciem stantes seruare fideles
Atque liber Pastoris opem demonstrat eandem.
Cœnobiis etiam Monachorum valde monendum est
Angelus adiunxit, vitij vt radicibus omnis
Abscissis, vireant virtutum germina pulchra
Maior enim numerus mundanis rebus inhæret
Quàm qui se stimulante Deo monitisque supernis
Hæc ad castra ferant, vitamque fideliter ornent,
Nescit enim carnalis homo, quod Spiritus almi est.
Viribus idcirco totis certare necesse est
Carnalis ne turba premat sacra dogmata vitæ,
Pondere neu scelerum frigescat pignus amoris,
Æterni, qui plura tenet spe pectora sancta,
Vulnus auaritię medicamina sancta repellant,
Qua dominante humilis fit nemo in nomine Christi:
Vnde polum penetrare potest, cui cura subintrat
Ingluuiem vitare cibi potusque monemus
Sufficiens & parua quidem sit * pensius victus, *f. pensio

Optimus vſus aquæ,dedit hanc natura bibendam,
Tegminis ornatus mutetur vt algida tantum
Frigora depellat,nudosque vt contegat artus,
Mens humilis vigeat ſtudiis non perdita fictis,
Deſerat & totam peruerſa ſuperbia mentem,
Nam quidam flexa placidi ceruice videntur,
Erecto ſed corde tument,falſique probantur,
Pulcher Apoſtolicæ vitæ peruertitur ordo,
Cum vitiis variis virtutum iura premuntur,
Et dum ſub ſpecie pietatis culpa ſubintrans
Aſſiduè creſcens,proprio retinetur in vſu,
Iam velut ex lege ad iuſtos deſcribitur actus,
Idcircò occiduis homines in partibus huius
Ordinis inſtruimus, quos Gallica rura tenere
Nouimus,& cunctos,quos hæc Germania gignit,
Pauperiem vt veram deuota mente ſequantur.
Ianua ne cæli contra claudatur iiſdem
Indeque depulſi pereant ſub faucibus ignis,
Qualiter omnipotens hominum ſator atque redemptor
Per me terribili cunctis ſermone remandat.
Hæc ſatis eſſe videns illis nihil addere poſſum,
Qui vitæ meritis debent præcellere cunctos,
Qui mundum fixiſſe ſibi,mundoque refixi
Famantur,quod quippe Deo promiſimus omnes.
Scimus enim documenta patrum,fineſque viaſque,
Quotidie crepitant librorum verba per aures.
Impugnat mundus, felix qui fugerit illum
Et poſt terga oculum qui mittere vitat in æuum.
Quantaque fœmineis naſcantur damna cateruis
*Quo ſeruire Deo Monachorum more ſueſcunt
Angelus exponens,quam plurima dæmonis,inquit,
Lucra virent,lucrumque Dei tepor occupat ingens
Ordine confuſo, mulier dum mortua viuis
Præfertur,quia delitiis viduata marito
Sufficiens, functa eſt, prohibent quam viuere gazæ
Subiectæ,& viuæ mortis confinia ſumunt,
Dum factis peruerſa ſuis exempla ſequuntur,
Sic perduntur opes, quas congeſſere fideles.

*qua

Ad

Ad conseruandum ius virginitatis honestæ
Accipit has sitens labentia gaudia mundi
Inque voluptatem fert sobria dona nefandam.
Viuit enim virgo, mortem scelerosa subibit.
Denique iam viduæ capiunt dum iura regendi
Subuertunt prauam iusto molimine vitam,
Sordibus è solitis paucæ se demere possunt.
Sed neque concubitu quædam cessare probantur.
Sic seducta cohors sequitur per cuncta magistram.
O Princeps qui tale malum iunxisse videris,
Da castis castas, aliud viduata receptet,
Non equidem prodest multorum perdere mores.
Creditur en mulier melior quam masculus esse.
Accipit illa gradum, raro est lex ista virorum,
Vt nupto citius dentur loca sancta regenda,
Confusum natura modum discernere poscit.
Frater item quærit vbi dogmatis illa moderno
Staret Apostolici perfecta in tempore norma?
Partibus ex aliis salsi maris, inquit, habetur
Ille rigor, veterumque viget constantia Patrum.
Qui paupertatem variis sine rebus adepti
Terreni nihil inquirunt, quod vota retardet,
Sicque penetrantes cœlorum Regna capessunt.
Felices patriæ, quarum de cespite surgunt
Optima gemmarum cœlo ornamenta nitentum,
Auxilium Patriæ, meriti decus, orbis honestas.
His dictis iterum verbum sacer Angelus infert.
Crimine de veteri Sodomæ, quod rura necauit,
Cætera namque semel vitia execranda monebat,
Hunc autem morbum, mores animasque nocentem
Dæmonis instinctu, naturam perdere promptum,
Quinquies admonuit aut amplius esse cauendum.
Tum frater rogitat, numerus cur tantus obiret,
Pestis in exitio, plebis populique fidelis.
Hæc, ait, ex factis homines commercia prauis
Accipiunt, damnatque reos sententia grassans,
Significatque diem mundo properare futurum,
Terminus vt tandem ponatur in ordine sæcli,

Ecce dies veniet, nostrum sit quisque paratus
Ecce venit Dominus, nostros vt congreget actus,
Iam vigilare decet, veniens vt quemque coronet.
Præcipue admonuit diuinis laudibus omnes
Conatu seruire bono, studioque sagaci
Præcipiens, vt nemo graui torpore subactus,
Negligat assiduas Domino persoluere laudes,
Ecclesiæque decus celebretur vt ordine sancto;
Sollicitus propriam quærit quicumque salutem,
Hæc agat, & sese poterit subducere flammis,
Non eget his Dominus, sed nos vt agamus, egemus.
Quin etiam quondam comitem sacer ille Geroldum
Angelus asseruit, requiem captasse beatam,
Martyribusque parem, quo gloria summa beatis
Ciuibus æternæ reddit dulcedinis haustum,
Et quando zelum Domini conceperat, inquit,
Gentibus infidis Christi defendere plebem,
Congrediens, huius sumpsit dispendia vitæ,
Æternis ideo meruit fulgere trophæis,
Munera perpetuæ capiens ingentia vitæ
Hic vir in hac patria summa bonitate nitebat,
Moribus egregius, verax, mansuetus, honestus,
Cui regina soror Ludouici cara genetrix
Hildigardis erat, parili bonitate venusta;
Viribus ille potens, sanctoque potentior actu,
Defuerat soboles, pariterque & defuit hæres,
His igitur verbis sese compescere cœpit,
Denegat hæredem Dominus manet ipse superstes.
Quod dedit, accipiet, Mariæ commendo beatæ,
Sic votum factis sequitur, magis omnibus isti
Profuit ille loco, cuius nitet Augia donis.
Bella mouet Carolus, duros tum Cæsar in Hunos
Hoc cecidit bello, populo certante, Geroldus
Tunc Dominum famuli lacrymis sumpsere referti
Hucque reportatum tam longa per auia corpus
Insulanensis humus contexit in æde Mariæ.
* Hæc & plura videns numerum pene recusant,
Quæ festina manus currens intacta reliquit,

* vers. mutilus.

Exper-

Experrectus item, iam cæca silentia noctis
Nuncius excussit lucis resonando per ædes,
Fratribus accitis, quos pernoctasse videbat
Excubiis secum, trepidans multoque timore,
Permotus, cecinit narrans ex ordine visum,
Secretumque latens auidas effudit in aures,
Poscit & vt veniens sermones protinus ipsos
Abbas excipere, & scripto mandare iuberet.
Talibus astantes compescunt verba loquentis;
Nunc solito fratres meditantur in ordine noctis,
Incumbuntque preci, nunc claustra silere necesse est,
Non audemus enim nos hæc turbare, vel illi.
Vos ait interea molli depingite cera,
Vt fulgente die citius manifesta patescant,
Ne lingua torpente palam depromere visa
Non possim, quæ tam grandi sub mole minarum
Sunt iniuncta mihi manifesta voce canenda.
Et cunctis liquido citius dicenda boatu.
Vt timeam si forte tacens dimisero quicquam,
Me veniam nec habere, graui stringente reatu.
Vltima virgineæ turbæ intercessio, memet
Liquit in ancipiti positum, nam nescio qualem
Implorasse Deo vitam præstante putemus,
Vtrum perpetuam, vel temporis huius amaram,
Si mihi defuerint præsentis commoda vitæ,
Ecce procul dubio, mortem cras corpus habebit,
Dux meus hæc dixit, cuius mihi sponsio certa est.
His igitur verbis fratres hortatus eosdem,
Expediens iterum iam dicta retexere cœpit,
Illi continuo tabulæ impressere liquenti.
Laudibus interea Domini iam rite peractis,
Abbas adueniens aliis comitantibus intrat,
Nam solitus compellit amor refouere iacentem,
Assistunt propius, secretum infirmus adoptat,
Discedunt reliqui, remanent ibi quinque sedentes
Primus erat Hetto, Erbaldus fuit inde secundus,
De quibus in primis modicas contexìmus odas,
Tertius ipse tacens sapienti corde magister,

Quar-

Quartus erat senior, multis prouectus in annis.
Theganmar Domini famulus, cui longa senectus,
Contulit æterno venerandos munere canos,
Grandis honor capitis, maior sapientia mentis,
Confessor fratrum, gnarus conferre medelam,
Moribus antiquos sequitur sine crimine patres.
Quintus adest Tatto, cui gratia magna benigno
Contulit eximios vitæ perducere mores,
Nempe palatinas puer est translatus ad aulas
Sed Christi feruore calens, mercede sodales
Seruitij gaudere suos dimisit, & istud
Cœnobium ingrediens, Monachum se lege ligauit,
Hoc recolens, quod prima inibi documenta recepit,
Est hodieque probus, felix, spectabilis, aptus,
Gaudeo quod tali mereor parere magistro
Cuius ob auxilium, præsens me continet ætas.
His etenim quinis, visa atque audita patenter
In verbis scriptoque simul quod nocte notauit
Veloci currente manu, narrando resignat,
Et surgens prostratus humi, commissa remitti
Poscit, & orantes Dominum placare tonantem.
Commendans arcana Dei, si morte fuisset
Raptus, vt in lucem verbo scriptoque tulissent,
Sin alias prodenda sibi dimittere poscens,
*Nam cupit patulis totum famare per orbem
Faucibus, & cunctas hominum vulgare per aures.
Denique vita manens, si corpore staret in isto,
Vlterius voluit strictam perducere vitam,
Vt potaret aquam, mergentia pocula nunquam,
Pluribus adiectis quæ nunc exponere longum est.
Inspiciunt vultus, nec pallida forma videtur,
Non macies fœdat, nec membra dolore rigescunt,
Attrectant venas, viuo quæ sanguine gaudent,
Nec signum lethale vident, mortisue periclum,
Fidentesque animo, vitæ compendia spondent
Præsentis, mortemque procul discedere dicunt.
Ille quibus responsa dedit, quæ protulit ante,
Crastina namque dies animam de corpore pellet.

*f. namque.

Taliter ergo diem frater consumpserat illam,
Instantemque rotam noctis dieique sequentis
Exponendo metum, grauida de carne recessus
Suspirans, gemitusque imo de pectore fundens,
Fratribus, & cunctis sese committere certans
Ad multosque Breues rogitans direxit amicos,
Vt sanctis precibus veniam implorare studerent.
Has ego conscripsi manibus quibus ista notaui.
Denique cum primum radios produxerat aura,
Me vocitare iubet, residensque infigere ceræ
Præcipit, atque Breues bis quinas dictat, eisdem
Sensibus adnectens, quas hic signare studemus,
Vt perfecta fides cunctis lucescere possit,
Nempe decem fuerant, quarum conscriptio talis.

Venerabillimo in Christo patri ILL. VVettinus iam deuotus vester æternam in Domino salutem. Scripsi vobis in mortis periculo, & quia iuuentus adhuc floruit, de alio sæculo meam infirmitatem consolare dignemini, vt huius corruptionis mole deposita, ibi quoque grauitate pœnarum non constringar. si ad vsq; centum Missas, centumq; Psalteria peruenerit oratio, erit merces certa. Vale, quem iam non mereor videre.

HVNC finemque Breues iussit firmare per omnes,
Quod dum commutans aliter conscribere vellem:
Dixit, vt haud dubiis possem sic dicere verbis.
Nescius hoc scripsi, penitusque stupore mouebar,
Quippe diem totum soli transegimus illum
Nunc legimus, nunc membra iuuat componere lecto,
Me sopor oppressit, vigilem non contigit illum,
Orat in excubitu, surgit graditurque valenter,
Vesper adit, tandemque mihi est sic ore locutus,
Vade puer, corpusque cibo releuare memento,
Proque labore tuo, grates digneris habere.
Discessi noctemq; minans Sol vergit in æquor.
Iamque poli pingunt fulgentia sidera centrum,

Adueniunt fratres, sistuntque in domate multi.
En ait incumbit metam finire supremam,
Carnis in exilio terram terræque recondi
Omnimodis petimus sacras protendite palmas,
Instantesque preci, nostrum defendite finem,
Res inuisa quidem, psalmos prior omnibus ille
Antiphonasque, velut quidam pręcentor adorsus,
Principium cuiusque suo depromit ab ore.
Finitis igitur concentibus, ille parumper
Respirat pauidus, fratresque ad strata recurrunt,
Surgit & huc illucque viam deflectere tentat,
Æstuat agnoscens velox quod transitus instet,
Decidit in lectum Christi mysteria sumens,
Clausit & extremam vitæ mutabilis horam.

En venerande pater calcem compulsus adiui
Cuius principium horror adire fuit.
Non ignoro quidem vitiis sordere camænam
Extortos apices protege si valeas.
Ales enim quæcumque suas pręcurrere pennas
Cogitur, ex superis corruit ima petens.
Nil prodesse scio, tamen est parere necesse,
Hoc potius Dominus quam sacra thura cupit.
Vestra sequens humilis famulus mandata peregi
Ætate & sensu, impar ad istud opus.
Ne reputes non posse meum, sed velle videto,
Atque bono vigeas longa per æua statu.
Amen.

Ad Grimaldum Cappellanum de morte VVettini.

SCRIBERE nulla iuuat, scriptor quia noster obiuit,
Qui noua pectoribus monstrauit dogmata nostris,
Ædificare volens, longum stabilita per æuum
Tecta, sed indomita præuentus morte, nequiuit,
Culmen in aërios templi sustollere cursus,
Forsitan indigni fuimus sapiente Magistro,
Sed licet hunc cælestia non dubitemus adisse,

Absces-

Abscessisse tamen, nosmet deflere necesse est,
Primus hic incultis mandauit semina sulcis,
Vt collecta seges, gereretur ad horrea Christi.
Mercedem & propriam præclarus haberet arator,
Hoc studium fuit, hoc votum, hoc etiam ipsa voluntas,
Plangimus interno compuncti corda dolore,
Flemus agrum, subito tanto cultore carere.
Et specialis ego, ingeminans connecto lacertos
More orbatorum, placidum deflendo patronum,
Sæpe quod adiungo alterius ploratibus, vnum est,
Quod nullus magni profertur dogmatis hæres.
Prædia tanta vacant, nullo vineta colente,
Deperit absconsæ sapientia mentis ab vsu,
Dicitur, heu misero, qui dum cadit, ipse leuantem
Non habet, ille iacet cuncto miserabilis orbi,
Tu fratris deserta tui iam semina profer,
Non torpore vacat, sancta quod lege iubetur,
Est sed fructiferum, si quis sub lege potitur,
Decidit ille mihi, vicibus nemo illius astat.
Fercula pulchra dedit, victum quis porrigit artum?
Vestibus ornauit, præbet quis tegmina grossa?
Innumerisque bonis, meritum superauerat omne,
Quis mihi nunc misero verbum demonstrat adhortans?
Annales memorare dies, mortemque notare
Quis cogit? nisi sollicita sub mente retractet,
Proximus esse sibi iussum de nomine Christi,
Ne fraterna suo tollatur ab ordine proles.
Hæc iam dicta legas, pater optime, corde receptans,
Ex hinc esse mihi dignare affabilis, atque
Rebus in occultis nostrum solare dolorem,
Scintillam portamus enim, quam si quis adauget
Multiplicabit opem veniarum fine futuro,
Adueniens sua dona Deus cum pace requirat,
Multorum quod sancta ferant tutamina nobis,
Inter conuiuas residens * ducesque cateruas
Audiui cupidus prisci conuiuia cœtus,
Qui pascente Deo meruit saturarier ipso
Panibus ex quinis, tum piscibus ordine binis.

* f. dulcesque

Quæ cum re facta pandunt mysteria certa,
Assunt & nobis per suauia dona creantis,
Panes, pisciculi, blandi quoque copia musti,
Semper vbique suis quia dat solatia seruis,
Omnia qui condens renouat percuntia clemens.
Interea dulcis fertur mihi normula piscis,
Asconis calidi, sequitur vas denique musti,
Optatum & calidum large de principe missum,
Abbas quod . . . . transmisit laude colendus.
Quem quàm laudarem, si tantum tempus haberem.
Quod mox vt cepi, subierunt organa signi,
Quod Christi solitum monuit persoluere votum,
Quem dum tempus erit, gaudens mea Musa sonabit,
Centuplicatque modos, spatij quos deserit exsors.
Interea valeat, felixque per omnia surgat,
Lętus & in terris, superis lætetur in oris.

De singulis Festiuitatibus anni ad quendam.

In Natiuitate Christi.

NATVS enim est hodie mundi sator atque redemptor,
Christus de Maria Virgine factus homo:
Vt nos consortes sanctæ deitatis haberet,
Mundatos vitiis, & placitos meritis.

In Octaua Domini.

ACCIPIT & nomen iam circumcisus Iesus,
Vt mundatus homo sit soboles Domini.

In Epiphania.

MVNERA suscipiens dignis apparuit ipse,
Sic pius adueniens munera nostra videt.

*In * Yppapanti.*

* *Hypapante.*

QVIS sine peccato in templo est oblatus ad aram,
Nos peccatores ad sua tecta vocat.
Cuius mater adest, mater sed virgo perennis
Permanet à nato glorificata suo.

In Septuagesima.

ECce paramur enim ventura ad festa colenda,
Moribus in sanctis corda parare iuuat.

In Quadragesima.

EXemplo Domini ieiunia corporis extra
Incipimus, mentes abstineant vitiis.

In Palmis.

OBvia turba pio strauit sua tegmina Christo.
Nos vt in his sedeat, corpora nostra damus.

De passione.

ILle crucem, plagas, alapas, sputa aspera passus,
Ostendit quanta te tolerare decet.

De Resurrectione.

TArtara despolians, deuicta morte resurgens,
Vt te viuificet, quem iacuisse videt,
Mortuus est vt peccatis moriamur ademptis
Surgit vt in vitæ limine constituat.

In Ascensione.

AScendit cælos sumpto per sæcla triumpho,
Vt nos victores sidera ad alta vocet.

In Pentecoste.

SPiritvs ad terras Domini descendit in igne,
Qui dat Apostolicis ignea corda viris.
Illos quippe suo refouet tutamine præsens,
Quorum ardere videt, casto in amore animos.

In Natale sancti Ioannis Baptistæ.

EST hodie natus sanctus Baptista Ioannes,
Cuius nos precibus dextra iuuet Domini.

In Natale Sancti Bonifacij Archiepiscopi.

GAVDIA præsentis Bonifaci sanctę diei
Nos saluent Domino dante tuis meritis.

In Assumptione sanctæ Mariæ.

VIRGO Dei genitrix de corpore ducta pudico
In requiem Domini transiit ecce sui.
Ad quam nos precibus transire iuuantibus eius
Æternæ proles virginis alma velit.

De Apostolis.

HI sunt quos toto diuina electio mundo
Elegit primos, prætulit atque gradu.
Quorum non fidei semper præcepta sequentes
Illorum precibus regna poli accipiant.

De Confessoribus.

HOs perfecta suo seruans confessio Regi
Fecit in ætheria consocios requie.
Exemplis quorum dictisque in pace manentes,
Instruimur summæ pacis amare viam.

De Martyribus.

SANGVINE qui proprio cælestia præmia adepti
Quæ sibi retribuit retribuente Deo.
Nos tolerando monent, facilè pretiosa subire,
Pro Christo opprobria, quæ sacra regna parent.

De Virginibus.

FORTIS in infirmo viguit constantia sexu
Quæ sibi virgineum copulat officium.
Nosque monemur in hoc mundi si incursio desit,
Saltem cum vitiis mens pia bella gerat.

In Natale sancti Martini Episcopi.

ISTE Dei sanctus doctor venerabilis orbi
Vitæ exempla dedit, adiuuat & precibus.

Hæc

Hæc quicumque legas, veniam depoſcere Strabo
Sis memor, & cunctos hos voca in auxilium.

Hymnus de Natali Domini.

GLORIAM nato cecinêre Chriſto,
Angeli, famam retulêre, clara
Voce paſtores, noua concrepabant
Gaudia mundo.
Laus in excelſis, pia pax in aruis,
Dicitur magnis celebranda votis,
Omnis aduentu Domini mouetur
Machina rerum.
Virgo conceptu grauidatur almo.
Coniugum mutæ ſterileſque fibræ
Iam vigent donis vteri, prophetat
Carcere vates.
Splendidam cæli faculam dedere,
Mouit ardorem, ſacra lux Magorum,
Territant ſæuam noua Iudæorum
Nuntia plebem.
Sera longæuus Simeon videndo
Vota, tam longe prius expetitam
Prædicat cunctis Domini ſalutem,
Patris adeſſe.
Anna iam natu grauior repente
Lucis attactu penetrata ſanctæ
Quod diu traxit toleranter æuum
Læta peregit.
Martyrum flores ferus interemptor
Milibus multis, auidè cruorem
Quæritans Chriſti cruciat malignæ
Frigore mentis.
Ergo quam noſtræ caput optionis
Nouimus lucem celebrare plenis
Gaudiis, omni ſtudeamus almæ
Pacis amore.
Editus ſacro Patris ore ſemper
Virginis caſta voluit ſub aluo

Arta naturæ tolerare factor,
Munia nostræ.
Virgo portantem veneranda portat,
Lactat altorem, vehit & parentem,
Spiritu prægnans operantis in se
Mater opusque.
Veritas terrâ pietasque nata est.
Soluit & primæ maledictionis
Damna, pro spinis tribulisque fructum
Terra ministrat.
Fructus hic terræ, prius à Propheta
Valde sublimis fuit indicatus,
Qui greges sanctos saturare viuo
Pane valeret.
Hic sub humana specie coruscans,
Vile præsepis voluit cubile
Ferre, quo sese dare nuntiaret
Pascua pastor.
Gaudeat cæli chorus, vt creator
Eius antiquum numerum nouaret,
Ipse descendit, simul & superbum
Sterneret hostem.
Terra lætetur, radiata tanti
Luminis tractu, genus & redemptum
Vota gratanti voueat feratque
Debita mente.
Christe regnorum dominator auge
Principi nostro decus & triumphos,
Eius & prolem bene cum pudica
Coniuge salua.
Sponsa quo felix tua sub patronis
Polleat tantis merito locoque
Præminens mundo, maneatque longa
Pace fidelis.
Christe da nobis tua iussa vero
Corde sectari, simul & beatis
Actibus, vitæ nitidum mereri
Stemma perennis.

Præstet

Præſtet hæc nobis deitas beata
Patris & nati, pariterque ſancti
Spiritus ſumma pietate regnans
Omne per æuum.

Hymnus de Agaunenſibus Martyribus.

FELIX Gallia fortibus trophæis
Vbertate ſoli, virum nitore,
Regni nomine purpurata magno
Romanæ ſoror vrbis atque conſors:
Hæc inquam melius dicata Chriſti
Signis illita Martyrum cruore
Excellentius has togas frequentat,
Quas non impius inquietat hoſtis.
Theſauros Rhodani quidem fluento
Vallatos colit Alpibus ſub ipſis,
Sed non ſola tenet decus ſacratum
Quod toto liquet eminere mundo.
Magni Mauritium loquor rigoris
Cum quo *Candidus, Exſuperiuſque,*
Armorum comitis fidem ſecuti
Iuuerunt ducis optimi calorem,
Thebææ legio beata gentis
His concredita lege militari
Veri militiam ſecuta Regis
Vexillo crucis impediuit hoſtem.
Nullas ſontibus intulere cædes,
Quin ipſi gladiis Deo immolati
Quam terris Orientis imbiberunt
Caſtris Occiduis fidem recludunt.
Auget crimina ſæuus Imperator
Quem nec carmine nominare dignum
Dum ſanctos iubet idolis litare
Nolenteſque necem ſubire mandat.
Dux primus ſocios ſimul coactos
Hortatur ſtabilem tenere mentem,
Nullus deficiat timore. Nemo

Perturbetur, ait, demum sequamur.
Armis iam satis hactenus caducis
Hostes strauimus æmulante dextra,
Nunc virtute animi domandus hostis
Maior, maior enim corona restat.
Nec dilata diu fatigat ergo
Merces stemmatis, ecce laurearum
Pugnantes hodie trophæa vosmet
Si vincatis apud demum manebunt.
Perstant intrepidi, loquuntur ore
Vno, præcipe Cæsar expeditos
Pro tutamine publicisque rebus
Depugnare viros, obediemus.
At si forte Deo cupis relicto
Nos seruire tuis profane diuis,
Te contemnimus & seueritatis
Tentamenta tuæ, minasque viles.
Iam nunc rumpe moras, abi satelles,
Hæc conamina nuntia tyranno,
Exurat, perimat licet necetque
Lympha fluminis, aut secet lapillis.
Stant inflexibiles, manentque fixi,
Non dant liba diis, genuue ponunt,
Rex & conditor est quibus per æuum
Christus viuere, commorique lucrum.
Hæc postquam ferus impiusque lictor
Crudeli domino relata perfert,
Commotum scelus, ardet incruentis
Statim pectoribus, magisque totum.
Hanc inquit grauibus notam querelis
Mecum vix tulerim quod ordo nostri
Tales officij remandat ausus,
Exemplum dabo iam per hos futuris.
Miles perge, neca viros proteruos,
Et primo decimum recide quemque
Sic saltim mea iussa pertimescent.
His actis calor inuenitur idem.
Instaurat reus integratque cædem

In totumque mouet gregem machæram,
Certat se pia præuenire turba,
Serum quisque sibi putat, quod instat.
Cæduntur gladiis, replentur ipsæ
Valles corporibus, fluuntque riui
Sacri sanguinis, ipse per cruorem
Sanctorum, Rhodanus sacratus exit.
Hinc iam nobilior, suoque maior
Excursu, mare cum decore magnum
Maiori petit, omne Galliarum
Regnum de nece Martyrum coronans.
O quàm nobilis vnda, quæ beatas
Soluens exequias, lauare plagas
Et secum meruit sacrata ferre
Et se copora possidere circa.
Quæ pridem leue nomen indicabant
Felicis loca iam placent Agauni,
Angustos aditus refulget inter
Quod miratur amans quadratus orbis.
Postquam carnifices scelus peractum
Clauserunt, epulis dedêre sese,
Inter funera pro dolore luctus
Ausi lætitiam sequi iocosam.
Ad conuiuia mente saniori
Peruenit stupidis senex medullis
Victor, cur geris, inquiens, malignas
Miles gaudia, stragis in cruore?
Iussit prouidus Imperator aiunt
Omnem militiam Deos colendo
Complacare sibi, quod hæc rebellis
Nolens turba luit furore pœnas.
Suspirans senior, quid, inquit, istam
Ætatis seriem miser peregi?
Quàm vellem, optio si daretur, inter
Hos finire pios grauem senectam.
Dicentem rapiunt, senem trucidant,
Fit Martyr sociusq; candidati
Cœtus, & quibus ante concupiuit

Iungi, protinus additur maniplis.
O summis pia laudibus colenda
Sanctorum legio, cruore lota
Quam perfectior omnibus figuris,
Hoc senarius ordinat decore.
Nam sex milia sexiesque centum
Seni tum decies semelque seni
Dicuntur, numero fuisse pleno.
Nil sanctos melius potest decere.
Tanto munere gaudeamus omnes
Qui cœli super astra nos patronos
Tot confidimus inclytos habere
Quorum oratio quod petit meretur.
His si seruitium fidele cures
O *Chonrade* pater mihi colende,
Totis viribus exhibere, iugis
Te per grandia facta pax sequetur.
Nam quamuis miser atque criminosus,
Sim, credo tamen hoc labore paruo
Sanctorum meritis diu petitam
Strabonem veniam à Deo mereri.
Sanctæ gloria magna Trinitati
Sit per sæcula cuncta, laus, potestas,
Virtus vna, salus perennis, ipsa.
Semper nos prece Martyrum coronet.
Amen.

DE MARIA VIRGINE.

SIt Dominus tecum, semper tua gratia mecum
Pacis & indicium, porrige daque manum.
Ad te clamantes lacrimis & voce precantes
Auxilio tutos, vndique redde tuos.
Exhilara tristes, solare piissima flentes.
Nostraque turbata tergito pace tua.

Versus

Versus in Aquisgrani Palatio editi. Anno. Ludouici Imperatoris. XVI. De Imagine Tetrici.

Strabus.

CVR non dulce decus quando se contulit hora
Et ver floriferis lætum se subrigit Austris,
Magnus & ardentem gradibus legit æthera Phœbus,
Iam spatiis creuere dies, dulcescit & vmbra,
In flores partusque nouos, & gaudia fructus
Herba recens arbos datur, & genus omne animantum,
Quod mare, quod siluas, quod rura, quod aëra tranat,
Quærere me pateris, te respondere petitis?
Discere namque mihi votum, tibi dicere promptum.

Scintilla.

NEc te credo latet veteres quo more poëtæ
Digna diis terrisq; canebant carmina magnis,
Aut etenim abrupti montis iuga sola sequentes,
Aut specubus, fossis, aut saltus valle remoti,
* O magnum pharetrata echonem voce ciebant.
Hirta suis hederis circum bene tempora * cincta,
Teste nemus, testesque feræ, timidæque volucres,
Mens secura, procul furibundæ crapula curæ.
At nos pro syluis, hederis, echone, coturno,
Immanes omni ferimus de parte tumultus,
Et vix ipsa luto subducit pupula sese,
Stercoribusque nouissima pro pudor omnis inhorret,
Hinc detractorum sonat, illinc clamor egentum
Nudaque tergoribus sordescunt crura nigellis,
Has vnquam Musæ si dilexere nigellas,
Stercora, clamores, cænosa fluenta, tumultus.
Respondere tibi nequaquam differo, sed si
Pauca loquar, quia deest locus, argue lenius oro.

* *vers. corrupt.*
* *cincti.*

Strabus.

PRimvm nosse velim, iuxta quam sæpe viamus
Cur sit imago, suis sic effigiata figuris.

Scintilla.

TETRICVS Italicis quondam regnator in oris
Multis ex opibus tantum sibi seruat auarus,
At secum infelix, piceo spaciatur auerno.
Cui nihil in mundo, nisi vix fama arida restat.
Quamquam thermarum vulgus vada præparat olli,
Hoc sine nec causa, nam omni maledicitur ore,
Blasphemumque Dei ipsius sententia mundi
Ignibus æternis, magnæque addicit abysso.
Quam statuam viuo artifices si forte dederunt,
Credito blanditos insano hac arte leoni,
Aut etiam quod credo magis, miser ipse iubebat
Hæc simulacra dari, quod sæpe superbia dictat,
Infelix nam nullus erit, nisi deserit ipse
Scire quod est, audens sese quod credere non est,
Curribus atque in equis noris si stare superbos
Non quod sedit equo, tecum miraberis vmquam.

Strabus.

CERNIMVS aërias simul aduentare columbas
Terque die, exorta, media, & vergente venire,
Talia non vanis addam spectacula rebus.

Scintilla.

NONNE vides humiles sæuos quasi amare tyrannos?
Non ex corde tamen, sed enim pro temporis huius
Pace, petunt pastum, non nidificando quiescunt.

Strabus.

CVR dextra de parte, nolam gestare videtur
Nudus ob hoc solum, puto vt atra pelle fruatur.

Scintilla.

ETSI non caneret, nequaquam pelle careret,
Quam semel induerat, sed erit quod dicere possis,
Flagitiosorum certe præconia, summis
Laudibus accelebrant, omnis virtutis egentes,

Verius,

Verius vt dicam, dat nudo opprobria nudus.

Strabus.

SI quid in his aliud, nobis edicito, nosti.

Scintilla.

FVLGET auaritia, exornatis aurea membris,
Spicula fert quæ sæpe latus pulsare pigrescens
Sufficiant, solidisque accendant corda rapinis;
Aurea quod regnat stipata satellite nigro,
Non aliud portendit enim, quam quod mala quantùm
Luxuries quosdam, sensu distendit auaro:
Tantum pauperies alios deuastat adurens,
Quam subter labuntur aquæ, quia teste Poëta,
Semper auarus eget; quod desunt frena notabis,
Quodque super lapides plumbumque & inane metallum
Currit equo, signat se pectore belua duro,
Corde pigro, sensuque cauo regnare superbam.
O pestis sine fine nocens, non sufficit omnem
Peruolitasse orbem bellis, & cæde potentum,
Quin etiam faciem præclara palatia contra
Christicolasque greges, videas posuisse nefandam,
Ante pedes ternos parentibus vndique neruis,
Ille tuus sonipes, vacuum super aëra nando
Tollet, & albentes monstrabitur inter olores,
Quam pia corda tuis * macules vis pessima telis. *macul as.
Iam tamen ipsa pedem vanis conatibus vnum,
Optima nequaquam contra consulta leuasti,
Nam quotiens procerum tibimet coniungere quemquam
Es conata, tibi totiens aut obuia mortis
Ex insperato venere repagula nigræ,
Aut cautela patrum, quos arx sanctissima semper
Substituit, pestem monitis compescuit atram.
Deficiat quorum sceptrum de semine nunquam,
Donec in igniuoma veniet Rex nube coruscans.

Strabus.

DIGNVM est, vt video, præmissis tristibus ergo

Debita

Debita principibus laudem persoluere vota.

Scintilla.

NOvi equidem, sed felici nunquam obfuit vlli
Aduersis firmare animum, neq; contigit vllum
Ante bonum non esse malum; sic numina nerunt
Aurea quæ prisci dixerunt sæcula vates.
Tempore magne tuo *Cæsar* venisse videmus,
Tu pietate reples, quidquid minus esse potestur,
Thesauris alij, meritis tu comptior esto,
Tu bonitate places, aliique tyrannide gaudent,
Solus ad omnigenos transis *Rex magne* triumphos,
Quem te namque vocem, nisi magnum in plebe Moysen,
Qui populos tenebris per lumen ducis ademptis,
Qui morum noua templa struis, qui munera Christi
Quæ conlata tibi cunctis communia præstas.
Ille vmbram, tu corpus habes, heremo ille remota,
Arte tabernaclum & serpentes vinxit aënos.
De silice hausit aquam, sumens de manna pruinis,
Tu vero in populis paradisi ad amœna vocatis
Templa regis, fundata sacris Rex magne lapillis,
Quorum pensa pater quondam tibi magnus adauxit
Aurea cui ludunt summis simulacra columnis
Cuius ad ingenium non confero dogma Platonis
Lacte fluis & melle simul, petræque sequentis
Largiris latices, vndis Pharaone necato.
Laudibus altithronum celebras per sæcula patrem,
Digna loco cui semper erunt spectacula amœno.
Hinc magnum Salomonis opus, hinc templa supremis
Structuris æquanda micant, specularia subter
Dant insigne nemus, viridique volantia prato,
Murmura riuorum, ludunt pecudesque feræque
Vri cum ceruis, timidis cum caprea damis,
Si quoque deinde velis, saltabunt rite leones,
Vrsus, aper, panthera, lupus, lynces, elephanti,
Rhinoceros, tigres venient, domitique dracones
Sortiti commune boumque ouiumque virectum,
Omnia pacatis animalia litibus assunt,

Aëriæ

Aëriæ summo quercus de vertice lætis
Commodulantur aues rostris, & suaue susurrant.
Ast alia de parte nitens fulgore corusco
Auratus discurrit eques, comitante pedestri
Agmine, tintinnum quidam, quidam organa pulsant.
Dulce melos tantum vanas deludere mentes
Cœpit, vt vna suis decedens sensibus ipsam
Femina perdiderit vocum dulcedine vitam.
Cedant magna tui super est figmenta colossi
Roma velit *Cæsar magnus* migrabit ad arces,
Francorum quodcumque miser conflauerit orbis.
En queis præcipue iactabat Græcia sese,
Organa Rex magnus non inter maxima ponit.
Quæ tamen inceptos seruent si intacta canores,
Deses erit qui sæpe suo quatit aëra plectro.
Ante tamen spreta iactabit pelle lacernam,
Et ferri rapta bacchatus mole sonoros
Comminuet truncos, & iniquas voce cicutas,
Nec frustra, quia nulla suo pro carmine dona
Emeruit, saltim vt fului pars extima nigros
Auri * conlatis meritis depingeret artus.
Interea magnis crepitant tabulata cateruis,
Quæ clarum sequitur pulcherrima turba Moysen.
Obstupui fateor gemmis auroque decorum,
Et vidi & mecum voluens, tum singula volui,
An Salomona pium, an magnum Dauida viderem,
Herodem non esse sciens, nec talis honoris
Participem, faciat cœli Rex optimus illum.
Percepi tandem, postquam rigor ossa reliquit,
Ossa sacri corrupta patris, splendore corusco,
Hunc cui fulgorem diui consortia verbi
Ediderant, qui in terrigenis mitissimus extat,

* *collatis.*

De libro Machabæorum priore.

MACHABÆO minitante suis
Hostibus, armaque terribili,
Bellica consociante manu,

Fulsit in aureolis, rapidus
Sol clypeis, fulgente chao.
Obtinuit legio numerum
Israël exsuperans cunei
Quem validis inimica cohors
Instituit prius agminibus
Vt populum quateret Domini.
Res manet hæc imitanda piis
Quos furor exagitare feri
Dæmonis inuidus, haud retrahit.
Quosque pericula sæua mouent
Martis adhuc terebrare minas.
Agmina dum tua iura velis
Quæ tibi nutrit alendo animus,
Sternere subsidio Domini
Castra volatilis exitij
Hostica prouidus arma nota.
Luminis accipe rite ducem
Et loca plana quiete pete
Campus amore iuuet patulus
Ne maneas piger insolitis
Nocte teraris vbi vitiis.
Iustitiæ tibi Sol oritur,
In clypeisque tuis rutilat
Quæ rata sunt documenta patrum,
Quis tua vita tegenda tibi est
Ne supereris ab hoste tuo.
Efficis hoc duce Machabæo
Qui vocitatur & ipse Iudas
Dum tua facta pio Domino
Pandere non trepidas & opus
Semper agis tibi proficuum.
Respice magne parens hominum
Meque tuere, licet fragilem
Brachia ne mea forte queant
Prælia cottidiana dolo
Frangere, quęso faue omnipotens.

De S. Gallo.

VEPRIBVS offensus requies ait hæc mea sanctus,
Dum Leuita studens vellet sustolere lapsum,
Mox cruce defixa sanctum cecinere poëma
Auxilioque sibi, quærunt solatia Christi
En vrsi Gallo famulatur pane recepto
Dum simulat somnum Leuita cubando per aruum,
Sancti ductorem pisces captare volentem
Feminea in specie terrebant dæmonis iræ,
Henrico Regi sit præsto gratia Christi,
Quæ fuget omne malum, iungat & omne bonum.

Carmen venerabilis Bedæ Presbyteri de Psalmo. CXXII.

LAVDATE altithronum pueri laudate Tonantem
Sit magnum Domini benedictum in sæcula nomen.
Solis ab exortu Dominum laudate potentem,
Solis ad occasum in hymnis persistite laudum.
Excelsus gentes Dominus supereminet omnes,
Eius & astriferos transcendet gloria cœlos,
Quis Domino est similis sedes cui perpes in altis,
Respicit ast humiles cœlo terraque benignus?
Mærentes inopesque à rudere tollit, eosque
Primates inter populi, sublimat opimos,
In sterili habitare domo, miseratur & amplo.
Lætari tribuit natorum germine matrem.

Non circumdantis timeo me milia plebis
Quem metuant fines terrarum funditus omnes,
* Gaudebunt in ea cum tibi decantauero labra.

* vers. corrupt.

De HLothario Imperatore.

AT latere è dextro sancti spes optima regni
Procedit Iosuæ præsagi nominis hæres,
Cui nil defuerit morum, virtutis, honoris
Qui si sospes erit, postquam te regna polorum
Sustulerint, visoque Dei lætabere vultu,

Principe sub Christo, terris cæloque canetur
Perficietque bonus primordia talia finis.

De HLudouico Rege.

INDE tuos Ionathas læti dulcissime vultus
Contemplamur, adest tibimet par gratia pacis
Par morum probitas, semper victoria compar,
Digna equidem referes nomen virtute paternum,
Quamquam cura minor, tamen est tibi gloria consors
Nec doleas, quod gaza negat, concordia præstat.

De Pippino Rege.

TERTIA gemma suos vmquam non perdat honores,
De cuius meritis quod non mihi visus inussit
Haurio florigena lætæ dulcedine famæ.

De Iudith Imperatrice, & Karolo Augustorum filio.

OCCVRRIT trepidæ pelagi vastissima proræ
Inluuies, via quam suadet modo cœpta secandam,
Sed moles absterret aquæ, atque volubilis obex.
Vidi equidem cum pulchra Rachel solamen auorum
Beniamin dextro produceret ordine, cuius
Larga salus sanctam refouet per sæcla senectam,
Quem pars quinta super quam lætus percipit alter
Credo manet, namque ipse suo splendebit honore
Ipse tribumque genusque pia virtute creabit,
In quo mater ouans, quamuis quid passa doleret,
Gaudia totius prompsit felicia mundi.
Gratia quæ teneram vestit miranda iuuentam,
Maturos iam format honesto in pectore sensus,
Felix progenies, tali mansura nepote,
Nomine quem sequitur, factis da Christe sequatur,
Moribus, ingenio, vita, virtute, triumphis,
Pace, fide, pietate, animo, sermonibus, ausu,
Dogmate, consiliis, successu, & prole fideli.
Etsi perspicitis non frustra nomine Iudith,
At Iudith virtute refert & relligione,
Assyrius cui prædo caput submisit acerbum,

Illa gulam mortis, fidei mucrone trucidans,
Libertatis opem saluatis ciuibus auget.
Tympana raucisona pulsauit pelle Maria,
Organa dulcisono percurrit pectine Iudith.
O si Sappho loquax, vel nos inuiseret Holda,
Ludere iam pedibus, vel ferre futura valeres,
Quicquid enim tibimet sexus subtraxit egestas,
Reddidit ingeniis, culta atque exercita vita,
In qua multa simul nobis miranda videmus,
Semine stat locuples, apparet dogmate diues.
Est ratione potens, est cum pietate pudica,
Dulcis amore, valens animo, sermone faceta,
Læta cubans, sit læta sedens, sit læta resurgens,
Læteturque poli felix in sede locata.

De Hilduuino Archicappellano.

PROTINVS in magno magnus procedit Aaron
Ordine mirifico, vestis redimitus honore,
Punica tintinnis respondent mala sonoris,
Mala fidem, tintinna sonant documēta salutis,
Quîs vtrisque pius, vario pater ordine fulget,
Et diuina sacro, celebrat celer orgia cultu.
Ante tibi contingit aquis, Thetis vda carere,
Idola quam tantus coquat execranda Sacerdos.
Idola quæ plebem strauēre securibus almam,
Idola auarus habet, tu dicis Apostole Christi,
I. Decus, I mundi melioribus vtere * factis.
Viue Deo felix, felici fine potire.

* f. satis.

De Einharto Magno.

NEc minor est magni reuerentia patris habenda,
Beseleel fabrè primum qui percipit omne
Artificum præcautus opus, sic deniq; summus,
Ipse legens infirma Deus, sic fortia temnit.
Magnorum quis enim maiora receperat vmquam
Quam radiare breui nimium miramur homullo,

De Grimaldo Magistro.

QVAMVIS subter agas Regum tabularia vitam,
Non te prætereo, specubusne latebis Homere,
Noui namque Sicana tibi spelæa placere,
Solus vbi mensis Musarum & amore fruaris,
Sæpe tamen magnis victoribus optima crudis
Carmina, tempus erit rutilo te Sole carere.
Corporis at nostri si singula membra loquaces
In linguas vario rerum vertuntur ab vsu,
Argutæ aut setis possint creuisse cicutæ
Omnibus impar ero magnorum promere laudes,
Vt dignum est procerum melius miranda tacemus,
Quam tam magnum humili pondus sermone leuemus.
Cura mihi fuerat tales cognoscere fasces.
Rimabarque sagax tantarum munia rerum,
Dumque sitim iam penè sacro restrinximus haustu,
Et sitis est ingens tam feruida cura videndi,
Quæritur vnde essem, & missu cuiatis adessem;
Obstupui & totam pauitans rem ex ordine pando,
Sufficiat vidisse semel, laudare perennis
Instat amor, diuina manum clementia vestram
Omnibus in populis faciat retinere trophęa,
Felicemque patrum famam cum prole togatam,
Et fieri in magno allectos per sæcla senatu,
Vtque timent vestros lætis in saltibus arcus
Vrsus, aper, timidusque lepus, ceruique fugaces,
Damma, lupus, immane boumque examen agrestum.
Sic * Vulgar, farræque Cynos malus hospes Hyberis
Brutus Britto, Danus versutus, & horridus Afer.
Subdat honorandis sua colla exterrita dextris
Nunc tandem creuit felix respublica, cum sat
Et reges sapiunt, simul & regnant sapientes.
Tetrice stulte vale, quia te suadente canebam,
Non mirum est vitiis nostram sordere camænam,
Nec mihi materiem, nec verba ostendere nosti,
Hæc tibi si qua ferat ratio tum Musa nitebis
Hic calamum placuit vesper iam figere surgit.

* Bulgar

Edi-

Edidit hæc Strabus, paruissima portio fratrum,
Augia quos vestris insula alit precibus.
Strabonem quamquam dicendum regula clamet,
Strabum meipse volo dicere, Strabus ero.
Quod factor vitiauit opus, si dicere fas est,
Hoc vitiato eadem nomine, parce Deus.

Ad Iudith Imperatricem.

OMNIA qui solus rerum secreta tuetur,
Præmia qui fidei deuotis mentibus offert,
Illius arbitrio factum, nutuque fatebor
Vt qui corde humili vobis fidissimus esse,
Iam pridem statui, tandem quo nescio casu,
Seruitio attrahere vestro, prolisque beatæ,
Quam vestris regnique simul profectibus huius,
Alma Dei pietas concessit surgere magni,
Vos vestrosque Dei semper miserata potestas
Protegat, exaltet, firmet, regat, armet, adornet
Augustæ hæc humilis mittit munuscula Strabus
Pignora multorum domino transmissa sequestro,
Pacis amatrix, lucis amica, quæ bona cuncta,
Mente tueris, hæc mea clemens, percipe scripta.

Ad eandem de quodam somnio.

TEMPORIS infausta sub * potestate dolendi *
Dum fraudis commenta pios populumque patremque
Opprimerent, sanctamque fidem delere pararent
Præscripta, exiliis, odio, vi, carcere, ferro,
Tunc, iacuêre boni nebula mœroris opaci,
Solaque per gremium regni nutantis ineptos
* Perfida exeruit terrore tyrannidis ausus, *
Dum mihi sollicito, & recti pro parte gementi
Sæpius ingentes fluxêre in pectora curæ,
Nec requies præsaga mihi per somnia, donec
Haud dubia virtute Deus, prisci atra timoris
Nubila decutiens, nitidum sperare serenum

Edo-

Edocuit, tenebris dum nox includeret altis
Pallida, quod terram & longum quod inane vocamus.
Dum sopor internis animalia fessa medullis
Soluit, & angores longi curasque diei,
Munere diuino, moderamine temperat æquo
Visa libri series coram pulcherrima longi
Ante meos vultus, metricis qui versibus, omnem
Rite superficiem, gestabat in ordine plenam,
Dumque auidus rerum, cautus per singula lector
Irem, animaduerti seriem de casibus ipsam,
Et regni & Regis, textu resonare pedestri,
Cæsaris hic nomen quadam sub imagine versum,
Proque sacro semper Ludouici Equitatius illic
Nomine scriptus erat, neque me cognominis huius,
Turbabat nouitas, cum causa videlicet ipsa
Personam exprimeret, notis notissima gestis
Namque legebatur, geminæ discessio fraudis
Impietas, raptusq; duplex, patientia victrix,
Rectoris, rerumque decus reparabile semper.
Cumque oculi, sensus, aures, atque intima cordis
Antra sibi arderent relegendo siue legendo
Frater ab aspectu librum, miracula cuius
Præbuit eripiens, memori superaddidit ore:
* Tristior ex oculis humeros quam tota decebat
Pectora, non longè passuri damna ruinæ.
Euigilans, pariterque volens retinere quod hausi,
Vix versus in fine duos, & nomen adauctum
Mente recordabar, reliquorum obliuia passus
Nominis auspicio paucis spem protinus auxi
Veloces virtutis opes Equitatius ille
Portendebat, idemque sequens assertio firmat
Tristari nimium, tolerantem pondera dura
Non debere, citos facturum in læta recursus.
Hæc ego cum videam factis impleta, quid vltra
Occulerem, placuit vobis efferre probanda
Quæ nobis longi nutribant gaudia voti.
Augustæ, pauper decies dat munera quina
Strabo, petens veniam, signat quam calculus idem.

* videtur sensus imperf.

H.Ludo-

HLudouico Imperatori.

VILIA pro meritis sunt hæc munuscula vestris
 Sed tamen ex pleno quæ dat amore fides.
Quam vobis seruare diu, totumque per æuum
 Hanc animam veluti nitar ad vsque obitum.
Quid mihi quid possit consistere clarius vmquam,
 Gloria quàm Domini continuata pij?
Hanc sacer aduentus Christi virtute potenti,
 Auxit in affectum lætitiamque nouam.
Paruulus ille quidem carnis de parte vocatus
 Grandia nominibus sex & opima tenet.
Fortis & ipse Deus, mirabilis & pater æui est
 Alterius, pacis, consiliique potens.
Ipse pio vires diuinaque munera Regi
 Et clarum æterno tempore det columen.
Pacem consilio faciat retinere salubri
 Quem paci æternæ muneribusque parat.
Hic vos cum vestris repetitis sæpius annis
 Hæc ad festa Deus prouehat incolumes.

* *in margine Cod. annotatur, hic ponendum esse Hymnum Saphicum in Natalem Domini supra iam positum.*

Iudith Augustæ.

MVLTA quidem veniunt meritis non debita nostris
 Quæ probitate sua nos hilarare queant.
Pauca sinisterius torquent tamen obuia flatum
 Queis aliquot vobis me reticente patent.
Non horum extremum est, quod nullis iussio memet
 Vestra ligat causis,* ni quod adesse datur.
Non faciem video, non haurio verba, sed inter
 Spem dubito atque metum, displiceam an placeam?
Conscia corda tamen fidei, votique fidelis
 Non desperare me meliora docent.
Sufficiat præ fixa fides, orabo quod ipse
 Hactenus orabam, quæque petenda reor.
Vita, præsidio, pace & solamine Christi,
 Vos vestrosque simul tempus in omne frui.

* *in*

Proxima ſanctorum quod nos per feſta dierum
Plenius acturos credimus & volumus.

*damula

*De Oſſe * Dammulæ per quod arbuſcula creuit, ad Imperatorem HLudouicum.*

ARBORIS eſt altrix quondam vagina, medullæ
Tibia germen habet, nempe bonum omen erit.
Quod cortex humore caret, quod durior ipſo eſt
Robore miramur, talis in oſſe vigor.
Nil Cæſar tibi magne vacat venabere Dammas *
Oſſibus ex quarum ſilua orietur, aue.

*Damas.

Ad Carolum Iuuenem.

NATVS & egregiè, & cultu nutritus herili
Diſce quid auctori retribuas Domino.
Iuſtitiæ virtus primis adoleſcat ab annis,
Tecumque hoc ſana mente ſeneſcat opus.
De pietate patris potius, quam ſtemmate regni
Degenerare vlla conditione time.
Si recolamus auos atauoſque & magna priorum
Nomina, tum ſolùm proderit hæc ſeries.
Si ſacra nobilitas pulchro ſpectamine morum
Fulgeat excluſis inſcitiæ nebulis.
Gaudeat ergo ſequax famulorum turba tuorum
Quos tantæ reficit indolis auſpicium.
Nam nihil eſt quod adhuc felicibus auocet annis,
Omnia quæque geris, ſpem faciunt animis.
Forma decore nitens, animuſque capacior æuo
Et quod præcipuum eſt, zelus amorque Dei.
Incipe quod tandem maturior expleat ætas
Quod primo imbiberint vaſa, diu ſapiunt.
Maieſtas tibi cuncta Dei det proſpera ſemper
Et vitæ æternæ dulcia dona ferat.

Hilt.

Hiltuuino seniori.

SI condire meos mellis dulcedine versus
Sancte pater possem, vel decorare rosis.
Non hæc pompa tamen condigna nitoribus esset,
Quos morum & sensus cum probitate geris.
Et tanto me vestra quidem clementia cultu
Suscepit, quantum promeruisse velim.
Nil seruiui, nil merui, tamen ecce repente
Immerito assumptus pauper, honore fruor.
Et fruar, ac vestra iucunder pace per æuum
Et vita & meritis, atque salute sacra.
Compensare tibi nulla pro parte quod actum est
Sufficio, Dominus sed retributor erit.
Cuius ob intuitum, nec nos, nec nostra videris
Despicere, affectu sed tolerare pio.
Sum quapropter, eroque ex toto corde fidelis
Vobis & vestris tempus in omne satis.
Obsecro, posco, precor, Domini protectio vosmet
Vt tegat, atq; regat, firmet, inaltet, amet.

Heribaldo Episcopo in persona Karoli.

NON minimas grates, non parua rependere tantis
Præmia nos meritis velle Heribalde putes.
Quod tremebundus ad hoc nostro non segnis honori
Litterulas pleno mittis amore litas.
Iam completa quidem testantis verba Prophetæ
Nouimus, effectu sed repetita nouo.
Et venit ad Dominum laudatio plena timoris,
Aurum fert Aquilo, frigore sæpe rigens.
Pectore quippe tuo, flammas ardere priores
Indicat igniculus, quem tua scripta gerunt.
Et quia scis nostrum iusto moderamine morem
Parcere subiectis, & tolerare malos.
His tibi pro donis, reddentur munera plura
Quàm tibi perfidiæ lucra tulisset amor.

Si quam dulcis inis, tam dulcis in extima tendes
  Mi dulcedo tua, dulcior vſque manet.
Diſce gradus ſtabilire tuos, ne pendula rurſus
  Semita, ſaxoſum digrediatur iter
Fauſtus in antiquo iam diſce ſeneſcere nido
  Donec vile tegat candida pluma caput.
Tum febres tuſſimque grauem, turpemque podagrám
  Perpetiens, laribus immoriere tuis.
Hæc optaſſe tibi ſignum eſt redamantis amici
  Vel mitis domini, vel patientis heri.
Sis felix noſtriſque ſcias tua cordibus aptè
  Seria permixtis complacuiſſe iocis.
Sæpius hocce gerens, animos perpende fideles,
  Atque voluntatis mutua diſce meæ.
Indigeas quotiens, toties per ſæcla valeto
  Sed numquam noſtri immemor eſſe velis.

Ad Luitgerum Clericum,

DVLCIBVS officiis & amica mente colendo
  Luitgero Strabus, paucula verba dedit.
Parua licet fuerit noſtræ dilectio partis,
  Credo tamen memorem te ſatis eſſe mei.
Quidquid habes dextrum, gaudens volo. Porro ſiniſtrum
  Si quid adeſt doleo, cordis in oppidulo.
Vnicus vt matri, terris vt lumina Phœbi
  Vt ros graminibus, piſcibus vnda freti:
Aër vti oſcinibus, riuorum vt murmura pratis,
  Sic tua puſiole, chara mihi facies.
Si fieri poſſit, fieri quod poſſe putamus,
  Ingere te noſtris viſibus, oro, celer.
Nam quia te propius didici conſiſtere nobis
  Non requieſco, niſi videro te citius.
Excedat numeros aſtrorum, roris, harenæ,
  Gloria, vita, ſalus, atque valere tuum.

Item ad ipſum.

CARE venis ſubito, ſubito quoque care recedis

Audio

Audio non video, video tamen intus, & intus
Amplector fugientem & corpore non pietate.
Certus enim vt fueram, sum semper, eroque foueri
Corde tuo me, corde meo te. Nec mihi tempus
Suadeat vllum, aliud tibi, nec persuadeat vllum
Visere si poteris, sat erit, si videro gratum,
Sin alias, rescribe aliquid, tua tristia noui
Atque dolens recolo, dolor est possessio mundi,
Quæque serena putas, magis hæc in nubila tristes
Et tenebras fugiunt, volucri qui pendet in orbe
Nunc scandit, nunc descendit, rota sic trahit orbis.

Ad HLudouicum Clericum.

CVi HLudouice tui donasti munus amoris
Hæc tibi dat Strabo verba salutis, aue.
Vestra licet vilem fecit promissio memet
Versibus audere vos monuisse meis.
Nam quamuis magnos mundi teneatis honores,
Non vos credo tamen spernere nos minimos.
Diuitias non dico hominum, dum spesque fidesque
Aruerint, solus tum superabit amor.
Non vestis, non vlla fero tibi dona metalli
Solo seruire quæro in amore tibi.
Totus enim sensu, verbo, factisque studebo
Promissum tibimet reddere amoris opus,
Esto memor memoris, Dominoque fauente valeto
Tot bona percipiens, quot meruisse sat est.

Ad Bodonem Yppodiaconum.*

* *Hypodiaconum.*

HÆc tibi dat Strabo charissime pusio Bodo
Paucula parua licet verba legenda tuus.
Quem feruore pari dudum defiximus aruis,
Surculus, ad superos prodeat ille Notos.
Pura per assiduos surgat dilectio motus,
Donec firma polos, astraque adire queat.
Sis memor in precibus, reddis dum vota Tonanti
Strabonis, memor est semper & ipse tui.

Quod Domino sectare placet, quod iussit, amato.
Quod spondet, speres, quod prohibet, fugias.
Dilige virtutes, vitiis procul omnibus esto.
Præmia certa bonis, pœna datur miseris.
Ad meliora tuos ducat Deus omnia sensus
Et tibi perpetuo munera magna ferat.
Candide, care vale, charissime semper vbique
Pusio candidule, candide pusiole.

Ad Gotabertum Italicum.

NON magis est nato lætata Verona Catullo
Mantua nec tantum ipsa Marone suo,
Lætior aut * Helles magnum fundebat Homerum,
Corduba vel Seneceas misit & ipsa duos.
Quam te, si valeas, crescet doctore Ticinum,
Fortunate puer, Tullius alter eris.
Sis quicumque vale, vel sis quicumque futurus
Noster eris, valeas poscimus in Domino.

* Hellas.

Ad Thomam Præceptorem Palatij.

CVLMEN Apostolici cœpisti nominis hæres
Actibus & verbis, promeruisse tibi,
Qui bis sena suo prælegit pectora dono
Nouit Strabonem te retinere animo.
Gaudeo non tantum mundi quod prospera rident,
Quantum quod cunctis pro bonitate places.
Hoc commune malis fieri quia sæpe videmus
Illud habent soli, qui placuere Deo.
Non dat honor meritum, meritis sed redditur ipse,
Nec peritura ligant pectora plena Deo.
Vt sale, rore, ducum facie; caro, gramina, bella,
Non sine labe carent, sic ego te alme pater,
In Domino sine fine vale, nostrique memento
Vnius siquidem membra sumus capitis.

Ad Chonradum Comitem.

EX quo percipiens vestræ præconia famæ
Et crebra & vera, hanc ratione bibi.

Obscu-

Obscurus licet ingenio, natalibus atque,
  Congaudere animo, laudibus his studui.
Egimus hoc, agimus nunc ipsum semper agemus,
  Dum vitalis alet pectora nostra calor.
Quicquid enim possum facto, prece, corde, fideque
  Hoc totum vestro mancipo seruitio.
Et si non fuerit vacuum, præsentia quo me
  Vestra hilaret, mente vos tamen intueor.
Vilibus experiar dictis, liceat ne volenti
  Hinc mihi plura sacris credere dicta volis.
Nam data si fuerit tandem fiducia fandi
  Vos penes haud apto tempore mutus ero.
Nobilitatis apex, hominum pater vnus & vna
  Pauperibus proceres conditione ligans,
Virtutem, vitam, pacemque in sæcula vestram
  Amplificet, firmet, multiplicet, foueat.

Ad Ruadbernum Laicum.

EX quo fama tui celebrem mihi nominis auram
Attulit, & fides robur, rerumque tuarum
Cognoui seriem, magno te pronus amore
Amplectens, iugi mecum venerabar honore.
Et quia quæsitum merui cognoscere tandem
Creuit amor, quanto propius pia notio creuit.
Quis numerabit enim, quantos persæpe labores
Sustuleris? quantisque tuam *Rodberne* periclis
Credideris vitam dominorum damna gemendo?
Dum fraus sæua pium premeret sibi noxia Regem
Reginamque humilem, Ligurum clausisset in vrbem.
In manibus posuisti animam, nec grande putabas
Exitium casusque tui discrimina, si quem
Moliri posses iuris pro parte vigorem.
Quando horum cauta mecum sub mente recordor
Miror, & in lacrymas commoto pectore soluor,
Et quantum accipio, Domini solatia vires
Has tribuisse tibi, certo pro munere credo,
Heu quibus insidiis, artissima septa viarum

Alpibus in mediis, sollers custodia cinxit?
Quanta per ingentes fluuiorum angustia cursus
Terruit, & quotiens trepidum tenuere latebræ,
Pauperies pressit, præsens metus, omnia dura,
Nullum tempus erat securo munere plenum,
Nox obscura diem, noctem lux ipsa timebat
Nulla domo campoue quies, timor vndique pulsans.
Sola fides rectique sibi mens conscia tantum
Suasit opus, docuitque aliquam sperare salutem.
Cetera sed nimio terrore pericla furenti
Sæuitiæ cessere hominum; qua sæpe coactus
Conmutasti habitum famulique vice apta per artem
Seruitia explesti supplex, & mille gerebas
Ingeniis quod præcipua virtute nequires
Sed mens plena fide nullo defessa labore
Non ante assumptum, quia vim formidinis vnus
Deseruit, requiemue habuit, quam prima potentum
Corda per Hesperiam scriptis verboque coëgit
Sacrilegum genuisse nefas; his deinde peractum est
Consilus, vt fessa diu & compressa malorum
Ponderibus Regina, feris educta tenebris
Non sine honore foret; tandemque occultus, & arte
Vsus adumbrata, venisti & dulcia coram
Suscipiens mandata pio celer ipse libensque
Cæsari, & adiunctis portasti primus amicis.
Nec minus illud iter recidiuo horrore molestum
Insidiisque dolisque tibi fuit vndique plenum
Cumanum quando arta lacum custodia nisa est
Præclusisse tibi; Domini sed dextra secundos
Immittens ventos inimico à littore vexit.
Rursus in aëriis, niuium vis alpibus altas
Fecit habere moras, requiei inamabile tempus,
Has quoque decutiens studiis iniuncta benignis
Nuntia, sollicito retulisti ex ordine Regi,
His tibi pro causis & tam felicibus inquam,
Ausibus ille redux Rex & Regina soluta
Et cuncti pariter plena pietate fideles,

Altius afscribent laudes & nomen honestum,
Insuper omnipotens statuit qui iura fidemque
Qui Dominos famulosque vna radice creatos
Non æqua ditione facit, sed amore & honore
Concordare sibi, reddet tibi præmia vera
Haud dubiæ fidei, quæ non cum laude volantis
Temporis intereant, sed in omnia sæcla redundent,
Hæc ætate quidem inualida dum tempora nondum
Pube sua teneris florerent tincta sub annis
Æmula pauperies, dum grandia facta vetaret
In probitate sua, temet potuisse volentem
Miramur, quæ posse dedit Deus ordine certo.
Ergo quis in reliquum de te dubitare sinetur
Quantum pro Dominis, quantum pro iure fideque
Si locus affuerit melior, maiorque facultas
Desudare velis? qui prima incommoda forti
Sustinuisti animo, rebus non victus amaris,
Spemque metumque inter dubio discrimine pendens
Ante oculos duro versabas pondere mortem.
Ergo age, fer Domino grates, & munera laudum
Iustitiamque simul dominorum attende merentum,
Tristia deterere, & rursus in læta redire,
Nam quid erat mæsto tam desperabile regno,
Quam sua depositis iterato posse venire
Sceptra, statumque illos adipisci posse priorem?
Sed Deus occulti iudex, atque arbiter æquus,
Hos illosque sua iuuit virtute fideles,
Lætare, exulta mecum. Nam gaudeo tecum,
Hoc quia compleri & completum parte videmus,
Ipse quod optaui, saltimque audire cupiui,
Quodque per ingentem quæsisti rite laborem.
Felix participem qui se cognoscit honesti
Et consortem operis, quantum sibi conscius ille
Perfidiæ confusa globis per pectora tabet;
Tantum, vel potius multo magis, omnia secum
Lætitiæ fomenta habeant, qui fida reseruant
Corda suis Dominis, casusque inuicta per omnes.
Iam videor nimium fortasse loquacibus vsus

Exametris, dum magna meos extendit amores
Materies, breuiterque pudet dixisse, quod alto
Sit dignum ingenio, dignumq; poëmate longo.
Dat decies denos vilis tibi denique versus
Strabo, rogans solito vt tecum mediteris amore
Iussa Dei, valeasque simul per sæcula cuncta.

Ad Adalbeidam.

SI quod mille sonat relationum
Assertoribus estque veritatis
Vbertate ratum, tacere nitar,
Fortasse inuidiæ notam subibo.
Non hoc ergo meæ placere menti
Contingat, potius velim benigne
Audire, & sine fraude publicare.
Quidquid nam bene de bonis refertur,
De vestra fateor * probitate, tantus
Nosmet rumor alit, rapitque mentes,
Vt si dissimilem fauere laudi
Contra, quod gero, conscientiam sit.
Miramur conscientiæ decorem
Quo vos præcipue nitere notum est,
Miramur meritum, probosque mores
Quîs vos non dubium est placere cunctis,
Qui vos laudat, honore se coronat,
Qui vos laudat; amat, colitque verum,
Qui vos laudat; habebitur benignus,
Qui vos laudat; agit, quod est agendum.
Non isthæc adulantis ore promo,
Nec desidero complacere falsis,
Sed veris potius viam loquendi
Verbis institui parare rectam.
Nam si comperero * lucere nobis
Et si cunctipotens hoc annuendo
Clementer dederit, legetis exin,
Nostri pectoris indices figuras,
Nunc & semper, & hic & in futuro,
Saluete in Domino, valete, auete,

* *f. licere.*

Vos

Vos sanctus pater, & patris beatæ
Proles, spiritus & iuuet per æuum.

Fabula admonitoria ad quendam.

COGITO quid faciam nuper mihi contigit vno
Iam cecidisse loco, canibus lacerabar ibidem.
Calcibus hic populi cœno demersus in imo,
Si mihi consilium dederis, vitabo per æuum
Hanc calcare viam, probra quæ mihi tanta ministrat.
Nam vereor ne forte freti me subruat æstus,
Cuius ab incursu vix in tellure receptus
Effugi patulas furibundi gurgitis iras.

Similitudo impossibilium.

ALBENTES capiat coruos, cignosque nigrantes,
Limaces quoque multiloquos, mutasque cicadas,
Cornutos adquirat equos, mutilosque iuuencos,
Pisces nare vetet, constanter auesque volare,
Fontes stare citos faciat, tum currere montes,
Ferri cogat aquas sursum, flammasque deorsum,
Limus ad humorem, cera vt durescat ad ignem,
Ossaque sanguinibus tumeant, neruique medullis,
Lumbrici saliant, reptentque in puluere cerui,
Gallinæ fundant hædos, atque oua capellæ.

Epitaphium VVerdonis.

POSTQVAM primo homini sæuæ sententia mortis
Iuste vlciscentis venit ab ore Dei.
Fama licet quosdam lato celebrauerit orbe
Nominis atque auram ferret ad vsque polos:
Iustitia censente tamen, moribunda statutum est
Membra sepulturis posse capi breuibus,
Hæc magni tam pauca viri tenet area corpus
Cuius in ætheria spiritus arce manet.
Huius namque loci fuerat Patronus & Abba
Nomine *VVerdo* Dei plenus amore sui.
Egregius sensu, nitidi sermonis abundans,
Dogmata commendans moribus eximiis.

Sedulitate placens, cunctis affabilis, atque
Deuota Dominum relligione colens.
Hunc rexisse gregem pie per quinquennia septem
Scitur, & omnigenis accumulasse bonis.
Martius apriles ter deno sole Kalendas
Dum visit, *VVerdo* mortem obit, astra subit.
Huius pro requie titulum quicumque recenses,
Pectore de placido funde preces Domino.

In Ecclesia Monasterij, quod Rura vocatur.

HOc templus Stephani celebratur honore dicatum
Cum Iacobo nostri fratre simul Domini.
Quorum sub precibus, Christi pietate receptis
Summi adipiscamur munera larga boni.
Hildigrim struxit, Hadabaldus Episcopus archi
Sanctificauit, honor certus vtrumque manet.

Super vnum altare eiusdem Ecclesiæ.

ISTAM Lantbertus retinet Martinus & aram,
Quorum nos precibus Christe tuere piis.

Super aliud.

HIc matri Domini, sociaris sancte Gregori
Cum qua pro nobis, poscito sceptra Dei.

Aliud Epigramma.

HANC sancti sub honore Petri renouauit & auxit,
Abbas Grimaldus lucis amore domum.
Hic ex corde petens diuino munere sumet
Quod cupit, & votis congrua dona suis.

Aliud.

HOc quoque virgo Dei genitrix veneranda sacellum
Grimaldus humilis, compsit honore tuo.
Ipsi mercedem, cunctisque precantibus istic,
Quod pie præsumunt, dedere posce Deum.

Aliud.

VERSIBVS atque metris par eſt donare poëtam
    Vt mercatori carius eſt quod amat.
Bellica ſordenti ſi portes arma colono
    Deſpicit,& munus grande ligonis habet.
Miles item fortis,capiat ſi vomeris vſquam
    Dona,magis lituos deligit atque ſparum.
Sic quod quiſque colit,quærit magis.Hinc tibi paucos,
    Credere verſiculos,alme pater volui.
Quantum delectet tua me dilectio, ne dum
    Emanare queam,vix ſcio & ipſe ſatis.
Diſciplina tibi natiuum & triſtior vſus
    Abraſit Scottum ſubſtituitque probum.
Eſto iocum reputas quod dixi, ſed mihi Chronmal
    More abiens veſtro,tradidit iſta loqui.
En Fortunati oratus tibi mitto libellos
    Menſoremque orbis,perlege,ſcribe,reduc.
Sum tuus,eſto meus,quod vterque habet alterius ſit,
    Sic ego tu ſim alter tuque mihi alter ego.
Per naſum coniuro tuum,mi care valeto,
    Et Dominum pro me,quæſo precare libens.

De Ymno trium Puerorum.

OMNIPOTENTEM
    Et benedicant
Aſtra polorum
    Solque ſororque

Sic quoque Lymphæ
    Ros pluuiæque

Ignis & æſtas,
    Frigus & ardor,

Nix glacieſque,
    Lux tenebræq;

Semper adorent
Omne per æuum.
Cuncta,chorique
Lumina cæli
        Omnipotentem.
Quæque ſupernæ
Spiritus omnis
        Omnipotentem.
Cauma geluque
Atque pruinæ
        Omnipotentem.
Noxque dieſque,
Fulgura nubes
        Omnipotentem.

Arida montes,	Germina colles,
Flumina fontes,	Pontus & vndæ
	Omnipotentem.
Omnia viua,	Quæ vehit æquor
Quæ vehit aër,	Terraque nutrit,
	Omnipotentem.
Cuncta hominum gens	Isräel ipse
	Omnipotentem.

Versus in quodam Mantili.

PINXIT imaginibus rerum studiosa coruscis
Hanc itt.. pallam arte manuque sagax.
Si tam multa vnam fabrè finxêre figuram
Quam pulchrè binos colligit vnus amor.
Orbe voluta suo nitidæ petulantia carnis
Vento flante perit, stat tamen aptus amor.

Ad VVerdrichum Monachum.

NVLLA fides tecum, retinent mendacia totum,
Vulpibus assimilis esse videris enim.

Versus in baculo.

SI mihi pes lapset, releuans vice tu pedis asta.

Versus in flagello.

POSTQVAM nulla meis creuerunt germina ramis
Ferre minas cereri, fructumque refundere cœpi.

In capulo cultelli.

PER ferrum efficio, per me quod non facit vllus,
Sic tibi sit ferrum vtile, me retine.

Item in alio.

QVID natura mihi simulata, quid indat imago,
Dic prudens vno nomine si sapiens.

In

In Manicis.

ECce sumus geminæ socia paritate sorores
Sic tamen vna vice vitet vt alterius.
Dic cate quid faciat, quod nil perfecerat vmquam?
Vel quem dent liquido, muta labella sonum.

In tabula.

PANDO quod ignoro, nec contradico petenti.

In Cereo.

HVIVS Christe manus factrices dirige cerei.]

In Conuiuio.

SAL, panis, porrum, pisces, vinum, cibus assunt,
Delicias regum nolo videre modo.

Ad Episcopum Ferend. [1]

APPAREAT ecce nouum regali stemmate donum.
Vrbs, persona, locus, regio, tribus, Insula, mundus,
Vndique congestis numero sine lanceque lucris.
Conciliare tuum, voto certante fauorem.
India mittit ebur, croceos dat Tmolus odores,
Aurum turbidulus solito plus egerit Hermus,
Te propter geminis fraudatur opima Canopus
Pontus, & ostriferi fauces vacuantur Abydi,
Engaddi lacrimam fundit tibi cortice lætam,
Docta minus sibi visa Tyros incusat hebentes
Muricis, haud dignos se iudice fassa rubores,
Epirus palmas simul, atque Mosella nouellas
Ceu pennatorum certant tibi gignere equorum,
* APΓIPIOI albentes depromit Sueuia montes.
*Crisea te viuente diu fore sæcula spondens,
Hæc inter gemmam nec tuta valle repertam
Gemmam lucidulam, raram, caram, pretiosam
Transmittit proprius prompto tibi pectore * dulus.
Ooliab sculpsit, qua Beseleelque notauit,
Voce quidem græca gemmam testante probatam,

*ἀργυρίυ *argenti*
*χρύσεα *aurea*
*δοῦλος *Seruus*

Quippe

Quippe Agathes, agathos, bonus est lapis, ipse fateris,
Bactrica non ebeni radiat sic forma nigelli,
Nec sic augustum decorant* Ametistina collum.
Vel Iaspis fuluo cum clausus fulgurat auro.
Istic si Dauidis resideret vertice Regis,
Omnigenas proprio superasset lumine flammas.
Denique si vatis Moysi sub pectore fratris,
Cogeret vndenas sibi ius concedere gemmas,
Hæc tibi si gratus fuerit, licet ore nigratus,
Sueuia fors vllum si profert amne lapillum,
Lacteolum, niueum, parium, seu scilicet album,
Hunc tibi larga tui præbebit dextera serui,
Nec parcum dices dum fert Alemannia cautes
Nec tibi Saxonia satius dant saxea dona,
Sed vice tu nostra obsequio lapis acriter insta,
Dum veniens præsto valeam supplere quod opto.

* amethystina

Ad alium Episcopum.

EHEV mœrentem renuit dictatio mentem,
Aufugiens tristis confusa cubilia cordis.
Cuncticreans genitor, mihimet succurre misello,
Filius atque pius, qui sæcula cuncta gubernas,
Spiritus alme veni, confer tu verba precanti,
Sancta Dei genitrix nostri miserescе rogamus.
Asmata digna viro sunt nunc dicenda sereno,
Nomine...... perspicuo Domino.
Germine virtutum polles, & dogmate fulges,
Doctiloquosque sophos arte tua superas.
Vos laudāt omnes, quos Francia gignit amæna,
Norica regna simul, vos decorare student.
Sueuia fida parens, iam comptis exilit odis
Gaudia magna canens, & super astra sonans.
Exultant iuuenes lætantes ac seniores
Pontificem egregium, Sueuia quem genuit.
Regis honor populis solatia larga ministrans,
Cunctis es mitis, dapsilis & miseris.

Si

SI mihi centenas linguas natura pararet,
  Oribus & totidem mille soni fierent.
Carmina laude tui non possem dicere digna
  Nec sonitus vocis prendere cuncta valet.
Nobilitas generis cognoscitur omnibus horis.
  Progenies clara vos generauit ouans,
Corpore sat pulcher, mentis virtutibus altus,
  Omnibus in rebus comptus es atq; bonus.
Tu clarus constas, tu lucidus optimus * Archos
  Nobilis in verbis, nobilior meritis.
Tu Phœbum superas, errantia sidera septem,
  Hesperus ac pulcher te superare nequit.
Moribus ornatus fidei, firmissimus auctor,
  Tu speciosus enim totus ad vsque pedes.
Tu refoues inopes, quoque das bonus optima quæque,
  Accipiasq; simul gaudia perpetua.
Nunc precor vt valeas felix per climata * Cosmi
  Ac memor esse mei, ne dubites famuli.

* *Pi incept.*

* *Mundi.*

Aliud Epigramma.

SI decus argenti precium mihi, seu foret auri,
Aut etiam pulchros habuissem forte lapillos,
Hæc tibi tanta pater tribuissem dona libenter.
Hæc quia non habeo, quæ possum largior vltro.

Aliud.

VT gaudere solet fessus iam nauta labore
  Desiderata diu littora nota videns.
Haud aliter scriptor optato fine libelli
  Exultat viso, lassus & ipse quidem.

Ad Amicam.

CVm splendor Lunæ fulgescat ab æthere puræ
Tu sta sub diuo, cernens speculamine miro,
Qualiter ex Luna splendescat lampade pura.
Et splendore suo charos, amplectitur vno,
Corpore diuisos, sed mentis amore ligatos,
Si facies faciem spectare nequiuit amantem,
Hoc saltem nobis lumen sit pignus amoris.

Hos

Hos tibi versiculos fidus transmisit amicus,
Si de parte tua fidei stat fixa catena,
Nunc precor vt valeas fælix per sæcula cuncta.

VERSVS STRABI VVALAFRIDI, QVOS POST ANNVM AETATIS XV. edidit de rebus diuersis, ad Hebonem Archiepiscopum Remensem in persona Tattonis.

HAc licet indigna liceat vos voce monere
Pontificum sublime caput, sanctissime Præsul,
Viribus vt totis cœlestia iura struatis.
Pars quia magna boni vobis facientibus omni
Apparere potest mundo, quia se locus vltro
Obtulit, vt vobis obtemperet aulicus vltro,
Et Dominus speciale dedit pro tempore lumen
Ingenij, quo summa domum sapientia fixit,
Nec minor hoc retinet totum veneranda voluntas.
Omnibus his cum vos magnus daret arbiter omnis
Iustitiæ, propriis locupletes crescere donis,
Non erit indignum tota si mente beatæ
Ecclesiæ pia membra sua in compage medullis
Confortata suis, foueatis dogmate sacro;
Et primum vigeant oculi, pro luce diurna
Qua totum instruitur, recta ad vestigia corpus,
Vos sal, vos lumen, Domini vocat vnica proles,
Soluere sacra vetans factis præcepta sinistris,
Vobis soluendi vobis dedit atque ligandi
Cuncta potestatem cœlo terraq; manentem
Conseruis alimenta iubens in tempore poni,
Vos igitur si vita decens ornauerit aptè
Subiectos exempla trahent ad compita vitæ,
Et non subiectos series pulcherrima morum
Illiciet priscæ vitare erramina vitæ
Et ceruice humili, faciet iuga ferre Tonantis,
Primum namque decet, totoq; & corde studendum est,
Vt pia Catholicis firmetur regula factis,

Post

Poſt aliena ſacris temptentur corda loquelis.
Cogere quid prodeſt ad ouilia morbida, ſanos
Quos cupis eſſe greges, primum vitia omnia ſacris
Pellantur ſtabulis, ſic turba nouella vocetur.
Nonne eadem quoque cura fuit Doctoribus almis,
Vt ſine labe ſuæ graderentur ad omnia vitæ,
Blaſphemis ne ſorte locum vis ſancta dediſſet,
Paulus præco Dei, ſeſe cupit omnibus eſſe
Omnia, vt ex multis caperet felicia lucra,
Scandala non demus Iudæo & gentibus, inquit,
Eccleſiæue Dei, quæ rugas aufugit omnes,
Et capiti per membra ſuo ſe ſedula nectit.
Quanto namq; caput fuerat pro corpore toto
Olfactu, auditu, guſtu, ſpeculamine, tactu,
Tanto vos potior legum ſtrictura coërcet,
Hocq; magis ſummæ debetis imaginis arcem,
Intrepido luſtrare gradu; non hæc tamen iſtis,
Quod vobis aliquam virtutem deeſſe putemus
Proſequimur, ſed magnus amor dicenda miniſtrat.
Nam cupimus veſtra, ad ſanctum molimina finem
Ducier, at ſummum tractandi digna patenter
Nouimus eſſe locum, ni deſit ſola voluntas,
Iamq; etiam noſtrum voſmet cognoſcere votum
Non dubitamus, erit Chriſti perfectio donum.
Trina Dei vobis per ſæcula cuncta poteſtas,
Æternæ tribuat vitæ, ſine fine coronam
Vt vos cum Domino, vobiſcum & læta ſequentum
Turba, metat ſtabiles magna cum pace maniplos.

Ad Degan Chorepiſcopum Treuirenſem, in perſona Tattonis.

HIs tibi verſiculis Doctor ſanctiſſime Degan
Tatto humilis mittit verba ſalutis ouans.
Artor in ambiguis vario moderamine rebus,
Vtrum pauca loquar, an potius ſileam.
Scribere cogit enim, dilectio mutua memet,
Sed vereor ne non dem tibi digna pater.

Tullius inferno quamuis repedauerit imo
Exerat aut magnus ora faceta Plato.
Liuius aut Titus secum ferat ipse Catonem.
Vel linguam teretem Sapho loquax terebret.
Non potuerunt vmquam laudum miranda tuarum.
Dignè proferri, sunt quia multa satis.
Miramur meritò sapientis munera mentis,
Doctrinam, mores, carmina, dicta, animum.
Nec minus exterius miramur sancta staturæ
Incrementa tuæ, membra, manus, faciem.
Nos paruos humiles, murem sibi forma subegit,
Vosq; gigantem esse gloria molis habet.
His sed sepositis tota virtute precamur
Ne laceres versus, Præsul amate datos.
Sed potius scriptis recinentia scripta ministres,
Quîs nos correptos admoneas petimus.
Quin etiam dabimus puerorum pauca legenda
Hinc ioca nostrorum, vt vitiosa seces.
Verum de reliquo si quid mandare velitis,
Mente sumus parti, sic tua iussa sequi.
Quæsumus obnixè, nos ne fraudetis amatis
Vestræ doctrinæ mellifluis modulis.
Sic equidem vobis, verbis audebimus ipsi
Dona salutis item mittere suppliciter.
Maiestas diuina tibi bona cuncta ministret,
Et faciat lætum regna poli capere.
Nunc valeas, vigeas meritis per sæcula pollens,
Sisq; memor nostri, nosq; tui in precibus.

Idem ad eundem.

SVscipe parua tui Præsul sanctissime Degan
Munera Strabonis quæ tibi mittit ouans.
Sis memor in precibus, reddis dum vota Tonanti
Strabonis, memor est semper & ipse tui.
Carmina Pygmei mittam, simul atq; gigantis
Dum vacuum fuerit, semper vbiq; vale.
Amen.

Aenigma.

Ænigma.

EST monitor quidam, plures qui commonet ipſe
Non tamen vlla canit ſine dicta monente viciſſim,
Quæ dum cauma coquit, penitus tacet atque refutat
Carmina, ſed medio melius de frigore clangit.

Drogoni Epiſcopo Mettenſi.

IVdicii decreta Dei dum Paulus acuto
Scrutatus ſenſu, tanti non poſſet honoris
Non dico effari, ſed nec contingere molem
Attonitus miriſque ſtupens affectibus. O quam
Sunt, inquit, diuina homini penetralia longe
Occultis abſtruſa viis, quæ corpore clauſi
Per ſpeculum rariſque vident ex parte figuris.
Quis dinoſcet enim, quæ ſit ſapientia mundi?
Quæ via? quæ rerum latebroſa ſcientia? quodue
Iudicium quo cuncta Deus regit, ordinat, vt ſint?
Quo vaſa interitus flagris & pace ſinuntur
Tendere calle ſuo, per quod pietatis aguntur
Vaſa per aduerſos ſucceſſus perque ſecundos
Lucis amare viam, quo factum ſancte fatebor
Prouiſumque pater, primis vt caſus ab annis
Sæpius aſperior quateret, nec frangeret vmquam.
Quem lætis cenſura Dei laudanda diebus
Perpetuæque bonis voluit ſeruare ſalutis,
Ne ſi ſecuris riderent otia rebus,
Libertas grauius generaret lenta periclum,
Gignit enim diuturna quies fomenta laborum,
Iuge exercitium pacem parit, addit honorem.
Qui vaga diluuio ſeruauit ſemina mundi,
Et genus humanum parua de ſtirpe refecit,
Qui Ioſeph regnare dedit poſt carceris vmbras,
Quique domum Iſraël duris Dux ipſe catenis
Exuit, & pariter promiſſa ad rura vocauit
Poſt latebras, odiique dolos, & prælia. Dauid,
Qui dedit imperium, natiique immania geſta

Vertit in auctorem,rursusque in regna recepit,
Cui pax ipse fuit,vatem qui fauce leonum
Ignibus & pueros mediis subduxit,& alto
Fornacis gremio,rorem pro caumate sparsit,
Qui Christum post flagra,crucem,maledicta,sepulchrum,
Surgere & ad dextram fecit residere paternam,
Qui furuæ tenebras,& cæca silentia noctis,
Mutat luce noua clari per lumina Solis,
Qui nebulas pluuiumque diem redeunte sereno
Purificat,terrisque suum post frigora brumæ
Ver reparans pomis,foliis,& floribus arua,
Quæ fuerant pridem canis turbata pruinis,
Instruit & pelagi feruentia murmura sedat,
Ipse per immensum pietatis munus amicæ
Vos mutare dedit,fuerant quæ tristia lætis,
Vt quia de Domini didicistis fidere donis,
Casuris hærere bonis,non deinde velitis.
Nempe beatus erit Domino qui sperat in ipso,
Est maledictus item qui carnis brachia credit
Sufficere,& Domini demens solatia temnit.
In Domino confisus enim,velut inclyta Sion,
Non metuet pulsata malis per sæcla moueri.
Nam qui verba Dei studiosis auribus haurit,
Et complere studet deuotis agnita factis,
Hunc æterna viro similem sapientia dicit,
Qui mansura domus fulcit fundamina,sacræ
Mole petræ,quæ Christus adest, vbi templa bonorum,
Sunt figenda operum,subito si venerit vnda
Fraudis,& errorum,aut pressuræ flumina fortis
Ventus & à Scythico ducens Aquilone fragorem
Sibilat * inlecebras antiqua fraude latentes,
Vel forte ingenti,si tempestate fatigat,
Stat structor,stat structa domus,quia firma beatæ
Fundamenta petræ,super imposuisse probatur,
Hac de mole petræ,vero stat nomine Petrus,
In quo percepit soluendi siue ligandi
Ordo potestatem,merito qui nomine vestro
Dicitur,hunc quando factis & dogmate recto

* illecebras.

Vosmet

Vosmet habere liquet;quem quo mage quisque meretur,
Hoc & habere magis bene creditur,ergo tenenti
Non dat honor meritum, meritis sed deditur ipse.
Hæc sunt præcipue quibus insignita refulget
Virtutis persona tuæ,sapientia radix,
Ordo,affabilitas,bonitas,patientia,virtus,
Vita,gradus,doctrina,locus,moderatio,victus,
Zelus amorque Dei,fidei insuperabile robur,
Religio,officium,censura,modestia,gestus.
Hisce Dei virtus vosmet per tempora multa
Crescere concedat,proque his æterna rependat
Præmia,quæ seruis tribuenda fidelibus auctor
Insinuat,vitæ Dominus,via,vita,redemptor,
Nominis alta mei si non obliuio memet
Presserit,haud vnquam vestri memor esse vetabor,
Et quæ præcinui votis optare benignis
Pastorum eximio peccator Strabo,pigerque
Quindecies & bis quinos fert munere versus,

*Ad * Muatuuinum Episcopum.*

* *Modoinum*

SI qua viam faceret nostris fiducia votis
Optabam dudum scribere sæpe tibi.
Suscipe nunc tandem Præsul carissime nobis
Quæ simplex humili fert ratione animus.
Non aspernari tantum mea parua magistrum
Crediderim,lati quem colit orbis amor.
Ditis heri locuples capit aurea vasa supellex,
Argenti species adnumerans varias.
Hæc eadem non ficta luto,non lignea spernit
Vascula,sed propriis mancipat officiis.
Qui dat * erithreo summas de littore gemmas,
Finibus Europæ succina quærit hians,
Oceani solitus balenas vellere fundo
Vulgares tineas ad sua lina vocat.
Aurificis studium,pretiosa monilia fingens
Interdum gracilem corpore cudit acum.
Balsama, narcissum mundi per climata quærens
Camporum violas,& coriandra legit.

* *Erythreo.*

Tu

Tu quoque ſummorum paſtus virtute ciborum
Dignare exigui muneris eſſe dapes.
Ac veluti poſt mella, grauis cape pocula mirræ
Quæ ſit ſæua licet, pluribus auxilio eſt.
Gloria quæ veſtris inoleuit magna camænis
Ne laceret noſtros cernuus oro trochos:
Carmina maturæ cupio pretioſa ſenectæ,
Dicta iuuentutis, qui lego multotiens.
Quamuis multa canas ſecli celebranda cateruis
Nos apud es mutus, fama quibus minor eſt.
Ne pater alme ſinas cunctis quod ſponte miniſtras
Expertem memet muneris eſſe diu.
Sperarem veſtræ nunc iam ſolatia Muſæ,
Ni mala per regnum tanta voluta forent.
Nunc doctor, miles; Præſul, bellator habetur,
Peſſundant propria quique aliena gerunt.
Eheu quam clarè Satanæ ſeruitur honori,
Et pax pacis abeſt, orbe repulſa procul,
O proreta pio ſtudium diſpone labori
Ne fluctus mergat qui furit in breuibus.
Sit Dominus tecum, ſemper tua gratia mecum,
In Domino vates, ô Modoine vale.

Item ad quendam.

SI tibi frumenti ſuperarit copia, ſiue
Condonare queas nobis, ſeu vendere quidquam
Extat opus, quia paſcendi mihi denique quidam
Sunt, prodeſſe quibus nolenter ſiue volenter
Debeo, care vale, Sodes Dominum ipſe ſaluta
Prona voce tuum, ſcribam ſi ſuaſeris exin,
Scribitur vt vilis properanter epiſtola, ſic has
Crede mihi nugas, ſine cera hac pelle notaui.

Ad Agobardum Epiſcopum Lugdunenſem:

DVm vix ter ſenos habuiſſem temporis annos,
Ad vos nomen iit, ô pater alme meum.

Perue-

Peruenisse scio, quando rescripta recepi,
Quæ magni nobis instar amoris erant.
Si meministis enim, quia nam meminisse potestis,
Gaudeo, & vt memores sitis vbique rogo.
Ipse amor ardet adhuc animis, viget ipsa voluntas
Visendi temet, atque tuo ore frui,
Æthiopum si regna * calens, si rura Sabæa
Liquit regina, vt Salomona petat.
Cur nos non potius quibus altera regna parantur,
In solo auctoris semper amore sumus?
Nam fateor si certa mihi nunc optio detur,
Vt capiam mundi dona vel ingenij.
Otia liberius verum secura sciendi
Aurea quam secla, sed peritura, sequar.
At de flore nouo, qui vos penes ortus, odorem
Prodit vbique sui, hæc loca rumor alit.
Flora venit quondam, dum singula quæque Deorum
Sunt affata, iugis prata thymumque gerens.
Huic floro melius sententia Christicolarum
Attribuit, quidquid dogmate & ore viret.
Nam hic florus florem sequitur de germine Iesse,
Et tradit quod amans attulit ille homini.
Quæ tam segnis erit donis ingrata supernis
Quæ se hoc non sponte nectare pascat apes?
Floreat haud flaccens hic flos, & florea fragrans
Spiramenta ferat semper vbique Deo.
Donec in astriferas porrecta cacumina sedes
Erigat, & fructum iam sine fine habeat.
Cedant ambrosiæ, rosa, lilia, spica, crocusque,
Suauia cuncta simul, huius amor placeat.
Hoc fruar, hoc vtar, fouear, delecter, abundem,
Auditu & visu huius, alar, docear.
Det quandoque Deus, nos mutua dona vicissim
Impertiri, aliquid pars vtriusque metet.
Munere diuino precor ô sine fine valeto,
Mittentes vestræ dulcia scripta vicis.

* f. colens.

Ad Maurum Hrabanum Abbatem Fuldensem, Magistrum suum.

SVscipe seruorum pater optime verba tuorum
Annuat vt vestris omnipotens precibus.
Fac supplere moras torpentem pectore Strabum
Plurima ne dominis probra legat propriis.
Suscipe * putricolum clementi corde libellum
Emendata tuo viscera vt ore ferat.
Vix reparata tuis concedere dogmata seruis
Dignare, vt norint quam bene amore cales.
Cresce valens, augere vigens, firmare beatè
In Domino semper, inclyte quæso pater.

* f. patricolam

Ad eundem pro calciamentis.

HRabano patri per verba precantia Strabus,
Ante aliquot menses spondebat epistola nobis,
Huc autumnali venturos tempore missos
Vsibus vt nostris ferrent, quæ nostra poposcit
Paupertas, sed spes miserum me vana fefellit,
Quo sic suspensum improuisa perurget egestas,
Sed licet innumeri pulsent mea pectora questus
Plus tamen impugnat, quod nudi pedalia cogar
Ecce pati, nî vestra prius solatia nostros
Respiciant casus, verbis vt pauca monenti
Occurrat, quæ fit cunctis largissima mater
Vestra manus, valeas per sæcula cuncta precamur.

Ad eundem pro seruitore dando.

QVÆ sumus exigui temet pater optime serui,
Sit nostri vt clemens vestra memor bonitas.
Ædis enim nostra est nobis angusta duobus,
Si terni essemus, lata satis fieret
Vnde expectamus vestri promissa fauoris,
Tu nos vt clemens teque iuuet Dominus, Amen.

De quinq; partibus Rhetoricæ.

PArs est Rhetoricæ solers inuentio prima,
Dicendi constat bene conditus ordo secunda:
Tertia condignis sequitur pars * angusta duobus,
Quarta rogat memorem, collecta tenere magistrum,

* locus corruptus

Explet & ornatum dicentis formula quintum.

Ad VVenibertum Abbatem.

SVſcipe ſancte pater pauper quæ munera Strabus
Mittit,& ex animo miſſa reuolue libens,
Nam quod apud gnaros,gaza pretioſius omni eſt,
Hoc tibi porrigere viſcera noſtra volunt.
Non aurum,non vlla malis obnoxia curis
Munera,quæ incautos ſternere ſæpe ſolent.
Xenia ſed mundas tantum paſcentia mentes,
Quæ tibi quando fero centuplicata gero.
Hæc igitur ſi dicta pias dimittis in aures
Plura dabo,vitam ſi Deus addiderit.
Viue,vale,reſcribe,doce,VVeniberte benigne.
Eſto memor memoris,& memor eſto tui.

Ad Sigimarum modo Abbatem.

SAncte pater dignare breuem percurrere chartam,
Quam Strabus tenui edidit ingenio.
Sunt mihi namque patres celeberrima iura tenentes,
Talia curantes non recitare metra.
En ideo ignotis commendo probanda labellis,
Vt ſaltim inueniam qui pia verba ferat.
Reſpice quem torto ſpectare videbis ocello.
Iſte puer mittit hæc tibi verba pater.
Æternam cupiens tibi namque manere ſalutem,
Sis memor vt famuli mutua dando tui.

Ad Magiſtrum Tattonem.

LItterulas l[illegible]c [illegible]næ noſtras comitantur amaræ,
Optantes faciem ecce videre tuam.
Tu videas vitæ cæleſti in ſede datorem
Mercedíſque feras præmia multa bonæ.

De carnis petulantia.

QVisquis tramite pendulo
Decliuique * Spheram loco
Plana ponit in area,

* Spheram corup primam more illius ſeculi.

Ni

Ni prenſum teneat manu
Statim cernit ad infima
Curſu nare volubili.
Qui plumam leuibus manu
Aut credit folium notis
Dum ventis quatitur polus;
Ni prenſet manibus, fugam
Molitur vaga concitam
Res, & fertur in aëra.
Cum puppim fluuio leuem,
Et ſæuis dare fluctibus
Cogit dura neceſſitas
Ni conto pigra robora,
Et remis ſubigat celer,
Te ſecum rapit alueus.
Ignis per ſtipulas volans,
Aut ſummas fruticum comas,
Quas vis Solis obuſſerat,
Ni fons fortior occupet,
Statim materiem vagam
Conſumit ſimul, & perit.
Agreſtem caueis feram
Captam, profuit aut auem
Sub cuſtode tenerier,
Ni ſic aſſiduus domes,
Pergit luſtra per auia
Morem quærere priſtinum.
Annis forte recentibus,
Si pullum patre nobili
Campis credideris ſatum,
Ni frenis bene preſſeris
Confiſus petulantia
Te deponit, & auolat.
Noui flumina promptius
Primis currere callibus,
Quæ ſi forte coëgeris,
Notos linquere tramites,
Ni conſepſeris vndique,

Rum-

Rumpunt fœdera protinus.
Hæc carnem ſtolidiſſime
Noſtram reſpiciant homo,
Conſuetam male viuere,
Puppis, pluma, focus, ſphera,
Pullus, flumen, auis, fera,
Hæc attende ſagaciter.
Quam nî ſollicitus malis
Exarmaueris inſitis,
Et conatibus intimis,
Ad veram retrahas viam,
Nigros tendit ad inferos,
Et tu perpetuo gemis.
O qui munere perditas
Sanaſti vitiis tuo
Terras, per genitum tûum,
Fac ne dæmonis horrida
Vis mentes ſibi vindicet,
Quas baptiſmate laueras.

Ad Lipharium Monachum.

STrabus ab interno tibi mittit amore ſalutem,
In Domino vt valeas Doctor amande tuo.
Sis memor & Strabi reſcribens mutua pacis
Munera, ſi dicta vixero plura dabo.
Portitor accelerat, ſenſus in pectore tardant.
Senſus ſi melior venerit, inſtat amor.

Ad Altgerum Monachum Elabvvang.

STrabus opem Domini veteri optat adeſſe ſagittæ;
Ipſa nimis valeat Strabus vt ipſe rogat.
Plango tuos fateor fautor dilecte receſſus,
Oraq; largifluis, irrigo nunc lacrimis.
Sum memor auxilii, mihi quod conferre ſolebas,
Et munus recolo pacis amoris opus.
Oſcula dulciſono libate precamur ab ore
Litterulis ego quas pollice & ore dedi.

Iam ſecura tua reſidere ſagitta pharetra
  Cerneris, & placidis paſcier ecce bonis.
Nec de mente cadat, fueris quis, quiſque modò ſis,
  Perfecta in recto ſunt documenta opere.
Marcuuardum Cptanen dignum precor omnia *Bertum*
  Dona ſalutis ego Strabus habere diu.
Iam valeant cuncti fratres, valeat bonus Abba,
  Seruulus hoc veſter, oro puſillus enim.
Tu memor eſto mei ſanctis ſermonibus Altger,
  Strabus vbique tui eſt memor in Domino.

In perſona cuiuſdam Monachi ad Abbatem ſuum.

SVſcipe clementer paucos pater optime verſus,
  Suſcipe vota precum, conſpice mœſtum animum.
Qui geris ecce vicem Chriſti pietate magiſtra,
  Te credo eſſe pium de pietate Dei.
Numquam me ſimilis ſtrauit, tetigitq; procella,
  Cuius ad incurſum tam cito deficerem.
Quam me veſtra quatit fictis ſuſpicio rebus,
  Qua miſer vt timeo, nec fuga nantis erit.
Si tamen ad ventum licuiſſet flectere remum,
  Securo eximerem pectore me pelago.
Idque rogo ſummè rogitans per numina ſummi
  Iam me mundari, vel patere eſſe reum.
Mitius expelli ferrem de ſorte meorum,
  Iram quam veſtram hoc meruiſſe modo.
Da veniam dictis, ſolito potioribus iſtis,
  Ecce neceſſe mihi ſic pater alme fuit.

Goteſſcalcho Monacho, qui & Fulgentius.

VElox Calliope viam frequenta,
  Qua Fulgentius inuenitur, illum
Poſt cunabula longius meantem
Quæſiſti, dubiam ſecuta famam,
Interdum vaga perſtrepebat illum
Romana poſitum ferens in vrbe,

Deuo-

Deuoto extera cogitare corde,
Gratis exiliis adire rura.
Tandem quære ſuo loco reductum,
Et dic ſemper aue, valeq; multum,
Cui quondam dederas honore nomen
Ductum, dirigit hic tibi ſalutem.

Dulcia cum noſtros ſancti natalis amores
Iam propius tractis complerent gaudia votis,
Addita ſunt faſti fulgentia dona ſecundi,
Quod tua ſuſpenſis ingeſſit epiſtola nobis,
Vt requies laſſo, ſitienti vt dulcis aquæ fons.
Lac maternum agnis, pluuia vt ſqualentibus aruis;
Carcere conſtrictis vt lucis verna diurnæ:
Sic optata palatinas mihi metra tuapte
Scripta manu, nebulas vero pepulere nitore,
Sed quia luciſluo ſuccedunt ſæpe ſereno
Nubila, non aliter turbant mea gaudia * Chauri,
Dum tua ſcripta ſonant, benē me te poſſe carere,
Ad faciem quantum, cum ſit mihi teſtis in imo
Pectore, ſpes ardens à te me plurima velle
Lucrari, ſucisq; tuæ conſortia ferre.
Te quoque ſit certum multis teſtantibus, & me
Atque alios exemplorum verbique lucerna
Inſtruere, & ſapidis infundere poſſe ſaliuis.
Eſt aliud maiore mihi mœrore gemendum,
Quod cum vita tibi potior ſit lege Lycurgi
Solus in accepto recubes non prodigus auro,
Commiſſumq; premant ſudaria nexa talentum,
At qui in paupertie paſſa eſt quam noſtra iuuentus,
Non talem te care habui, minus atque benignum
Expertus non ſum, fuerat quam cura petentum,
Cur modo * diutius mordax teſtetur in amplis
Fama tuam miror celare peculia dextram,
Quæ pater vſuris clemens augenda reliquit,
Sol radios nec Luna ſuos cæco inuidet orbi.
Imber in arua cadit ſubiecta, fluuntq; volentes
More ſuo fluuij, partum trahit aëra mundus,

* Cauri.

*

Grami-

Gramina fert tellus, foliis & fructibus arbor
Sponte reuestitur, lac manat ab vbere matrum,
Ipse Deus sine dat cunctis discrimine lucem,
Et pluuias, operisq; sui iubet ire sequaces.
Quis mihi persuasit sacra munera corde tenaci,
Obstruere, auctori nisi qui contraria sentit?
Quin potius monuit sancti quod pagina Pauli,
Seruemus, bona, quæ subsunt, operemur ad omnes,
Sed magis in sanctos, quos vita domestica nutrit.
Ergo pater fraterq; meæ pars vnica mentis,
Noluerim mea dicta putes lacerare volentis
Sed tua nolentis reticere pericula, si quid
Mens mea scit, poteritq: fidem seruare fideli,
Non tibi talis ero, qualem meminere Philippum
Fraude in amicitiæ per prisca volumina fasti,
Sis mihi quam merui longè rogo maior amicus.
Quantus sum tibi, tantus ero, rescribe per istum
Pacis amatorem nostræ, fidumq; sequestrum,
Proq; rogante ora, ne turbine raptus iniquo
Non meminisse tui queat, hinc in sæcla valeto.

De quodam somnio ad Erluinum.

NOx erat & magni alternis per climata cœli
Ignibus auxerunt astra remota iubar,
Pollachar in fusum * Lœtheo munere somnum
Emotis curis, noctis amabat opes.
Cum subito tenebras fama est Iouis armiger altas
Decutiens, oculis visus adesse viri.
Perge ait, & terræ nebulas transcende prementes
Ducam etenim, quo te præmia magna manent,
Lætus ad hæc grates cernenti cuncta quod ægram
Quæsitu longo vult saciare animam.
Ales ad alta volat, timidumq; per aëra portat,
Donec terrorem purior æthra dedit.
Dædalus ille nouus, partim suadente timore
Partim præproperum, quod terit horret iter.
Sordibus hisne, inquit, quis turgent membra grauatum
Lucida stelligeri me feret aula poli?

* Lethæo.

Quin

Quin patere excurrat distenti egestio ventris,
  Terra suum seruet pondus, abibo leuis.
Vnguirapus ventura sciens caudam ore teneto,
  Dixit, & expurga fætida quæq; celer.
Tum verò vt longum mundus duraret in æuum,
  Ilia pro totis nisibus euacuat.
Hic aquila, absurdum est, diuinis sedibus, inquit,
  Inserere, aspergat qui loca celsa lue.
Ergo redi & strati sordes intende relapsus
  Nec rursus speres sordibus astra sequi.
Euigilans quidquid supero sibi visus ab axe
  Fundere, per lecturam repperit ire suum.
Pro pudor atque nefas, visis deceptus iniquis.
....

Videntur hic aliquæ pagellæ ex Cod. MS. excisæ, nescio enim fraude.

Carmen de Michaële Archangelo incipit.

AD te confugio Michaël, tua numina posco,
Eximium lumen mundi, qui vota precantum
Suscipis, & placido perducis ad astra volatu,
Præsidium cœleste ferens mortalibus ægris.
Principiò veniam tribuas peccata remittens
Actibus aut verbis, aut solo noxia sensu,
Mox animum corpusq; tuo medicamine cures,
Vulnera restringens penitus variosq; dolores
Atque in pace domum foueas, mentemq; per æuum
Lætifices, cedant meliori tristia fotu.
Tu generis, tu coniugij fiducia nostri.
....
....
Torqueat inde ruens nullus mea pectora casus,
Auertas morbos, proprium aut consume periclum,
Impendens arcere velis, viresq; potentum
Disijcias, rabido qui me liuore fatigant,
Non humilis pergam, nec vero inglorius æuum,
Sed liqueat, quantum pro me tua dextera possit,
Quæ quondam victumq; dedit, famamq; togato,
Ipse gubernator rerum, mihi prouidus assis,

Impauidumq; tegas, fortunatisq; fouendum
* Conciliis, maiore gradu contingat honorum
Illustrem iustis * operibus, sensuq; beatum
Efficias, ne dura fames, aut turpis egestas
Dedecus immergat, natis quos ipse dedisti,
Perpetuum dones * cibum, firmamq; salutem,
Sim gratus, carusq; meo semperq; probandus
Martiano, quem tu incolumem summo renitentem
Fastigio, grauibus tutum defende periclis,
Nunc ego nunc tristem cernam * relinquere cogar.

* *f. consiliis.*
* *f. operis.*
Carmen hoc non videtur Strabi, aut à Strabo nomine alterius scriptum est.
* *f.* re linquere *disiunctim.*

De sancta Maria Virgine.

HAnc aulam Domini seruat tutela Mariæ,
Cui veneranda rudis sacrantur culmina templi,
Et noua consurgunt sacris vexilla triumphis,
Hac celebratur honor sacræ genitricis in aula,
Quæ verum genuit lumen de lumine patris,
Quem clamant Titan almo spiramine vates,
Fœmina præpollens, & sacra puerpera virgo
Audi clementer populorum vota precantum,
Marcida qui riguis humectant imbribus ora,
Ac genibus tundunt curuato poplite terram,
Dum veniam fuso lacrimarum fonte merentur,
Et crebris precibus delent peccamina vitæ,
Hæc inquam virgo cœlesti pignore fœta,
Edidit ex aluo saluantem sæcula regem,
Imperium mundi, solus qui iure gubernat,
Vt dudum Angelico discit virguncula fatu,
Cum pater altithronus Gabriel misisset ab astris.
Hic fuit egregius quem promit carmine vates,
Qui Solymis quondam diuis regnabat in aruis.
Hortus conclusus, florenti vertice vernans,
Fons quoque signatus, cœlesti gurgite pollens,
Nec non & turtur tremulus, cui præscius infit
Angelus, en sobolem generabis virgo perennem,
Atque puerperium paritura puerpera gignis,
Filius altithroni faustus vocitetur in æuum,
Spiritus è cœlo veniet sanctissimus in te.

Virtus ecce tuo confert vmbracula cordi,
Patris obumbrabit te virgo celsa potestas,
Quo dictu matris turgescunt viscera fœtu,
Qui genitus mundum miseranda labe resoluit,
Atque crucifixus polluta piacula tersit.

De sancto Petro Principe Apostolorum.

HAnc Petrus absidam Sanctorum sorte coronat,
Clauiger ætherius, qui portam pandit in æthra,
Ianitor æternæ recludens * gemina vitæ,
Omnibus hic geminum digessit dogma per orbem,
Quod binis constat descriptum ritè libellis,
Pectore qui patulo Christi præcepta capessunt.
Vt prius æquoreas captabat rete cateruas,
Linea squamigeris extendens vincula turmis,
Sic hominum cuneos mundi de gurgite raptos
Ducit ad æternum cœlesti remige regnum,
Vt tibi Saluator vera cum voce spopondit,
Quando piscantem panda de puppe vocauit,
Qui ponti pedibus calcauit cærula Glauci,
Sed mare mergentem tumidis non sorbuit vndis,
Dextera dum Christi turgentia marmora pressit,
Cuius præstabat defunctis vmbra medelam,
Tum sani rursus redeunt ad lumina vitæ,
Quamuis iam nigræ lustrassent limina mortis.
Hic quoque poplitibus nec non & crure gemello
Claudum restaurat, fretus virtute Tonantis.
Et citò sanatis præcepit pergere plantis,
Quem prius ad templum gestabant forte propinqui.
Hic etiam binos multauit morte malignos,
Qui pretium fundi celarant fraude nefandum,
Insuper & magicum falsi phantasma Simonis,
Funditus euacuans, tetras detrusit in vmbras,
Romanum vulgus soluens errore vetusto,
Qui præcelsa rudis scandit fastigia turris,
Atque coronatus lauri de fronde volauit.
Sed mox ætherias dimittens furcifer auras,

Cernuus ad terras confractis ossibus * ambro
Corruit, & Petro cessit victoria bello,
Qui cruce confixus gaudens tormenta luebat,
Horrida crudelis passurus vulnera ferri,
Quem Deus æternis ornatum iure triumphis
Arbiter omnipotens ad cœli culmina vexit.

De sancto Paulo Apostolo.

SAulus qui sanctas multauit carcere turbas
Credulus efficitur mutato nomine Paulus,
Plurima frugiferis dispergens semina verbis,
De quo sacra seges mundi succrescit in orbe,
Quem Deus infidum cœli clamauit ab arce,
Quid me persequeris dura cum calce refragans?
Ergo diem ac noctem ponti sub gurgite mersus,
Magna supernarum meruit spectacula rerum,
Tertia cœlorum raptus fastigia scandit,
Atq; poli proceres vidit cum mente maniplas,
Quem Pythonissa procax clamauit voce proterua,
Spiritus abscessit Paulo purgante puellam,
In vacuasq; procul fugiens euanuit auras,
* Effœbum puerum lustrantem tartara mortis
Suscitat, in proprias anima penetrante medullas,
* Non magnum meritò geminis fraudauit ocellis,
Cerneret vt numquam splendentem lumine Phœbum.
Cruribus atque suris claudum restaurat egenum,
Quem fortuna prius gressu priuauit amœna.
Sicq; patrem Publi, quem febris torsit anhela,
Torridus vt pellat brumosis frigora nimbis,
Vipera dira manum læthali dente momordit,
Sed Paulus gelidum non sensit vulnere virus.
Lædere nec sanctum valuit crudele venenum,
Denique squamosa contectum pelle chelydrum
Protinus in flammas torrendum tradidit atras.
Postquam compleuit labentis tempora vitæ,
Martyrium rubro quæsiuit sanguine sacrum,
Purpureusque cruor venarum fonte cucurrit.

* Ephebum.

* voce magnum. Sic erat in margine.

Offa

Ossa tegat tellus quamuis modo mole sepulchri,
Ast tamen hinc proceres conscendit spiritus arces.
Cœtibus Angelicis nimbosa per æthera ducit.

De sancto Andrea.

HIc simul Andreas templi tutabitur aram
Petri Germanus, qui quondam funere * lœti
Horrida perpessus sancta cum carne pependit.
Quem Deus Oceani lustrante frustra phaselo
Cœlitus adsciuit, gradiens per littora ponti,
Protinus Andreas compunctus voce Tonantis,
Credidit æternum saluantem sæcula regem,
Pendula capturæ contemnens retia spretæ,
Et dicto citius Christi præcepta facessit,
Quis numerare valet populosis oppida turmis,
Illius eloquio, quæ fana profana fricabant?
Credula pandentes regi præcordia Christo,
Nempe vicem Domino soluebat calce cruenta
Dum crucis in patulo suspensus stipite Martyr,
Vltima mortalis clausit spiracula vitæ,
Purpureas sumens Christo regnante coronas.

* Letho.

De sancto Iacobo fratre Ioannis.

HIc quoque Iacobus cretus genitore vetusto
Delubrum sancto defendit tegmine celsum
Qui clamante pio ponti de margine Christo
Linquebat proprium panda cum puppe parentem,
Primitus Hispanas conuertit dogmate gentes,
Barbara diuinis conuertens agmina dictis,
Qui priscos dudum ritus, & lurida fana
Dæmonis horrendi decepta fraude colebant.
Plurima hic Præsul patrauit signa stupenda,
Quæ nunc in chartis scribuntur rite quadratis.
Hunc trux Herodes regni Tetrarcha Tyrannus,
Percussum * machera crudeli morte necauit,
Quem pater excelsus qui sanctos iure triumphat,

* machæra

Vexit in æthereas meritis fulgentibus arces.

De sancto Ioanne Apostolo & Euangelista.

NEc minus interea glomeretur virgo Ioannes,
Quem germana simul iunxit concordia Christo,
Dum pandam vetulo liquit cum patre carinam.
Retibus æquoreas claudentem marmore prædas,
Qui post algosis verrebat cærula remis,
Piscibus insidias nectens sub gurgite ponti,
Sed clamante Deo luctantes littore lymphas,
Retiferamque ratem caro cum fratre reliquit,
Et Dominum sequitur cœli qui regnat in arce.
Hic fuit egregius Christi regnantis alumnus,
Omnibus anterior magno dilectus amore,
Quem Rex extorrem, Romæ qui regna regebat.
Trusit in exilium cymba per cærula vectum,
Exsul, qua positus rerum spectacula plura,
Creuit in extasi cœlesti munere fretus,
Quæ modo membranis per mundum scripta leguntur,
Paulat in * Effeso præfatus corpore Præsul,
Præmia sumpturus cum clangit classica * salpin,
Vltima dum priscis labuntur tempora sæclis.

* Epheso.
* σάλπιγξ.

De Thoma qui dicitur Didymus.

HIc Thomas Didymus nomen sortitus Archiuum
Seruat sacratum sarta testudine templi.
Vulnera qui tangens crudeli cuspide gesta
Credidit extemplo saluantem secla monarcham,
Quamuis ante foret sociis * is credulus almis,
Atque fidem dubio gestaret corde sinistram,
Dum chaos inferni surgens de morte redemptor
Linqueret abstrusum vasta comitante caterua,
Sed mox ambiguum conuertit rubra cicatrix
Discipulo palpante trucis vulnuscula ferri,
Dum foribus clausis, trepidans qua turba latebat,
Pacifer intrauit Christus Saluator in aulam,

* incredulus.

Hunc

Hunc igitur soboles misit veneranda Tonantis
Eoas gentes almis conuertere biblis.
Plurima magnificis patrantem signa triumphis,
India cum sacris coluit simulacra nefandis,
Doctrinis veterum stolidis instructa parentum;
Sed confessa fidem Thoma lucrante salutem,
Credidit in Christum cœli qui sceptra gubernat,
Denique transacto præsentis tempore vitæ
Protinus ætherium Thomas lustrauit Olympum,
Quem fani flamen veteris cultorque sacelli
Sanguine rorantem rigido transuerberat ense
Præmia sumpturum cum tellus sponte dehiscet
Omnia de priscis & surgent corpora tumbis.

De Iacobo filio Alphæi.

NEc non Iacobus Christi matertera cretus
Et consobrini felici nomine fretus,
Hanc ædem Domini de summo seruat Olympo,
Quem plebs Iudæa, sæuo bachante tumultu,
Pulsum de pinna fullonis fuste necauit,
Quod Christum populis scandens fastigia templi,
Continuaretur crebro sermone Sacerdos,
In cuius genibus pellis callosa refertur,
Dum vicibus crebris oraret voce Tonantem,
Poplitibus flexis tundens pauimenta sacelli,
Lanea villosi spreuit velamina pepli,
Linea brumosis sumens mantilia flabris,
Sic quoque fragrantem contemnens corpore nardum
Thermarum penitus, neglexit pectore pompas,
Non cirros capitis ferrata forfice dempsit,
* Nec aliter malas vestes lanugine rasit,
Cuius virtutum tanta præconia constant,
Vt vindicta necis, quam dira morte luebat,
Interitus fieret Solymæ, populique ruina,
Dum Titus Cæsar densa comitante caterua,
Vrbem ferriferis vallaret milibus amplam,
Cum genitore simul Romanis arcibus orto,

* Non.

Donec

Donec dira fames consumpsit strage cateruas
Mœnibus obstructas,& muri carcere septas,
Tempore quo tenerum mactauit femina natum,
Insuper assandum verubus transfixit acutis,
Quem coctum laribus crudelis mater edebat,
Humanæ penitus naturæ iura resoluens,
Horresco referens * Ephœbi funus acerbum.
Sic vindicta crucis multauit clade nefandos,
Sic quoque Iacobi multauit passio sontes,
Vndecies centena simul cecidisse leguntur
Milia,per miseram moribundis ciuibus vrbem,
Insuper & centum venduntur milia passim,
Quos rigidus ferri neglectus mucro reliquit
Et famis exigua perierunt funera stirpe.

* *Ephebi.*

Item de Philippo Apostolo Christi.

HIc quoq; commemorat metrorum comma Philippum,
Quem pius æthrali ditauit gratia Christus,
Barbara qui docuit doctrinis agmina sacris,
Credere per Scythiam saluantem sæcula Christum,
Qui dudum tetra torpebant mortis in vmbra,
Auctorem lucis tenebroso corde negantes
Atque creaturæ famulantes ordine verso,
Donec Apostolicam hauserunt ore loquelam,
Limpida perpetui cernentes lumina Phœbi,
Omnes certatim merguntur gurgite sacro,
Flagitium sceleris purgantes fonte lauacri,
Inde Asiam properat sanctis conuertere biblis,
Idola quæ dudum decepta fraude colebat,
Credula sed potius pandit præcordia Christus,
Splendida discipuli dum fantis verba capessit,
Sic felix Asiæ conuertit dogmate regnum,
In qua post abitum fatali sorte quiescit,
Cuius hoc templum sacrata tuebitur area,

De Bartholomæo Apostolo.

VLtima terrarum præpollens India constat

Quam

Quam tres in partes librorum scripta sequestrant,
Idola quæ coluit paganis dedita sacris,
Sed Bartholomeus destruxit lurida fana,
Effigies veterum confringens iure Deorum
Hebrea quem clamat peregrinis lingua loquelis,
Proles suspendentis aquas in nubibus atris,
Humida nimbosis dum stillant æthera guttis,
Quem signat procerum cælestis dogma profundi,
Vt quondam cecinit psalmorum carmine vates
Ecce latex rorat, tenebrosis nubibus aëris.
Post hæc Martyrij mercatur serta cruenta,
Et sequitur Dominum pictus in stigmate Christi,
Cuius hoc templum veneranda tuebitur * ara.

* f. arca

De Mattheo Apostolo & Euangelista.

MATTHEVS egregium describens dogma salutis,
Hebrea per simplum digessit dicta libellum.
Plurima mirificis narrans miracula * scedis.

* schedis

Quæ modo per mundum diuulgant scripta triquadrum,
Quem Fison fluuius, Paradysi fonte redundans
Tropica portendit pandens mysteria rerum,
Fontis designat saluator iure figuram,
De quo quadrifluis decurrunt flumina riuis,
Quattuor vt quondam nascentis origine * sæclis,

* secli

Limpida per latum fluxerunt flumina mundum,
Quæ rubros flores & prata virentia glebis,
Gurgitibus puris, & glauco rore rigabant,
Sic doctrina Dei fluxit de fonte quaterno,
Arida diuinis irrorans corda scatebris,
Hanc scriptor verax expressit Mattheus olim,
Quemque Propheta Dei sacro spiramine plenus,
Humana specie vidit signarier olim
Quod Christi patres & auos numeraret auorum
E queis saluator nostræ cunabula * sarcis,

* carnis

Sumpserat in mundo scelerata piacula clemens.

De Simone Zelote Apostolo.

SIMON Zelotes, nec non Chananeus idem

Inter Apoſtolicos Petri cognomine fretus,
Cœtus qui docuit gentiles dogma ſupernum,
Vt celſum peterent cæleſti tramite regnum,
Cuius in hac aula ſacra ſeruabitur ara,
Cum polus & tellus ac ponti fluſtra fatiſcant,
Donec ſupremis ſcintillent ſæcla fauillis,
Et mundi moles montes colleſque liqueſcant,
Atque ceraturæ cerarum fluxus ad inſtar
Machina ſuccumbat flamma crepitante per orbem.

De Iuda Apoſtolo, qui & Lebbeus, cui nomen eſt Tatheus.

SVPREMVS numerum concludat Tatheus almum
Cui cognomen erat præclarum Libbeus olim,
Quem duxiſſe ferunt Chriſti cum grammate ſcedam
Abagaro quondam, qui regni ſceptra regebat,
Poſtquam tartareum damnauit morte tyrannum,
Et tetris erebi gaudens emerſit ab antris.
Exin ſidereum Chriſtus conſcendit Olympum,
Dicitur hic etiam vulgato nomine Iudas,
Cuius præſenti laudes celebrantur in aula,
Qui nobis binum facundo famine biblum
Edidit, antiquas promulgans ore loquelas,
Quas Enoch priſco deſcripſit tempore vates,
Ante rapax mundum quam pontus flecteret vndis,
Dicens, ecce venit Dominus cum milibus almis,
Ponere iudicium cunctis habitantibus orbem,
Quos nubes appellat aqua ſtillante carentes
Frigida quas rapidis diſpergunt flamina ventis,
Nec non arboribus ſterili de ſtipite natis
Comparat autumni, quem fructum tempore perdunt,
Sicque ſpumiferis vndarum fluctibus æquat.
Errabunda vocans cælorum ſidera ſontes,
Quis ſeruata reſtat tenebroſis pœna procellis,
Nymphiferas gentes, & ponti barbara regna,
Iudas ad Dominum doctrinis flexerat almis
Cuius in Armenia ſopitum morte cadauer,

Exre-

Exresurrecturus fatali fine quiescit,
Sed tamen ætherias lustrat nunc Spiritus arces.

Hic Fortunatus XII. Apostolos pro peccatis suis orat.

IAM iam bis senadigessi nomina patrum,
E quibus altithrono conuersus credidit orbis,
Hos precibus verna crebris & pectore pulso
Vt mihi clementer noxarum pondera laxent,
Et veniam dantes commissa piacula soluant,
Quatenus in requiem diuino munere fretus,
Vltimus ingrediar Christo regnante per æthra.

Item de Matthia Apostolo, quem Deus elegit sorte pro Iuda.

HOc sacer obseruat delubrum Matthias almum,
Vnus qui fertur de septuaginta fuisse
Discipulis Domini, sacrum qui dogma docebat.
Quem Deus electum signauit sorte superna
Dum Iudas Scarioth stropha deceptus iniqua
Culmen Apostolici celsum perdebat honoris,
Atque fibras olidas tetro cum viscere fudit,
Dum crepuit medius laqueo suspensus ab alto,
Qui Dominum lucis redimentem sanguine sæcla
Vendidit, vt cupidus fuluum nomisma capessat,
Matthias idcirco spreto latrone nefando,
In Domino fretus numerum suppleuit eundem
Iunctus Apostolicis gratatur iure triumphis.

Incipit Psalmus.

QVAM bonum ecce simul fratres concorditer omnes
Est habitare pios, capitis ceu vertice quondam,
Limpida fomenti fundunt velamina pepli,
Vdaque rorifluì veluti cacumina collis,
Hermon & Syon, humescunt roscida rura,

Illic perpetuo pollebunt munera patris,
Vitaque fine tenus durat per sæcula sospes.

Oratio Dominica.

OMNIPOTENS auctor cæli regnator in aula.
Sanctificetur honore tuum laudabile nomen,
Longe repulso hoste qui nos liuore fatigat,
In terrisque fiat nostris tua clara voluntas,
Sic veneranda poli qualis in culmine constat.
Summe pater, nobis panem concede diurnum
Donec nostra fides meritum succrescat in almum.
Plura quæ facimus nobis delicta remitte,
Vt veniam dantes laxemus debita fratrum
Naturam nostram mala non tentatio frangat,
Nos superet laqueos ne inducas hostis iniqui,
Ergo mali magnis tu nos defende periclis.
Vt mereamur inire tui alta ad præmia regni.
Ista quidem lector qui sim cognosce loquela.

Aliud.

HARTPERTO superi septo diademate regni
Virtutum vitam gradibus qui scandis honestam,
Seruitio Domini nunquam marcescis in omni
Pectore sub fido deuotus nuntiat, N.
Omnia quæ fieri possunt famulaminis vlli,
Cum precibus fidis simul omnia tota salutis,
Responsum vestri iam iam venisse cupiui,
Tale quod ex vobis referat solamina nobis.
Vos ego vos verè dubito qui velle replere,
Auribus vt vestri dixere notamina nostri,
Vel melius fari, vel prorsus posco negari,
Cordis vt ambigui cito possint vincula solui.
Sicut gaudet auis lætantur garrula ramis,
Corpore sic vestro gratulabor sospite viso,
Hæc rogo verus amor, iungat non diuidat error.

ΔΙΣΤΙΧΟΙ ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΑΓΧΟΝ ΤΩΝ ΑΓΑΘΩΝ.

PAtri dilecto virtutum flore sereno
  * Mathytes fidus optat vbique decus.
Si mihi millenis fluerent modulamina bombis
  Non possent tanti digna sonare tibi.
Quem tamen vt potero deuoto pectore laudo,
  Laudandum merito vociferante sono.
Te cum symphoniis modulentur lymmata ternis.
  Armoniæque decus consonet omne tibi.
Tessara cum modulis conflentur in organa trinis
  Nunc tibi dyplasium, nunc diapente sonet.
Te per grandisonas laudet moderator hydraulas
  Colchica formetur ex adamante tibi.
Laudent concordes sueto te more sorores,
  Est quorum numerus bis quater atque semel.
Quæ testante mytho volitantes alite multo
  Auricomo comites intonuere polis.
Visibus vna meis tantum restabat in aruis,
  Quam vexit cygnus tardus ad istud opus.
Quæ mecum luteas interuersando paludes
  Edocet in laude euigilare tua.
Denique veridicus varios felixque misellus,
  Amnes astriuagi prodiderat numeri.
Quorum iam reliquis quadam de parte remotis
  Extima nos duri, afficit vnda vadi.
Gurgite quo geminis tantum circumdata cygnis
  Nostra Thalia sedet, frigoribusque riget.
Denique candidulas nigro sub gurgite pennas
  Obsordere dolet, cum dolor alter abest.
His vsura foret cum flumen lactis adesset
  Hinc alios comites postulat hicce sibi.
Cornicem alpinam si quis transmittat ad illam
  Strimoniamue gruem, munera grata dabit.
Illi cum crotalis, tinnitibus atque lyrarum
  * Treicium superans, clangeret ipsa vacans.

* μαθητής.

* *Threicium.*

Artibus omnigenis rutilans ô nomine dulcis
Hoc opere vt tibimet obſecro care vacet.
Nomen namque tuum recolit plus omnibus vnum
Perdia quod memorat, noctéque connumerat.
Attamen indubitans iſtæc vt tu mihi credas.
Aſpice quæ ſcripſit ipſa magiſtra tibi.

Verſus Thaliæ ad eundem.

COMPAR amande vale, noſtri decus inclyte ſalue,
Quem nobis aptum facit experientia rerum,
Artibus in noſtris qui non æquandus haberis.
Namque tuum nomen mihi ſemper amabile lumen,
Noctes atque dies mecum verſabitur omnes
Quod ſtringens numeris cæleſtis ad inſtar honoris,
Compono certis manifeſtans cognita rythmis,
Cuius frons quinis, deciesque recognita quinis,
Dat lateri triadem decadem ter denique ſigna.
Denique bis binis ipſo de nomine ſumptis
Litterulis quadrum ſigno per climata mundum
Mox totidem reliquis ductis exinde elementis
Quattuor in mundum ſpargentes dogmata latum,
Signantur proceres, Chriſti documenta notantes,
At tu ſi cautus hæc bina quadrangula cernis,
Bis centum numeros adiectis quinque notabis,
Quos per ſeptenos ſollers ſi diuidis orbes:
Sunt duo quæ reſtant geminam ſignantia pacem,
Eptas, nam totidem deſignat dona ſuperna,
Sed ſi pentagonum cernis per grammata primum
Quodam cum phthongo reſonat ceu nuntius alti.
Ternæ litterulæ reſtant de nominis arce,
Quas fidei ſanctæ ternarius offerat ipſe,
Aſpice nunc clarum frater nomenque ſerenum,
Gaudens cum Domino felix, noſtrique memento.

Finis Carminum Strabi, quæ erant in Manuſcripto Codice S. Galli.

HORTVLVS EIVSDEM VVALAFRIDI STRABI.

Ad Lectorem.

ETSI Hortulus iste Strabi iam olim fuit euulgatus, hic tamen denuo publicare libuit, vt Poëmata Strabi, quo ad fieri potest, tandem vnum in corpus colligantur, vtinam S. Galli vitam ab eodem carmine scriptam addere licuisset. Sed, vt initio professi sumus, absterruit nos codex vitiosissime exaratus, ex quo te non magis expedias, quam ex turbatis vento foliis Sibyllæ. Vt autem noueris quis sit iste Grimaldus, cui Hortulum hunc Strabus consecrat, placet adscribere, quæ de illo notauit R. P. Iodocus Metzlerus Monasterij S. Galli professus. Ait ergo: Grimaldum Archicapellanum suum, Clericum sæcularem, Ludouicus Austrasiæ Rex in locum Engelberti defuncti Abbatis substituit anno Domini 841. vt habet M. S. Chronicon, vel, vt alij, 842. Hic Abbas admodum bene Monasterio præfuit: non tam in temporalium, quam regularium, diuinarumque rerum cura, &c. Excitauit Grimaldus Oratorium S. Othmari, & eò corpus illius de Ecclesia S. Galli per Salomonem Episcopum Constantiensem transtulit Anno Domini 867. die VIII. Kalend. Octob. Indict. 1. Ab hoc Abbate in Monasterium receptus est S. Notkerus paruulus; sub eodemque empti sunt & scripti multi optimi libri magnis sumptibus. Erant item interior Monachorum, & exterior sæcularium in Monasterio celeberrimæ Scholæ, in quibus & Principum & Nobilium filij accurate instituebantur. Obiit Anno 872 cum præfuisset annis 31. Et sepultus est, vt colligo ex sequenti Epitaphio in templo S. Othmari, aliud enim condidisse non legitur. Epitaphium hoc est.

Hic manet interius diuinæ legis amator
Grimuualdus humilis, templum hoc qui condere iussit.

HOR-

HORTVLVS WALAFRIDI STRABI

Ad

GRIMALDVM COENOBII S. GALLI ABBATEM

Præfatio.

PLVRIMA tranquillæ cum ſint inſignia vitæ,
Non minimum eſt, ſi quis Peſtanæ deditus arti,
Nouerit obſcœni curas tractare Priapi.
Ruris enim quæcunque datur poſſeſſio, ſeu ſit
Putris, harenoſo qua torpet glarea tractu:
Seu pingui molita graues vligine fœtus,
Collibus erectis alte ſita, ſiue iacenti
Planicie facilis cliuo, ſeu vallibus horrens,
Non negat ingenuos olerum progignere fructus:
Si moda non tua cura graui compreſſa veterno,
Multiplices olitoris opes contemnere ſtultis
Auſibus aſſueſcit, calloſasque ære diurno
Detrectat fuſcare manus, & ſtercora plenis
Vitat in arenti diſponere puluere quallis.
Hæc non ſola mihi patefecit opinio famæ
Vulgaris, quæſita libris nec lectio priſcis,
Sed labor & ſtudium, quibus ocia longa dierum
Poſtpoſui, expertum rebus docuere probatis.

Culturæ initium. *II.*

BRVMA ſenectutis vernacula totius anni
Venter, & ampliflui conſumptrix ſæua laboris:

Veris

Veris vbi aduentu terrarum pulsa sub imas
Dilituit latebras, vestigiaque horrida auaræ
Ver hyemis, reduci rerum delere pararet
Stemmate, & antiquo languentia rura nitori
Reddere, ver orbis primum caput & decus anni.
Purior aura diem cum iam reserare serenum
Inciperet, zephyro que herbæ floresque sequuti
Tenuia porrigerent radicis acumina, cæco
Tecta diu gremio, canasque exosa pruinas,
Cum syluæ foliis, montes quoque gramine pingui,
Prataque conspicuis vernarent læta virectis.
Atriolum, quod pro foribus mihi parua patenti
Area vestibulo Solis conuertit ad ortum,
Vrticæ implerunt, campique per æquora parui
Illita feruenti creuerunt tela veneno.
Quid facerem? tam spissus erat radicibus infra
Ordo catenatis, virides vt texere lentis
Viminibus crates stabuli solet arte magister:
Vngula cornipedum si (quando humore nocetur
Collecto) putres imitatur marcida fungos.
Ergo moras rumpens Saturni dente, latentes
Aggredior glebas: torpentiaque arua, reuulsis
Sponte renascentum complexibus vrticarum
Erigo, & vmbriculis habitata cubilia talpis
Diruo, lumbricos reuocans in luminis oras.
Inde Noti coquitur flabris Solisque calore
Areola, & lignis ne diffluat obsita quadris
Altius à plano modicum resupina leuatur,
Tota minutatim rastris contunditur vncis,
Et pinguis fermenta fimi superinsinuatur.
Seminibus quædam tentamus oluscula, quædam
Stirpibus antiquis priscæ reuocare iuuentæ.
Denique vernali interdum conspergitur imbre
Parua seges, tenuesque fouet præblanda vicissim
Luna comas, rursus si quando sicca negabant
Tempora roris opem, culturæ impulsus amore
(Quippe siti metuens graciles torpescere fibras)
Flumina pura cadis inferre capacibus acri

Curaui studio,& propriis infundere palmis
Guttatim,ne forte velocior impetus vndas
Ingereret nimias,& semina iacta moueret.
Nec mora germinibus vestitur tota tenellis
Areola,& quanquam illius pars ista sub alto
Arescat tecto,pluuiarum & muneris expers
Squalleat aërei : pars illa perennibus vmbris
Diffugiat solem : pars hæc quia celsior,ignei
Syderis accessum lateris neget obice duri :
Non tamen vlla sibi fuerant quæ credita pridem
Spe sine crementi pigro sub cespite clausit.
Quin potius quæ sicca ferè, translata subactis
Suscepit scrobibus,rediuiuo plena virore
Restituit,reparans numeroso semina fructu.
Nunc opus ingeniis,docili nunc pectore & ore,
Nomina quó possim viresque attingere tantæ
Messis,vt ingenti res paruæ ornentur honore.

Saluia. III.

ELELIFAGVS prima præfulget honore locorum,
Dulcis odore, grauis virtute,atque vtilis haustu.
Pluribus hæc hominum morbis prodesse reperta,
Perpetuo viridi meruit gaudere iuuenta.
Sed tolerat ciuile malum : nam sæua parentem
Progenies florum,fuerit ni dempta,perurit,
Et facit antiquos defungier inuida ramos.

Ruta. IV.

HOc nemus vmbriferum pingit viridissima rutæ
Syluula cæruleæ,foliis quæ prædita paruis
Vmbellas iaculata breues,spiramina venti,
Et radios Phœbi,caules transmittit ad imos,
Attactuque graues leni dispergit odores.
Hæc cum multiplici vigeat virtute medelæ,
Dicitur occultis adprime obstare venenis,
Toxicaque inuasis incommoda pellere fibris.

Abrotonum. V.

NEc minus abrotoni promptum est mirarier alte
Pubentis frutices & quas inspicat aristas
Ramorum vbertas, tenues imitata capillos.
Huius odoratum lento cum vimine crinem
Pæoniis carptum prodest miscere medelis.
Febribus obstat enim, telum fugat, adiuuat artus
Quos incerta premit furtiuæ iniuria guttæ.
Præterea tot habet vires, quot fila comarum.

Cucurbita. VI.

HAvd secus altipetax, semente cucurbita visi
Assurgens, parmis foliorum suscitat vmbras
Ingentes, crebrisque iacit retinacula ramis.
Ac velut vlmum hedera implicuit cum frontibus altam
Ruris abusque sinu toti sua brachia circum
Laxa dedit ligno, summumque secuta cacumen
Corticis occuluit viridi tutamine rugas:
Aut arbustiuum vitis genus, arbore cum se
Explicuit quauis, ramorumque alta corymbis
Vestiit, & propria sursum se sponte leuauit.
Visitur ergo rubens alienā in sede racemus
Dependēre, premit tabulata virentia Bacchus,
Pampinus & frondes discernit latior altas.
Sic mea sic fragili de stirpe cucurbita surgens
Diligit appositas sua sustentacula furcas,
Atque amplexa suas vncis tenet vnguibus alnos.
Ne vero insano diuelli turbine possit,
Quot generat nodos, tot iam retinacula trudit.
Et quoniam duplicem producunt singula funem,
Vndique fulturam dextra læuaque prehendunt.
Et velut infusum nentes cum pensa puellæ
Mollia traiiciunt, spirisque ingentibus omnem
Filorum seriem pulchros metantur in orbes,
Sic vaga tortilibus stringunt amenta cathenis
Scalarum, teretes inuoluuntque illico virgas,

Viribus & discunt alienis, tecta cauarum
Ardua porticuum volucri superare natatu.
Iam quis poma queat ramis pendentia passim
Mirari digne? quæ non minus vndique certis
Sunt formata viis, quam si tornatile lignum
Inspicias medio rasum, quod mymphure constat.
Illa quidem gracili primum demissa flagello
Oblongo, tenuique ferunt ingentia collo
Corpora tum vastum laxatur in ilia pondus.
Totum venter habet, totum aluus, & intus aluntur
Multa cauernoso seiunctim carcere grana,
Quæ tibi consimilem possunt promittere messem.
Ipsis quinetiam teneri sub tempore fructus
Ante humor quam clausa latens per viscera sero
Autumni aduentu rarescat, & arida circum
Restiterit cutis, inter opes transire ciborum
Sæpe videmus, & ardenti sartagine pinguem
Combibere aruinam, & placidum segmenta saporem
Ebria multoties mensis præstare secundis.
Si vero æstiui sinitur spiramina Solis
Cum genitrice pati, & matura falce recidi.
Idem fœtus in assiduos formarier vsus
Vasorum poterit, vasto dum viscera ventre
Egerimus, facili radentes ilia torno.
Nonnunquam hac ingens sextarius abditur aluo,
Clauditur aut potior mensuræ portio plenæ
Amphora, quæ piceo linitur dum glutine, seruat
Incorrupta diu generosi dona Lyei.

Pepones. VII.

HOc simul in spatio, campo quo figitur imis
Hæc tam læta seges, vili quam carmine pinxi,
Visitur alterius vitis genus acre, per æquor
Serpere puluureum, & fructus nutrire rotundos
Pomorum. hæc species terræ super arida vulgo
Tecta iacens, crementa capit pulcherrima, donec
Solibus æstiuis flauos intincta colores

Messoris

Messoris calathos matura fruge replerit.
Tum videas aliis oblongo stemmate ventrem
Demissum, nucis aut oui versatilis instar:
Vel qualis manibus quondam suspensa supinis
Lucet, agens circum lomenti bulla saliuam
Ante recens maceratur aquis quàm spuma refusis,
Dum lentescit adhuc digitis luctantibus, & se
Alternis vicibus, studioque fricantibus vno
Inter vtramque manum, paruo fit paruus hiatu
Exitus: huc stricto lenis meat ore Noti vis,
Distenditque cauum vitrea sub imagine pondus,
Et centrum medio confingit labile fundo.
Vndique conueniat cameri quo inflexio tecti.
Ergo calybs huius penetrat dum viscera pomi,
Elicit humoris largos cum semine riuos
Multiplici: tum deinde cauum per plurima tergus
Frusta manu spargens hortorum lætus opimas
Delicias conuiua capit, candorque saporque
Oblectant fauces: nec duros illa molares
Esca stupere facit, facili sed mansa voratu
Vi naturali frigus per viscera nutrit.

Absynthium VIII.

PRoximvs absynthi frutices locus erigit acris.
Herbarum matrem simulantes vimine lento.
In foliis color est alius, ramisque odor alter
Puberibus, longeque saporis amarior haustus.
Feruentem domuisse sitim, depellere febres
Hoc solet auxilium clara virtute probatum.
Si tibi præterea caput acri forte dolore
Pulsetur subito, vel si vertigo fatiget,
Huius opem rimare, coquens frondentis amaram
Absynthi syluam, tum iura lebete capaci
Effunde, & capitis perfunde cacumina summi.
Quo postquam ablueris graciles humore capillos,
Deuinctas frondes, superimposuisse memento.
Tum mollis fotos constringat fascia crines,

Et post non multas elapsi temporis horas
Hoc inter reliquas eius mirabere vires.

Marrubium. IX.

QVID referam iuxta positi, nimiumq; potentis
Marrubij non vile genus, licet acrius ora
Mordeat, & longe gustum disiungat odore.
Dulce enim olet, non dulce sapit, sed pectoris ęgros
Comprimit angores, tristi dum sumitur haustu,
Præcipue talis caleat si potus ab igni,
Et cænam cyathis cogatur claudere crebris,
Si quando infensæ quæsita venena nouercæ
Potibus immiscent, dapibusúe aconita dolosis
Tristia confundunt, extemplo sumpta salubris
Potio marrubij, suspecta pericula prestat.

Fæniculum. X.

NEc marathri taceatur honor, quod stipite forti
Tollitur, & late ramorum brachia tendit,
Dulce satis gustu, dulcem satis addit odorem.
Hoc oculis quos vmbra premit prodesse loquuntur.
Huius item semen, fœtę cum lacte capellæ
Absumptum, ventris fertur mollire tumorem,
Cunctantisque moras dissoluere protinus alui.
Præterea radix marathri commixta liquori
Lenæo, tussim percepta repellit anhelam.

Gladiola. XI.

TE neque transierim Latiæ cui libera linguæ
Nomine digladij nomen facundia finxit.
Tu mihi purpurei progignis floris honorem,
Prima æstate gerens violæ iucunda nigellæ
Munera, vel qualis mensa sub Apollinis alta
Inuestis pueri pro morte recens Hyacinthus
Exiit, & regis signauit vertice nomen.

Radi-

Radicis ramenta tuæ ficcata fluenti
Diluimus contusa mero, fæuumque dolorem
Vesicæ premimus tali, non fecius, arte.
Pignore fullo tuo, lini candentia texta
Efficit vt rigeant, dulcesque imitentur odores.

Lybisticum. XII.

INTER odoratam memorare lybistica fyluam
Fortia, fuadet amor parui diffusior horti.
Hoc germen fucco quamuis & odore, gemellis
Orbibus officere, & tenebras inferre putetur,
Semina fæpe tamen quæsitis addere curis
Parua folent, famamque aliena laude mereri.

Cerefolium XIII.

QVæ tot bellorum, tot famosissima rerum
Magnarum monumenta facro pia conficis ore,
Exiles Erato non dedignare meorum
Diuitias olerum versu præstringere mecum.
Infirmis diuisa licet Macedonia ramis
Spargitur, & crebris ignobile femen aristis
Sufficit, illa tamen toto reparabilis anno
Pauperiem largo folatur munere plebis
Indignæ, nec non restringere fanguinis vndas
Corpore diffusas, facili folet obuia gustu.
Illa quoque infesto venter dum forte dolore
Turbatur, fomenta fuper non irrita ducit,
Puleium fibimet frondesque papaueris addens.

Lilium. XIV.

LILIA quo versu candentia, carminē quóue
Ieiunæ macies fatis efferat arida musæ?
Quorum candor habet niuei fimulachra nitoris.
Dulcis odor, fyluas imitatur flore Sabeas.

Non

Non parius candore lapis, non nardus odore
Lilia nostra premit: nec non si perfidus anguis
Ingenitis collecta dolis ferit ore venena
Pestifero, cæcum per vulnus ad intima mortem
Corde feram mittens, pistillo lilia præstat
Commacerare graui, succosque haurire falerno:
Si quod contusum est summo liuentis in ore
Ponatur punctim, tum iam dinoscere vires
Magnificas huiusce datur medicaminis vltro.
Hæc & iam laxis prodest contusio membris.

Papauer. XV.

ET cereale quidem nugarum in parte papauer
Hac memorare placet, quod raptæ mœsta puellæ
Mater vt immensis optata obliuia mentem
Exuerent curis, fertur Latona vorasse.
Hoc simul auxilio carbunculus, ater ab imo
Pectore qui ructus nimium conuoluit amaros
Oris adusque fores, reprimi persæpe videtur.
Huius ad alta caput, granorum semine fœtum
Protento fragilique solet se tollere collo,
Inque modum mali, regio cui Punica nomen
Indidit, vnius patulo sub pellis amictu
Grana celebrandæ virtutis plurima claudit,
Deque sono mandentis habet formabile nomen.

Sclarea. XVI.

HIc vmbrosa nouos inter Sclarea virores,
Stipite prævalido assurgens, ramosq;, comasq;
Altius extollit: quæ quamuis rarius vlli
Quæsita auxilio, medicorum penè putetur
Effugisse manus, dulci tamen indita caldæ
Et vires & odorati fermenta saporis
Præstat, eam iuxta hortensis non extima costi
Sylua latet, stomachiq; moras ventremq; salubri
Prouocat auxilio, radicis munere coctæ.

Mentha. XVII.

NEc mihi defuerit vulgaris copia menthæ
Multa per & genera & species diuersa coloresque
Et vires: huius quoddam genus vtile vocem
Raucisonam claro rursus redhibere canori
Posse putant, eius succos si fauce vorarit
Ieiuna, quem crebra premens raucedo fatigat,
Est aliud præpingue genus huiusce fruteti,
Quod iam non parui diffundat germinis vmbras,
Celsa ebuli sed more petens, à stipite forti
Vndique maiores foliorum porrigat alas,
Quis odor alter inest, pauloque immitior haustus,
Sed si qui vires, species, & nomina menthæ
Ad plenum memorare potest, sciat ille necesse est
Aut quot Erythreo volitent in gurgite pisces,
Lemnius aut altum quot in aëra Mulciber ire
Scintillas vastis videat fornacibus Ætnæ.

Puleium. XVIII.

NOn patitur cunctas angustia carminis huius
Pulei virtutes celeri comprendere versu.
Hoc apud Indorum tanti constare peritos
Fertur, apud Gallos quanti valet Indica nigri
Congeries piperis. quis iam dubitare sinetur
Hac herba plures leniri posse labores?
Quam pretiis inhianter emit ditissima tantis
Gens, hebenoque auroque fluens, & mira volenti
Quæque ferens mundo. ô magni laudanda tonantis
Virtus & ratio, nullis quæ munera terris
Larga suæ non pandit opis. quæ rara sub isto
Axe videre soles, aliis in partibus horum
Copia tanta iacet, quantam vilissima tecum
Efficiunt: rursus quædam quæ spreta videntur
Forte tibi, magno mercantur ditia regna,
Altera vt alterius potiatur fœnore tellus,
Orbis & in toto per partes vna domus sit.
Puleium quàm decoctum curabit amice
Et potu & fotu stomachum (mihi crede) morantem.
Dum canimus quæ certa graui ratione tenemus,

Quædam audita,& iam vero miscere cothurno
Fas vsusque finit: ramum coniungito pulei
Auriculæ,ne forte caput turbauerit æstus
Solis in aërio si te perflarit aperto.
Quod nisi me currens deponere vela Thalia
Cogeret,ac tandem portus intrare moneret,
Hinc tibi multiplices poteram decerpere flores.

Apium. XIX.

QVAMVIS in nostris apium vilesceret hortis,
Et solito id multi prodesse sapore notarent,
Plura tamen propriis medicamina viribus, acri
Exhibet auxilio,cuius si trita capessas
Semina,torquentes vrinæ frangere tricas
Dicitur,ipsum etiam tenero cum germine mansum
Concoquit errantes stomachi penetralibus escas.
Corporis hunc regem,turbans si nausea vexet,
Mox apium lympha,tristique bibatur aceto,
Passio tum celeri cedet deuicta medelæ.

Bettonica. XX.

MONTIBVS & syluis,pratis & vallibus imis
Bettonicæ pretiosa licet collectio cunctis
Penè locis superet passim,tamen hanc quoque noster
Hortus habet,cultaque docet mansuescere terra.
Hæc tantum meruit generali nomine laudis,
Vt si quid mea Musa velit superaddere,tandem
Mole operis deuicta sui,iam sentiat,illa
Vtilitate minus quicquid deprompserit esse.
Hanc viridem si forte tuos coneris in vsus
Carpere,siccatámue hyemi deponere pigræ,
Turbida siue tuas oblectant pocula fauces,
Seu potius longo tibi defecata labore
Dona placent, huius virtus mirabilis herbæ
Omnia sufficiet,quam quosdam pendere tanti
Nouimus,vt contra, totum si iniuria corpus

Impetit

Impetit interius, muniri viribus eius
Sese posse rati, solcant haurire diebus
Continuis hoc acre genus medicaminis almi.
Præterea caput infesto si vulnere fractum
Tabuerit, tum crebra terens imponito sacræ
Tegmina bettonicæ, statim mirabere vires
Illius, in solidum fuerit dum clausa cicatrix.

Agrimonia. XXI.

HIc quoque Sarcocolam, campos quæ plurima passim
Vestit, & effœtis syluarum inuenta sub vmbris
Nascitur, ordinibus facile est discernere pulchris.
Hæc præter varium latæ virtutis honorem,
Trita domat ventris prædirum & pota dolorem.
Si quæ forte calybs infensus vulnera membris
Indiderit nostris, huius tentare iubemur
Auxilium, partique imponere tonsa patenti
Germina, maturum nacturi hac arte vigorem,
Si tamen addatur mordens cataplasmati acetum.

Ambrosia. XXII.

HAVD procul Ambrosiam vulgo quam dicere mos est
Erigitur, laudata quidem, sed an ista sit illa
Cuius in antiquis creberrima mentio libris
Fit, dubium est multis. Medici tamen arte suapte
Hanc vtcunque colunt, tantùm qui hæc sanguinis hausta
Absumit, quantum potus ingesserit aluo.

Nepeta XXIII.

HERBARVM in numero, quas hortulus ille recenti
Semper prole creat, nepetæ non segnior exit
Surculus, vrticam foliis simulantibus, alto
Vertice pergratum late largitus odorem.
Hæc variis olim morborum accommoda curis,
Non extrema alias inter decernitur herbas.
Huius enim succus, roseo commixtus oliuo,

Efficit vnguentum, læsæ quod vulnera carnis
Atque cicatricum deformia signa nouarum
Posse abolere aiunt, prisco reparare nitori,
Et reuocare pilos plagæ quos forte recentis
Pestis hiulca tulit, sanie taboque perosos.

Raphanus XXIIII.

HINC raphanum radice potens, latoque comarum
Tegmine sublatum, extremus facit ordo videri.
Cuius amara satis, quatienti viscera tussim,
Mansa premit radix: triti quoque seminis haustus
Eiusdem vitio pestis persæpe medetur.

Rosa XXV.

IAM nisi me fessum via longior indupediret,
Scrupeus atque noui tereretur carminis ordo,
Debueram viburna rosæ pretiosa metallo
Pactoli & niueis Arabum circundare gemmis.
Hæc, quia non Tyrio Germania tingitur ostro,
Lata nec ardenti se Gallia murice iactat,
Lutea purpureis reparat crementa quotannis,
Vbertum floris, tantum qui protinus omnes
Herbarum vicisse comas, virtute & odore
Dicitur, vt merito florum flos esse feratur.
Inficit hic oleum proprio de nomine dictum,
Quod quàm sæpè fiat mortalibus vtile curis,
Nec meminisse potest hominum, nec dicere quisquam.
Huic famosa suos opponunt lilia flores,
Longius horum & iam spirans odor imbuit auras.
Sed si quis niuei candentia germina fructus
Triuerit, asperli mirabitur illicet omnem
Nectaris ille fidem celeri periisse meatu.
Hoc quia virginitas fama subnixa beata
Flore nitet, quam si nullus labor exagitarit
Sordis, & illiciti non fregerit ardor amoris,
Flagrat odore suo. Porrò si gloria pessum

Integritatis eat, fateor, mutabit odorem.
Hæc duo namque probabilium genera inclyta florum
Ecclesiæ summas signant per sæcula palmas
Sanguine martyrij carpunt quæ dona rosarum,
Liliaque in fidei gestant candore nitentis.
O mater virgo, fæcundo germine mater,
Virga fide intactâ, sponsi de nomine sponsa,
Sponsa, columba, domus, regina, fidelis amica,
Bello carpe rosas, læta arripe lilia pace,
Flos tibi sceptrigero venit generamine Iesse,
Vnicus antiquæ reparator stirpis & auctor.
Lilia qui verbis vitaque dicauit amœna,
Morte rosas tingens, pacemque & prælia membris
Liquit in orbe suis, virtutem amplexus vtramque,
Præmiaque ambobus seruans æterna triumphis.

Dicatio Opusculi.

HÆc tibi seruitij munuscula vilia parui
Strabo tuus, Grimalde pater doctissime, seruus
Pectore deuoto, nullius ponderis offert.
Vt cum consepto viridis consederis horti
Super opacatas frondenti germine malos,
Persicus imparibus crines vbi diuidit vmbris,
Dum tibi cana legunt tenera lanugine poma
Ludentes pueri, schola lætabunda tuorum,
Atque volis ingentia mala capacibus indunt,
Grandia conantes includere corpora palmis:
Quo moneare habeas nostri pater alme laboris
Dum relegis quæ dedo volens, interque legendum
Vt vitiosa seces deposco, placentia firmes.
Te Deus æterna faciat virtute virentem,
Immarcescibilis palmam contingere vitæ,
Hoc pater, hoc natus, hoc spiritus annuat almus.

FINIS.

MARTYROLOGIUM
HRABANI,
VT HABET
CODEX M. S.

CELEBERRIMI MONASTERII.

S. GALLI.

IANVA-

IANVARIVS.

CALEND. IANVARII.

OCTAVA Dominicæ natiuitatis est, quâ videlicet die idem Dominus noster circumcisus est in carne, secundum legem Moysi, & nomen Iesus accepit: quod Angelicum de eo oraculum ante conceptionem eius in vtero vaticinabatur. Eodem die natiuitas est Almachij Martyris, qui iubente Alipio vrbis præfecto, cum diceret: *hodie octauæ Dominicæ diei sunt: cessate à superstitionibus Idolorum, & sacrificiis pollutis*; à gladiatoribus hac de causa occisus est. Et eadem die Romæ natiuitas Martinæ virginis, & Martyris, quæ passa est sub Alexandro Cæsare pro fide Christi multis tormentorum generibus cruciata, & ad extremum gladio percussa, quæ etiam Idola & simulachra orando destruxit, & multos ad fidem Christi conuertit. Alexander vero post obitum beatæ virginis percussus est dolore cordis, & sicut rabidus canis carnes suas lacerans, pessimam vitam cum magno supplicio expirauit. Item eadem die Romæ passio Concordij Presbyteri, & Martyris sub Antonino Imperatore per Torquatum comitem perpetrata, qui nolens sacrificare Idolis, capitalem sententiam subiit.

IV. Nonar. In Antiochia Macharij Abbatis. Romæ Telesphori Papæ, qui constituit, vt septem hebdomadibus ante Pascha ieiunium celebraretur, & natali Domini nocte Missa celebraretur. Nam omni tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret Missas celebrare, qua hora Dominus adscendit crucem; & ante sacrificium hymnus diceretur, hoc est, *Gloria in excelsis Deo.* Hic etiã Martyrio coronatus est, qui sepultus est iuxta corpus B. Petri in Vaticano IV. Non: Ianuarij.

III. Nonar. Romæ Anteros Papa, & Martyr, qui duodecim annos rexit Ecclesiam, & Martyrum gesta diligenter exquirens recondit in Ecclesia, qui etiam Martyrio coronatus.

tus. In cœmiterio Calisti sepultus est via Appia. Parisiis ciuitate, depositio Genofeuæ virginis, quam S. Germanus eiusdem vrbis Episcopus in infantia Deo virginem consecrauit. In Tomis ciuitate, natiuitas Titi Episcopi, qui sub Licinio inter tyrones comprehensus, cum nollet militare, cæsus ad mortem carcere mancipatus, missus in cippo est, donec relatione esset responsum, dimersoque in mare, delato corpore eius in littore, à religiosissimis viris depositum est in villa Amandi religiosi viri, vbi fiunt curationes magnæ.

II. Nonar. Natiuitas Theogenis Martyris, qui sub Licinio Cæsare per Telicentium tribunum passionem compleuit in Hellesponto, primum inter quatuor columnas tensus fustibus cæsus est: deinde in carcerem missus, vt ibi fame periret, sed Domini pietate inuisibili cibo ibi per XL. dies pastus, in laudibus Dei assidue manebat, ad vltimũ vero in mare missus * martyrizauit, quem Euricus, & Eustochius, & Zozius, atque Germanus tollentes de mari miserunt in loculum, & sepelierunt in foro Hellesponti. Eadem die passio Petri, qui & Balsami, Martyris, sub Maximiniano Imperat. agente Seuero præside, qui eum nolentem sacrificare Diis iussit suspendi, & vngulis lacerari, ad extremum vero gladio interfectus est, & in Aulona ciuitate sepultus. Eadem die passio Luciani Presbyteri, & Martyris, qui missus à Roma prædicare verbum Dei, in Galliis martyrizauit sub Iuliano Cæsare, in eisdem partibus occisus gladio, per cuius prædicationem multi conuersi sunt ad fidem, ad cuius sepulchrum multa ostenduntur miracula, & sanitates fiunt plurimæ.

** pro. martyrio affectus est. Sic sæpius inferius.*

Non. Hierosolymæ depositio Simeonis Prophetæ, qui Dominum Iesum infantem suis vlnis portauit, & benedixit. Et in Antiochia depositio Simeonis Monachi, qui in columna stetit, & virtutes multas faciens ibi quieuit in pace, & translatum est inde corpus eius, in Antiochiam, per Episcopum ipsius ciuitatis, & populum Christianum cum psalmis, & hymnis, & cum multis lampadibus, & conditum est ibi in Ecclesia maiore. Vigilia Epiphan.

VIII. Iduum. Epiphania Domini nostri Iesu Christi.

VII. Iduum. Passio sanctæ Faustæ virginis, sub Maximiano Imperat. quæ Euilasium primum palatii, tortorem suum patientiæ suæ virtute conuertit ad fidem, nec non & præfectum, cui iussum est eam torquere, quæ suspensa ferramentis lacerabatur, postea bestiis tradita, à nulla earum contaminata est. Deinde clauis caput eius

confixum est: postea ea in sartaginem feruentem pice missa sed non læsa. Sicque cum Euilasio, & præfecto in tormentis constituta, reddidit spiritum: populi vero Christiani hæc audientes sepelierunt corpora sanctorum.

VI. Id. Augustoduno, depositio Egemonii Episcopi. & Mettis, depositio sancti Patientis Episcopi.

* Epifteti. V. Id. Natiuitas * Epistici, Iocundi, Secūdi, Saturnini, Vitalis, Felicis, Rustici, Quinti, Etartaxis, Fortūnati.

IV. Id. Natiuitas Pauli, Primi Anachoretæ, cuius vitam B. Hieronymus scripsit, qui à XVI. ætatis anno vsque ad 113. solus in eremo permansit. Sed à Domino per coruum pastus, tunica palmarum foliis contexta vsus est, cuius inter Apostolorum, & Prophetarum choros animam ad cœlum ferri ab Angelis Antonius vidit. Eodem die Romæ in cœmiterio Callisti natale Miltiadis Episcopi, & Confessoris, qui cōnstituit in Ecclesia à fidelibus nulla ratione in dominicis diebus ieiunandum.

III. Id. Eductio Domini de Ægypto, & natiuitas sancti Saluii Cōfessoris, in cuius natali sanctus Augustinus verbum fecit ad populum Chartagini.

* Innocentij. * Satyri. II. Id. In Achaia natiuitas sanctorum Cyriaci, * Moscentij, & * Saturi, ciuis Arabij, qui transiens ante templum cuiusdam Idoli, insufflans cum signasset frontem corruit: tenentes eum ibidem obseruantes duxerunt ad Ducem, & indicantes factum, decollatus est.

† Octaua. Id. Ianuarij. * Octabas Theophaniæ, & in Pictauis depositio Hilarij Episcopi & Confess. egregij, qui sub Constantio Augusto Hæretico propter fidem Catholicam in Phrygiam in exilium pulsus est. De quo inter alias virtutes refertur, quod orando mortuum suscitauerit.

Eodem die sancti Agricij Episcopi, & in Antiochia Ægypti passio sanctorum Iuliani, & Basilissæ coniugis suæ, qui Iulianus temporibus Diocletiani, & * Maximini nobili prosapia oriundus fuit, philosophorumque disciplinis imbutus, Catholicæ fidei religiosus amator fuit, quem cum parentes sui ad connubij iura persuasionibus validis attraxissent, respondisse fertur, *nec voluntatis est, nec ætatis vt faciam, quæ hortamini*: item cum perseuerarent pertinaciter in precibus: *nec permittendi mihi est facultas, nec negandi potestas, quod hortamini. Dei mei*

† Maximiani

potesta-

poteſtati committo, & relinquo. Vnius tamen hebdomadis inducias à parentibus popoſcit, vt nutum ſupernæ maieſtatis argumentis euidentibus experiretur, qua peracta intercapidine ſomno ſopitus; & ſopore depreſſus, vidit Chriſtum in * horomate dixiſſe: *Exurge ne timeas, nec ſuaſiones verborum, nec voluntatem parentum horreſcas. Accipies enim coniugem, quæ te non polluendo à me ſeparet, ſed per te virgo perſeueret*; & infra: *multi iuuenes, & virgines per veſtram doctrinam, vel vitam cæleſtis exercitus probabuntur.* & reliqua. Sicque factum eſt, vt opitulante Chriſto, in Antiochiæ municipio monaſteria plura conſtruerent, ita vt ſub Iuliani regimine decem millia Monachorum * conuerſarent. Sub Baſiliſſæ vero mille virgines, Dei ſeruitio mancipatæ fierent.

* horamate.

* conuerſarentur.

Poſtea autem idem Iulianus cum commilitonibus ſuis ſub Marciano Principe pro Chriſti nomine martyrizauit. Primum fuſtibus cæſus, qui percuſſoris ſui oculum euulſum reſtituit. Inſuper & plusquam quingentas ſimulachrorum Imagines ad ſolum diruit: poſthæc in carcerem tenebroſum truſus cum Præſidis filio Hircicallo iuuene nuper ad fidem conuerſo, vbi damnatorum corpora putreſcebant, ſed mira gratia Chriſti fætidus odor in ambroſiæ dulcedinem verſus cum luce limpida ſanctos martyres lætificabat. Dehinc rogante Præſide defuncti cadauer nondum humati à morte ſuſcitauit, ſed tortoris non ceſſante væſania, Imperatorum decreto in circi ſpectaculo ſancti Martyres terdenis cuparum gremiis includuntur, quæ intrinſecus atræ picis maſsâ & bituminis fomite, ſulphuriſque fætore farciuntur, ſarmentis cum igne ſuppoſitis, in tantum, vt flamma 30. cubitis in altum ſe porrigeret, ſed inde illæſi egredientes, rurſus digitis manuum, & pedum licinus ardens olei liquore perfuſus aptatur, ſed hoc conamine deluſus exin beſtiis ad deuorandum proponuntur, quibus ſacra membra lacerare non audentibus ad extremum gladiis trucidãtur: ad quorum tumulum mox decem leproſi curantur, probantes qualis ſit Martyrum gloria.

XVIII. Calend. Februarii. In Campania Natale Felicis Presbyteri, & Confeſſoris, de quo inter alia ſcribit Paulinus Epiſcopus, qui cum à perſecutoribus in carcerem mitteretur, & cocleis, ac teſtulis vinctus ſuperpoſitus iaceret, per noctem ab Angelo ſolutus, atque eductus ſit. Eadem die natalis eſt Felicis

germani ipsius, quem Dracus vrbis præfectus Idolis immolare coëgit,& fustibus cæcidit, atque in exilium deportare iussit,vbi & quadratos lapides cæderet,sed per virtutem Dei plures ibi conuertit ad fidem,hoc est,Probum tribunum,& eos qui secum erant. Deinde Idolum Apollinis destruxit.In quo loco fideles postea templũ Deo cõstruxerũt.Post XII.vero annos ipsa die Dominica confectis mysteriis perrexit ad Dominum Iesum Christum. In Spoletana ciuitate natale Pontiani Martyris, qui passus est temporibus Antonini Imperator. sub Fabiano Iudice,qui cum nollet Idolis sacrificare, iussit eum virgis cædi crudelissime;deinde nudis pedibus super carbones ardentes ambulare, postea duo leones immissi sunt,vt eum deuorarent,sed in nullo læsus est ab eis: Hoc videns Iudex iussit liquefieri plumbum,& perfundi in dorsum eius, sed cum hoc nihil eum læsisset, capite truncatus est.

XVIII. Calend. In Palæstina depositio Abacuc Prophetæ cuius reliquiæ simul cum reliquis Micheæ Prophetæ, temporibus Arcadij, & Honorij Augustorum Domino reuelante proditæ sunt.

XVII. Calend, Natiuitas S. Marcelli Papæ, qui iubente * Maximiano Imperat. primo fustibus cæsus, & à facie eius quem corripiebat,expulsus est. Deinde audiens, quod domum Beatæ Lucinæ, quam proscriptione damnauerat, eo quod de facultatibus suis Christianis donauerit Ecclesiam faceret,atque in ea Missas celebraret. In media ciuitate iussit in eadem Ecclesia plancas sterni ad animalia catabuli publici,& eundem Episcopum ad seruitium animalium deputauit cum custodia publica:vbi etiam post multos annos seruiendo indutus amictu cilicino defunctus est, & conditus aromatibus à Ioanne Presbytero,& B.Lucina sepultus est, in cœmiterio Priscillæ. Arelato depositio sancti Honorati Episcopi,& Confess. cuius inter cætera miracula fertur, quod draconem de Hilarina insula orando fugauerit,& Monasterium ibi fundauerit.

* *Maxentio.*

In Pago vero Mandinse in Perona monasterio depositio sancti Fursei Confessoris, qui in Hybernia natus, & nutritus patriam, parentesque relinquens sacræ scripturæ studiis aliquot vacabat annis, vnde Monasterium in quodam construxit loco, sed dum patriam, parentesq; visitare properarat, vt inter illos

sacri

sacri verbi semina spiritualibus seminaret eloquiis: quadam die corporis ægrotantis molestia corripitur, ac post subitò in ecstasi raptus, iacuit quasi exanimis à vespertina hora vsque ad galli cantum, sed dum ad se rediret, agnouit Angelicam esse visionem, & sumpto corpore, ac sanguine Christi iacuit infirmus ipso die, & altera: tertia verò nocte iterum ab Angelis sublatus mirabiles vidit visiones, sicut liber vitæ ipsius testatur. Sed postquam ad se rediit, 12. annos in prædicatione verbi Dei, & miraculorum clarescebat signis: nouissimè verò in Gallia monasteriis constructis, ipse bonis auctus meritis inde migrauit ad Christum. Corpus vero eius ab Ercanwaldo Duce & cæteris fidelibus in Perona Monasterio in Ecclesia S. Petri Apostoli, & cæterorum Apostolorum iuxta altare honorificè conditum est. In monasterio quoq; Fuldæ dedicatio Ecclesiæ sancti Michaëlis in cœmiterio Fratrum.

XVI. Calend. In Ægypto Thebaida depositio Antonij Monachi, cuius vita virtutibus plena, & miracula quæ fecit, scriptis, & fama penè in Vniuerso Orbe prædicantur. Obiit autem in pace sub Imperatore Constantino, anno ætatis suæ centesimo quinto, & sepultus in heremo à discipulis suis, sicut ipse viuens præceperat, occultatus est: post multa autem annorum curricula, hoc est, Iustiniani Imper. temporibus qui fuit Iustini ex sorore nepos, corpus eius diuina reuelatione repertum Alexandriam defertur, & in Ecclesia Baptistæ Ioannis humatur. Bituricis depositio S. Sulpitij Episcopi & Confessoris. Apud Lingonas autem natiuitas geminorum Speusippi, * Elasippi, & Melasippi, qui cum essent 25. annorũ cum auia sua Leonilla, & Ianilla, & Neone martyrio coronati sunt, tempore Aureliani Imperatoris. Gemini quidem in vna arbore suspensi ligatis manibus sursum; pedibus verò deorsum; ita extenti, vt putarentur penè ab ipsa membrorum compage separari, & post hæc in ignem præcipitati, nec tamen flammis læsi, inter verba orationum simul migrabant ad Dominum. Ianilla hæc videns confessa est se etiam Christianam, & mox comprehensa à turbis, à capillis suspensa, ac multis afflicta suppliciis, cum Christum negare noluisset, cum Leonilla simul est glapio perempta. Neon verò exceptor gestorum, & ipse Christi nomen confessus martyrio coronatus est. Docuit autem & baptizauit geminos hos Benignus Presbyter, quem misit ab Oriente Beatus Polycarpus Ioannis Apostoli auditor in Galliam, cum Mandochio Compresbytero, & Tyrso Diacono. Sepulti sunt autem iidem gemini in

* *Eleusippi & Meleusippi.*

secundo milliario ab vrbe Lingonas.

XV. Calend. Dedicatio S. Petri Apostoli, qui primò Romæ sedit. Cum autem idem Princeps Apostolorum in Hierosolymis, & in Cæsarea, atque in cæteris ciuitatibus Iudæorum Euangelium primum prædicasset, ad prædicandum postea gentibus missus Antiochiam venit, ibique Ecclesiam Christi fundauit. Inde quoque pergens Romam venit, secundo Claudij Cæsaris anno, ibique Euangelium instantissimè prædicans, viginti & quinque annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerauit. Eodem die natale S. Priscæ Martyris.

XIV. Hierosolyma Natale Marthæ & Mariæ sororum Lazari.

XIII. Calend. Romæ Fabiani Episcopi, qui cum XXV. annis Ecclesiæ præesset, passus est martyrium, tempore Decij, & in Cœmiterio Callixti sepultus. Hic regiones diuisit Diaconibus, & fecit, vt septem Diacones septem Notariis imminerent; vt gesta Martyrum in integrum colligerent, & multas fabricas per cœmiteria fieri præcepit. Eodem die natiuitas Sancti Sebastiani de Mediolano, qui intantum carus erat Imperatoribus, Diocletiano, & Maximiano, vt principatum ei primæ cohortis traderent, quem Diocletianus, vbi Christianum cognouit, nec à fide posse reuocari, iussit ligari in medio campo quasi signum ad sagittam, & sagittari à militibus, qui cum sagittis plenus, quasi Ericius staret, putantes eum mortuum abierunt. Nocte autem veniens quædam mulier nomine Herene tollere corpus: inuenit eum viuentem, & adduxit in domum suam, & curam eius egit, qui vbi conualuit, multos in fide confortauit. Nec mora ipsis Imperatoribus apparens hos pro vt digni erant, corripuit, tunc iussit eum Diocletianus in Hippodromo palatij duci, & fatigari, donec deficeret, quem mortuum in cloacam maximam miserunt, sed ille apparuit in somnis sanctæ Matronæ Lucinæ dicens, *iuxta circum inuenies corpus meum pendens in vnco. Hoc sordes non tetigerunt, & dum leuaueris perduces ad Catacumbas, & sepelies me in Crypta iuxta vestigia Apostolorum*; quod ipsa noctu veniens totum ita compleuit. eodem die Natiuitas Sanctorum Marij, & Marthæ cum filiis suis Audifax, & * Ambacum Nobilium de Perside, qui ad orationem venerant Romam tempore Claudij Principis, è quibus post toleratos fustes, eculeum, ignes, vngues, manuum pensionem, Martha in Nympha necata, cæteri verò decollati sunt.

* *Abachum.*

XII.

XII. Calend. Romæ natiuitas sanctæ * Agnæ, quæ sub Præfecto Vrbis Symphronio ignibus iniecta, sed his per orationem eius extinctis, gladio percussa est. Et in Hispanis ciuitate Taracona Natiuitas sancti Fructuosi, Episcopi & Martyris, qui scripsit regulam Monachorum. Passio sancti Patrocli Martyris.

* Agnetis.

XI. Calend. In Hispaniis ciuitate Valentia: Passio S. Valerij Episcopi, & Vincentij Diaconi, & Martyris, qui passi sunt sub Daciano Præside. Vincentius enim dum Christi nomen publicè profiteretur, à Diacono iussus est in eculeum extendi, ibique diutissimè torqueri: hinc ad patibulum raptus, imò ex eculeo depositus tortores suos ipse præcurrens mores carnificis arguit, torquetur ibi sanctus Dei Martyr, tunditur, flagellatur, exuritur, & distentis membris crescit ad pœnam. Inprimuntur ardentes pectori laminæ, & liquefacto inter ipsas candentes ferri acies liquore guttarum stridens flamma respergitur, vulnera vulneribus inprimuntur. tormenta tormentis desæuiunt, sales ignibus sparsi crepitantibus * minutis per membra dissiliunt, & iam non ad artus, sed ad ipsa viscera suppliciorum tela iaciuntur. Post hæc in locum obscurissimum ac fragmentis testularum expersum truditur, sed ibi lucis amœnitate & quietis per Angelicum ministerium potitus est: Inde quoque iubente Præside in lectulo asportatus, ad Dominum cum palma Martyrij migrauit. Postea corpus eius in mare mitti præcipitur, sed immissum celerius post fluctus Deo volente ad littus reducitur, quod religiosa quædam vidua nomine Ionica sepulturæ primum tradidit, Christo triumphum eius miraculis probante. Eodem die ad aquas Saluias natiuitas sancti Anastasij Monachi & Martyris de Perside, qui post plurima tormenta, carceris, verborum & vinculorum, quæ in Cæsarea Palæstinæ perpessus fuerat à Persis postremò in Perside multa pœna affectus, atque ad vltimum decollatus est. A Rege eorum Chosdroë.

* f. minutatim.

X. Calend. Romæ natiuitas sanctæ Emerentianæ Virginis CHRISTI, & Martyris, quæ erat conlactanea sanctæ * Agnæ, & dum oraret ad sepulchrum eius, ac simul orantes à gentilium læsione defenderet, lapidata est ab eis. Eodem die passio cele-

* Agnetis.

celebratur sanctorum Martyrum, Macharij, & Eugenij, qui sub Iuliano Iudice multa tormenta passi sunt, hoc est, craticulam incendij, in qua pix atq; oleum superfusa sunt, sed non eos ignis læsit, deinde viperis serpentibus traditi sunt, sed nullo modo ab illis sunt læsi: postea Draconem ingentem orationibus extinxerunt, ad extremum verò martyrio coronati sunt.

IX. Calend. Natiuitas sancti Timothei Apostoli, & in Antiochia S. Babylæ Episcopi & trium paruulorum Vrbani, Prilidani, & Eupolini, qui passus est pro nomine Christi, sub Numeriano Imper. ipse, & pueri eius secum, post alia tormenta capitalem sententiam ferentes.

* Epolonij.

VIII. Calend. Romæ translatio Pauli Apostoli, & conuersio in Damasco. Natiuitas S. Gregorij Theologi, & natiuitas Proiecti Martyris.

VII. Calend. sancti Polycarpi Episcopi Smyrnæ, qui sub Marco Antonino, & Lucio Aurelio Commodo, sedente Smyrnæ Proconsule, coniurante in eum omni populo, igni traditus est. Bethlehem ciuitate, sanctæ Paulæ, cuius precationibus annuens beatus Hieronymus, plura confecit opuscula.

VI. Calend. In Africa natiuitas * Dati, Iuliani * Vincentiæ, & aliorum * 32. & natiuitas sancti Sulpicij Episcopi, & Confessoris.

* Datini.
* Vincentii.
* Viginti sep-tem.
* Secundò.

V. Calend. Romæ S. Agnetis virginis * genuinum, hoc est, de natiuitate, Obiit Carolus.

IV. Cal. Romæ natiuitas Papiæ, & Mauri militum tempore Diocletiani, qui videntes constantiam Saturnini, & Sisinnij Martyrum, conuersi sunt ad fidem, statimque iussum est à Laodicio Præfecto Vrbis, vt os eorum, quo Christum confitebantur, cum lapidibus contunderetur, & retruderentur in carcerem vbi baptizati erant à B. Papa Marcello, quos post dies vndecim iussit sterni in terrâ, & fustibus cædi, donec expirarent. Quorum corpora colligens noctu Ioannes Presbyter sepeliuit via * Numentana ad nymphas B. Petri, vbi baptizabantur. Scriptum in gestis B. Papæ Marcelli. Treuiris, depositio B. Valerij Episcopi.

* Nomenta-na.

III. Calend. Malbodio Monasterio. Natiuitas * Aldegundæ Virginis, quæ temporibus Dagoberti regis Francorum ex nobili genere progenita, virginitatis propositum elegit. In quo & permansit, sæpiusq; illi Angelica visio reuelata fuit, exhortans eam, vt in proposito permaneret: nouissimè verò cum magna claritate cœlestis luminis ad vitam migrauit æternam.

* Aldegundis.

II. Ca-

II. Calend. In Alexandria natiuitas * Tarsici, Zotici, & * Ammononi. In Africa Victoris, * Publij, Saturnini.

* Tharsicij.
* Cyriaci.
* Thyrsi.

FEBRVARIVS.

Calend. Februarij. In Grçcia * Polycarpi Episcopi, & in Rauenna sancti Seueri Episcopi: in Hybernia quoque natiuitas Brigidæ Virginis, quæ natiuitas magnorũ meritorũ, & Sanctitatis esse prædicatur.

* f Ignatij.

IV. Nonarum. Purificatio S. Mariæ, quando cum infante Iesu repræsentata est in templo, vbi ipsum Dominũ Iesum senex Simeon in vlnas suas accepit, & benedixit. Eodem die natale S. Aproniani Commẽtariensis, qui à Sisinnio Diacono Marcelli Papę baptizatus, ab Laodicio præfecto capite truncatus est, temporibus Maximiani Augusti. Romæ * Forosimfronij, via Flaminia, milliario ab Vrbe 174. Laurentij & Hyppoliti, & natiuitas S. Fortunati. Aurelianis depositio Sicariæ Deo sacratæ Virginis.

* Forosempronij.

III. Nonar. Lugduno depositio Beati Lupicini Episcopi. In Sebastia ciuitate Cappadociæ passio sancti Martyris Christi Blasij Episcopi, qui sub Agricolao Præside capite truncatus, cum duobus puerulis filiis vnius mulieris, de illis septem, quæ per prædicationem eius confortatæ, sub eodem Præside martyrizauerunt.

II. Nonar. In * foro Simfronij, Natiuitas Gemini, Gelasij, * Mali, * Aquilini, & Donati, Item Donati, Themoij, Gelasij.

* Forosempronij.
* Magni,
Aquilo.

Nonis Februarij, in Patris ciuitate ordinatio Episcopatus Andreæ Apostoli, & in Sicilia Vrbe * Cathena passio sanctæ Agathæ Virginis, quæ sub Quinciano Consule tempore Diocletiani martyrizauit; Hæc post alapas, & carcerem, post equuleum, & torsiones, post mammillarum abscissionem, sed à Domino sanationem, post volutationem in testulis, & carbonibus, tandem in carcere consummata est. Et in Vienna Depositio Auiti Episcopi.

* Catana.

VIII. Iduum. Romæ via Appia in eiusdem cœmiterio passio S. Sotheris Virginis. in Cæsarea Cappadociæ passio S. Dorotheæ virginis, & Theophili sub Apricio Præfecto, quæ cum duabus sororibus, id est, Christe & Calliste, quæ à fide nuper apostatabant vitæ doloribus, commendata est, vt eam auerterent à Christo, eas iterum conuertit ad Christum, ita vt in cuppam missæ per Præfectum incensæ ad Martyrij palmam peruenerint: postea verò Dorothea ducta ad locum pœnarum, vbi & passa est, cum à Theophilo quodam scholastico derideretur, quod ad Paradisum vadens à Sponso suo Christo, & poma, & rosas florentes sibi mitteret, hoc citius impetrauit, quod cum vi-

differ Theophilus, mox Christum confessus est verum Deum, & martyrizauit sub eodem Præfecto capite plexus. In Gallia ciuitate * Aderato, depositio S. Vedasti Episcopi, & Confess. & in Ellone monasterio depositio S. Amandi Episcopi, & Confessoris.

* Atrebato.

VII. Iduum. In Britannis in ciuitate Augusta, natiuitas Auguli Episcopi, & Martyris.

VI. Id. Romæ depositio S. Pauli Episcopi & Iulij Papæ.

V. Iduum. * Sueuo apud Cyprum natale Alexandri, Ammonis, itē Ammonis, & aliorum. XXXVII.

* Soli.

IV. Iduum. In Campania natiuitas S. Syluiani Episcopi, & Confessoris, & in Bethleem ciuitate Iudææ sub Herode Rege passio Sanctorum Andreæ & Apponij, & Sanctonis ciuitate depositio S. Troiani Episcopi, & Confessoris. & Baldegundis Abbatis. Romæ, Zotici, * Herenei, Iacinthi, & Amantij. Eodem die depositio S. Scholasticæ Virginis, & Sanctimonialis fœminæ, cuius animam frater eius S. Benedictus vidit in columbæ specie cœlos petere, quod fratribus matutinorum hymnis expletis intimauit, & Deo gratias inde retulit.

* Irenæi, Hyacinthi.

III. Iduum. Romæ * Calocerij, & Parthenij.

* Caloceri.

II. Iduum Feb. In Africa passio Damiani militis, infantū Modesti, & *Ammonis, * Sotici, & depositio Simplicij Episcopi & Confessoris.

* Ammonij.
+ Zotici.

Idibus Februarij. Lugduno depositio beati Stephani Episcopi.

XVI. Cal. Mart. Romæ natiuitas S. Valentini Presbyteri, qui post multa sanitatum, & doctrinæ insignia fustibus cæsus, & sic decollatus est, sub Claudio Cæsare. Eodem die natiuitas S. Valentini Interamnēsis Episcopi, qui tentus à Paganis, ac virgis cæsus, & post diuturnam cædem custodiæ mancipatus cum superari nō posset, medio noctis silentio eiectus de carcere, decollatus est, iussu furiosi Placidi Præfecti vrbis, tunc Proculus, * Efybus, & Apollonius discipuli eius transferētes corpus ad suam Ecclesiam, Interamnæ vrbis, noctu sepelierunt: vbi cum quotidianis vigiliis incubarent, tenti à gentilibus custodiæ sunt traditi Consulari Leontio: quos ille iussit noctis medio suis tribunalibus præsentari, & cū à fide reuocari, nec blandimentis, nec minis possent, iussit capite cædi, qui non longè sunt à capite S. Valentini sepulti.

* Ephebus.

XV. Cal. In Antiochia natiuitas Iosephi Diaconi, Zenonis Interamnæ, natiuitas S. * Agapæ Virginis, Saturnini, * Castulæ.

* Agapæ.
* Castuli.

XIV. Cal. S. Onesimi Apostoli, & in Cumis, natiuitas S. Iulianæ virginis, quæ tempore Maximiani Imper. primò à suo Patre Africano cæsa, & grauiter cruciata, dein & à Præfecto * Eulesio, quem sponsum habuerat, nuda virgis cæsa, & à capillis suspensa, & plumbo solum à ca-

* Exilesio.

pite perfusa, & rursum in carcerem recepta, vbi palam cum Diabolo conflixit, & rursus euocata, rotarum tormenta, flammas ignium, ollā feruentem superauit, ac decollatione capitis martyrium consummauit; quæ passa est quidem in Nicomedia: sed post paucum tempus Deo disponente in Campaniam translata.

XIII. Calend. In Babylonia natiuitas *Polocronij Episcopi eiusdem ciuitatis, qui præsente Decio persecutore os lapidibus cæsus, manibus extensis, oculos ad cœlos eleuans emisit spiritum. Scriptum in passione S. Laurentij.

*Polychronij.

XII. Cal. In Nicomedia natale Pantaleontis Martyris, qui sub Maximiano Imperatore martyrium suum impleuit. Hic *Eustorio patre editus, & ab *Ermolao Presbytero fide imbutus antequam baptizaretur, puerum à serpente obligatum liberauit, & serpentem oratione interfecit. Post baptismum verò cæcum illuminauit, patrem suum *Eustorium ad fidem conuertit, & multa miracula in nomine Christi perpetrauit. Propter quod iussit Maximianus eum in eculeo suspendi, & lampadas ad latera eius suspendi, sed flammæ earum subitò extinctæ sunt, postea missus est in sartaginem ignis, vt ibidem plumbo liquefacto exureretur, sed per Christi virtutem frigescente ardore in nullo læsus est. Postea in mare missus, sed inde sanus ad littus perductus est. Dehinc feris est traditus, sed à nulla earum contaminatus, ad extremū verò capite cæsus est, sed percussores ipsius reliquias corporis eius tulerunt, & honorificè sepelierunt. Presbyter verò *Ermolaus cum duobus germanis suis, hoc est *Erinippo, & Ermodito decollatus est, & à Christianis sepultus.

*Eustorgio.
*Hermolao.
*Eustorgium.
*Hermolaus.
*Hermippo & Hermocrate.

XI. Cal. Natiuitas Sanctorum in Africa, Publij, Iuliani, Marulij. Item Iuliani, Marcelli, Tuli, Lampasij, Maiuli, & Iuliani.

X. Cal. Romæ natiuitas Gai Episcopi, & in Cypro natiuitas *Potamiæ, Nemersi, & Didymi, & alibi Victoris martyrium, & Coronæ, & aliorum XX.

*Potamij & Nemesij.

IX. Cal. In Africa natiuitas Sanctorū *Veroli, Seruuli, Secundini, Sirici, Felicis, Saturnini, Fortunati, & aliorum XVI. & depositio Eucherij Episcopi, & Confessoris.

*Veruli.
*Syricij.

VIII. Calend. Cathedra S. Petri, quam sedit apud Antiochiam, vbi & primū cognominati sunt discipuli Christiani, & in Nicomedia natiuitas Teclæ virginis, discipulæ S. Pauli Apostoli, quæ sub Nerone Imperatore pro Christi nomine igni est tradita, sed non exusta: postea bestiis, atque serpentibus deputata, sed à nulla eorum est læsa.

Ad extremum verò in Seleucia, cum Virginitatis martyrio, atq; virtutum honore per somnum pacis migrauit ad Dominum. Romæ via Tyburtina ad S. Laurentium, Natiuitas sanctæ Concordiæ, quam Deciana persecutio trucidauit.

** Sireni.*

VII. Calend. in Pannoniis natiuitas Sanctorum * Seneroti, Antigonij, Rotuli, Libi & in Asia Polycarpi cum aliis XII.

VI. Calend. In Palæstina Matthiæ Apostoli, qui de septuaginta discipulis pro Iuda traditore in Apostolatum electus, in Iudæa Euangelium prædicauit.

** Herena.*

V. Kalend. In Africa natiuitas Sanctorum Donati, Iusti, Rotuli, * Herenei, Pisionis, Pamphili. Natiuitas Nestoris & Castæ.

IV. Calend. In Alexandria natiuitas Sanctorum: Alexandri, Nestoris, Theonis, Opionis, Iusti, Donatiui, Ampliati, Ingenij.

** Antigoni.*
** Abundij.*

III. Calend. In Thessalonica natiuitas Sanctorum Alexandri, * * Androgoni, * Abundantij. In Africa Dionysij, & aliorum XXIV.

** Carealis, Pupuli, Caij.*

II. Kalend. In Alexandria Sanctorũ * Celeris, Pupilli, Ligici, Serapionis.

MARTIVS.

Calend. Martij Andegauis depositio sancti Albini Episcopi.

** Lucij, Absalonn, & Lorgij.*

VI. Nouemb. Natiuitas Sanctorum * Iorgi, Hergli, Absaloni. In Cæsarea Cappadociæ Lucæ Episcopi, Primitiui, & in portu Romano Pauli, * Secundolæ, Ianuariæ.

** Secundillæ.*

V. Nonar. Natiuitas Felicis, Lucioli, Iusti, Fortunati, Martiæ, Herotis, Antigonij, Ianuarij, Tultellæ, Gabiani, Quiriuli, Marini, Item Felicis, Floriani, Donati.

IV. Nonas. Romæ depositio Iuli Episcopi & Nicomediæ passio Sanctorum Adriani cum aliis numero XXXIII.

III. Nonar. Romæ Lucij Papæ, & Martyris. Hic in exilium propter fidem Christi trusus est, & postea nutu Dei incolumis ad Ecclesiam reuersus est, qui etiam à Valeriano Imperatore capite truncatus est, & sepultus in cœmiterio Callisti via Appia.

II. Nonas Martij depositio S. Quiriaci Presbyteri.

Nonis. Apud Carthaginem, Perpetuæ, & Felicitatis, quæ bestiis sunt deputatæ sub Seuero Principe, & cum Felicitas parturiret in carcere, omnium militum, qui simul patiebantur, precibus impetratum est, vt octauo mense pareret. Iam verò Perpetuæ inter alia concessum est, vt eius mens quodammodo auerteretur à corpore, in quo vaccæ impetum pertulit, ita vt adhuc futurum expectaret, quod in se iam gestum esse nesciret.

VIII.

VIII.Idus Martij. In Nicomedia * Quintili Episcopi, & Capitulini. In Africa Rogati, Felicis, item Rogati * Beremæ, Hereniæ, Felicitatis, *Orbani, Cyrilli Episcopi, Siluani, & * Manili.

* Quintilii.
* Beatæ,
* Vrbani,
* Mamilli.

VII. Idus. In Sebaste Armenia minore XL. militum tempore Licinii Regis sub præside Agricolao, qui post vincula, & carceres creberrimos, post cæsas lapidibus facies, missi sunt in stagnum, vbi gelu constricta corpora eorum nocte disrumpebantur, & mane crurifragio martyrium consummarunt. Deinde corpora eorum combusta, & in fluuio proiecta, sed diuina dispensatione reliquiæ eorum integræ sunt repertæ, & honore digno conditæ. Erant autem nobiliores inter eos, * Quirinion, & Candidus.

* Cyrion.

VI. Idus. In Antiochia * Agapæ Virginis, & Marianæ. Smyrnæ Phronis. In Nicomedia Palatini, Firmiani, & Rustici. In Alexandria * Eracli, Zosimi, Alexandri, & * Gaiperij.

* Agapes.
* Heraclij,
* Candidi et Piperionis.

V. Idus. In Sebastia ciuitate, natiuitas Martyrum XL. qui temporibus Licinii Imperatoris, & Agricolai Præsidis, & Lysiæ Ducis pro nomine Christi Martyrium passi sunt, quos Agricolaus præses cum ad culturam Deorum conuertere non posset, lapidibus obrui præcepit. Sed lapidatores eorum alterutrum secum lapidibus cedebant, nec martyres nocere poterant. Dux vero Lysias exardescens ira tulit lapidem vt percuteret aliquem sanctorum, sed miro Dei nutu ipse lapis in faciem peruenit Præsidis, quos in stagnum gelatum glacie præses misit, sed Dei voluntate ipsum frigus temperatum est, & glacies dissoluta, aqua calida facta est, vnus autem de ipsis XL. pœnarum timore perterritus ad balneum refugit, sed mox vt attigit calorem resolutus est, & sic reddidit animam, in cuius locum clauicularius, qui sanctos Martyres custodiebat credens Christo substitutus est, videns coronam de cœlo descendere super singulos, qui in confessione perstiterant. Tyrannus vero repletus ira, iussit eos duci ad littus, & baculis eorum crura confringi, & item in mare proiici: sed Deo volente martyrum reliquiæ in aquæ profundo religiosis viris reuelatæ sunt, & inde ablatæ, & in loculis honeste conditæ sunt.

IV. Idus, Romæ depositio S. Gregorij Papæ, qui in lege Dei luculentissimus Doctor extitit, & gentem Anglorum per Augustinum, & Mellitum atque Ioannem seruos Dei ad fidem conuertit.

III. Idus. In Nicomedia, natiuitas Macedonii Presbyteri, & Patriciæ vxoris eius, & filiæ Modestæ. In Nicæa Theusetæ, & Horis filii eius. Theodoræ. Hi omnes igni concremati sunt. Iulii Episcopi, Alexandri.

II. Idus. In Carthagine natiuitas sanctorum Donati, Effrosij, Fronimi, in Nicomedia natale Felicissimi, Frontinæ.

Id. Martij: In Cappadocia passio S. Longini Martyris, de quo in libello Martyrij eius narratur, quod aliquando militans sub Centurione Romano, in passione Domini latus eius cum lancea in cruce aperiret, & viso terræmotu, & signis quæ fiebant, crediderit in Christum pœnitentiam agens de operibus suis pristinis, postea Monachus factus per XXX. & IV. annos Christo militauit, multos conuertens ad fidem Dei, ad extremum vero martyrizauit in Cappadocia sub Octauio Præside, quem propter infidelitatem suam diuino iudicio percussum corporea cæcitate post martyrium suum illuminauit.

XVII. Cal. Aprilis natalis sancti Cyriaci, qui post longam carceris marcerationem quam à Maximiano pertulit, cum Sisinnio Condiacono suo, & Smaragdo, & Largo post multa facta miracula, in quibus filiam Diocletiani Artemiam ipsius rogatu à Dæmonio curauit ac baptizauit, filiam quoque Saporis Regis Persarum Iobiam, missus illuc à Diocletiano pro hoc, æquè à Dæmonio liberauit, ac baptizauit cum ipso Rege, & aliis quadringentis triginta, & rediens Romam post mortem Diocletiani tentus est inter alios Christianos à * filio eius Maximiano, & in custodiam missus, eo quod sororem suam Christianam fecisset, deinde præcepit vt die processionis suæ nudus catenis obligatus ante rhedam eius traheretur, & post hoc eductus est de carcere cū sociis Largo, & Smaragdo & Crescentiano, per Carpasium Vicarium, & pice reliquata, caput eius perfusum est. Et rursus post dies quatuor denuo de carcere in catasta extentus ac tractus neruis, & fustibus cæsus, post † dies iubente Maximiano capite truncatus est, cum Largo, & Smaragdo, & aliis XX. scriptum in gestis Marcelli Papæ. Ipso tempore Maximiani Deus interfecit sororem suam Artemiam.

** Hæc quomodo sibi constet, vide Baroniū in Annalib.*

† f. duos vel tres.

XVI. Cal. In Scotia natalis Patricij Episcopi, qui in Hybernia Insula Scotis primum prædicauit nomen Domini nostri Iesu Christi, & natalis Mariæ Martyris. Hæc quoque cum esset ancilla, cuiusdam Tertulli præclari viri, & nollet in natali filij eius prandiis Domini sui interesse, sed magis Christianorum more ieiuniis operam dare, flagellis atrocibus ab eodem Domino suo lacerata est, sed cum non posset ab instantia per hoc seruitij Christi ad Idolorum cultum reuocari, iudici publico ad puniendum tradita est. Vbi dum carnifices eam incendio tradere voluissent, propter preces populi data est ei inducia trium dierum,

dierum, triduo ergo completo cum iterum puniri deberet, mirabiliter Domini misericordia erepta est. Nam cum orationem ad Dominum fudisset, vnde petra ingens, quæ ante eam fuerat, per medium scissa illam in se recipiebat, & vndique concludens hostium furori restitit. Ad quam populus concurrens cum vellet secundum iussum Principis ipsum lapidem destruere, fulmine ac tonitru cœlitus emisso, plurimi eorum interierunt, ita vt duo millia, & septingenti ex ipsis diuino iudicio extincti fuerint, pauci vero qui remanserant, conuersi ad Dominum in Christiana religione permanserunt.

XV. Calend. in Alexandria natalis Coelestici, & in Nicomedia Aprilis, & Seruuli, & in Lucania Quinti, & Ingenui, & Rogatæ, & in Mauritania Timothei.

XIV. Calend. In * Spolitana ciuitate natiuitas Ioannis Confessoris, qui peregrinus de Sicilia illuc venit, & in suburbano eius ædificauit monasterium, & habitauit ibi XIV. annis, vbi & requieuit in pace. * Spoletana.

XIII. Calend. In Britannia sancti Chudberti Episcopi, qui vitam plenam virtutibus ducens tandem Anachoreta diem vltimum clausit, cuius corpusculum post XI. annos de sepultura leuatum, inuentum est integrum, cum vestitu, quo indutus fuerat, ac si ipsa die in monumentum positum fuisset.

XII. Calend. sancti Benedicti Abbatis, qui regulam scripsit Monachorum cum magna discretione. eodem die in Alexandria depositio Serapionis Monachi.

XI. Calend. In * Arbona ciuitate natalis Pauli Confessoris. In Africa Saturnini, & aliorum IX In Sebastia Decroni, & Arionis. * Narbona.

X. Cal. In Africa natalis Fidelis & aliorum XX.

IX. Cal. In Syria Natale * Seleucis, & in Africa Agabi. * Seleuci.

VIII. Cal. Annunciatio incarnationis Dominicæ, & Hierosolyma Dominus noster Iesus Christus crucifixus est, & passio S. Iacobi fratris Domini, qui in Paschæ solennitate Iudæis Christum testificans de templi est culmine præcipitatus, ac fullonis vecte percussus. Et in Nicomedia natale Dulæ ancillæ militis, quæ pro castitate occisa est. Et Romæ * Cyrini qui interfectus à Claudio, & in Tyberim iactatus, in Insula Lycaoniæ inuentus, & in cœmiterio Pontiani conditus est. Scriptum est in passione S. Valentini. * Quirini.

VII. Calen. In Syrmio Montani Presbyteri, Maximæ vxoris eius. Romæ via Lauicana natale S. Castuli Martyris.

VI. Ca-

VI. Calend. Hierosolyma resurrectio Domini nostri Iesu Christi.

** forte Marritanæ.*

V. Calend. In Africa natale Rogati, Successi, & in Cæsarea * Mare depositio sancti Dagolaphi, & in Africa aliorum XVI.

IV. Calend. In ciuitate Pisana natale sancti Torpet's Martyris, quem Nero Imperat. iussit magnam Dianam matrem Deorum adorare, quod ipse renuens repletus Spiritu sancto, & dixit: *Melius est vnum Deum adorare, qui fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, quam plures Deos colere, hoc est, Dæmones.* Exiens sanctus Torpes de palatio multum intra se cogitans dixit, *quid faciam Idolis seruiendo & baptismũ salutis non accipio?* Tunc adscendit in montem, & clamare cœpit dicens: *Pater Antoni vbi es?* Respondit Presbyter Antonius & dixit: *Et quis es tu fili?* Sanctus Torpes dixit: *Ego sum seruus tuus Torpes:* Tunc Antonius baptizauit eum in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Tunc statim Angelus Domini apparuit sancto Torpeti, & dixit ei: *Forti esto animo, quia tu nobiscum eris in paradiso.*, postea Nero perrexit Romam & Satellico cognato suo præcepit sanctum Torpetem in carcerem recipi, & alapis cædi, & ad columnam habentinam nudo corpore religari, & dum sanctus Torpes complesset orationem, cecidit illa columna, & oppressit ex impiis quinquaginta, & ipse Satellicus sub ea mortuus est. Tunc filius Satellici nomine Siluinus dum hæc ita agerentur, iussit vt leo eum ad deuorandum dimitteretur: qui subito dimissus dans rugitum super eum, & eadem hora mortuus est, & iterum dimissus est leopardus, & ipse flectens caput lingebat plantas eius. Tunc præcepit Siluinus ministris, vt ad mare duceretur, & ibidem decollaretur. Sanctus vero Torpes spem habens ad Dominum ita orauit: *Domine suscipe spiritum meum*, & sic à carnifice decollatus est: Eodem die passio Achacij.

III. Calendas. Natale Domni Philippopoli, & Iacaici, & depositio Austasij Abbatis & Nicæi Episcopi.

** Anesii.*

II. Calendas. In Africa Natale * A[illegible] [illegible]sitio Ambrosij Episcopi, & Natale VII. virginum: [illegible] [illegible] scit.

Cal[illegible] [illegible]tale [illegible]
Diocle[illegible]
sunt, [illegible]
red[illegible] No·

IV. Nonas Aprilis. In Africa Amphiani, Victoris,& aliorum XIV. & alibi Marcellini, Saturni, Quiriaci, Reginæ, Proculæ,& aliorum IV.

III. Nonas Aprilis. Natale Theodosiæ Virginis, quæ passa est temporibus Imperatorum Diocletiani, & Maximiani in ciuitate Cæsarea sub Vrbano Præfecto: Nam hæc cum relictis parentibus confugisset ad carcerem, vbi Christi Confessores clausi erant, tenta est à militibus,& ducta ad tribunal Iudicis Vrbani, quæ coram ipso astans, nec adulationibus eius est decepta, nec minis territa, sed sapientia Dei repleta falsos Deos gentilium disputando coram Præside confutabat. Vnde & à Tyranno neruis ligata, & flagellis cæsa non potuit vinci, postea ei adhibita sunt varia tormenta, hoc est sartagines ignitæ, leones,& bestiæ, ex quibus nullam maculam passa est. Deinde in mare demersa, sed per Dei auxilium citius inde liberata, nouissimè gladio capite abscisso obdormiuit in pace,& compleuit Martyrium suum, honorifice à Christianis sepulturæ tradita.

II. Nonas Mediolano depositio B. Ambrosij Episcopi, & Confessoris, cuius vita,& doctrina insignis prædicatur in Ecclesia.

Nonis: In Thessalonica natalis * Hyrenis, quæ post tolerantiam carceris inter orationes sagitta percussa est à Sisinnio comite, sub quo & sorores eius Agape, & Chionia martyrizauerunt, quæ à prædicto præfecto licet in ignem mitterentur, tamen illæsæ ab eo, exorantes Dominum, Spiritum reddiderunt. + *Irenes.*

VIII. Iduum. In Syrmio natale *Hyrenei Episcopi eiusdem loci. + *Irenæi.*

VII. Idus. In Alexandria natale *Pelosi Presbyteri,& in Nicomedia natalis Cyriaci cum aliis X. + *Pelensii.*

VI. In Africa natalis Ianuarij,* Macharij,& Maximæ, & in Carthagine Concessæ. + *Macariæ.*

V Idus. In Syrmio natalis VII. Virginum quæ in vnum meruerunt coronari.

IV. Ezechielis Prophetæ.

III. Id. Rom[illegible] Leonis Papæ, qui quadragesimus septimus post B. [illegible] in Episcopatu annis XXI. Hic * inuenit hæ[illegible]e ad Marcianum principem Catholicum, [illegible]horum quinquaginta, & sex Episcoporum [illegible] S. Eufemiæ Martyris exposuerunt iuxta [illegible]uras in vno Christo Domino, hoc est di[illegible]temnauerunt *Euthicium,& Nestorium

+ *forte euer*[illegible]*tit.*

+ *Eutychem.*

II.Idus. Romæ Episcopi Iulij Papæ, & Confessoris, qui sub Constãtio Arriano, filio Constantini, 10. mensibus tribulationes, & exilia passus: post eius mortem cum magna gloria ad sedem suam reuersus est: & eodem die, ciuitate Verona, passio S. Zenonis Martyris, de quo B. Gregorius refert in libris Dialogorum, quod * Atisin fluuius inundans in Ecclesia, vbi corpus eius iacebat humatum, vsq; ad superiores tecti fenestras excreuerit, sed intra Ecclesiam vbi fuerat congregata fidelium turba intrare non poterat.

* Athesis.

Idibus Aprilis. In ciuitate Chalcedonia natalis Eusemiæ, & Romæ in cœmiterio translatio Ianuarij Martyris.

XVIII. Cal. Maij. Romæ Tyburtij & Valeriani, & Maximi, sub Almachio vrbis Præfecto, quorum primi fustibus cæsi, & gladio sunt percussi, vltimus tam diu plumbatis verberatus donec spiritum redderet. Eodem die in Nitria Frontonis Monachi, qui LXX. monachos in eremum secum adduxit, vt sequestrati ab hominibus diuinæ contemplationi vacarent: sed cum esset ibi, Diabolo instigante, ipsi Monachi cõtra Abbatem suum murmurauerunt, quod non possent præ fame in eremo habitare, sed consolans eos Abbas suus, à Domino ipsis promisit solatium, quod & ita euenit. Nam Dominus per visionem Angelicam quendam diuitem corripuit, quod ipse in deliciis viuens, seruis suis in eremo habitantibus alimentum non præberet: qui cum non sciret, vbi illi habitarent, consilio accepto LXX. camelos onerabat alimentis, & dimisit illos, quo Dominus eos vellet perducere. At illi à domino suo dimissi, pergebant in solitudinem vbi serui Dei habitabant, & eis alimenta satis portabant. Sed sanctus Fronto hoc videns, cauens auaritiam noluit omnia accipere, sed medietatem tulit: alteram vero medietatem super camelos positam remisit ad dominum suum, qui sani ad proprium dominum reuersi sunt. Ex illo igitur anno vsq; ad vitam Frontonis misit diues ipse notato tempore, quo * anno miserat, escas necessarias fratribus dirigebat: aliis sic diuitibus Dominus imperabat, & ex omnibus dapibus irrigati, nihil Dei serui cum S. Frontone minus habebant, vigilabant hi operibus Dei; filij cum patre spiritualibus eos admouens dapibus, adimplebat quotidie sermone cælesti, exultans lætabatur in Domino, qui sibi talem dederat intellectum, vt auiæ solitudinis loca quæsiuisset.

* sancti.

XVII. Cal. In ciuitate Corduba. Natale Olympiadis, & Maximi nobilium, qui iubente Decio fustibus cæsi, & deinde plumbatis, ad vltimum capita eorum securibus tunsa, donec emitterent spiritum.

XVI. Cal.

XVI.Cal.In Achaia Corintho ciuitate, sanctorum Callisti,* Carissi, Leonidis, Christianæ, Callæ, Theodoræ, & aliorum plurimorum sanctorum.

* Charisij.

XV.Cal.In Antiochia natalis Petri Diaconi, & Hermogenis, & in Africa Fortuuati,& Marciani.

XIV.Calend.Natalis Eleutherij Episcopi & Martyris, & Antiæ matris eius. Hic Eleutherius in Aquileia Episcopus ordinatur, sub Adriano Imperatore Romæ passus est. Hic primum Felicem, &* Correuũ comites conuertit ad fidem Christi, pro quo ipse *Correuus passus est percussus gladio. Nam Eleutherius primo vicit lectum ferreum, deinde craticulam,& ignem suppositum, postea sartaginem cum pice,& adipe feruente. Dehinc bestias mitigauit, ad extremum verò decollatus est cum Antia matre eius, & sic martyrium finiuit.

* Corebum
* Corebus.

XIII.Cal.In Africa Calafrani Abbatis,& Hermogenis,& Expediti,& in Hispaniis in * Calcoliueris, Vincentij.

* Caucoliberis

XII.Cal.Romæ Aniceti Papæ,& Martyris, qui constituit in Ecclesia, vt Clerus comam non nutriret,& sepultus est in cœmiterio Calisti.

XI.Cal.In Asia natiuitas Maximini Martyris, qui tempore Decij Imper. oblatus est Proconsuli nomine Optimo, qui cum ab eo tormẽtis cogeretur ad sacrificandum Idolis,& nollet, diu in equuleo tortus, ad extremum lapidibus oppressus est.

X.Calend.Romæ depositio sancti Gaij Papæ, qui cum Ecclesiam XI. annos, menses IV. dies XII. rexisset, martyrio coronatur, sub Diocletiano Principe cum * Gabinio fratre. Eodem die in Corduba ciuitate natiuitas Parmenij, * Helymæ, & Chrysotheli Presbyterorum, & Lucæ, & Mucij Diaconorum de Babylonia, quorum primus præcisa etiam lingua loquebatur: omnes in equuleo suspensi, & nexibus artati sunt: deinde laminis ardentibus circum latera oppositis, vstulati,& vngulis lacerati: ad vltimum gladio trucidati sunt: præsente persecutore Decio: in passione Laurentij.

* Gabino.
* Helimenæ.

IX.Cal.Maij: Natiuitas S.Georgij Martyris, qui sub Daciano Rege Persarum potentissimo, qui dominabatur super LXX Reges multis miraculis claruit, plurimosq; ac conuertit ad fidem Christi, simul & Alexandram vxorem ipsius Daciani vsq; ad martyrium confortauit: ipse vero nouissime decollatus, martyrium expleuit, * cuius vitam, & passionem scriptam legi.

* Vide Baronium in Martyrolog. 23. Aprilis.

VIII. Calend. Depositio Melliti Episcopi in Britannia, hac die Ananias, Azarias, Misahel de camino ignis ardentis sunt liberati.

VII. Calend. Natiuitas Sancti Marci Euangelistæ in Alexandria, qui constitutis, & conformatis Ecclesiis per Lybiam, Armaricam, Ammoniacam, Pentapolin, Alexandriam, atque Ægyptum vniuersam: Ad vltimum tentus est à paganis, qui remanserant Alexandriæ, qui videntes eum die sancto Paschæ, VIII. Calend. Maij, Missas facientem, miserunt funem in collo eius, & trahebant eum ad loca buculi, quæ erant iuxta mare sub rupibus, vbi erat Ecclesia constructa: & defluebant carnes eius in terram, ac saxa inficiebantur sanguine: Vespere autem facto, miserunt eum in carcerem; vbi circa mediam noctem, primò Angelica visitatione confortatus est, deinde ipso Domino sibi apparente ad cælestia regna vocatus, ac mane cùm traheretur ad loca buculi gratias agens, & dicens: *Domine in manus tuas commendo spiritum meum*, defunctus est, & à viris religiosis sepultus, in loco lapidis excisi, cum gloria, ordinauerat autem pro se Alexandriæ Episcopum, Annianum, aliis quoque longe, lateque Ecclesiis Episcopos, presbyteros & Diaconos dederat: Eodem die Romæ Letania maior ad Sanctum Petrum. Natale sancti Maximi Martyris, qui temporibus Decij comprehensus est in Asia, & oblatus est Proconsuli, qui iussit eum in equuleo suspendi, & diuersis suppliciis torqueri, si magnæ Dianæ non sacrificaret, & ob hoc quia eã non coleret, iussit eum capitalem subire sententiam, hoc est in VII. Calend. Maii.

VI. Calend. Depositio Sancti Marcellini Papæ, qui cum Ecclesiã IX. annos, & menses IV. rexisset, & temporibus Diocletiani, & Maximiani: ab eodem Diocletiano pro fide Christi cum Claudio, & Cyrino & Antonino capite truncatus est, & post dies XXXV. sepultus via Salaria in cubiculo à Marcello Presbytero, & Diaconibus, cum hymnis, VI. Calend. Maias.

V. Calend. Natiuitas Anastasii Papæ, qui post Beatum Petrum quadragesimus primus sedit. Hic Manichæos in vrbe Roma inueniens damnauit, & constitutum fecit, vt nullus transmarinus in Clericatum susciperetur, nisi quinque Episcoporum designaret chirographum.

IV. Calend. Sancti Vitalis, qui fuit pater sanctorum Martyrum Geruasii, & Protasii, hic ergo cum fuisset militans Consularis, & cũ fuisset cum Paulino Iudice suo, Rauennam ingressus est, & cũ videret in cõspectu Iudicis sui, Christianũ nomine Vrsicinũ arte medicũ natione Ligu-

Ligurium, post nimia tormenta capitalem accepisse sententiam. Locus autem vbi decollabantur Christiani, hoc habebat vocabulum, vt diceretur ad Palmam, eò quod arbores antiquæ palmæ illic essent. Ille igitur vt diximus post nimia tormenta decollandus, cũ veniret ad Palmam, expauit, & dũ vellet malo euadere, exclamauit voce magna Vitalis dicens: *Noli noli Vrsicine Medice, qui alios curare consueuisti, teipsum æternæ mortis iaculo vulnerare vis! & qui per passiones nimias venisti ad pugnam, coronam perdere vis à Domino tibi præparatam?* Audiens hæc Vrsicinus genu posuit, & spiculatorem vt feriret hortabatur, agens pœnitentiam, quod expauisset, Christi martyrem se fecit; Eodem die natalis sancti Christophori Martyris.

III. Calend. Romæ passio Cleti Papæ, qui tertius post Petrũ Romanæ Vrbis Episcopatum annos XII. habuit, & ibidem martyrio coronatus est, sub Domitiano Imper.

II. Calend. In Alexandria Natalis Afrodisij Presbyteri, & aliorum XXX. Et Romæ depositio Quirini Episcopi.

MAIVS.

Calendis Maij. Hieremiæ Prophetæ, & in Hierapoli Philippi Apost. * qui Hebionitarum hæresin extinxit, & quieuit in pace. Passio S. Iacobi Apostoli in Hierosolyma, quem Scribæ & Pharisæi posuerunt super pinnam templi, sed cum ita agerent, & viderent omnes gratulari in prædicatione eius, præcipitauerunt eum ex alto, & corruens nihil læsus, sed magis prædicabat, tunc iratus quidam ex Pharisæis pertica fullonis cæcidit fortiter in caput eius, & euertit cerebrũ, & in Hierosolyma passio S. Iudæ, siue Quiriaci Episcopi, cui reuelatum est lignum dominicæ Crucis. Eodem die in Acaurio passio sancti Sigismundi Regis.

* *Vide Paronium in Martyrologio.*

VI. Nonas. Sancti Patris nostri Athanasij Episcopi Alexandrini.

V. Nonas. In Hierosolyma inuentio S. Crucis ab Helena Regina post passionem Domini anno 233. regnante Constantino Imperatore, filio ipsius Helenæ. Romæ Alexãdri Papæ, & Euentij, & Theodoli Presbyterorum, quorum primus post vincula, carceres, equuleum, virgulas, & ignes, punctis creberrimis per tota membra peremptus est: sequentes, & ipsi post longam carceris sustinentiam ignibus examinati, & ad vltimũ decollati sunt ab Aureliano Iudice tempore Traiani Principis. Eodẽ die depositio S. Philippi Confessoris.

IV. Nonas. Passio S. Floriani martyris tempore Diocletiani, & Maximiani Imperatorum sæuiente iniquissimo Præside Aquilino

apud * Nutricum ripenſem, qui cũ ſe videret ſuperatum à Floriano, iuſſit eum capitalem ſubire ſententiam, & duci ad fluuium * Aneſo, & ibi præcipitari eum de ponte.

* Noricum ripenſe.
* Aniſum.

III. Nonas. In Arelato depoſitio S. Hilarij Epiſcopi, qui Pelagianam hæreſin in collatoribus deprehendit, & corrigere ſtuduit. Antiſiodoro eodem die paſſio S. Iuuiani Lectoris, & Martyris.

II. Nonas. Paſſio beatorum Martyrum Mariani, & Iacobi, & aliorum qui cum iis pro nomine Chriſti paſſi ſunt. Nam per reuelationem eis Dominus præſignauit qualiter vitam præſentem per gloriam martyrij finire debuerunt. Sicut in martyrio eorum ſcriptum continetur.

Nonis. In Nicomedia natalis Flauij Epiſcopi, & Frodiſij, Macrobij, Auguſtini Epiſcopi, & in Conſtantinopoli Achaici, Auguſtoduno depoſitio Beati Placiti Presbyteri.

VIII. Idus. Natalis S. Victoris Martyris in ciuitate Mediolanenſi ſub Maximiano Imperatore. Nam idem Imperator iuſſit Beatum Victorem, qui erat Maurus genere, militis officio functus, propter fidem Chriſti, & confeſſionem multis modis cruciari, hoc eſt carcere includi, vbi dies ſex manſit, ſine cibo, & potu, poſtea fecit eum fuſtibus & flagellis frequentibus cædi. Deinde plumbo liquato corpus eius perfundi: ſed ſtatim Angelus Domini affuit, & plumbum ita frigidum fecit, ſicut aquam de fonte leuatam, & non eſt combuſtum corpus eius in vlla parte. Nouiſſimè verò cum nullo modo ad Idolorum culturam conuertere potuit, ſed Victor in fide Chriſti perſeuerans vbique victoriam habuit: Iuſſit prædictus Tyrannus caput eius abſcindi, quod ſanctus Maternus Epiſcopus audiens factum, collegit corpus eius, & in prædicta ciuitate cum honore ſepeliuit.

VII. Idus in Axiopoli natalis Quirilli, Gindei, & Genonis, & in Tharſo Ciliciæ Aphrodiſij, & Romæ natale S. Beati Confeſſoris.

VI. Idus. Sanctorum Faltoni, Pilioni & aliorum Martyrum. Romæ Calepodij, Senis Presbyteri ſub Alexandro Imperatore, qui eum fecit occidi à Laodicio, & corpus trahi per ciuitatem, atque in Tyberim iactari. die . . . . . . Maiarum, quod inuentum piſcatores leuauerunt, & narrauerunt Calliſto Epiſcopo, at ille acceptum condidit eum aromatibus, & linteaminibus, & ſepeliuit in cœmiterio eiuſdem, via Aurelia, milliario ab Vrbe tertio, in crypta Vildemari: tunc decollatus eſt ab Alexandro, Palmachius Conſul cum vxore, & filiis

filiis, & aliis promiscui sexus LII. cum quibus & Simplicius Senator, qui per doctrinā Callisti Papæ, & Calepodij Presbyteri nuper fuerant baptizati. Scriptū in passione S. Callisti Papæ. Eodem die natale Gordiani Martyris, qui sub Iuliano impiissimo Imper. passus est. Nam prædictus Tyrannus cum præcepisset memorato Gordiano Vicario suo, cum adhuc paganus esset, vt Ianuariū Presbyterum diligenter exquireret, si quo modo illum posset auertere à fide Christi: S. autē Ianuarius illum magis lucratus est Christo, & baptizauit simul cum Marina vxore sua, quod audiens factum Iulianus præcepit Clementiano Iudici, vt eum si nollet Idolis sacrificare, puniret. Nam iratus iussit inscriptionibus damnari S. Ianuarium Presbyterum, & B. Gordianum, vxorē autem eius Marinam in quadam villa, quæ vocatur Aquas Saluias in seruitio rusticorum opprimi; cum autem vidisset Clementianus, quod S. Gordianus nullo modo à statu fidei suæ auerti posset, iussit eum primū plumbatis cædi: deinde capite truncari, quod cum factū comperissent Christiani, nocturno silētio venerunt & rapuerunt corpus venerandum S. Martyris Gordiani, & venientes in via quæ Latina nuncupatur, non longè ab vrbe Roma milliario plus minus vno, posuerunt eū in crypta, sexto Idus Maias, vbi iā pridem S. Epimachū sepelierāt.

V. Idus. Passio S. Euellij Martyris, qui videns passionem S. Torpetis Martyris, & mirabilia quæ fecit, credidit Christo, qui antea Consiliarius Neronis Imperatoris fuit; qualiter Christiani martyrizarētur.

IV. Idus. S. Patris nostri Epiphanij Episcopi Cypri, & Romæ S. Pancratij, qui cum esset annorum quatuordecim, sub Diocletiano martyrium capitis detruncatione compleuit. Eodem die Romæ passio Sanctorum, Nerei, & Achillei fratrum.

III. Idus. Festiuitas S. Onesimi Confessoris, ipso die Mariæ Martyris festiuitas celebratur: quæ cum fuisset Tertulli cuiusdā viri principalis ancilla, nobilitatem domini mentis benignitate vincebat, & Christo se probauit ingenuā. Hæc cum à domina sua per tormēta à fide Christi recedere cogeretur, nullo modo consensit. Propter hoc Præsidi tradita est ad cruciandū, sed eam nec minæ ipsius, nec tormenta à Christo separare poterant, nouissimè super petram grandem ad decollandū adducta, ipsius petræ diuisione facta, Christi famula illuc intrauit, subitoq; petra iterū semetipsam concludit: Nec quenquā persecutorum ancillā Christi persequi sinebat, sed vsq; ad diē iudicij ita cōclusam seruat Eodē die in oppido Traiectense natale S. Seruatij Episcopi, & Cōfessoris, qui cū Tungrensem regeret Ecclesiā tempore, quo Huni venturi

turi erant in Galliam, timens populo ſibi commiſſo, ne ab Hunis vaſtaretur, perrexit Romam deprecaturus, quatenus per merita,& intercesſionem ſanctorum Apoſtolorum impetraret defenſionem populi ſui. Cumq; ibidem ieiuniis, & obſecrationibus per multorũ dierum ſpacia in tali afflictione moraretur, fertur tale ab Apoſtolo Petro accepiſſe reſponſum: *Quid me vir ſanctiſsime inquietas? Ecce enim apud Dominum deliberatione prorſus ſancitum eſt, Hunos in Gallias aduenire, eaſque maxima tempeſtate debere depopulari. Nunc igitur ſume conſilium meum, ac celera velociter, ordina domum tuã, ſepulturam compone; relinque linteamina munda. Ecce enim migraueris à corpore, nec videbunt oculi tui mala, quæ facturi ſunt Hunni in Galliis, ſicut locutus eſt Dominus noſter.* Accepto ergo hoc reſponſo remeauit ad Eccleſiam ſibi commiſſam nũcians ſuis reſponſum B. Petri, & poſt non multos dies vitam præſentẽ finiens, migrauit ad æternam requiem. Hic quoque ſepultus in loco Traiectenſi, cum ſepulchrum eius ſub diuo eſſet poſitum, nec nix, nec pluuia cecidit ſuper eum, donec à ſucceſſore eius S. Munulfo Epiſcopo templum magnum in eius honore conſtructum eſt.

*Pachomij.

II. Idus. S. Patris *Pachumij, qui cũ eſſet factis Apoſtolicæ gratiæ inſignis, fundatorq; Ægypti Cœnobiorum, ſcripſit Monaſteriorum regulas, quas Angelo dictante didicerat, ſimul & de tempore Paſchali. Ipſo die in Syria natalis Victoris, & Coronæ, ſub Antonino Imperatore, duce Alexandriæ Sebaſtiano. Erat autẽ Victor miles à Cilicia. Cui Sebaſtianus in Confeſſione fidei confringi digitos, & euelli iuſſit à cute. Deinde illum in caminum ignis mitti, vbi triduo permanens non eſt læſus. Deinde venenũ bibere iuſſus, non eſt mortuus, ſed veneficũ potius ad fidem conuertit. Deinde iuſſum eſt neruos corporis eius tolli. Deinde oleum bulliens mitti in pudẽdis eius. Poſthæc iuſſit lampades ardentes ſuſpenſo ad latera applicari. Poſthoc acetũ, & calcem ſimul miſceri, & dari ei in ore. Deinde oculos erui. Dein triduo deorſum capite ſuſpendi, & dum adhuc ſpiraret, iuſſit eum excoriari: tunc Corona cum eſſet vxor militis cuiuſdam, cœpit beatificare S. Victorem pro gloria Martyrij, & dum hoc faceret, vidit duas coronas cœlo delapſas, vnam Victori, & alteram ſibi miſſam, Cumque & hoc cunctis audientibus proteſtaretur, tenta eſt à Duce, iuſſumq; duas arbores palmæ curuari ad inuicem, & cannabinis funibus ligari Coronam in vtraque, manibus, & pedibus: & ſic arbores dimitti, quod dũ fieret, diuiſa eſt Corona in duas partes. Erat autem annorum XVI. tum quoq; Victor decollatus, & ipſe victoriæ perennis triumphum meruit.

Idibus

Idibus. In Syrmio natalis Timothei: & VI. Virginum, & in Sardinia natale Simplicij Presbyteri, & in ciuitate Filasiana Rosulæ.

XVII. Calend. Iunias in ciuitate Picino Ausimo natale Diocletiani, & Florentini. In Antisiodoro passio S. Peregrini primi Episcopi ipsius ciuitatis. In Trecasine depositio Fidoli Presbyteri, & Cõfessoris.

XVI. Cal In Alexandria natale Adrionis, Victoris, & Basillæ.

XV. Cal. Hortasi, & Serapionis Presbyteri, & Marci Papę, & Potamionis.

XIV. Cal. S. Pudentianæ virginis, quæ fuit filia Pudentis, & soror Praxedis virginis. Ipsa autẽ soror Praxedis, & Pudentiana omnem facultatem diuidentes inter se, cœperunt vendere omne patrimoniũ & erogare pauperibus: In eodẽ verò loco, vbi titulum meo nomini Pater earum bonę recordationis pudens dedicauit; & hoc consiliũ inter me, & famulas Christi Praxedem, & *Potentianã filias sacratas conuenit: vt in die S. Paschæ quia desiderio earũ, & nimio ardore fidei vrgebantur, propter familiam communẽ, quæ gentilis erat: in eodem titulo fontẽ Baptismi construere studuissent; quem titulum S. Pius manu sua consecrauit; vbi baptizata est omnis familia eorum, & ingenuitatem postea promeruit: S. Pudentiana autem 12. anno vitæ suæ emigrauit ad Dominum. Eodẽ die natale Sanctorum *Calocerij, & Parthenij Eunuchorũ, vxoris Decij Imperat. quorum vnus cum esset Prępositus Cubiculi: alter verò Primicerius: nolentes sacrificare Idolis, à Decio occisi sunt. Depositio Domini Alchuini.

* Pudentianam.

* Caloceri,

XIII. Cal. Passio sanctorum Martyrũ Cononis, & filij eius, in ciuitate Iconia prouinciæ Isauriæ, regnante Aureliano Tyranno, sub Domitiano Comite. Nã ipse S. Conon habuit vxorem, & discessit, castusque permansit, habens filium, & accipiens eũ mansit in solitudine. Ambulauit enim in viis Moysi, increpans fluctus, faciens mandata Dei. Erat enim propè ipso loco fluuius torrens, quẽ nullus poterat de vicino loco à multitudine aquæ transire: Appropiante verò populo rogabãt S. Cononem, vt eò transfretaret; Increpans S. Conon aquam statuit eam, & faciens viam eduxit eam. Descendente verò sancto Conone in Monasteriũ suum, iubens aquis vt non currerent vsq; ad tempus: deinde implens se aqua inundauit plurimũ. Cognoscens S. Conon, quod factum fuisset, pergens venit ad flumen; iubens ei, vt ita curreret, sicut cursus eius erat secundum misericordiam Dei: vnde hactenus omnes habitantes lætantur ab eo, & subiectæ sunt ei nõ solum aquæ, sed & omnis ipsa terra. Completũ est enim, quod scriptum est, *quod si habueritis fidem tanquã granum sinapis, dicite huic monti, transi*: & non solum aquis imperat, sed & fluctib. iubet. Nã prædictus Domitianus agnoscens virtutem S.

Matth. 17.

viri, asciuit eum ad se, & filium eius, & torquere eos iussit in craticula super carbones ardentes posita, oleo in ignem fuso, sed vincere eos non potuit, quia Deus de igne eos liberauit, postea malleum ligneũ afferre, & manus eorũ conterere præcepit, sed ipsi in fide cœpta perseuerauerũt sicque orationem facientes tradiderunt spiritum migrantes ad cœlestia regna.

XII. Cal. In Mauritania natale Timothei, & in Rauenna Martyriæ. In ciuitate Antisiodorensi depositio B.* Valis Presbyteri & Cõfessoris.

*Valentn.

*Æmilij.

XI. Cal. In Africa Casti, & * Emili, qui per ignem passionem consummauerunt: scribit Cyprianus libro de lapsis.

X. Calend. Passio S. Desiderij Episcopi, & Martyris.

IX. Cal. In Galliæ ciuitate Mammetis, natale sanctorum Rogatiani, & Donatiani germanorum, & Martyrum.

*Martyris.

VIII. Cal. Romæ S. Vrbani Papæ, & * Confessoris, cuius doctrina multi martyrio coronati sunt.

VII. Cal. In Britannia depositio Augustini, primi Anglorũ Episcopi. Eodem die Romæ passio Marcellini Papæ, qui temporibus Diocletiani passus est, quo tempore fuit persecutio magna, vt intra 30. dies 17. millia hominũ promiscui sexus per diuersas prouincias martyrio coronarentur Christiani. De qua re & ipse Marcellinus ad sacrificium ductus est, vt thurificaret, quod & fecit, & post paucos dies pœnitentia ductus ab eodem Diocletiano pro fide Christi, cum Claudio, & Cyrino, & Antonio capite est truncatus, & coronatus martyrio.

VI. Cal. In Parisiaca ciuitate natiuitas S. Germani Episcopi, & Confessoris, qui ex nobilibus parentibus natus fuit, sed licet eum genetrix eius malitiosa mente interficere voluisset, tamen diuino auxilio à periculo mortis liberatus, in pueritia sua sanctis viris ad Dei seruitium nutriendũ commendatus, proficiebat in gratia Dei. Presbyter ordinatus à Pontifice Nectario, Abbas ad S. Symphorianũ dignus adsistitur. In quo officio non solum virtutibus, sed etiã signis Deo placitus esse demonstratur. Postea verò Episcopus ordinatus nobiliter Parisiacam rexit Ecclesiã, multisq; profuit non solum in doctrina, sed etiam & in infirmorũ curatione. Ad extremum verò in omni bono perfectus octogenarius migrauit ad Dominum.

V. Cal. Depositio S. Ioannis Papæ, quem quia orthodoxus erat, & à Iustino Imperatore Orthodoxo Constantinopolim veniens gloriosè susceptus erat, Theodoricus Rex Arrianus reuertentem in Rauenna in custodia tentum ad mortem vsque cum aliis æquè Catholicis viris perduxit. XV. Calend. Iunias. Huius meminit sanctus Gregorius

in

in libro Dialogorum, cuius corpus translatum de Rauenna sepultum est in Basilica S. Petri Apostoli. V. Calend. Iunias. Olibrio Consule.

IV. Calend. In Treuiris depositio Maximini Episcopi, & Confessoris: Eodem die in regione * Anagnia iuxta Tridentinam vrbem passio SS. Martyrum Sisinnij Diaconi, & Martyrij Lectoris, atq; Alexādri Hostiarij, qui sub Stilicone Consule passi, coronam promeruerunt. Nam S. Sisinnius capite tuba percussus, atq; securibus confossus est. Martyrius fustibus cæsus, Alexander viuus vinctis pedibus trahendus apponitur, vt per scopulorum itinera palpitantium membrorum partes amitteret, donec ad vitæ terminum perueniret.

* Anaunia.

III. Cal. In Antiochia sanctorum Martyrum * Sicij, & Palatini, qui multa tormenta propter nomen Christi passi sunt.

* Syci.

II. Cal. Romæ natiuitas Petronellæ virginis, filiæ S. Petri Apostoli, quam beatus Apostolus rogantibus fidelibus à paralysi sanauit, sed statim vt surrexit sana, & ministerium expleuit: iterum iussit eam ad grabatum redire. At vbi in Dei timore cœpit esse perfecta, non solum ipsa saluata est, sed etiam plurimis recuperauit in melius suis orationibus sanitatem. Et quoniam nimis speciosa erat: venit ad eam Flaccus Comes cum militibus, vt eam sibi vxorem acciperet. Cui Petronella ait: *Ad puellam inermem cum militibus armatis venisti, si vxorem me habere vis, fac matronas virgines honestas ad me post tres dies venire, vt cum ipsis veniam ad domum tuam.* Factum est autem, vt trium dierum acceptum spatium virgo sancta ieiuniis, & orationibus occuparet, habens secum S. virginem Feliculam collactaneam suam in Dei timore perfectam: Tertio itaque die veniens ad eam S. Nicomedes Presbyter, celebrauit mysteria Christi, virgo autem sacratissima mox vt Christi Sacramentum accepit, reclinans se in lectulum, emisit spiritum. Eodem die martyrizati sunt beatissimi Martyres Cantius, Cantianus, & Cantianilla imperante Diocletiano, & regnante Domino nostro Iesu Christo.

IVNIVS.

Calendis Iuniis. Sancti Nicomedis Martyris Ecclesiæ dedicatio, & in Thessalonica natale Octaui, & in Antiochia Zosimi.

IV. Nonas. Romæ Marcellini Presbyteri, & Petri Exorcistæ, qui multos in carcere ad fidē erudientes, post dura vincula, & plurima tormēta decollati sunt sub Iudice Sereno, & qui eos decollauit, vidit animas corū splendidè ornatas ab Angelis ferri ad cœlos, & pœnitentiā agens

ſub Iulio Papa baptizatus eſt in ſenectute ſua nomine Dorotheus: Ipſo die in Lugduno S. Blandinæ cũ LXVIII. Martyrib. cui à prima luce vſq; ad veſperam tormenta ſemper innouantes, ad vltimũ victos ſe tortores confitentur; quæ & ſecundo pulſata cruciatibus non ſuperatur. Tertio quoq; die religata ad ſtipitem atq; in crucis modũ diſtenta, beſtiis pabulum præparatur. Quam cùm nulla ex beſtiis auderet attingere; rurſum reuocatur ad carcerem, quartò etiã verberibus acta, craticulis exuſta, & multa alia perpeſſa ad vltimũ gladio iugulatur. Tunc & Ponticus puer annorũ 15. per omnia tormentorum genera cum ipſa circumactus, & materna eius cohortatione roboratus ante illã martyrium conſummauit. Sub Antonino Imperatore, ſcriptum in hiſtoria Eccleſ. lib. 5. Eodẽ die natalis eſt Eraſmi Martyris, qui in Libano monte eremum petiuit, ibiq; manſit annis ſeptem: vbi & multa miracula fecit, hic à Diocletiano Imperat. comprehenſus propter fidem Chriſti multa paſſus eſt: Quia illum iuſſu Imperatoris nequiſſimi carnifices fuſtibus, & plumbatis cædebant; plumbo, & pice, & ſulphure cum cera, & oleo feruenti perfundebant: poſtea in carcerem miſſum pondere ferri grauabant; quod Domini virtute in cinerem verſum eſt, & nihil eũ læſit: ipſe verò mortuos ſuſcitauit, & multos debiles ſanauit. Deinde verò ab Angelo Domini admonitus, in Italiã perrexit, vbi & à Maximiano Imperatore multa tormenta paſſus, ad extremum cum palma martyrij ad æternam vitam migrauit. Similiter ipſa feria Iunij menſis feſtiuitas eſt Bonifacij Martyris, qui temporibus Diocletiani, & Maximiani Imperatorum pro nomine Chriſti paſſus eſt. Hũc verò ſua domina nomine Aglaës à Romana vrbe licet cum ea adulteriũ perpetrauerat, transmiſit in loca, vbi Chriſtianorum maxima perſecutio fuit, vt alicuius ſancti corpus precio acquiſitum ſibi afferret: ipſe autem obediens dictis Dominæ ſuæ perrexit illuc, & inter Chriſtianos comprehenſus iuſſu principis primũ olla feruenti cum pice perfuſus eſt, ſed in nullo læſus, ab ſpiculatore percuſſus, à comitibus ſuis, qui ſecum pergebant, poſt martyrij palmam ad Dominam ſuam reductus eſt, quæ ipſum accipiens Romæ via Latina ſepeliuit, ibiq; Eccleſiam conſtruens, Domino inſtanter ſeruiuit.

III. Nonas. In Africa natale Quirini, & in Tuſcia Laurẽtij, & aliorũ quadringentorũ. Aurelianis ciuitate depoſitio S.* Leofardi Presbyteri.

** Liphardi.*

II. Nonas. In Niniue, natalis Dinoci, Attali, Camati, Fyrinæ, Iuliæ, & Saraciæ, Cyprini.

Nonis Iunijs. Bonifacij Archiepiſcopi, cuius in *Freſonis martyrij paſſio peracta eſt, & Eobani Coepiſcopi eius cum ſeruis Dei VVintrunge, & Vualthere, Scirbalde, & Boſan, Hamunde, & Æthelhere,

** Friſia,*

VVan-

VVancare, & Gundacare, VVillehere, & Hadouolfe.

VIII.Idus.In Africa S. Amātij,Lucij.In Alexandria,Andreæ, Donati, & Peregrini.Depositio Beati Claudij Episcopi.

VII. Idus. In Cæsarea Cappadociæ natiuitas Luciani Martyris.

VI.Idus. In Gallia Suessionis ciuitate depositio sancti Medardi Episcopi, & Confessoris, cuius vita plena virtutibus conscripta est. Nam largus fuit in Eleemosynis,virtutibus clarus:Prophetiæ spiritum habuit,terquinis annis Veromandensium vrbis Episcopatum tenuit: ad extremum ad cælestia migrans,Suessionensium ad vrbem corpus eius translatum est,ibique sepulchrum multis virtutum titulis claruit. Eodem die Festiuitas S.Naboris Confessoris.

V.Idus.Romæ:Primi,& Feliciani Martyrum,qui sub Diocletiano,& Maximiniano Impp.pro Christi nomine multa tormenta passi sunt.Nam Promoto Præsidi ipsi nequissimi Imperatores ad puniendum eos tradiderunt,qui cum viderent eos nullo modo posse à Christi confessione auerti,separauit eos ab inuicem,&primitus Felicianum LXXX. annos habentem iussit plumbatis cædi:postea verò misit eum in carcerem,& neque cibum,neque aquam ei sinebat præbere. Deinde Primum similiter iussit fustibus cædi. Dein vero in Amphitheatro sanctos Martyres leonibus tradi præcepit, sed nullo modo ab eis læsi sunt, quod videntes turbæ crediderunt in Christum plusquam mille quingenti.Nouissime vero sancti Martyres à prædicto comite decollati sunt,& à cultoribus Christi in apto loco sepulti.Eodem die natiuitas Getulij Martyris,qui sub Adriano Imperatore passus est.Nam cum esset Christianissimus,& multas Eleemosynas,& bona opera fecisset, traditus est ab Imp.Cereali Vicario suo ad puniendum. Sed sanctus Getulius sua prædicatione conuertit eum ad fidem Christi. Sicut & fecit Amantium tribunum fratrem ipsius. Sanctus verò Sixtus Papa baptizauit Cerealem,& confirmauit in fide. Postea vero cum audisset hoc factum,Imperator prædictus,tradidit sanctum Getulium Licinio præfecto suo,vt eum cum sociis suis si nollet sacrificare Idolis,mitteret in caminum ignis ardentem,quod cum factum esset, nullo modo ab igne læsi sunt.

IV.Idus.In Africa * Aresi,Rogati,& aliorum XII.In Hispaniis * Chrispoli, Restituti.In Nicomedia natale S.Zachariæ.In Antisiodoro depositio * Censuri Episcopi.

* Aresii. * Crispuli. * Censurij.

III. Idus. Romæ Anacleti Papæ,qui primus B.Petri memoriam construxit,& composuit,cum Presbyter esset factus à B. Petro, & sepultus est iuxta corpus B.Petri Apostoli,& Barnabæ Apostoli.

II.Id.Romæ via Aurelia miliario V. passio Martyris Basilidis, Cyrini, Naboris,& Nazarij,quorum Naborem,& Nazarium simul cũ* Gorgone Martyre transtulit à Roma in Galliam, Hruocgangus Metensis Episcopus,permittente Paulo Papa Romano, anno Dominicę incarnationis DCC.LXV.& collocauit prædictus Episcopus S. * Gorgoně in monasterio,quod dicitur Gorzia, S. vero Naborem in monasterio alio,quod dicitur Nouacella. Sanctũ quoq; Nazarium in monasterio quod dicitur Lauresham,vbi signa, & miracula in sanitate infirmorum,& debilium sæpius fiunt.

* Gorgonio.

* Gorgonium.

Idib.In Africa Luciani,& Fortunati. Eadem die natiuitas S. Feliculæ virginis,quæ fuit conlactanea Petronellæ virginis, & à Flacco comite qui voluit B.Petronellam vxorem ducere, post obitum S. Petronellæ, voluit eam accipere vxorem,sed ipsa hoc renuente tradidit eã Vicario suo in custodiã tenebrosam,vbi sine cibo, & potu per septẽ dies mãsit: postea vero leuauit eã in equuleũ, & ibi torquere iussit,donec emitteret spiritum,& sic præcipitauit eam in cloacam, quam S. Nicomedes Presbyter tulit,& sepeliuit eã septimo milliario ab vrbe Roma. Quod audiens prædictus Comes iussit comprehendere ipsum Nicomedem Presbyterum,& duci ad sacrificandum,quod cum facere nollet, iussit eum plumbatis cædi,donec emitteret spiritum. Corpus vero eius in Tyberim præcipitatum est,Clericus vero eiusdem Presbyteri,nomine & opere Iustus collegit corpus eius,& sepeliuit eum iuxta muros, via Nomentana.

XVIII.Cal.Iulij Helisei Prophetæ:&Suessionis ciuitate passio Sanctorum Valerij, & Ruffini Martyrum.

XVII.Cal. Natiuitas S. Viti Martyris,qui sub Diocletiano, &* Antonino Imperat.multas virtutes operatus est.Fuit enim pater eius Hylas nomine,sacrilegus,& impius,qui iussu principum voluit eũ auertere à cultura veræ diuinitatis,sed puer sanctus permãsit in confessione verę fidei.erat enim annorũ XII. Nam multa tormenta pro Christo passus est cum Modesto Pædagogo suo,& Crescentia papatissa sua. Nã misit eos persecutor in carcerem,& in clibanum ardentẽ cum plumbo, resina,& pice,sed non nocuit eos ignis,nec Leones in vllo eos nocere potuerunt. Nouissime vero iuxta fluuium qui dicitur Siler quiescentes sub arbore animas suas Domino reddiderunt.

* f.redundat.

XVI.Cal. Ferreoli Presbyteri & Ferrutionis Diaconi in ciuitate * Visoncensi,qui sub Claudio iudice ad trocleas extẽti, & flagellati, deinde in carcerem seclusi, & mane amputatis linguis prædicabant verbum Dei: posthæc subulæ XXX. vtrique infixæ in manibus & pedib.&

* Vesontionẽsi

pectore

pectore: ad vltimum gladio feriuntur. Et in ciuitate Moguntiaco passio SS. Aurei Episcopi, & Iustinæ sororis eius, qui ab Hunnis vastantibus prædictam ciuitatem in Ecclesia occisi sunt.

XV. Cal. In Aurelianis ciuitate S. Auiti Presbyteri, cuius vita miraculis coruscabat. Nam ideo scriptum est, quod in natiuitate eius lumē de cœlo emissum esset, vt sanctum eum demonstraret. Hic Monachus factus solitudinem expetiuit, ibi miraculis factis populis verus Dei famulus innotuit, postea vero monasterium ibi construxit: iste quoque quendam Monachū defunctum in Ecclesia, cæteris fratribus somno grauatis, oratione fusa ad Dominum à morte suscitauit. Interea quidā ex Turiensi Castro, pro eius plebiculæ salute, eorumq; legatione fungens ad S. Auitum deuotus accessit, obsecrans eum, vt corpus suum ob tutelā loci ipsius castri, illic concederet tumulandū: cui dignā fabricam modis omnibus nomini suo promisit construendā. At ille indignum esse fatetur hominē peccatorē, ac multis criminib. inuolutū sub templorū tegmine recondendū, quin potius campis patentib. ad futuram examinationē ossa humiliata tellure sub fossa deceat reponenda: Dixitq; illi: *tamē vt cordis vestri, quod optat voluntas obtineat, templum in Dei nomine si persistitis non dissimulabo fabricandum. Nam corpus meum iuxta Aurelianensem vrbem à Domino decretum est collocandum.* Hic autem sanctus Dei dum temporalem vitam finiuit, licet populi inter se confligerent de corporis eius sepultura, Aurelianenses tamē victores id secum rapuerunt, super cuius tumulum Hiltiberus Rex Francorum Ecclesiam ædificauit & sepulchrum ipsius pretiosis metallis adornauit.

XIV. Cal. Romæ Marci, & Marcelliani Martyrum, qui temporibus Diocletiani, & Maximiani per Sebastianū militem Christi à blandimēto vano mulierum reuocati, ac sano dogmate confortati pro nomine Christi passi sunt. Eodem die in Antiochia celebratur passio Marinæ virginis, quæ per Olibriū Præfectum multa tormēta passa est, pro nomine Christi, vincula, carceres, flagella, equuleum, quā & Diabolus in draconis specie similiter & in Æthiopis tentauit, & subuertere voluit sed per signum S. crucis effugatus & superatus est. Nouissime vero per prædictum Præfectum decollata, cum sacro martyrio vitam finiuit.

XIII. Cal. SS. Geruasij & Protasij in Mediolano, quorum sepulchra Ambrosius Domino reuelante reperit: & ita incorrupta eorū corpora, ac si eodē die fuissēt interēpti: Quę cum in vrbē introducerētur, quidā diu cæcus feretri tactu lumē recepit; passi sunt autem S. Martyres, Geruasius, & Protasius sub * Astachio Comite, qui Geruasiū iussit tamdiu plumbatis tundi, quousq; spiritum exhalaret, & Protasium capite cædi, quorum

* Astasio.

di, quorum pater Vitalis fuit, & mater Valeria. Paulinus consularis vir iussit S. Vitalem in equuleo suspendi & in puteum proiici, & sic Deus Vitalem Martyrem consecrauit. Valeria autem tenta est à Paganis & tamdiù ab illis cæsa est, ita, vt in triduo migraret ad Christum. Romæ natiuitas Vrsicini Martyris.

XII. Cal. Translatio S. Zenonis Martyris.

XI Cal. In Mogontia natalis Albani Martyris, qui sub Theodosio Imp. de Insula Namsia pergens cum S. Theonesto, & Vrso Mediolanũ venit, indeq; exiens auxiliante Domino peruenit ad Gallias, & in seruitio Dei manẽs ad martyriũ pro nomine Saluatoris promptus. Postquã autẽ in Augusta ciuitate B. Vrsus martyriũ accepit: Theonestus cũ Albano Moguntiacum peruenit, dumq; ibi prædicaret verbum Dei Albanus discipul' eius martyriũ expleuit, & sepultus est ibi iuxta ciuitatẽ.

X. Cal. Iacobi Alphæi Apostoli, & in Britannia S. Albani martyris, qui tempore Diocletiani in Verolamio ciuitate post verbera, & tormẽta acerba capite plexus est: sed illo in terram cadente, oculi eius, qui eũ percussit, pariter ceciderunt: passus est cum illo etiam vnus de militib. eo quod cum ferire noluerit iussus, diuino vtiq; perterritus miraculo, quia viderat B. Martyrem sibi, dum ad coronam martyrij properaret alueum amnis interpositi orando transmeabilem reddidisse. In ciuitate vero Nola natalis Paulini Episcopi, & Confessoris de quo Gregorius in libro Dialogorum narrat.

* *Edildrudæ.*

IX. Cal. Sanctæ * Edildrydæ virginis, & reginæ in Britannia, cuius corpus cum XVI. annis esset sepultum, incorruptum est inuentum. Vigilia S. Ioannis Baptistæ.

VIII. Cal. Natiuitas præcursoris Domini, & in Epheso Dormitatio S. Ioannis Apostoli, & Euangelistæ. Romæ Fusci, Luceæ cum aliis 22. In ciuitate Augustoduno depositio sancti Simplicij.

VII. Calend. Thessalonicæ, Bigati. Cantani. Romæ Luciæ virginis, & Acciæ regis.

VI. Cal. Ioannis, & Pauli Romæ, quorum primus Præpositus, secundus fuit primicerius, Constantinæ virginis filiæ Constantini, qui postea sub Iuliano martyrium capitis abscissione meruerunt, per Terentianum Campiductorem, qui deinde Christianus factus est.

V. Cal. Inuentio corporum S. Fusciani, & Victorici, atq; Gentiani Martyrum, quæ reuelata sunt Lupicino Ambianensiũ Presbytero, qui cũ S. Honoratio eiusdẽ ciuitatis Episcopo, ipsas reliquias collegit, & in loco apto posuit, quas licet * Hilder. Rex Frãcorũ ad se trãsferre vellet,

* *Hildericus.*

tamẽ

tamen quia non potuit, propterea in eodem loco ædificata Basilica, ipsa honorifice sepeliuit. Eodem die in * Ephesio ciuitate festiuitas celebratur VII. fratrum dormientium, hoc est. Maximiani, & Malchi, * Martiani, Dionysij, Ioannis, Serapionis, Constantini, qui Decianam persecutionem fugientes post multa tormenta fugerunt in speluncam grandem in monte Celeo, & ibi in oratione assidua manserunt, quod audiens Decius Imperator, iussit obstrui os speluncæ, vt ibi interirent. Mortuus est Decius Imperator & omnis generatio illa, & regnauerunt alij Imperatores. Post trecentos ergo septuaginta, & duos annos, hoc est tricesimo octauo anno Imperij Theodosij filij Arcadij Imperatoris, quando pullulauit Hæresis, volens euacuare spem fidei, & resurrectionis mortuorum, ipsi septem fratres, qui in prædicta spelunca vsque ad illud tempus quiescebant, suscitati sunt de somno longissimo, & cum in præsentiam hominum illius æui adducti sunt, apprehensi à quibusdam eo quod pecuniam antiquissimam in mercatum adduxerunt ad comparandum victum sibi, quasi possessores multorum thesaurorum, cogebantur reddere, quod suspicabantur tenere. Sed veritate agnita, adueniente Marino Episcopo Ephesiorum, liberati sunt de manibus violentorum, & Theodosio Imperatori præsentati, ob testimonium resurrectionis futuræ, iterum redibant in locum pristinum, vbi requiescent vsque ad diem Vniuersalis Iudicij.

* Ephes.
* Martiniani.

IV. Calend. Leonis Papæ, qui post Petrum Apostolum quadragesimus septimus in vrbe Romana sedit annos XXI. mensem I. dies XIII. Hic tempore Pontificatus sui multa dogmata vtilia fecit, & errores noxios ab Ecclesia Dei expulit.

III. Calend, Romæ Passio Sanctorum Apostolorum, Petri & Pauli, qui sub Nerone Imperatore Simonem Magum vincentes, vno, eodemque die pro nomine Christi passi sunt. Hoc est iussu prædicti Imperatoris nequissimi, Petrus cruci affixus est, & Paulus capite plexus.

II. Calend In Agrippina Asclepij, Pamphili, & * Lemodicas depositio S. Martialis Episcopi, & Confessoris.

* Lemouicis.

IVLIVS.

Calend. Iulij. In monte Hor depositio Aaron Sacerdotis. Eodem die Romæ Octaua Lucciæ virginis, Sanctimonialis, cum Auccia Rege spon-

ge sponso suo, & natale Arelesi Confessoris, qui ab infantia Deo deditus Monasticam vitam expetiuit, & à sancto Maximino Aurelianensi Episcopo simul cum Auito socio Presbyter ordinatus vitam solitariam desiderans, Monasteria in diuersis locis ædificans, multis virtutibus ante obitum & post obitum suum claruit, & sanctitas eius plurimis profuit.

VI. Nonas. Romæ Processi, & Martiniani, qui temporibus Neronis Imperatoris passi sunt. Nam dum in custodia B. Petrus, & Paulus Apostoli à Paulino præfecto seruabantur, hi duo viri videntes mirabilia, quæ Apostoli Christi fecerunt, conuersi sunt ad fidem Christi, & à beato Petro Apostolo sunt baptizati. Hos quoq; dum prædictus Paulinus à fide vera auertere voluisset, & non posset, licet multa tormenta eis fecisset, ad extremum gladio capita iussit amputari. Et in Turonis depositio sanctæ Monegundæ Virginis.

V. Nonas. Translatio Thomæ Apostoli in Edessam. Passus vero in India est.

IV. Nonas. In Gallia Turonis ciuitate ordinatio Episcopatus, & translatio corporis sancti Martini Episcopi, & Confessoris, & dedicatio Basilicæ ipsius.

* Triphinæ, * Sedophæ.

III. Nonas. In Sicilica natalis Agathonis, & * Triphenæ, & in Tomis Marini, Theodoti, & * Sodephæ.

II. Nonas. Isaiæ Prophetæ & octaua Apostolorum. Eodem die depositio est Beati Goaris Confessoris, qui in prouincia Aquitaniæ ortus temporibus Hildeberti Regis Francorum, statim ab infantia verus Dei cultor fuit. Hic postmodum ibi Presbyter consecratus, patriam, parentesq; deseruit, & in vltimos Galliæ fines peregrinus sæculo, & cælestis patriæ ciuis excessit. Veniens ergo in prouinciam, quæ ripis Rheni fluminis contigua Trigoria nuncupatur, atq; ad Diœcesin pertinet Treuerorum infra terminos Vuasaliacenses, in ea Deo libere seruire delegit. Hic enim hospitalis multum fuit, & largus pauperibus, & Deo in sacris Missis, & Psalmodiis instanter quotidie seruiebat. Fecit enim mirabilia multa in vita sua, hoc est, ceruam imperio suo stare fecit, vt cuidam lasso ab eo lactis potum acciperet. Dehinc ad Rusticum Episcopum Treuirensem aduocatus venit. ibiq; super Solis radium per fenestram micantem ignorans quod Solis radius esset cappam suam proiecit: quod cum multi Magicæ arti deputassent, coram Episcopo positus iuxta iussionem eius paruum puerum, hoc est trium dierum ætate, loqui fecit, & patrem simul cum matre quis esset, patefecit. Sicque memora-

moratus Episcopus in scelere suo denudatus pœnitentiam accepit, & prædictus vir sanctus ad locum suum rediens in pace vitam finiuit.

Nonis Iuliis. In Alexandria natale Parmeni, * Eraclij, Heliæ, Apollonij, Anoui, & aliorum X. & VIII.

*.Heraclii.

VIII. Iduum. Natale Procopij in Palæstina; qui ab Scythopoli ductus Cæsaream ad primam responsionis suæ confidentiam irato Iudice Flauiano capite cæsus est. In pago Austriæ, & castro nomine Wirziburg iuxta Moin fluuium sanctorum natale Chiliani Martyris, & duorum sociorum eius. qui ab Hibernia Scottorum insula venientes, nomen Christi in prædictis locis prędicauerunt. Ibiq; ob veritatis confessionem à quodam Iudice iniquo nomine Gozberto trucidati sunt, & postea multis signis, veri Christi Martyres esse claruerunt.

VII. Idus. In Ciuitate Tyro, Natale sanctorum Anatoliæ, & Audacis sub Decio Imperatore, quorum Anatolia cum multos in Piceno infirmos, Lunaticos, ac dæmoniacos curasset, ducta est iubente * Festiano ad ciuitatem Tyri, & diuersis plagarum generibus vexata, deinde cum serpente tota nocte inclusa, nihil læsa est. Quin & ipsum Marsum, qui serpentem dimiserat, nomine Audacem, mane à suo serpente deuorandum eripuit, & ad Christum, martyriumq; conuertit. Nam ipse posthæc ob confessionem veritatis in custodiam datus, nec mora, capitali sententia coronatus est. Ipsa quoq; virgo Christi gladio transuerberata, cum staret extensis manibus in oratione, ita vt per dextrum latus gladius missus per sinistram exiret, quæ passa est VII. Idus Iulij, sepulta autem mane à ciuibus Tyrensibus. Audax vero quia de Oriente erat, ab vxore sua, & filiis illo translatus est. Eodem die VII. Iduum Iuliarum, depositio sancti patris nostri Ephrem viri doctissimi, & religiosissimi. Eodem die in Ægypto natale est Cyrilli Episcopi, qui cum à Lucio Duce sacrificare Idolis cogeretur, & nollet hoc consentire, iussit cum Dux succenso igne in medio poni, & cum arsissent omnia ligna, & esset cinis, spectantibus religiosis viris, vt ossa eius colligerent, inuenitur super pauimentum sedens extensis manibus ad cœlum: At vero videntes signum, quod Dominus in eum ostenderat, mirabantur, stupentes, quod sic intactus esset ab igne, & ob hoc multi crediderunt in Christum, postea vero prædictus Dux iussit eum gladio percuti, & ille gaudens percussus reddidit spiritum.

* Faustiniano.

VI. Idus Romæ, VII. fratrum filiorum Sanctæ Felicitatis, id est, Felicis, Philippi, Vitalis, Martialis, Alexandri,* Silani, & Ianuarij, sub præfecto vrbis Publio, tempore Antonini principis: è quibus

* Silnani.

bus Ianuarius, post verbera virgarum & carceris macerationem plumbatis occisus est. Felix, ac Philippus fustibus mactati. * Silanus præcipitio interemptus. Alexander, Vitalis, & Martialis capitali sententia puniti. Eodem die natale est Rufinæ, & Secundæ duarum sororum, quæ sub persecutione Valeriani, & Gallieni Augustorum per sceleratissimum Præfectum Archisilaum, eo quod fidem Christi negare, & virginitatem perdere noluerunt, post varia tormenta, quæ eis inflixit, ab ipso decollati sunt.

† *Siluanus.*

V. Idus. In Africa Mariani, & depositio Benedicti Abbatis, & Ianuarij. In Armenia ciuitate Nicopoli, item Ianuarij, & Pelagiæ, qui tormentis subditi, non solum vngulis, sed & testa, corpora eorum vsq; in diem quartum Idus eandem passionem habuerunt.

IV. Idus. In Aquileia natale sanctorum Fortunati, & Armigeri. Lugduno Galliæ depositio Viuentioli Episcopi.

III. Idus. In Antiochia passio Margarethæ virginis, quam Olibrius Cõsul stuprare volens, & à fide Christi auertere, multis tormentis eam afflixit, hoc est, in equuleo suspensam vngulis acerbissimis iussit carnes eius lacerare, postea in carcerem tenebrosum eam misit, vbi Diaboli seductiones, qui in specie draconis, & Æthiopis illi apparuit, superauit, & nihil ei illius fraus nocere potuit: nouissime verò gladio persecutoris decollata est, & ad vitam migrauit æternam.

II. Idus. Sancti * Focatis Episcopi Ponti, qui sub Traiano Imperat: Præfecto Africano, carcerem, vincula, ferrum, ignem etiam pro Christo superauit; cuius reliquiæ in Basilica Apostolorum, in Galliæ ciuitate Vienna habentur. Lugduno Galliæ natale iusti Episcopi, & Confessoris.

† *Phocæ.*

Idibus. Sancti Cyrici, & matris eius in portu Romano, Eutropij, Zosimæ, & Bonosæ sororum, & infantum X. & in Sirmio Agrippini. Secundi, Maximini, Martialis, & Iacobi Episcopi.

XVII. Calend. Augusti. In Ostia natale Hilarini, qui sub persecutione Iuliani cum nollet sacrificare, fustibus cæsus, Martyrium sumpsit.

XVI. Calend. In Carthagine Scillitanorum, id est, Sperati, * Martialis, Cithij, Vesturij, Felicis, * Aquilini, Lactantij, Ianuarij, Generosi, Vestæ, Donatæ, & Secundæ sub * Saturnio Præfecto, qui post primam Christi Confessionem in carcerem missi, & in ligno confixi, & mane gladio decollati sunt.

† *Nartali, Cythini, Beturn.* † *Aquili, Letarii, Ianuariæ, Generosæ, Beßiæ,* † *Saturnino.*

XV. Ca-

XV.Calend. Depoſitio in Mettis ciuitate Sancti Arnulphi Confeſſoris celebratur, qui ab infantia ad Dei ſeruitium aptus fuit. Nam primum apud aulicos Regis, hoc eſt, Gundolfum ſubregulũ ac rectorem Palatij nutritus fuit, ſed iugis illius meditatio circa Monaſteria vel loca ſancta vigilabat, largus erat in Eleemoſynis, & cura illi maxima erga pauperes fuit. Poſtea vero Epiſcopus Mettenſium eſt ordinatus, in quo gradu poſitus multa miracula fecit; in ſanitate infirmorum; cum autem illi inſpiratio diuina ſolitariam vitam in mentem dedit, vbi contemplationi diuinæ iugiter vacaret, perrexit in ſecretum locum, & ſedulo in Dei ſeruitio laborabat, donec vocatio cæleſtis ad æternam requiem illum perduxit.

XIV. Calend. Sancti patris noſtri Arſenij, de quo in verbis ſeniorum refertur, quia propter redundantiam lachrymarum tergendam ſudarium ſemper in manu ſua vel ſinu habuerit.

XIII. Calend. In Africa natale Luciani, Petri, Amabilis, & Nunninæ, & Thebaidæ * Victoris & in Damaſco * Sauini.

*Victoris *Sabini

XII. Calend. S. Danielis Prophetæ. Romæ Praxedis Virginis, quæ fuit ſoror Potentianæ, & temporibus Antonini Imperatoris multos Chriſtianos de ſua ſubſtantia fouebat. Cum autem diuulgatum eſſet Antonino Imperatori, quod conuentus fieret in titulo Praxedis, miſit & tenuit Symmetrium Presbyterum, cum aliis XX. & duobus, quos ſine interrogatione gladio puniri præcepit in eodem titulo. quorum corpora noctu beata Praxedis collegit, & ſepeliuit, in Cœmiterio Priſcillæ ſub die VII. Calend. Iulij. Tunc afflictione conſtricta beata Praxedis ingemuit, & orauit ad Dominum, vt tranſiret ex hoc mundo, cuius orationes, & lachrymæ ad Dominum Ieſum Chriſtum peruenerunt. Poſt Martyrium Sanctorum ſupra dictorum & coronam, migrauit ad Dominum virgo ſacrata ſub die XII. Calend. Auguſti. Et apud Tiburtinam vrbem Italiæ natale Symphoroſæ cum filiis VII. Creſcẽte, Iuliano, Nemeſio, Primitiuo, Iuſtino, Stacteo, Eugenio, cum quibus ſimul paſſa eſt ab Adriano Principe, qui ipſam Symphoroſam iuſſit palmis cædi, deinde ſuſpendi crinibus, ſed cum ſuperari nullatenus poſſet, iuſſit eam alligato ſaxo in fluuio præcipitari, cuius frater Eugenius curiæ principalis Tiburtinæ colligens corpus eius ſepeliuit, & mane Imperator iuſſit VII. figi ſtipites, ibique filios eius ad Trocleas extendi, & Creſcẽtem in gutture transfigi, Lucianum in pectore, Nemeſium in corde, Primitiuum per vmbilicum, Iuſtinum per membra diſtenſum ſcindi per ſingulos corporis nodos, atque iuncturas, Sta-

ctum lanceis innumerabilibus donec moreretur, in terram configi, Eugenium findi à pectore vsque ad inferiores partes: altera autem die veniens Adrianus Imperator ad fanum Herculis iussit corpora eorum simul anferri, & proiici in foueam altam. Post septem verò dies in die octauo Martyrij eorum, filiam Adriani Imperatoris arripuit Diabolus, & veniens ad locum vbi obruti erant sancti, clamabat per os eius Diabolus dicens: *Domini mei septem Germani Martyres Christi incenditis me miseram.* Ipse autem Adrianus similiter arreptus à Dæmonio miserabiliter vitam corporalem finiuit. Eodem die in ciuitate Verona translatio S. Zenonis Martyris, cuius B. Gregorius in libris Dialogorum meminit. Eodem die Passio est Victoris, Massiliensis Episcopi, qui sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus propter fidem Christi per Arterium Præsidem trucidatus est simul cum militibus, Eleutherio, Feliciano, & Alexandro. Nam cum memoratus Episcopus prædictis militibus ad custodiendum in carcerem traditus esset, ibi Angelica visione visitatus est Vnde ipsi custodes videntes ibi lumen splendidum cadentes ad B. Victoris genua, remedium ab eo implorant, quos cum S. Episcopus baptizasset, & ipsi in confessione nominis Christi vsq; in finē perseuerassent, Martyrio coronati sunt. Similiter & Episcopus iussu Imperatoris decollatus est. Vnde & post Martyrium sanctorum expletum, Maximianus Imperator Dæmonum infestatione valdè torquebatur, qui inter pœnas ad Arteriū Præsidem clamare cœpit, ac dicere: *Heu incidor miser à sanctis viris ac torqueor: qui vt video iam & nos excludimus à luce, quam tulimus: torquet & pœna quam dedimus: maius est, quod recepimus, quam quod intulisse probamur,* qui vsq; ad quartū diem tortus, die 5. à semetipso laqueatus, & iam omni putredinis squalore decoctus vermibus bulliens in tyrocinio vitæ suæ malū digna morte finiuit.

XI. Cal. Natiuitas Mariæ Magdalenæ. In Antiochia; natale sanctorum Cyrilli Episcopi, Andreæ, & in * Anquira Galaciæ natalis Sancti Platonis, cuius gesta habentur.

* Ancyra

X. Cal. Depositio S. Apollinaris Episcopi in Rauenna, qui Romæ ordinatus ab Apostolo Petro, & illuc missus est, qui etiam in Æmilia prædicauit & in partibus Corinthiorum, & in Mysia & in ripa Danubij, & in partibus Thraciæ, in quibus locis exilio relegatus est, & vbicunque peruenit, innumeras virtutes fecit, & passiones sustinuit: nam nimia cum cæde mactatus est, & rursum diutius fustibus cæsus, ac nudis pedibus super prunas impositus, rursus cæsus, & eculeo adpensus tortus est, & saxo os eius contusum est, & cum grauissimo ferri pondere inclusus in carcere horrifico, atq; in ligno extensus est, vbi ab hominibus quidem neglectus, sed ab Angelo publicè pastus est. Deinde catenatus

in

in exiliū directus est, in quo rursum diutius fustibus cæsus, & rursus in Rauenna ligatus, à paganis cæsus, & vulneratus est, & rursum in carcerem missus, & cæsus. Sic Martyrium consummauit sub Vespasiano Cæsare, Demosthene Patricio, rexit Ecclesiam annis XX. VIII. dies IV.

IX. Cal. In Tyro ciuitate natale S. Christinæ Virginis, quę in Filium Dei credens, & cultui eius deseruiens, non potuit ab Vrbano Patre suo vllo modo inde diuelli, sed Idola eius conterens dispersit, & dedit ea pauperibus, ob quod factū pater eius multis tormentis eam afficiebat, hoc est, plumbatis eā cædebat, similiter & virgis nudā flagellabat, & 12. homines fustibus cædebant, & carnes eius ab ossibus soluebant. Postea eā ignibus vri pręcepit, sed non prævaluit. Deinde saxo ad collū eius ligato in mare pręcepit eā mergere, sed Domini auxilio inde liberata est. Cum a propter scelera sua pater eius extinct⁹ est, ab aliis iudicibus, hoc est Dione, & Iuliano, multa tormēta passa est, sed Dei iudicio extinctis hostibus per Martyriū migrauit ad Christū. Eodē die natale est S. Victorini, qui cum fratre Seuerino audiens vocē Dei in Euangelio dicētis ad diuitē, *Si vis perfectus esse vade vende omnia quæ habes, & da pauperib.* & reliqua. Reliquerunt ambo Fratres Mundi diuitias, & omnia sua dispensantes pauperibus, eremiticā vitā elegerunt, ibiq; nobiliter vixerunt, licet Victorinus ad tempus delusus fuisset à Diabolo, sed tamen Domini gratia de Inimico victor existens nobiliter triumphauit, sicut in vita illorum pleniter narratur. *Matth. 19.*

VIII. Cal. Natiuitas S. Iacobi Zebedæi Apost. Eodē die Romæ natale* Eutyciani Papæ, & Martyris. Hic cōstituit fruges super altare tātū fabas & vuas benedici. Hic tēporibus suis per diuersa loca 341. Martyres manu sua sepeliuit. Qui hoc constituit, vt quicunq; fideliū Martyrē sepeliret, sine Dalmatica, & colobio purpurato nulla ratiōe sepeliret: quod tunc vsq; ad notitiā sibi deuulgaretur. Eodē die passio est S. Christophori Martyris, qui in Samo ciuitate à Dagno Rege martyrizatus est. Nam per varia tormenta Rex illū cruciare iussit. Sed vir S. impetrauit à Domino vt multi crederent per ipsum in Christo, nec non & ipsū Regē, qui sagittæ ictu oculū perdidit, sanguinis sui gutta post passionē suam sanauit, sicut ei ipse antè prædixit, & ad fidem Christi conuertit. **Eutychiani*

VII. Cal. In Laodicia Phrygię natale Sanctorum Iouiani, & Iuliani.

VI. Cal. In Syria Simeonis Monachi. In Campaniæ ciuitate Nola natale Felicis, & in alio loco Iuliæ, & Iocundæ. In ciuitate Antisiodoro natale S.* Etheri Episcopi. **Etherij*

V. Cal. Romę Victoris PP. & Mart. qui constituit in Ecclesia, vt faciente necessitate vbi inuentū esset siue in flumine, siue in fonte, siue in

mari, tantum Christianæ credulitatis confessione declarata, quicunque hominum veniens ex gentili baptizaretur: & sepultus est iuxta corpus Beati Petri Apostoli in Vaticano. Eodem die Romæ depositio Sancti Innocentij Papæ. hic constitutum fecit de omni Ecclesia, & de regulis Monasteriorum, & de Iudæis, & de Paganis, & multos Cataphrygas inuenit, quos exilio Monasterio relegauit; & hic inuenit Pelagium, & Cælestinum Hæreticos, & damnauit eos, & hoc constituit, vt qui nati fuerint de Christiano, * denuò nasci per baptismum, hoc est baptizari, quod Pelagius damnauit.

* *fortè debeāt*

IIII. Calend. Depositio Sancti Lupi Episcopi de Trecas, qui cum Germano venit Brittanniam, & 52. annos ibi Sacerdotio functus est: qui tempore Regis Attilæ, qui Galliam vastabat, sicut in hymno eius cantatur, dum bella cuncta perderent: orando Trecas muniuit. Romę eodem die passio Felicis Papæ & Martyris. Hic Felix declarauit Constantium filium Constantini esse hæreticum, cum secundo rebaptisaretur ab Eusebio, Nicomediensi Episcopo, & iuxta pręcepta eiusdem Constantij Augusti Martyrio coronatur, & capite detruncatur. Aurelianis ciuitate depositio beati Prosperi Episcopi, doctissimi viri, & sanctissimi. Eodem die passio celebratur * Simplicis & Faustini germanorum, qui sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus in vrbe Romana propter fidem Christi decollati sunt. Similiter & germana eorum Beatrix nomine, eo quod corpora eorum cum Crispo, & Ioanne Presbyteris sepeliuit, à Lucretio præfecto præfocata reddidit Spiritum, & vsque in finem vitæ in Christi confessione perseuerauit. Lucretius verò ab immundo Spiritu arreptus in conuiuio suo expirauit.

* *Simplic y*

III. Cal. Romæ * Abdo, & Sennis Subregulorum, qui cum Curnula ciuitate Persarum vincula paterentur à Decio, ad vltimum duxit eos Romam catenis obligatos, & diuersis pœnis maceratos, vbi primò plumbatis cæsi, & inde gladio interfecti sunt. Antisiodoro depositio Vrsi Episcopi.

* *Abdon & Sennen.*

II. Calend. in Africa ciuitate Sinnada natale sanctorum Democriti, Secūdi, Dionysij, Thyrsi: Antisiodoro depositio sancti Germani Episcopi, & Confessoris, qui multis virtutibus, doctrina, & continentia clarus, etiam * Bretonum fidem per duas vices à Pelagiana hæresi defendit. Et in Vercellis Eusebij Episcopi, qui mouentibus persecutionem Arrianis sub Constantio Principe Martyrium passus est.

* *Britonum*

AVGV-

AVGVSTVS.

Calend. Augusti. Sanctorum Machabæorum VII. fratrum cum matre sua, qui passi sunt sub Antiocho Rege: Romæ dedicatio primæ Ecclesiæ à beato Petro constructæ, & consecratæ.

IV. Nonas. Romæ Stephani Papæ qui Martyrio coronatus est, in persecutione Valeriani Principis. Eodem die natale S. Theodoræ cum tribus filiis suis, in prouincia Bithyniæ, vrbe Niceæ, tempore Diocletiani sub comite Leucadio, qui hanc ferro vinctam cum filiis Consulari Bithyniæ Nicetio destinauit. At ille primò eius filium primogenitum Euodium Christum fiducialiter confitentem fecit fustibus cædi. Deinde illam cum omnibus filiis igne consumi. Scriptum in passione sanctæ Anastasiæ.

III. Nonas. In Antiochia S. Stephani Protomartyris, vbi haberi dicitur vnus de lapidibus quibus in brachio percussus est, & multas ex eo virtutes sanitatum fieri. Eodem die in Hierosolymis inuentio corporis eiusdē beati S. Stephani Martyris, & sanctorū Gamalielis, & Nicodemi.

II. Nonas. Sancti Iustini Confessoris Christi: de quo narratur in passione Xisti, atque Laurentij: quod multos ad fidem Christi conuerteret; nec non & sanctorum Martyrum sepeliret.

Nonis. In ciuitate Augusta passio sanctæ Afræ Martyris, cuius conuersio & vita, nec non & passio conscripta habetur. Et alibi natale sanctorū Floriani, & Philistinæ. In ciuitate Catalaunice depositio* Memmei Episcopi, & Confessoris, de quo legitur, quod à B. Petro Apostolo in Romana vrbe Episcopus ordinatus missus fuisset in Galliā simul cum S. Dionysio, & S. Sexto, atq; S. Euchario ad prædicandum verbū Dei, qui etiam virtutes multas fecit, & nouissimè nobiliter vitā præsentem finiens, ad requiem migrauit æternam.

*Memmij

VIII. Idus. Romæ S. Sixti Episcopi, Felicissimi, & * Agapeti Diaconi, qui decollati sunt sub Decio. Decollati sunt cum eo & alij IV. Diaconi. Ianuarius, Magnus, * Vincentius, & Stephanus, vt in gestis Pontificalibus legitur.

* Agapiti

* Innocentius

VII. Idus. In Aricio Donati Episcopi, & Martyris, qui vt Gregorius in lib. Dialog. meminit, fractum à paganis calicem sanctum ad Missas orando restaurauit. Mediolano natiuitas Sancti Faustini.

VI. Idus. S. Cyriaci Martyris, qui à B. Marcello Papa Diaconus ordinatus simul cum Sisinnio socio multa miracula fecit, sub Maximiano Imperat. & dæmones ab obsessis hominibus expulit: nouissimè verò per

rò per Carpasium Vicarium iussu Maximiani decollatus est cum aliis numero viginti vno.

V. Idus. Romæ S. Romani militis, qui confessione S. Laurentij cōpunctus petiit ab eo baptizari, & mox iubente Decio cum fustibus exhibitus, & decollatus est. Et in Verona ciuitate passio sanctorum Martyrum Firmi, & Rustici, qui tempore *Maximini Imperatoris, & Anulini Consiliarij eius passi sunt.

* Maximiani.

IIII. Idus. S. Laurentij sub Decio, qui post plurima tormenta carceris, verberum diuersorum, laminarum ardentium, ad vltimum in crate ferrea assatus martyrium compleuit.

III. Idus Romæ natale S. Susannæ virginis, quæ fuit filia Gabini Presbyteri patris * Gai Papæ. Hæc ergo virgo sub Diocletiano Imp. passa est, eò quod nollet maximo filio suo in cōiugio sociari, sed in virginitate permanere. Hortante eam *Gaio Episcopo, nec non & Serena Augusta, vt stabilis permaneret in fide Christi, & castitate perpetua. Propter hoc iussit eam Dioclet. post alia tormenta in domo propria gladio percuti, & sic martyrium consummauit. Prædicta verò Serena Augusta collegit corpus S. Virginis, & sanguinem quem fuderat in eodem loco cum suo velamine tersit, & posuit in capsam argenteam in palatio suo. Vbi diu noctuq; furtiuis vicib. orare non cessabat, corpus autem S. Susannæ ipsa manibus suis ornauit, cum linteaminibus, & aromatibus, & posuit iuxta corpora SS. in cœmiterio Alexandri. Eodē die passio S. Tiburtij Martyris, de quo scriptum est in passione S. Sebastiani Martyris, quod conuersum ad fidē Christi, & baptizatum à Polycarpo Presbytero, S. Sebastianus cum à fonte baptismatis suscepisset, fortiter paganis, & infidelibus resisteret. Nam iussu Fabiani Præsidis super prunas ardentes nudis pedibus incedens, in nullo læsus est. Postea verò à prædicto Fabiano, machinante Torquato Apostata, gladio transuerberatus martyrium expleuit. Posthæc autem Torquatus egit vt Castulus, cetarius Palatij hospes Sanctorum, fuisset artatus, & hic tertiò appensus, tertio auditus, in confessione Domini perseuerans, missus est in foueā, & dimissa est super eum massa arenarij, & ipse cum palma Martyrij migrauit ad Christū. Quod cum fortiter pertulissent, & laudē Domini cantassent, iussit eos iniquus iudex ambos ibi vbi stabant lāceis per latera verberari, & ipsi per Martyrij gloriā ad siderea regna migrarunt. Eodem die depositio B. Gaugerici Episcopi, qui in Eposio castro ortus fuit. Hic statim in iuuētute meditationi legis Dei, & psalmodiæ intentus fuit. Post verò à B. Episcopo Remensium ciuitatis, in *Cameracorensi ciuitate Episcopus est ordinatus; qui multis virtutib. claruit, maximè in absolutione vinctorū, qui in carcerib. custodiebantur.

* Caij

* Caio

* Cameracensi

diebantur. Cũ ergo eos à Præsidibus, qui illos in carceres miserant, absolui nõ posset impetrare, ad Dominũ prece fusa absoluere promeruit, qui etiã cæcos illuminauit, & infirmos curauit. Cum autẽ in Episcopatu suo XXX & tres annos feliciter expleuit, ad Dominum migrauit; quod multis indiciis miraculorũ iuxta sepulchrũ eius ita factũ claruit.

II. Idus. In Sicilia ciuitate Catinensium natale * Eupli Diaconi, qui cum diutissimè torqueretur, decollatus est à Caluisiano consulari, tempore Diocletiani, & Maximiani.

* Euplij

Idib. Romæ S. Hippolyti, qui tempore Decij ligatus pedib. ad colla indomitorũ equorum, sic per carduos, ac tribulos tractus emisit spiritum, & Concordiæ nutricis eius, quę ante ipsum plumbatis cęsa martyrizauit, & aliorũ XIX. de domo eius, qui simul decollati sunt: Eodem die natale S. Cassiani Romæ, qui cum adorare Idola noluisset, interrogatus à persecutore; Quid artis haberet, respondit, quia pueros notas doceret, & mox spoliatus vestibus, ac manibus post terga reuinctis statuitur in medio, vocatisq; pueris, quib. docẽdo exosus factus erat, data est facultas eũ perimendi, at illi quantũ doluerant discentes, tantũ se vlcisci gaudentes, alij eum tabulis, ac * buxibus feriebant, alij stylis vulnerabant: quorũ quanto infirmior erat manus, tanto grauiorem Martyrij pœnã dilata morte faciebat. De quo scripsit Prudentius Poeta: Itẽ eodem die Pictauis ciuitate depositio S. Radegundis reginæ & in Germania Prouincia S. * Vigeberechti Presbyteri & Confessoris.

* ita est in MS.

* Vuigberti.

XIX. Cal. Septemb. natale S. Eusebij Presbyteri & Confessoris, qui sub Constantio Imp. Arriano machinante Liberio Præsule similiter Hæretico, confessionẽ suam compleuit. Nam prædictus Constantius subrogatu Liberij includit Eusebiũ Presbyterũ in quoddã cubiculum domus suę quod humile erat in latitudine pedibus quatuor, & ibi multis mensibus in oratione constanter perseuerans, inclusus tamen post Menses 7. dormitionẽ accepit, Nona decima Cal. Septemb. cui' corpus collegit Gregorius & Orosius Presbyteri, & parentes eius, & sepelierũt in crypta iuxta corp' B. Sixti Martyris, & Episcopi, via Appia in cœmiterio Callisti: vbi & titulũ ipsius scribentes posuerunt pro cõmemoratione eius: *Eusebio homini Dei.* Eodem tempore auditum est à Constantio Imp. cò quod Greg. & Oros. Presbyteri colligerent corpus Eusebij Presbyteri, & in eadẽ crypta viuũ includi præcepit Greg. Tunc Orosi' Presbyter collegit semiuiuũ B. Gregor. noctu occultè propter Constãtiũ Augustũ, & emisso spiritu sepeliuit eũ iuxta corp' S. Euseb. Presbyt.

XVIII. Cal. Assumptio S. Mariæ, & in Nicomedia natale sanctorum Stratonis, Philippi, & Eutychiani, cum sociis eorum.

XVII. Cal. In Alexandria natale S. Orionis, Æmilij. Agnati, in Perside natale sancti Thyrsi cum sociis suis.

XVI. Calend. In Cæsarea Cappadociæ Mammetis, qui temporibus Aureliani Tyranni, quando persecutio maxima fuit Christianorum, cum puer esset decem annorũ, relictis omnibus fugit in montem cum pecoribus suis, quæ ibidem pascebat, & lacte eorum vescebatur: vbi visitatio diuina super illum venit, eiq; præsignauit, qualiter pro Christi nomine pati deberet. Ergo cum feræ syluestres ad eũ venissent, ipseq; sedens quotidiè Euangelium legeret, mansuetissime circa eum versabantur, eorumq; lacte seruus Dei & se, & alios pauperes in alimoniis iuuabat. Cum audisset hoc Alexander Pręses, eum inter feras communiter viuere, Magicæ arti hoc deputauit: vocatumq; ad se multis tormentis afflixit, hoc est equuleo suspensum torquebat, in caminũ ignis ardentis misit, & in nullo eum ignis lædere potuit. Postea eum lapidare iussit, in tantum vt collectis lapidibus, & in Christi Martyrem proiectis penè coopertum corpus esset, quem persecutor mortuum credens secessit, sed Dominus Martyrem suum illæsum seruãs postea diuina vocatione ad cælestia regna eum arcessiuit: sicq; in pace animam reddens ad æternam requiem migrauit.

XV. Cal. Natale S. Agapeti Martyris, qui sub Antiocho Rege cum esset puer annorũ XV. pro fide Christi passus est; hic neruis cędebatur, & flagellis atrocissimis fumum ignis adhibuerunt, & caldam bullientẽ fuderunt super ventrem eius, sed nihil illi nocuerunt, ad extremum decollatus est, & sic Martyrium suum compleuit.

*item

XIV. Cal. Natale Sancti Magni,* seu S. Andreæ Martyris cum sociis suis duobus millibus quingentis nonaginta septem.

XIII. Cal. Samuelis Prophetæ. In Alexandria natale Dioscori, & alibi depositio Filiberti Abbatis. In Lucania sanctorum Valentiniani, Leontij. In Sinnada ciuitate natale sanctorum Piricij, Arci, Maximi Confessoris, Pamphili, Coloui Confessoris.

*Luxorij

XII. Cal. In Hispaniis natiuitas S. Vincentij, & Iuliani. In Sardinia natale sanctorum * Luxuri, Traiani. in Gauali Vico Minatensi natale sancti Priuati Martyris.

XI. Cal. S. Timothei, qui ab Antiocha veniens Romam sub Miltiade Papa susceptus est in hospitium à Syluestro, qui postea Episcopus factus est, qui cum annum totum, & aliquot menses ibi prædicans multos ad Christum conuertisset, tentus à Tarquinio vrbis Præfecto, & longa carceris custodia maceratus cũ sacrificare Idolis noluisset, tertiò

cæsus

cæsus,& grauissimis suppliciis attrectatus, ad vltimum decollatus & iuxta Beatum Paulum Apostolum sepultus est. Scriptum in historia S. Syluestri. Eodem die Augustoduno passio S. Symphoriani Martyris.

X. Calend. Passio trium fratrum sub Lysia præside in prouincia Lycia, ciuitate Ægea, hoc est, Claudij, Asterij, Neonis. quos singillatim præses torqueri præcepit, primum Claudiū equuleo suspendi, flammas pedibus ex parte laniatis adhiberi, testa acutissima, & candela ardente latera eius aduri, Asterium vero fratrem eius similiter iussit in equuleo suspendi, carbones ardentes sub pedibus eius substerni; tertium fratrem eius, hoc est, Neonem iussit in ceruice torqueri, carbonis super mitti, & neruis dorsum eius cædere. Mulieres autem, hoc est, *Domninam, & Theonillam proiicere in terram, & alapis eas cædi, & capita *tondi, & sic carbonibus succendi: ad extremum vero corpora eorum sacco inclusa in mare iussit demergi. † Donninam † tonderi,

IX. Calend. Natale Bartholomæi Apostoli, qui nomen ex Syra lingua suscepit, & interpretatur *filius suspendentis aquas.* * Lycaoniam prædicauit: Ad vltimum in Albano maioris Armeniæ vrbe viuens à barbaris decoriatus, atque per iussum Regis Astyagis decollatus, sicq; terræ conditus, IX. Calend. Septembr. † in Lycaonia

VIII. Calend. Passio Genesij Martyris sub Imperatore Diocletiano, qui fuit primum sub gentilitate arte mimus sed postea Christi Confessor factus, multis modis à persecutoribus est cruciatus, hos est fustibus cæsus, equuleo suspensus, flammis adustus, nouissime decollatus.

VII. Calend. Natale * Herenei, & Abundij Romæ, quos Deciana persecutione iussit Valerianus in cloaca necari: eo quod corpus beatæ Concordiæ in cloacam missum leuauerint, & ipsorum quoque corpus leuauit Iustinus Presbyter, & sepeliuit, in crypta iuxta B. Laurentium. † Irenæi,

VI. Calend. In Gallia Arelato ciuitate depositio sancti Cæsarij Episcopi. Augustoduno depositio sancti Syagrij Episcopi.

V. Calend. In Africa depositio S. Augustini Episcopi, qui primo de sua ciuitate propter Barbaros Sardiniam translatus, nuper à Luitbrando Rege Longobardorum * Ticinis relatus, & honorifice conditus est. Eodem die natale sancti Hermetis Martyris. † Ticinum.

IV. Calend. In Venusio ciuitate Apuliæ, natale Felicis Episcopi ciuitatis Tubrozensis, & Ianuarij Presbyteri, & Fortunatiani, & Septimini Lectorum, qui temporibus Diocletiani in sua ciuitate tenti à

Magnelliano Procuratore XVIII. Calend. Iulij, inde multis diu vinculis, & carceribus macerati, & in Asia, & in Sicilia, tandem in occisione gladij consummati sunt. Natale sanctæ Sabinæ Martyris. Eadem die, celebratur decollatio sancti Ioannis Baptistæ, qui primo in Samaria conditus, nunc in Alexandria: porro caput de Hierosolymis ad Phœnicis vrbem * Emissam delatum est.

*Edessam

III. Calend. Romę natale Sanctorum Martyrum Felicis, & Audacti, Gaudentiæ Virginis cum reliquis tribus. & depositio Agili Abbatis.

II. Calend. Treuiris depositio sancti Paulini Episcopi, & Confessoris, qui cum pro fide Catholica à Constantio Imperat: filio Constantini exiliatus fuisset, ibidem requieuit.

SEPTEMBER.

*Victorii

Calend. Septembr. Cennomannis ciuitate Galliæ natale * Victoris Episcopi. Nam dum sanctus Martinus Turonensis Episcopus perrexit ad sepeliendum Leporium Pontificem supradictæ vrbis, & venisset ad oppidum, respiciens, vidit hominem operantem in vinea, eratque Clericus, Subdiaconi officium adeptus: reuelatumque est sancto Dei, eo quod ipse esset successurus in Episcopalem locum: vocauitq; illum sanctus Martinus ad se dicens illi: *Benedic me Domine Victor*: Cui ille, *Benedic tu mihi Domine mi, & benedictus sermo tuus*. Sicq; iussu sancti viri secutus est eum, quem conuocata plebe, atq; coadunata ordinauit Episcopum, eiusque filium Victorinum nomine baptizauit, & secum ad nutriendum ad Dei seruitium tulit: quem etiam post obitum patris defuncti eidem ciuitati ordinauit Episcopum.

IV. Nonas. Lugduno Galliæ depositio Iusti Episcopi, & Confessoris, cum post Diaconatum Antistes ordinatus est, tanta puritate, modestia, pietate, patientia per multos rexit annos, tãta circa pauperes cura, tanta diuinorũ mandatorum obseruantia, vt etiam magnificos, atq; præstantes illos Domini Sacerdotes omni præiret gratia virtutum, sed ita ingenti gloria suæ plebis, populi Domini Ecclesiæ præsideret, vsque ad expulsionem eius frementis Diaboli exarsit inuidia. Hunc ergo cũ seditio populi persequebatur, post multas tribulationes in peregrinationem perrexit; atque solo secum comitante puero in Ægyptum peruenit, ibiq; inter Anachoretas strictissimam vitam duxit, & nobiliter conuersatus est: quem sanctus Antiochus Presbyter Lugdunensis pio incitatus officio vsq; ad visitandum suum Episcopum pergere animo intendit, quem etiam ad se venturum sanctus Iustus Episcopus præ-

prædixit his qui secum erant. Post aliquot vero dies sanctus Dei migrans de hoc sæculo, ossa sua ad sedem suam diuino nutu transferri promeruit, ibique honorifice sepeliri.

III. Nonas. In Alexandria Aristippi Episcopi, & in Syria Antonini pueri annorum XX. & Aristonis Episcopi, & in Caudis Vitaliani.

II. Nonas. In vrbe Cabilonensi. Natale sancti Marcelli Martyris, qui sub Antonino Imperatore per Priscum Præsidem passus est. Nam cum nollet Idola adorare, multipliciter torquebatur. Sanctus ergo Martyr in animo cælesti virtute roboratus, secundum loca Idolorũ, ita & supplicia commutabat, equuleis extensa membra catenarum stridore laniat, ignium* globibus vrit, & dissolutis ictibus artus exusta corporis elementa iungebant: Sed Athleta fortissimus auctoris sui Iesu Christi intra viscera retinens passionẽ gloriosiore certamine triumphabat, & antiquam fidem tormentorum nouitas mutare nõ poterat. Hoc semper iniqui persecutoris interrogationi respondens, fieri nequaquam posse, vt qui Deum viuum sensibus recepisset, saxa sensu carentia, aut simulachra Dæmonũ adoraret; Quem nequissimus Præses, cũ in suppliciis diuini fauoris gratia aduerteret fortiorem, inaudito crudelitatis exemplo, plusquam furore persecutoris insaniens, defodi eum cingulotenus iussit, sed triduo in laudibus Christi omnipotentis Domini ac Dei sui ore, & amore perdurans: Interim terris membra terrena commendans, Spiritum sanctum emisit ad cælos.

* *ita Ms.*

Nonis. In portu Romę natale Taurini, *Eraculani, & in Alexandria, Nymphi, & Saturnini, & depositio B. Ingenui Episcopi, & in Campania Quinti. In Galliis ciuitate Vesontione, natale sanctorum Ferreoli, & Ferrutionis.

* *Herculani.*

VIII. Idus. Zachariæ Prophetæ: Romæ via Salaria miliario ab vrbe quinquagesimo, natale S. Eleutherij Episcopi. In territorio Cappadociæ ciuitate Ructensi, natale S. * Cuttidi, Eugenij Episcopi, & sociorum eius.

* *Cottidi.*

VII. Idus. Natale S Chlodoaldi Confessoris. In Campania natale Innocentij, & in Beneuento Ianuarij, Festi, Acuti, & S. Synoti, & Desiderij: Arelato Gallię ciuitate natale sancti Augustalis Episcopi: Aurelianis ciuitate S. Euortij Episcopi, & Confessoris, qui post Desinianum ipsius Ecclesiæ Episcopatũ meruit, qui etiã diuino nutu per columbæ speciẽ Spiritus S. electione ad Episcopatũ percipiendũ dignus ostensus est. Sicut in vita eius conscriptũ legit. Hic nobili, & sancta conuersatione dies suos compleuit, & miraculis claruit, ipseq; diem obitus sui per

reue-

reuelationem agnoſcens, Sanctum Annianum Epiſcopum futurum, ne ſeditio in populo oriretur, prælegit, ſicq; ad cæleſtem gloriam tranſiuit. Æduæ ciuitate in Galliis, loco Aliſiana, natale ſanctæ Reginæ Martyris cuius geſta habentur.

VI. Idus. Natale ſanctæ Dei genetricis: & in Nicomedia S. Adriani Martyris cum aliis XXIII. & in ſuburbanis Magontiacenſis Eccleſiæ natale ſancti Diſibothi Confeſſoris.

V. Idus. Romæ Gorgonij Martyris, & Candidi, Cyrini, Domiciani, Eunoici, Siſinnij, Erachilij, Alexandri, Ioannis, Claudij. Athanaſij, Valentis, Eliani, Melicij, Ecdicij, Acacij, Iubiani, Eliani, Theoduli, Cyrilli, Flauij, Seueriani, Valerij, Chudionis, Sacerdonis, Priſci, Euacij, Iuuenalis, Philoctimonis, Etij, Micalli, Lyſimachi, Theophili, Euticij, Xanthij, Aggij, Leontij, Inſitij, Gaij, Baſilidis. Hi omnes ſimul quadraginta paſſi ſunt, temporibus Licinij Imperatoris, & Agricolai Præſidis & Lyſiæ Ducis. Eodē die in Sabinis paſſio celebratur Iacinthi Diaconi, & Martyris, qui à Luxurio perſecutore traditus eſt conſulari Leontio. Hic cum non poſſet eum compellere, vt ſacrificaret Idolis, miſit in ignem: qui ſtatim extinctus eſt: Poſtea miſit eum in aquam, ſed ſanus ad littus reduct⁹ eſt. Luxurius vero cū à ſerpente percuſſus, iuxta quod ſanctus vir ei prædixerat, tumidus in via iaceret: Nam ſerpens cum iuxta arborem præteriret, cecidit per caput eius inter collum, & capitium tunicæ, & ſic in ventrem irrupit: Attamen ille impius iuſſit Conſulari Leontio, vt capitalem ſententiam ſancto Martyri inferret. Sicque corona Martyrij ſanctus vir migrauit ad Dominum.

IV. Idus Romæ depoſitio Hilari Papæ, per quem Victorius ordinem Paſchalem conſcripſit: Eodem die depoſitio ſancti Saluij Epiſcopi, de cuius ſanctitate Gregorius Turonenſis Epiſcopus ſcripſit: narrans, quod per reuelationem vidiſſet diuinæ vocis euaginatum gladium imminere ſuper * tegulum: quod Hilpericus Rex iuſſit conſtrui. Cui viſioni veritas ſtatim ſecuta eſt. Nam poſt dies XXII. Filij Regis in eadem domo obierunt.

** ita habet MS.*

III. Idus. Romæ Proti, & * Iacinthi. qui erant Eunuchi ſanctæ Eugeniæ Virginis, & cum ea à Romana vrbe Alexandriam venientes ab Heleno Epiſcopo, cui eorum aduentus per viſionem reuelatus eſt, recepti in Monaſterio quodam ſub virili habitu inter Monachos conuerſabantur, poſtea vero cum Melanthia quædam fœmina malitioſa Eugeniam ſub virili habitu degentem maſculum ſuſpicans, per eam ſtuprari deſideraſſet: ſed patefacto arcano Eugenia non vir, ſed fœmina

** Hyacinthi,*

mina esse comperta est: coacta imperiali precepto, cum Eunuchis sui[a] Romam rediit; ibi simul cum Basilla Virgine prædicti duo Eunuchi iussu Gallieni Augusti gladio interfecti sunt Beata vero Eugenia postmodum; hoc est in VIII. Cal. Ianuarij, pro Christi nomine passa, cum Martyrij corona migrauit ad Dominum.

II. Idus. In Antiochia natale Timothei, & in * Pampalia natale Syri, & in Sicilia ciuitate * Cathena natale Eupli: Lugduno ciuitate depositio beati Sacerdotis Episcopi. In Galliis ciuitate Augustoduno depositio beati Euantij Episcopi.

* forte Pamphylia
* Catana

Idibus. In Gallia ciuitate Turonis, depositio Lidorij Episcopi.

XVIII. Calend. Octob. Sancti Cornelij Episcopi, cui primo os cum plumbatis cæsum. & sic decollatus est, cum aliis XXI. promiscui sexus, & Cerealis miles cum vxore sua Sallustia, quam Cornelius ab infirmitate sanauerat. Passus sub Decio: hic Cornelius temporibus suis rogatus a quadam matrona Lucina corpora Apostolorum beati Petri, & Pauli de catacumbas leuauit noctu: primum quidē corpus beati Pauli, beata Lucina accepit, & posuit in prædio suo via Ostiensi ad latus, vbi decollatus fuit: beati vero Petri corpus, beatus Cornelius accepit Episcopus, & posuit iuxta locum vbi crucifixus est, inter corpora sanctorum in templo Apollinis in monte Aureo. In Vaticano palatij Neroniani. III. Cal. Iulij. Eodem die natale S. Cypriani Episcopi, qui sub Valeriano Principe post longum exilium detruncatione capitis martyrium consummauit, sexto milliario à Carthagine iuxta mare. & depositio sancti Materni Episcopi. Eodem die exaltatio est sanctæ crucis.

XVII. Cal. Passio Nicomedis Martyris: Eodem die natale sancti Apri Episcopi. & Leobini Confessoris. In Alexandria natale S. Serapionis, Leontij. & Ancyra Galatiæ natale S. Seleuci, Valerij, & Cyrionis: & in Tomis Stratonis, & Macrobij, & in Nuceria in Campania natale Constantis, & in * Anquira natale Pauli Episcopi, & in territorio Cabilonense Castro Nortio natale S. Valeriani Martyris. Lugduno Galliæ depositio Albini Episcopi.

* Ancyra

XVI. Cal. Natale sanctæ Euphemiæ Virginis, quæ martyrizauit sub Diocletiano Imperatore, Proconsule autē Prisco, in ciuitate Chalcedone, quæ tormenta, & carceres, verbera, & argumenta rotarū, ignes, & pondera lapidū angulariū, bestias, & plagas virgarum, serras acutas, & sartagines ignitas, rursum morsum bestiæ pro Christo superauit, & ad mille passus ciuitate Chalcedonis, sepulta est à patre suo Philosophrone Senatore. Eodē die passio Martyrum Luciæ, & Geminiani celebratur: qui sub Diocletiano, & Maximiano Imperatorib[9] passi sunt. Igitur. Lucia

cia erat permanens in viduitate per annos triginta,& sex. Erant autem omnes anni vitæ eius 75.vt in libello passionis eius scriptum reperitur. Hæc per Euprepium filiũ suum apud Imperatores prodita,eo q̃ Christiana esset,tenta est,& in vinculis posita,de suppliciis variis,quæ ei persecutor ingessit, erepta est. Nam carcerem in fluuium conuertit,ipsaq; verberibus applicata,nihil sensit: Immo cædentem se lapideum fecit, templũ Deorũ ex gemmis,& auro fabricatũ ruere à fundamentis fecit, ignem exsuperauit,picẽ,& plumbũ in aquam conuertit.Nec in his pœnis lædi potuit: immo Geminianũ sociũ passionis suæ adquisiuit, cum quo persecutoribus fortiter veritatẽ prędicans ad extremum per Apophrasium præsidẽ decollari iussi sunt,& sic ad regnũ cæleste migrarunt.

XV.Cal. In Britannia Socratis,& Stephani,& in Gallia prope ciuitatẽ Traiectũ in villaLiudouico passio Landeberti Episcopi,qui ab infantia Dei seruitio mancipat' fuit. Hic septẽ annos vitã sanctam agens inter Monachos habitauit.Postquam autẽ Faramundus de sedePontificali depositus est,& eiectus de Prouincia Traiectense, tunc agmina Clericorum, & vulgus populorũ vna pariter voce ingenti postulabant Dñum,vtPastorẽ eorum DñumLandebertum receptum essent,quem consentientePipino tunc principe ad propria recipere meruerunt:ibique per plures annos in Ecclesia Dei nobiliter vixit. Hunc vero Dodo domesticus iam supradicti principis Pipini machinatione pessima occidi fecit. Ipse vero per innocentem mortem ad Dominum migrauit.

XIV. Calend.Mediolano depositio Eustorgij Episcopi,& Satyri. In Chalcedonia natale Trophimi,& in Nicomedia natale Iociani.

XIII.Cal.In NeapoliCampaniæ natale sanctorũ Ianuarij,Beneuentanæ ciuitatis Episcopi,cum * Fossio Diacono * Mesenatis ciuitatis, & Diacono suo Festo,& Lectore suo Desiderio, qui post vincula,& carceres capite sunt cęsi in ciuitate Puteolana sub Diocletiano Principe, Iudice Dracontio, qui cum ducerentur ad mortẽ viderunt inter alios ProculusPuteolanę ciuitatis Diaconus,& duo Laici,Eutyches,& Acutius, & interrogauerunt, quare iusti occidi iuberentur: quos iudex vt vidit Christianos,iussit decollari cum illis. Sic oẽs septem pariter sunt decollati, & tulerunt noctu corpora Christiani,& Neapolitani Ianuariũ posuerunt iuxta ciuitatem in Basilica * Mesenate; Sossiũ æque in Basilica Puteolani, Proculum, Eutychen,& Acutium iuxta Basilicam S Stephani,Festum,& Desiderium Beneuentani collegerunt.

* Sossio
* Misenatis
* Misenate

XII.Cal.In Cyzim natale sanctorum Faustæ Virginis,& Euilasij sub Maximiano Imperatore: quã idem Euilasius cum esset primus Palatij

iussit

iussit decaluari, & tradi ad turpitudinem, deinde torqueri, ac suspendi: quo tempore coruscatio de cœlis facta multos ministrorum percussit: Deinde iussit loculos adferri, & eam immissam, ac fixam, quasi lignum secari mediam; sed non eam carnifices ferris lædere valebant: Quæ inter stupẽs Euilasius Christo credere cœpit; & hoc vbi Imperatori nunciatũ est, misit præfectum, qui eum suspensum fortiter torqueret: qui etiam iussit Faustam nudam, & sine * Maforte educi de carcere, & ei caput terebrari, ac clauos infigi, cui postmodum non solum caput & facies, sed & pectus, & totũ corpus vsq; ad tibia clauis impletum est. Posthæc & sartaginem igniri iussit: sed hæc illa psallente refriguit. Hæc inter veniens vox de cœlo vocauit eos, & sic tradiderunt Spiritum. Erat autem Fausta annorum tredecim, & Euilasius LXXX.

** ita habet MS.*

XI. Cal. Natale S. Matthæi Euangelistę in Æthiopia, qui cum ibi prędicaret verbum Dei, & multos ad fidem Christi conuerteret, nouissime spiculator missus ab Hirtaco Rege, qui eum gladio feriebat, efficiens Martyrem Christi.

X. Cal. Sanctorum Martyrum Thebæorum Mauricij, Candidi, Exsuperij, & sancti Emmerammi Martyris.

IX. Cal. Natale S. Sosij Diaconi * Mesenatis ciuitatis in Campania, qui cum esset annorũ triginta, martyr cum B. Ianuario Beneuenti Episcopo capitis decollationẽ suscepit, tẽpore Diocletiani Imperatoris, is cũ tẽpore quodã legeret, in Ecclesia * Mesenate ciuitatis pręsente Episcopo Ianuario, frequenter enim eum pro sanctitate, & prudentia eius visitare consueuerat, vidit subito idem Episcop' de capite eius flammã exurgere, q̃ nemo alius vidit, & pronunciauit eum martyrem futurũ, & post non multos dies idem Diaconus tentus, & in carcerẽ missus est: ad quẽ visitandũ cum venisset Episcopus cum Diacono suo Festo, & Lectore suo Desiderio, & ipse cũ eis simul tentus, ac pariter oẽs cum aliis tribus occisi sunt. Eodem die natale Teclę in Oriente Iconio ciuitate, q̃ à Paulo Apostolo instructa in confessione Christi ignes, ac bestias deuicit, & post multa certamina, ac doctrinã multorũ, veniens Seleuciã requieuit in pace. Itẽ eodẽ die Romæ passio Lini Papę, qui post Apostolos primus cathedram Episcopalẽ ibi tenuit. an. XI. menses VII. dies XIII.

** Misenatis*

** Misenate*

VIII. Cal. Conceptio Ioannis Baptistæ & in Augustoduno, natale Andochij Presbyteri, Thyrsi Diaconi, & Felicis qui à sancto Polycarpo Episcopo ab Oriente directi ad docendã Galliã sub Aureliano Principe sunt gloriosissime coronati: siquidẽ flagellis cæsi, in vltimo tota die inuersis manibus suspensi, in ignẽ missi, sed nõ combusti. Tandem vectibus colla feriuntur, vbi Symphorianus tunc XX. annorũ, qui po-

ftea passus est, semper vigilias & orationes agebat. Eodē die depositio Solemnis Episcopi, qui ab infantia Dei seruitio deuotus fuit, ꝙ etiam miraculis claruit. Nam cum quadā die itineris sui proficisceretur Callem, obuium habuit hominē à natiuitate cæcum, surdū & mutū, quem complexus collo osculauit, & cito sanū reddidit. Hic etiā cum defuncto Carnotensi vrbis Episcopo electus est ad Episcopatum, quē ergo inuitus accepit: H Ludouicū vero Regē adhuc Paganū, qui eodē tempore Francis imperabat, cū vellet contra Gothos in bellū pergere, signo crucis, in corde & in pectore armauit, & sic victoria de hostib⁹ potitum, ac domi reuersum simul cū sancto Rhemigio Rhemensiū vrbis Episcopo diuina fauente virtute cū gratię alacritate baptizauit; & cum eodem trecentos septuaginta nobiles Satrapas sacro fonte regeneratos in spiritu Sancto adoptionis parturiuit filios: sicq; memoratus sanctus Dei tres Olympiadas gerens in Episcopatu de hac luce migrauit ad Christum. Romæ natale Priscillæ, & Liberi Episcopi, & Confessoris. Lugduno Galliæ depositio sancti Lupi Episcopi.

VII. Calend. Natale sancti Firmini Martyris. In Asia natale Bardomiani, Eucarpi, & aliorum XXVI.

VI. Calend. Sanctorum Martyrum Cypriani Episcopi, & Iustinæ, quorū Iustina sub Diocletiano multa ꝓpter Christum perpessa, ipsum quoq; Cyprianum, cum esset Magus, & magicis suis eam dementare conaretur, conuertit ad Christum; cum quo iam Episcopo, & nobili Doctore facto martyrizauit sub Claudio Principe.

V. Cal. Cosmæ, & Domiani sub persecutione Diocletiani, & Maximiani, Præside eius Lysia in ciuitate Ægæa; qui post multa tormenta, vincula, & carceres toleratos, post mare & ignes, crucem, lapidationem, & sagittas diuinitus superatas capite plectuntur.

IV. Calend. Romæ natale Stactei, & in Africa Martialis, Laurentij, & aliorum XX. Antisiodoro depositio S. Alodi Episcopi. In Gallia ciuitate Genua depositio * Saloni Epicopi; Eodē die in Germania depositio Leobæ Virginis, quæ in Britannia Insula ex Saxonum gente nata, virginitatis propositū in Monasterio posita nobiliter seruauit, postea vero à sancto Bonifacio Archiepiscopo Mogontiacensis Ecclesiæ in Germaniā aduocata, vt famulas Dei in Monasteriis Germaniæ diuinis scripturis instrueret: vbi non solum multa miracula viuens fecit, imo post obitū in Bochonia sylua, hoc est in Monasterio Fulda, iuxta decretum S. Bonifacij sepulta, non paucis miraculis sanctitatē suā declarauit.

* Salomonis

III. Calend. Dedicatio Ecclesiæ S. Angeli Michaëlis in monte Gargano. In Thracia ciuitate Eraclea natale * Euticij Plauti: Antisiodoro depositio Fraterni Episcopi.

* Eutychii &

II. Cal-

II. Cal. In Bethleem Iudæ, depositio Hieronymi Presbyteri, cuius vita, & doctrina vbiq; in Ecclesiis Christi laudabilis exstat; quomodo diuinos libros ex lingua Hebræa in Latinam transtulit, Propheticosque libros sensu allegorico exposuit. Cum autem octoginta, & octo annorum dies expleuit, vitam præsentem deserens, ad æternam requiem emigrauit.

OCTOBER.

Cal. Octob. In Galliis ciuitate Antisiodorense, depositio S. Germani Episcopi. Rhemis ciuitate Remedij Episcopi. * Adradis ciuitate, B. Vedasti Episcopi, Ganda Monasterio S. Babonis Episcopi, quorum omnium conuersationes, & gesta miraculis plena conscripta habentur. Eodem die natale * Fronti Episcopi, & Confessoris, * terminibus vrbis * Petrocoricæ ex loco, qui dicitur Linicasio * felicem luminis sumpsit exordium. Sicq; deuotus in seruitio inter Monachos habitãs multis virtutibus claruit, & multos ad fidem Christi conuertit: ad extremũ verò post sacros labores, qui per insignia virtutum eius claruerunt, à præsenti tribulatione ad æternam migrauit requiem.

*Attrebatis
*Frontonis
*terminus
*Petragoricæ
*felus

VI. Nonas Octobris. In Galliis natale S. Leudegarij Episcopi, & Confessoris: In Nicomedia S. Eleutherij.

V. Nonas. Apud antiquos Saxones natale duorum Hewaldorum Presbyterorum, qui cum Wilibrordo Episcopo venientes in Germaniã transierunt ad Saxones, & cum prædicare Christum ibi cœpissent, comprehẽsi sunt à Paganis, & sic occisi sunt: Ad quorũ corpora noctu diu multa lux apparens, & vbi essent, & cuius essent meriti declarauit. Eodem die passio S. Leutgarij Augustodunensis. Episcopi celebratur, qui Christianorũ Regũ temporib. effectus est Martyr, hoc est, HLudharij Regis, & Theodorici fratris eius, nec non & Hiltrici, per factionẽ malitiosam Eburwini, qui Maior domus fuit, crudelissimis tormentis afflictus oculorumq; effossione cruciatus: ad extremum gladio peremptus est. post cuius martyrium multis miraculorum signis Dominus reliquias ipsius glorificauit.

IV. Nonas. In Ægypto, Marti & Mauriciani. Romæ Marcelli Episcopi, & in Africa Audacti: Antisiodoro depositio Marsi Presbyteri.

III. Nonas. In Sicilia natale * Eutici, & aliorum triginta. In Galliis ciuitate Valentia depositio B. Apollinaris Episcopi. Et in Galliis ciuitate Antisiodoro natale sanctorum germanorum Firmati Diaconi, & Flauianæ virginis Deo sacratæ.

*Eutychij

II. Nonas. Depositio Sancti Marci Episcopi, & in Apulia, Casti, &

*Æmylii.

* Emili; In Galliis ciuitate Agenno natale sancti Fidei Martyris. In ciuitate Antisiodoro depositio Romani Episcopi.

Nonis Oct. passio sanctorum Martyrū Sergij, & Bacchi, qui sub Maximiano Imperatore ꝑ Christi nomine passi sunt. Nā Sergius primicerius, & princeps erat Gentilium amicus Imperatoris. Beatus vero Bacchus, secundicerius erat eiusdē Scholæ Gentiliū. Hi ergo ab Antiocho duce ꝑ Christi nomine iussu Maximiani Imperatoris passi sunt: ita vt Bacch* dum extensus crudis flagellis cæderet, emitteret spiritū. Sergius vero post multa tormenta gladio cęsus est, & sic migrauit ad Christum.

VIII Idus Oct. natale Reparatæ virginis, & Martyris, quæ passa est in Cęsarea vrbe Palęstinæ sub Decio Pręside. Hęc cum nollet idolis sacrificare, primo adhibita est illi olla plumbo feruēte impleta: postea abscissæ sunt illi mamillæ, & lampades ardentes adhibitę, deinde in caminum ignis ardentis missa est, quæ cū in nullo ibi fuisset læsa, ad extremū decollata est, & continuo de collo eius exiuit columba alba: cuius corpus rapuerunt Christiani, & conditum aromatibus sepelierunt.

VII Idus. In Parisio passio Dionysij Episcopi, & Martyris. Eleutherij Presbyteri, & Rustici Diaconi: quos referunt à Clemente Papa in Galliam ad prædicandū verbū Dei missos, & ibidem martyrizatos. Eadem die natale est Domnini Martyris qui sub Maximiano Imperat. propter fidem Christi decollatus est iussu ipsius Imperat. hic post martyrium suum multa miracula fecit in sanitate infirmorum, & debilium.

VI. Idus In Britannia Paulini Eburaci Episcopi.

V. Id. In Gallia ciuitate Turonis depositio Venantij Abbatis, & Confessoris.

*Edisti. *Eustachii. *alias habet 145.

IV. Idus. Romæ natale * Hedisti, & in Syria * Eustati Presbyteri, & Eucharisti, Burri, Bonati, & in Campania * Patriæ Fortunatæ.

III. Idus. In Hispanis natale Fausti, Marci, & Adrię, & in Chalcedonia Marcelli, & in Alexandria sancti Anastasij Episcopi.

II. Id. Natale S. Callisti Papę, qui in persecutione Alexandri Imperatoris diutius in carcere fame cruciatus, & cottidie fustibus cæsus, per visionem à Presbytero suo Calepodio, qui antea Martyriū consummauerat, confortatus, & consolatus est. Qui in carcere eodē positus, quendam militem nomine Priuatū ab vlcerum dolore, ac fœditate simul curauit. Quod audiens Alexander, ipsum quidē militem fecit plumbatis deficere, Beatū vero Callistū per fenestram domus præcipitari, & ligato ad collū eius saxo in puteum demergi, & in eum per rudera cumulari. Post dies vero quatuordecim Presbyter eius Asterius cum clericis noctu veniens leuauit corpus, & sepeliuit in cœmiterio Calepodij. II. Id. Oct. Eodem die Corduba ciuitate S. Lupi, Aureliæ. Lugduno Galliæ translatio corporis Iusti Episcopi, & Confessoris.

Idibus.

Idibus. Gallis in Colonia Agro Pinensi natale Maurorum, & in Capua Libuli, & sanctæ Fortunatæ * in patrias.

*forte Imperatricis.

XVII. Cal. Nouembr. Depositio S. Galli confessoris. In Asia natale Cereæ, & aliorum 270.

XVI. Cal. In Nicomedia Alexandri. In Mauritania Nini, Victurij, Nobilitani, Mauriani, Lucij, Mittini, & Crescentiani.

XV. Cal. S. Lucæ Euangelistæ, qui fuit Syrus Antiochensis arte medicus, discipulus Apostolorum, postea Paulum secutus vsq; ad confessionem eius, seruiens Dño sine crimine, neq; vxorē vnquam habens, neq; filios. 74. annorũ, obiit in Bithynia plenus Spiritu sancto, & Romæ sanctæ Triphoniæ vxoris Decij Cæsaris, quæ viro suo post interfectionem beatorum Kisti, & Laurentij diuinitus punito petiit se baptizari cum filia Decij Cyrilla à Iustino Presbytero, & alia die defuncta est, ac iuxta sanctum Hippolytum in crypta sepulta.

XIV. Cal. Natale S. Pelagiæ, quæ primum fuit sub gentilitatis ritu meretricis officio functa, & mundanis illecebris dedita: postea vero per gratiam Dei, & S. * Nononis Episcopi dogmata ad fidem Christi conuersa, & ab eodē Episcopo baptizata, totam substantiam, & supellectilem suam pauperib' erogauit: ipsaq; cilicio induta, & vili indumento vestita in peregrinationē perrexit, & in Hierosolymis sub virili habitu monasticam vitam duxit. Construxerat enim sibi paruulam cellulam in monte Olíueti, vbi Dominus cœlum adscendit; & ibi vitam præsentem finiuit, atq; ad vitam æternam feliciter migrauit.

* Nonni

XIII. Cal. Natale Simplicij, cuius castitas, & vita miraculis probata, multorũ salutis causa fuit, ita vt trium millium hominũ multitudo gremio genitricis Ecclesiæ exciperetur, ac vitalis lauacri fonte dilueretur.

XII. Cal. S. Patris nostri Hilarionis, cuius vitã Hieronym' virtutibus plenam conscripsit. Eodem die natale S. Asterij Presbyteri Callisti, qui cum corpus eius eleuatũ de puteo sepelisset, post dies tres audiens hoc Alexander Imperator, præcepit eum per pontē præcipitari. Cuius corpus inuentum est, & à quibusdam Christianis in eadem ciuitate sepultum. Scriptum in passione S. Callisti Papæ.

XI. Cal. In prouincia Thraciæ & in Adrianopolitana ciuitate passio Philippi Episcopi, & Seueri Presbyteri, atq; Hermetis Diaconi, q. persecutione sæuiente Christianorũ Ecclesias claudere, & spoliare iussu Imperatoris per iniquos præsides contradicebant, & ob hoc per Passum Præsidem nec non & Iustinum multis tormentis afficiebantur, hoc est carceribus, vinculis, flagellis, ad vltimum vero flammarum incendio, sed Domini virtute roborati vsque in finem in confessione nominis eius perseuerauerunt.

X. Cal.

sub glacie demergi, at illi scuto diuinæ protecti virtutis dicebant læti: *Supra aquam refectionis educabis nos Domine*, sed famulante creatura sua DeoMartyres eius nec aqua mergere, nec petra premere: nec frigus potuit stringere, sed poti⁹ quasi æstiuis lauacris *delectatis proiecto molari onere; ad alterã natantes illæsi peruenerunt fluminis ripã. Hoc viso Ritiouarus miraculo, instigante Diabolo exagitatus ira: iussit eos rursus vinctos cũstodire, & plumbũ iniectum igni liquefieri. In quo Martyres sanctos consumendos demergeret. Sed quos quia Christi dextera protegebat inuicta, illæsos reddidit ignis: quibus hæc operantibus exiliens gutta plumbi feruentis in oculũ Ritiouari, graui illum dolore crucians execęcauit: at is fremens insaniã possessus, dum medelã corporis, animæq; debuit implorare, mortẽ sibi accelerauit insaniens. Nam picẽ adipẽ oleumq; simul iussit feruere, & sanctos denuò Martyres in eam præcipitari, quasi consumẽdos pœna pręcepit. At vbi ministri obtemperãtes perfecerunt cuncta quæ sibi ab impio fuerunt imperata, S. Martyres spei suę immobiliter incumbentes alacres fiducialiter Deo in oratione dixerunt: *Potens es Domine Deus noster de illatis nos ab impio liberare tormentis. Et sicut nos voluisti per confessionẽ tui S. nominis pati: ita ad confusionẽ Diaboli, & satellitũ eius ab hac etiã pœna illæsos educere.* Mox oratione finita eduxit eos Angelus Domini sine dolore ab igne. Tunc videns se inimicus nihil inlatis aduersum Christi Martyres præualuisse suppliciis, sese concite furens Ritiouarus præcipitauit in ignem, & ita morte pessima vitã finiuit indignam. Nam Maximianus mox audita satellitis sui Ritiouari perditione, vtrumq; Crispinũ videlicet ac Crispinianum gladio punire præcepit, qui iam iamq; imminente ceruicibus suis gladio gratiarũ Domino actionẽ persoluentes, vitã præsentẽ felici morte finierunt. Ipso die Romæ via Salaria 46. militum, qui simul baptizati à Dionysio Papa, & mox iubente Claudio Imp. decollati sunt: ibi sunt & alij Martyres 121. inter quos fuerunt 4. milites Christi Theodosius, Lucius, Marcus, & Petrus. scriptum in passione S. Sixti.

Psal. 22.

delectati

VII. Cal. In Nicomedia natale Luciani, *Flori, & Heraclidę, Martiani.

Florij

VI. Cal. Vigilia Apostolorũ Simonis, & Tadei. in Sardinia natale Proti & Ianuarij, & in Phrygia Eumeni, & Cononis, Diodori, & Metrouij.

V. Cal. Apostolorum Simonis, & Thadæi, & Romæ S. Cyrillæ filiæ Decij Cæsaris, quæ sub Claudio Principe iugulata, & necata est gladio, & sepulta à Iustino Presbyt. cum matre sua iuxta S. Hippolytum.

IV. Cal. In Lucania S. *Iacinthi, Quintini, Felicianæ, Lucini.

*Hyacinthi, Quinti, Feliciani, & Lucij

III. Cal. Romæ natale S. Pontiani Papæ, & Martyris, qui ab Alexan-

dro Imperatore cum Hippolyto Presbytero in exilium est deportatus in Sardiniam insulam vbi est defunctus.

II. Calend. In Galliis S. Quintini qui sub Maximiano Imperat: martyrium passus est, & post annos LII. inuentum est reuelante Angelo corpus eius, & sepultum IIX. Calend. Iulij.

NOVEMBER.

Calend. Nouembris. In Castro Diuionensi natale Benigni Presbyteri, qui cum Andochio conpresbytero, & Thyrso Diacono missus est à sancto Episcopo Polycarpo ab Oriente Galliam tempore Aureliani, qui prædicatione eius comperta vinctum eum, & cæsum ad se adduci præcepit, & audita sermonum eius constantia neruis durissimis eum cædi fecit, & Terentio Comiti superandum tradidit, à quo ad trochleas extensus est, & cæsus, ac rursum carceri mancipatus, manè Idola orando destruxit, & reductus est in carcerem, cui subulas decem calentes in manibus infixerunt, & à plumbo remisso pedes in lapide perforato fixerunt, & canes duodecim feroces cum eo incluserunt per sex dies, & attulit ei Angelus panem cœlestem, subulas abstulit, & eum de plumbo, ac ferro eripuit. Post hoc collum eius vecte ferreo tundi, & corpus lancea forari iubetur: quo facto Colūba niuea de carcere Christianis aspicientibus ad cœlos adscendit, & odor suauissimus quasi paradisi secutus est: Discedente Aureliano à loco superuenit Leonilla, & conditum aromatibus corpus non longè ab ipso carcere sepeliuit. Eodem die natale sancti Cæsarij Diaconi, & Iuliani Presbyteri, qui videlicet Cæsarius tempore Claudij Imperatoris veniens ex Africa ad Terracinam Campaniæ ciuitatem, Dum contra Idololatras proclamaret in publico, tentus est à Firmino Pontifice, & in custodiam reclusus, vbi diebus multis maceratus deinde traditus est Leontio Consulari Campaniæ. Quem ille cum verbis superare nequiret, iussit vinctū ante carpentum suum ducere, ligatis manibus, nudum, vsque ad templū Apollinis, quo cum peruenissent, ad orationē eius corruit templū, & occidit Pontificem Firminum, posthæc reclusus in carcere à Luxorio primo Ciuitatis, fuit ibi annum, & mensem vnum. Deinde eductus in foro, à Deo dum oraret cœlesti luce circūdatus, vt ipse Leontius crederet, & Cæsarium qui erat nudus sua chlamyde indueret, & Baptizaretur, ac corpus, ac sanguinem Domini acciperet de manu Iuliani Presbyteri: nec mora, dictā super eum oratione Spiritum tradidit. III. Calen. Non. Tunc Luxorius iussit Iulianum, & Cæsariū mitti in saccum, & præcipitari in mareq; eodem die reiecti sunt ad littus, & sepulti ab Eusebio

 seruo

seruo Dei iuxta vrbem Terracinam, & idem Eusebius postea martyriũ passus est cum Felice Presbytero. Eodem die depositio Seuerini Monachi de Tiburtina ciuitate: Ipsa die memoria celebratur omniũ Sanctorum, quod constituit Bonifacius Papa, qui delubrum vetustum, quod ab antiquis Pantheon vocabatur, concedente * Focato Cæsare, in honorem sanctæ Mariæ Virginis & omnium Sanctorum dedicauit. Item in eodem die in Monasterio Fulda dedicatio Ecclesiæ sancti Bonifacij, & translatio corporis eiusdem sancti Martyris.

*Phoca.

IV. Nonas. In Africa natale Publij, Victoris, Hermetis, Iusti, & Papię.

III. Nonas. In Cæsarea Cappadociæ natale Germani, Domnini, Theophili, Vitalis, Iusti, & Eremitis. Eodem die depositio sancti * Permenij Confessoris.

*Pirmini.

II. Nonas. Augustoduno depositio Beati Proculi Episcopi. * Rotenus Galliæ natale sancti Amantij Episcopi. In Galliis * Beturicas depositio S. Inlusoris pueri, & Confessoris, & in Nicæa Domnini In Africa natale Primi, Cæsarij, Gregorij, Porfiri, Amantis, Saturini, Victurinæ, Perpetuæ.

*Ruthenu.
*Apud Bituricas.

Nonis Nouemb. In Tarracina Campaniæ ciuitate, Natale sanctorũ Felicis Presbyteri, & Eusebij Monachi tẽpore Claudij Imperat. qui videlicet Eusebius cum sepelisset S. Martyres Iulianũ, & Cæsarium, & ad sepulchra eorum orans ac ieiunans multos conuerteret ad fidem, quos Felix Presbyter baptizabat: tenti sunt ambo à Leontio filio Leontij Consularis ob eam maximè causam, quia Cæsarius patrem eius Christianum fecisset, & ad forum ducti, nec superati, inde in carcerem reclusi, & nocte eadem cum sacrificare nollent decollati, atq; in fluuio sunt iactati, quorũ corpora venerũt vsq; ad mare, & reiecta sunt ad litt', atq; à Presbytero quodam de Capua nomine Quarto inuenta, qui ea mox imposita vehiculo duxit in casam suã, & curiosè quærens etiã capita inuenit, ac iuncta corporibus sepeliuit iuxta sanctum Cæsarium.

IIX. Idus. Nouemb. Depositio Wilbrordi Episcopi de gente Anglorum viri sanctissimi, & miraculorum gratia insignissimi: qui à Sergio Papa Romæ ordinatus in Germaniam ad prædicandum Verbum Dei est destinatus, ibidemq; quieuit in pace.

VII. Idus. In Africa natale Rogati, Donati, Iuliæ, Ianuarij. Eodem die natale S. Rufi Episcopi vrbis Metensis, & Confessoris, qui translatus est à prædicta Vrbe, consentiente Drogone Præsule, in Wormaciensem pagum in villam, quæ vocatur Otorheim, temporibus HLudarij Imper. & HLudouici Regis, vbi etiam sanctitas eius multis virtutibus claruit. *

* Hic desiderantur in Martyrologio duo dies. Vide Errata.

IV. Idus Romæ depositio S. Leonis Episcopi. in Antiochia natale Demetrij Episc. *Amnesi, Eustachij,& sociorum eius. Aurelianis depositio B. *Minitoris Episcopi.

*Aniani, Eustoij *Monitoris

III. Idus. Depositio B. Martini Turonēsis Archiepis. & Confessoris, cuius vita,& doctrina per miracula quæ Dominus per eū fecit, penè omnib. fidelib. claret, nec necesse est aliquid hic inde à nobis cōmemorari, quia ipsius vitā, virtutes,& signa Sulpicius Seuerus luculento sermone manifestè descripsit: nec non & Gregor. eiusdem vrbis Episc. in miraculorū libris plenissimè disseruit. Eodē die passio celebratur Mennæ Martyris, qui militiā terrenā deserens, eò quod Dioclet. Imp. sæuitia Christianos cogeret Idola colere,& Deos falsos adorare, S. famulus Dei primū in eremū secessit, ac ibi Domino instanter seruiuit. Postea verò cū gentiles natalē diē prædicti Imp. celebrarent, venit in ciuitatē, & increpauit superstitiosos cultores Idolorū de vanitate sua. Per Bagasium Principē multis tormentis afflictus est,& eū à Christi fide auertere voluit,& in errorē gentiliū, atq; ad militiam terrenam reducere. Sed Christi Martyr penitus hoc contradixit. Tunc Pręses iussit eum primū in stipite tensū neruis taurinis cædere: ita vt sanguis è corpore eius fluens in circuitu terrā repleret. Postea iussit fieri spinas ferreas,& præcepit ligari ipsum S. Martyrē Mennā,& super easdem trahi. Tunc Præses iussit eum contra humeros diutissimè cædi. Deinde lampades ardentes mandauit supponi corpori eius: Allato autem igne & supposito ei per duas fermè horas nullū verbū ad Præsidē dixit, sed tantū clamabat ad Dominū dicens: *Christe Deus adiuua me*: nouissimè verò cum nullo modo eum Præses à Christo separare posset, iussit eum decollari. Sicq; feliciter S. Dei relinquens præsens sæculum ad cæleste regnū transiuit.

*Asia *Aurelij & Publij. *Britij.

II. Idus. In *Africa natale Sanctorum *Inauruli, Publi. in Cæsarea Cappadociæ natale SS. Germani, Theophili, Cæsarij,& S. Eusebij.

Idib. In Turonis ciuitate Galliæ depositio S. *Bricci Episcopi, & Confessoris, qui fuit successor S. Martini in Episcopatu.

*Clementini, Theodoti, Philomeni.

XVIII. Cal. Decemb. In Heraclea ciuitate Thraciæ natale S. *Clentini,& Theodotæ, Filomini, Eracli, Martialis, Donati & aliorum multorum Sanctorum.

XVII. Cal. In Africa natale SS. Secundi, Fidētiani, Varici,& Martialis.

XVI. Cal. In Capua natale Augustini & in Africa Vitalis, Ianuarij, Lugduno Galliæ depositio S. *Euceri Episcopi.

*Eucherii.

XV. Cal. S. Patris nostri Gregorij miraculorum factoris,& in Aurelianis ciuitate Galliæ depositio S. Aniani Episcopi,& Confessoris.

XIV.

XIV. Cal. Passio S. Romani Martyris qui sub Asclepiade Præfecto gloriam sacri Martyris adept' est. Nam prædictus Asclepiades cum vellet sanctum Romanum à fide Christi auertere, & in paganicum errorem redigere, validis tormentis illum afficiebat: Ipse autẽ in fide recta, & confessione vera permanebat. Adscitus etiam fuit in testimonium paruulus infans, vt ipse ostenderet in professione sua, vtrũ Christus Dei filius, an falsi Dij adorandi essent: Ad hoc infans respondit, Christum Dei filium adorandum, non falsa numina Deorum. Iussit memoratus Præfectus ipsum infantulũ valide tractari, sed tamen eum vincere non potuit, nec in errorẽ seducere, tunc Asclepiades iussit Romanum simul cum infante in carcerẽ miti & postera die in validũ ignẽ proiicere, sed pluuia nimia à Deo missa illũ extinxit. Ob hoc iratus Præses infantulũ iussit iugulari. Romano vero linguã abscindere. Sed Dei gratia post linguę abscissionẽ laudes Deo incessanter cecinit, & in Christi confessione perseuerauit. Quod cum nuntiatũ esset Maximino genero Diocletiani, iussit eum in carcerẽ mitti, & ibi per noctẽ strangulari. Sicq; sanctus Christi Martyr XVIII. die Nouembr. mensis ad cęlestia regna migrauit.

XIII. Cal. In Cæsarea Cappadociæ natale Maximi, Muciani, Neophyti, & aliorum XL.

XII. Cal. In Heraclea natale Bassi, Dionysij, & in Cappadocia Cæsareæ * Agapeti. * Agapii,

XI. Cal. Natale Mauri Martyris, qui ab infantia Christianus fuit, orationibusque, & ieiuniis Christum Dñum deprecabatur, Eleemosynis viduis, & egenis frequenter impensis non minuebat. Cumq; hoc per omnes dies vitæ suæ perageret, nutu Dei Spiritus sanctus immisit in sensum eius, vt Monasteriũ ingrederetur. Cum ergo nõ multo tempore ibidẽ habitaret, ita cœpit ab vniuersis fratribus diligi, vt veluti patrẽ eum omnes venerarentur. Cumq; complesset annos octodecim agens vitam Monachorũ, introiuit in sensum eius desideriũ, vt S. Petri Apostoli sedẽ ad visitaret, & proficiscens Deo auxiliante Romam peruenit, & cũ omnia didicisset mysteria, vel regulã Ecclesiæ, multo magis in vrbe Roma cœpit Christianis, & egenis consueta præbere solatia. Cum vero illic demoraretur annis tribus, eodẽ tempore, quo Imperiũ obtinuit Numerianus impijssim', & cœpit per ciuitates vel prouincias suas præcepta * arguenter dirigere, vt si quis Christianus inuentus fuisset, & non Diis immolaret, diuersis suppliciis maceratus morti traderetur. Ipso namq; in tempore cum Præfecturã Romæ promeruisset Celerinus, & ipse Idolis deditus diu requisisset per oẽs ciuitates vel loca, vt sic vbi Christiani reperirentur, diuersis generibus tormentorũ affe- * ita MS.

ftea paſſus eſt, ſemper vigilias & orationes agebat. Eodē die depoſitio Solemnis Epiſcopi, qui ab infantia Dei ſeruitio deuotus fuit, ꝙ etiam miraculis claruit. Nam cum quadā die itineris ſui proficiſceretur Callem, obuium habuit hominē à natiuitate cæcum, ſurdū & mutū, quem complexus collo oſculauit, & cito ſanū reddidit. Hic etiā cum defuncto Carnotenſi vrbis Epiſcopo electus eſt ad Epiſcopatum. quē ergo inuitus accepit: H Ludouicū vero Regē adhuc Paganū, qui eodē tempore Francis imperabat, cū vellet contra Gothos in bellū pergere, ſigno crucis, in corde & in pectore armauit, & ſic victoria de hoſtib' potitum, ac domi reuerſum ſimul cū ſancto Rhemigio Rhemenſiū vrbis Epiſcopo diuina fauente virtute cū gratię alacritate baptizauit; & cum eodem trecentos ſeptuaginta nobiles Satrapas ſacro fonte regeneratos in ſpiritu Sancto adoptionis parturiuit filios: ſicq; memoratus ſanctus Dei tres Olympiadas gerens in Epiſcopatu de hac luce migrauit ad Chriſtum. Romæ natale Priſcillæ, & Liberi Epiſcopi, & Confeſſoris. Lugduno Galliæ depoſitio ſancti Lupi Epiſcopi.

VII. Calend. Natale ſancti Firmini Martyris. In Aſia natale Bardomiani, Eucarpi, & aliorum XXVI.

VI. Calend Sanctorum Martyrum Cypriani Epiſcopi, & Iuſtinæ, quorū Iuſtina ſub Diocletiano multa ꝓpter Chriſtum perpeſſa, ipſum quoq; Cyprianum, cum eſſet Magus, & magicis ſuis eam dementare conaretur, conuertit ad Chriſtum; cum quo iam Epiſcopo, & nobili Doctore facto martyrizauit ſub Claudio Principe.

V. Cal. Coſmæ, & Domiani ſub perſecutione Diocletiani, & Maximiani, Præſide eius Lyſia in ciuitate Ægæa; qui poſt multa tormenta, vincula, & carceres toleratos, poſt mare & ignes, crucem, lapidationem, & ſagittas diuinitus ſuperatas capite plectuntur.

IV. Calend. Romæ natale Stactei, & in Africa Martialis, Laurentij, & aliorum XX. Antiſiodoro depoſitio S. Alodi Epiſcopi. In Gallia ciuitate Genua depoſitio * Saloni Epicopi; Eodē die in Germania depoſitio Leobæ Virginis, quæ in Britannia Inſula ex Saxonum gente nata, virginitatis propoſitū in Monaſterio poſita nobiliter ſeruauit, poſtea vero à ſancto Bonifacio Archiepiſcopo Mogontiacenſis Eccleſiæ in Germaniā aduocata, vt famulas Dei in Monaſteriis Germaniæ diuinis ſcripturis inſtrueret: vbi non ſolum multa miracula viuens fecit, imo poſt obitū in Bochonia ſylua, hoc eſt in Monaſterio Fulda, iuxta decretum S. Bonifacij ſepulta, non paucis miraculis ſanctitatē ſuā declarauit.

* Salomonis

III. Calend. Dedicatio Eccleſiæ S. Angeli Michaëlis in monte Gargano. In Thracia ciuitate Eraclea natale * Euticij Plauti; Antiſiodoro depoſitio Fraterni Epiſcopi.

* Eutychii et

II. Cal-

II. Cal. In Bethleem Iudæ, depositio Hieronymi Presbyteri, cuius vita, & doctrina vbiq; in Ecclesiis Christi laudabilis exstat; quomodo diuinos libros ex lingua Hebræa in Latinam transtulit, Propheticosque libros sensu allegorico exposuit. Cum autem octoginta, & octo annorum dies expleuit, vitam præsentem deserens, ad æternam requiem emigrauit.

OCTOBER.

Cal. Octob. In Galliis ciuitate Antisiodorense, depositio S. Germani Episcopi. Rhemis ciuitate Remedij Episcopi. * Adradis ciuitate, B. Vedasti Episcopi, Ganda Monasterio S. Babonis Episcopi, quorum omnium conuersationes, & gesta miraculis plena conscripta habentur: Eodem die natale * Fronti Episcopi, & Confessoris, * terminibus vrbis * Petrocoricæ ex loco, qui dicitur Linicasio * felicem luminis sumpsit exordium. Sicq; deuotus in seruitio inter Monachos habitãs multis virtutibus claruit, & multos ad fidem Christi conuertit: ad extremũ verò post sacros labores, qui per insignia virtutum eius claruerunt, à præsenti tribulatione ad æternam migrauit requiem.

*Attrebatis
* Frontonis
*terminis
*Petragoricæ
*felix

VI. Nonas Octobris. In Galliis natale S. Leudegarij Episcopi, & Confessoris: In Nicomedia S. Eleutherij.

V. Nonas. Apud antiquos Saxones natale duorum Hewaldorum Presbyterorum, qui cum Wilibrordo Episcopo venientes in Germaniã transierunt ad Saxones, & cum prædicare Christum ibi cœpissent, comprehẽsi sunt à Paganis, & sic occisi sunt: Ad quorũ corpora noctu diu multa lux apparens, & vbi essent, & cuius essent meriti declarauit. Eodem die passio S. Leutgarij Augustodunensis. Episcopi celebratur, qui Christianorũ Regũ temporib. effectus est Martyr, hoc est, HLudharij Regis, & Theodorici fratris eius, nec non & Hiltrici, per factionẽ malitiosam Eburwini, qui Maior domus fuit, crudelissimis tormentis afflictus oculorumq; effossione cruciatus: ad extremum gladio peremptus est. post cuius martyrium multis miraculorum signis Dominus reliquias ipsius glorificauit.

IV. Nonas. In Ægypto, Marti & Mauriciani. Romæ Marcelli Episcopi, & in Africa Audacti: Antisiodoro depositio Marsi Presbyteri.

III. Nonas. In Sicilia natale * Eutici, & aliorum triginta. In Galliis ciuitate Valentia depositio B. Apollinaris Episcopi. Et in Galliis ciuitate Antisiodoro natale sanctorum germanorum Firmati Diaconi, & Flauianæ virginis Deo sacratæ.

*Eutychij

II. Nonas. Depositio Sancti Marci Episcopi, & in Apulia, Casti, &

Æmylii. * Emili; In Galliis ciuitate Agenno natale sancti Fidei Martyris. In ciuitate Antisiodoro depositio Romani Episcopi.

Nonis. Oct. passio sanctorum Martyrũ Sergij, & Bacchi, qui sub Maximiano Imperatore ꝑ Christi nomine passi sunt. Nã Sergius primicerius, & princeps erat Gentilium amicus Imperatoris. Beatus vero Bacchus, secundicerius erat eiusdẽ Scholæ Gentiliũ. Hi ergo ab Antiocho duce ꝑ Christi nomine iussu Maximiani Imperatoris passi sunt: ita vt Bacch* dum extensus crudis flagellis cæderet, emitteret spiritũ. Sergius vero post multa tormenta gladio cęsus est, & sic migrauit ad Christum.

VIII Idus Oct. natale Reparatæ virginis, & Martyris, quæ passa est in Cęsarea vrbe Palęstinæ sub Decio Pręside. Hęc cum nollet Idolis sacrificare, primo adhibita est illi olla plumbo feruẽte impleta: postea abscissæ sunt illi mamillæ, & lampades ardentes adhibitę, deinde in caminum ignis ardentis missa est, quæ cũ in nullo ibi fuisset læsa, ad extremũ decollata est, & continuo de collo eius exiuit columba alba: cuius corpus rapuerunt Christiani, & conditũ aromatibus sepelierunt.

VII Idus. In Parisio passio Dionysij Episcopi, & Martyris. Eleutherij Presbyteri, & Rustici Diaconi: quos referunt à Clemente Papa in Galliam ad prædicandũ verbũ Dei missos, & ibidem martyrizatos. Eadem die natale est Domnini Martyris qui sub Maximiano Imperat. propter fidem Christi decollatus est iussu ipsius Imperat. hic post martyrium suum multa miracula fecit in sanitate infirmorum, & debilium.

VI. Idus In Britannia Paulini Eburaci Episcopi.

V. Id. In Gallia ciuitate Turonis depositio Venantij Abbatis, & Confessoris.

*Edisti. *Eustachii. ita habet. 1. ed.* IV. Idus. Romæ natale * Hedisti, & in Syria * Eustati Presbyteri, & Eucharisti, Burri, Bonati, & in Campania * Patriæ Fortunatæ.

III. Idus. In Hispanis natale Fausti, Marci. & Adrię, & in Chalcedonia Marcelli, & in Alexandria sancti Anastasij Episcopi.

II. Id. Natale S. Callisti Papę, qui in persecutione Alexandri Imperatoris diutius in carcere fame cruciatus, & cottidie fustibus cæsus, per visionem à Presbytero suo Calepodio, qui antea Martyriũ consummauerat, confortatus, & consolatus est. Qui in carcere eodẽ positus, quendam militem nomine Priuatũ ab vlcerum dolore, ac fœditate simul curauit. Quod audiens Alexander, ipsum quidẽ militem fecit plumbatis deficere, Beatũ vero Callistũ per fenestram domus præcipitari, & ligato ad collũ eius saxo in puteum demergi, & in eum per rudera cumulari. Post dies vero quatuordecim Presbyter eius Asterius cum clericis noctu veniens leuauit corpus, & sepeliuit, in cœmiterio Calepodij. II. Id. Oct. Eodem die Corduba ciuitate S. Lupi, Aureliæ. Lugduno Galliæ translatio corporis Iusti Episcopi, & Confessoris.

Idibus.

Idibus. Gallis in Colonia Agro Pinensi natale Maurorum, & in Capua Libuli, & sanctæ Fortunatæ * in patrias. *forte Imperatricis.

XVII. Cal. Nouembr. Depositio S. Galli confessoris. In Asia natale Cereæ, & aliorum 270.

XVI. Cal. In Nicomedia Alexandri. In Mauritania Nini, Victurij, Nobilitani, Mauriani, Lucij, Mittini, & Crescentiani.

XV. Cal. S. Lucæ Euangelistæ, qui fuit Syrus Antiochensis arte medicus, discipulus Apostolorum, postea Paulum secutus vsq; ad confessionem eius, seruiens Dño sine crimine, neq; vxorē vnquam habens, neq; filios. 74. annorū, obiit in Bithynia plenus Spiritu sancto, & Romæ sanctæ Triphoniæ vxoris Decij Cæsaris, quæ viro suo post interfectionem beatorum Xisti, & Laurentij diuinitus punito petiit se baptizari cum filia Decij Cyrilla à Iustino Presbytero, & alia die defuncta est, ac iuxta sanctum Hippolytum in crypta sepulta.

XIV. Cal. Natale S. Pelagiæ, quæ primum fuit sub gentilitatis ritu meretricis officio functa, & mundanis illecebris dedita: postea vero per gratiam Dei, & S. * Nononis Episcopi dogmata ad fidem Christi conuersa, & ab eodē Episcopo baptizata, totam substantiam, & supellectilem suam pauperib' erogauit: ipsaq; cilicio induta, & vili indumento vestita in peregrinationē perrexit, & in Hierosolymis sub virili habitu monasticam vitam duxit. Construxerat enim sibi paruulam cellulam in monte Oliueti, vbi Dominus cœlum adscendit; & ibi vitam præsentem finiuit, atq; ad vitam æternam feliciter migrauit. * Nonni

XIII. Cal. Natale Simplicij, cuius castitas, & vita miraculis probata, multorū salutis causa fuit, ita vt trium millium hominū multitudo gremio genitricis Ecclesiæ exciperetur, ac vitalis lauacri fonte dilueretur.

XII. Cal. S. Patris nostri Hilarionis, cuius vitā Hieronym' virtutibus plenam conscripsit. Eodem die natale S. Asterij Presbyteri Callisti, qui cum corpus eius eleuatū de puteo sepeliisset, post dies tres audiens hoc Alexander Imperator, præcepit eum per pontē præcipitari. Cuius corpus inuentum est, & à quibusdam Christianis in eadem ciuitate sepultum. Scriptum in passione S. Callisti Papæ.

XI. Cal. In prouincia Thraciæ & in Adrianopolitana ciuitate passio Philippi Episcopi, & Seueri Presbyteri, atq; Hermetis Diaconi, q persecutione sæuiente Christianorū Ecclesias claudere, & spoliare iussu Imperatoris per iniquos præsides contradicebant, & ob hoc per Passium Præsidem nec non & Iustinum multis tormentis afficiebantur, hoc est carceribus, vinculis, flagellis, ad vltimum vero flammarum incendio, sed Domini virtute roborati vsque in finem in confessione nominis eius perseuerauerunt.

X. Cal.

sub glacie demergi, at illi scuto diuinæ protecti virtutis dicebant læti: *Supra aquam refectionis educabis nos Domine*, sed famulante creatura sua Deo Martyres eius nec aqua mergere, nec petra premere: nec frigus potuit stringere, sed poti⁹ quasi æstiuis lauacris * delectatis proiecto molari onere; ad alterā natantes illæsi peruenerunt fluminis ripā. Hoc viso Ritiouarus miraculo, instigante Diabolo exagitatus ira: iussit eos rursus vinctos custodire, & plumbū iniectum igni liquefieri. In quo Martyres sanctos consumendos demergeret. Sed quos quia Christi dextera protegebat inuicta, illæsos reddidit ignis: quibus hæc operantibus exiliens gutta plumbi feruentis in oculū Ritiouari, graui illum dolore crucians excæcauit: at is fremens insania possessus, dum medelā corporis, animæq; debuit implorare, mortē sibi accelerauit insaniens. Nam picē adipē oleumq; simul iussit feruere, & sanctos denuò Martyres in eam præcipitari, quasi consumēdos pœna præcepit. At vbi ministri obtemperātes perfecerunt cuncta quæ sibi ab impio fuerunt imperata, S. Martyres spei suæ immobiliter incumbentes alacres fiducialiter Deo in oratione dixerunt: *Potens es Domine Deus noster de illatis nos ab impio liberare tormentis. Et sicut nos voluisti per confessionē tui S. nominis pati: ita ad confusionē Diaboli, & satellitū eius ab hac etiā pœna illæsos educere.* Mox oratione finita eduxit eos Angelus Domini sine dolore ab igne. Tunc videns se inimicus nihil inlatis aduersum Christi Martyres præualuisse suppliciis, sese concite furens Ritiouarus præcipitauit in ignem, & ita morte pessima vitā finiuit indignam. Nam Maximianus mox audita satellitis sui Ritiouari perditione, vtrumq; Crispinū videlicet ac Crispinianum gladio punire præcepit, qui iam iamq; imminente ceruicibus suis gladio gratiarū Domino actionē persoluentes, vitā præsentē felici morte finierunt. Ipso die Romæ via Salaria 46. militum, qui simul baptizati à Dionysio Papa, & mox iubente Claudio Imp. decollati sunt: ibi sunt & alij Martyres 121. inter quos fuerunt 4. milites Christi Theodosius, Lucius, Marcus, & Petrus. scriptum in passione S. Sixti.

Psal. 22.

** delectati*

VII. Cal. In Nicomedia natale Luciani, * Flori, & Heraclidę, Martiani.

** Florij*

VI. Cal. Vigiliæ Apostolorū Simonis, & Tadei. in Sardinia natale Proti & Ianuarij, & in Phrygia Eumeni, & Cononis, Diodori, & Metronij.

V. Cal. Apostolorum Simonis, & Thadæi, & Romæ S. Cyrillæ filiæ Decij Cæsaris, quæ sub Claudio Principe iugulata, & necata est gladio, & sepulta à Iustino Presbyt. cum matre sua iuxta S. Hippolytum.

IV. Cal. In Lucania S. * Iacinthi, Quintini, Felicianæ, Lucini.

** Hyacinthi, Quincti, Feliciani, & Lucij*

III. Cal. Romæ natale S. Pontiani Papæ, & Martyris, qui ab Alexan-

dro Imperatore cum Hippolyto Presbytero in exilium est deportatus in Sardiniam insulam vbi est defunctus.

II. Calend. In Galliis S. Quintini qui sub Maximiano Imperat: martyrium passus est, & post annos LII. inuentum est reuelante Angelo corpus eius, & sepultum IIX. Calend. Iulij.

NOVEMBER.

Calend. Nouembris. In Castro Diuionensi natale Benigni Presbyteri, qui cum Andochio conpresbytero, & Thyrso Diacono missus est à sancto Episcopo Polycarpo ab Oriente Galliam tempore Aureliani, qui prædicatione eius comperta vinctum eum, & cæsum ad se adduci præcepit, & audita sermonum eius constantia neruis durissimis eum cædi fecit, & Terentio Comiti superandum tradidit, à quo ad trochleas extensus est, & cæsus, ac rursum carceri mancipatus, manè Idola orando destruxit, & reductus est in carcerem, cui subulas decem calentes in manibus infixerunt, & à plumbo remisso pedes in lapide perforato fixerunt, & canes duodecim feroces cum eo incluserunt per sex dies, & attulit ei Angelus panem cœlestem, subulas abstulit, & eum de plumbo, ac ferro eripuit. Post hoc collum eius vecte ferreo tundi, & corpus lancea forari iubetur: quo facto Colūba niuea de carcere Christianis aspicientibus ad cœlos adscendit, & odor suauissimus quasi paradisi secutus est: Discedente Aureliano à loco superuenit Leonilla, & conditum aromatibus corpus non longè ab ipso carcere sepeliuit. Eodem die natale sancti Cæsarij Diaconi, & Iuliani Presbyteri, qui videlicet Cæsarius tempore Claudij Imperatoris veniens ex Africa ad Terracinam Campaniæ ciuitatem, Dum contra Idololatras proclamaret in publico, tentus est à Firmino Pontifice, & in custodiam reclusus, vbi diebus multis maceratus deinde traditus est Leontio Consulari Campaniæ. Quem ille cum verbis superare nequiret, iussit vinctū ante carpentum suum ducere, ligatis manibus, nudum, vsque ad templū Apollinis, quo cum peruenissent, ad orationē eius corruit templū, & occidit Pontificem Firminum, posthæc reclusus in carcere à Luxorio primo Ciuitatis, fuit ibi annum, & mensem vnum. Deinde eductus in foro, à Deo dum oraret cœlesti luce circūdatus, vt ipse Leontius crederet, & Cæsarium qui erat nudus sua chlamyde indueret, & Baptizaretur, ac corpus, ac sanguinem Domini acciperet de manu Iuliani Presbyteri: nec mora, dictâ super eum oratione Spiritum tradidit. III. Calen. Non. Tunc Luxorius iussit Iulianum, & Cæsariū mitti in saccum, & præcipitari in mareq; eodem die reiecti sunt ad litus, & sepulti ab Eusebio

 seruo

seruo Dei iuxta vrbem Terracinam, & idem Eusebius postea martyriũ passus est cum Felice Presbytero. Eodem die depositio Seuerini Monachi de Tiburtina ciuitate: Ipsa die memoria celebratur omniũ Sanctorum, quod constituit Bonifacius Papa, qui delubrum vetustum, quod ab antiquis Pantheon vocabatur, concedente * Focato Cæsare, in honorem sanctæ Mariæ Virginis & omnium Sanctorum dedicauit. Item in eodem die in Monasterio Fulda dedicatio Ecclesiæ sancti Bonifacij, & translatio corporis eiusdem sancti Martyris.

*Phoca.

IV. Nonas. In Africa natale Publij, Victoris, Hermetis, Iusti, & Papię.

III. Nonas. In Cæsarea Cappadociæ natale Germani, Domnini, Theophili, Vitalis, Iusti, & Eremitis. Eodem die depositio sancti * Permenij Confessoris.

*Pirmini.

II. Nonas. Augustoduno depositio Beati Proculi Episcopi. * Rotenus Galliæ natale sancti Amantij Episcopi. In Galliis * Beturicas depositio S. Inlusoris pueri, & Confessoris, & in Nicæa Domnini In Africa natale Primi, Cæsarij, Gregorij, Porfiri, Amantis, Saturini, Victurinæ, Perpetuæ.

*Ruthenu.
*Apud Bituricas.

Nonis Nouemb. In Tarracina Campaniæ ciuitate, Natale sanctorũ Felicis Presbyteri, & Eusebij Monachi tẽpore Claudij Imperat. qui videlicet Eusebius cum sepelisset S. Martyres Iulianũ, & Cæsarium, & ad sepulchra eorum orans ac ieiunans multos conuerteret ad fidem, quos Felix Presbyter baptizabat: tenti sunt ambo à Leontio filio Leontij Consularis ob eam maximè causam, quia Cæsarius patrem eius Christianum fecisset, & ad forum ducti, nec superati, inde in carcerem reclusi, & nocte eadem cum sacrificare nollent decollati, atq; in fluuio sunt iactati, quorũ corpora venerũt vsq; ad mare, & reiecta sunt ad litt', atq; à Presbytero quodam de Capua nomine Quarto inuenta, qui ea mox imposita vehiculo duxit in casam suã, & curiosè quærens etiã capita inuenit, ac iuncta corporibus sepeliuit iuxta sanctum Cæsarium.

IIX. Idus. Nouemb. Depositio Wilbrordi Episcopi de gente Anglorum viri sanctissimi, & miraculorum gratia insignissimi: qui à Sergio Papa Romæ ordinatus in Germaniam ad prædicandum Verbum Dei est destinatus, ibidemq; quieuit in pace.

VII. Idus. In Africa natale Rogati, Donati, Iuliæ, Ianuarij. Eodem die natale S. Rufi Episcopi vrbis Metensis, & Confessoris, qui translatus est à prædicta Vrbe, consentiente Drogone Præsule, in Wormacirensem pagum in villam, quæ vocatur Oterheim, temporibus HLudarij Imper. & HLudouici Regis, vbi etiam sanctitas eius multis virtutibus claruit.*

* Hic desiderantur in Martyrologio duo dies. Vide Errata.

*Aniani, Eustolij *Menitoris

IV. Idus Romæ depositio S. Leonis Episcopi. in Antiochia natale Demetrij Episc.* Amnesi, Eustachij, & sociorum eius. Aurelianis depositio B.* Minitoris Episcopi.

III. Idus. Depositio B. Martini Turonẽsis Archiepis. & Confessoris, cuius vita, & doctrina per miracula quæ Dominus per cũ fecit, penè omnib. fidelib. claret, nec necesse est aliquid hic inde à nobis cõmemorari, quia ipsius vitã, virtutes, & signa Sulpicius Seuerus luculento sermone manifestè descripsit: nec non & Gregor. eiusdem vrbis Episc. in miraculorũ libris plenissimè disseruit. Eodẽ die passio celebratur Mennæ Martyris, qui militiã terrenã deserens, eò quod Dioclet. Imp. sæuitia Christianos cogeret Idola colere, & Deos falsos adorare, S. famulus Dei primũ in eremũ secessit, ac ibi Domino instanter seruiuit. Postea verò cũ gentiles natalẽ diẽ prædicti Imp. celebrarent, venit in ciuitatẽ, & increpauit superstitiosos cultores Idolorũ de vanitate sua. Per Bagasium Principẽ multis tormentis afflictus est, & eũ à Christi fide auertere voluit, & in errorẽ gentiliũ, atq; ad militiam terrenam reducere. Sed Christi Martyr penitus hoc contradixit. Tunc Pręses iussit eum primũ in stipite tensũ neruis taurinis cædere: ita vt sanguis è corpore eius fluens in circuitu terrã repleret. Postea iussit fieri spinas ferreas, & præcepit ligari ipsum S. Martyrẽ Mennã, & super easdem trahi. Tunc Præses iussit eum contra humeros diutissimè cædi. Deinde lampades ardentes mandauit supponi corpori eius: Allato autem igne & supposito ei per duas fermè horas nullũ verbũ ad Præsidẽ dixit, sed tantũ clamabat ad Dominũ dicens: *Christe Deus adiuua me*: nouissimè verò cum nullo modo eum Præses à Christo separare posset, iussit eum decollari. Sicq; feliciter S. Dei relinquens præsens sæculum ad cæleste regnũ transiuit.

* Asia *Aurelij & Publij. *Brittij.

II. Idus. In * Africa natale Sanctorum * Inauruli, Publi. in Cæsarea Cappadociæ natale SS. Germani, Theophili, Cæsarij, & S. Eusebij.

Idib. In Turonis ciuitate Galliæ depositio S. * Bricci Episcopi, & Confessoris, qui fuit successor S. Martini in Episcopatu.

* Clementini, Theodoti, Philomeni.

XVIII. Cal. Decemb. In Heraclea ciuitate Thraciæ natale S.* Clentini, & Theodotæ, Filomini, Eracli, Martialis, Donati & aliorum multorum Sanctorum.

XVII. Cal. In Africa natale SS. Secundi, Fidẽtiani, Varici, & Martialis.

*Eucherii.

XVI. Cal. In Capua natale Augustini & in Africa Vitalis, Ianuarij. Lugduno Galliæ depositio S. * Euceri Episcopi.

XV. Cal. S. Patris nostri Gregorij miraculorum factoris, & in Aurelianis ciuitate Galliæ depositio S. Aniani Episcopi, & Confessoris.

XIV.

XIV. Cal. Passio S. Romani Martyris qui sub Asclepiade Præfecto gloriam sacri Martyris adept' est. Nam prædictus Asclepiades cum vellet sanctum Romanum à fide Christi auertere, & in paganicum errorem redigere, validis tormentis illum afficiebat: Ipse autē in fide recta, & confessione vera permanebat. Adscitus etiam fuit in testimonium paruulus infans, vt ipse ostenderet in professione sua, vtrū Christus Dei filius, an falsi Dij adorandi essent: Ad hoc infans respondit, Christum Dei filium adorandum, non falsa numina Deorum. Iussit memoratus Præfectus ipsum infantulū valide tractari, sed tamen cum vincere non potuit, nec in errorē seducere, tunc Asclepiades iussit Romanum simul cum infante in carcerē miti & postera die in validū ignē proiicere, sed pluuia nimia à Deo missa illū extinxit. Ob hoc iratus Præses infantulū iussit iugulari. Romano vero linguā abscindere. Sed Dei gratia post linguę abscissionē laudes Deo incessanter cecinit, & in Christi confessione perseuerauit. Quod cum nuntiatū esset Maximino genero Diocletiani, iussit eum in carcerē mitti, & ibi per noctē strangulari. Sicq; sanctus Christi Martyr XVIII. die Nouembr. mensis ad cęlestia regna migrauit.

XIII. Cal. In Cæsarea Cappadociæ natale Maximi, Muciani, Neophyti, & aliorum XL.

XII. Cal. In Heraclea natale Bassi, Dionysij, & in Cappadocia Cæsareæ * Agapeti.

* Agapii,

XI. Cal. Natale Mauri Martyris, qui ab infantia Christianus fuit, orationibusque, & ieiuniis Christum Dñum deprecabatur, Eleemosynis viduis, & egenis frequenter impensis non minuebat. Cumq; hoc per omnes dies vitæ suæ perageret, nutu Dei Spiritus sanctus immisit in sensum eius, vt Monasteriū ingrederetur. Cum ergo nō multo tempore ibidē habitaret, ita cœpit ab vniuersis fratribus diligi, vt veluti patrē eum omnes venerarentur. Cumq; complesset annos octodecim agens vitam Monachorū, introiuit in sensum eius desideriū, vt S. Petri Apostoli sedē ad visitaret, & proficiscens Deo auxiliante Romam peruenit, & eū omnia didicisset mysteria, vel regulā Ecclesiæ, multo magis in vrbe Roma cœpit Christianis, & egenis consueta præbere solatia. Cum vero illic demoraretur annis tribus, eodē tempore, quo Imperiū obtinuit Numerianus impiissim', & cœpit per ciuitates vel prouincias suas præcepta * arguenter dirigere, vt si quis Christianus inuentus fuisset, & non Diis immolaret, diuersis suppliciis maceratus morti traderetur. Ipso namq; in tempore cum Præfecturā Romæ promeruisset Celerinus, & ipse Idolis deditus diu requisisset per oēs ciuitates vel loca, vt sic vbi Christiani reperirentur, diuersis generibus tormentorū affe-

* ita MS.

cti deficerent: Hic beatum Maurum multiplicibus tormentis afflixit, hoc est, iussit eum primum fustibus nodosis cædi: Deinde plumbatis maxillas eius contundi: postea in equuleo suspensum vngulis radi & lampades ardentes lateribus eius applicari: ad extremum vero caput eius amputari. Cuius corpus noctu nautæ Africani cognoscentes cum ex sua patria ortum rapuerunt, & voluentes eum lintea minibus mundis cum aromatibus posuerunt in sarcophagum scripserunt ad caput eius dicentes: *Dei, & Christi Iesu famulus Maurus *hunc sæculum pro Christi fide relinquens vitam æternam adquisiuit:* post a liquantos dies occulte eundem sarcophagum suam in nauem omnes nautæ vno animo leuauerunt. Quo facto peruenit ad præfecti Celerini noticiam, & iratus iussit omnes nautas comprehendere. Quo audito omnes fugerunt, & nullus eorum inuentus est. videns hæc Celerinus præfectus, consilio Diaboli armatus, iussit eandem nauim, in qua Martyris corpus erat, sarmentis impleri, & igne supposito in medio mari comburi, sed gubernante Dño Martyrē suū, vbi Christus voluit, ad portū salutis perduxit.

* hoc

X. Cal. S. Ceciliæ, quæ & sponsum suum Valerianum, & fratrem eius Tiburtium ad credendū Christo, ac martyriū perdocuit, & ipsa deinde martyrizauit, ignē quidem superans, sed ferro occisa sub Almachio vrbis Præfecto. Eadē die S. Mederasinæ Virginis. Ipso die natale Longini Martyris, qui militiam terrenam exercens, illo tempore, quo Dominus cruci affixus, adstans, iussus à Pontio Pilato præside, latus Domini lancea percutiens aperuit, & videns signa quæ fiebant propter Dominum Sole obscurato, & terra commota, credidit in Dominū nostrum Iesum Christum, & percutiens pectus suū voce magna dicebat: *Vere filius Dei est hic.* Et post hæc recedens à militia instruebatur Dñi præceptis à sanctis Apostolis, & venerabilia Christi mandata seruans, accepit signaculū fidei, totumq; se obtulit Dño, faciens Eleemosynas, & castitate corpus continens, puram custodiebat conscientiam, cælestē vitam gerens in terra. Hic cum esset Cęsareæ Cappadociæ, vixit habens quietam Monachorū vitam annis 28. & multos auertens ab iniquitate, illuminabat verbo veritatis: prohibens Idolorū sacrificia, seminans verbo Domini venerabilia præcepta. Igitur cum Octauianus Præses hoc audisset, iussit eum sibi exhiberi, volens auertere illum à Christi fide, & vera religione, multisq; eum tormentis ob hoc afflixit: nouissime vero capitalem sententiam illū iussit subire, ipseq; Præses postea orans iuxta corp' S. Martyris recepit visum, & sanitatē. quam propter scelera sua ante perdidit.

Matth. 27.

IX. Cal. Romæ S. Clementis Episcopi, qui iubente Traiano missus est

est in exilium trans Pontum mare, vbi multis ad fidem vocatis per miracula, & doctrinam eius, præcipitatus est in mare ligata ad collum anchora, sed recessit mare orantibus discipulis eius per tria millia, & inuenerunt corpus in arca saxea in templo marmoreo, & anchoram iuxta. Eodem die natale S. Felicitatis matris septem filiorum, Martyris, quæ iubente Antonino decollata est pro Christo. & in Monasterio Bobio depositio S. Columbani Abbatis. Natale S. Trudonis Confessoris.

VIII. Cal. Romę natale S. Chrysogoni qui sub Diocletiano martyrium compleuit. Scriptum in passione S. Anastasiæ. Ipso die natale sancti Crescentiani, qui erat cum Cæsario Diacono, & Largo, & Smaragdo in carcere sub persecutione Maximini filij Maximiani, & eductus iubente Carpasio Vicario de carcere suspensus est in equuleum, & fustibus cæsus, vnguibus rasus diutius. Deinde flammis circum latera eius appositis diu vstulatus, emisit Spiritum & ab Ioanne Presbytero sepultus est, in cœmiterio Priscillæ. Ipso tempore Maximinus interfecit sororem suam Artemiam, scriptum in gestis Marcelli Papæ.

VII. Cal. Natale S. Petri Episcopi Alexandriæ, qui cum esset omnibus adornatus virtutibus, in scripturis quoq; diuinis nulli priorum inferior, vere & Sacerdos, & hostia Dei, subito rapitur, atq; ex Maximini præcepto capite obtruncatur, cum quo simul, & alij plures ex Ægypto Episcopi trucidantur. Scriptum in historia Ecclesiastica libro IX. In Nicomedia passio beati Marculi Sacerdotis, & Martyris, qui temporibus Constantis Regis tyrannici per Macharianum, & Paulum persecutores maximos martyrium pro Christi nomine pertulit. Nam cum variis tormentis afflictus esset: tamen a professione rectæ fidei nullo modo auerti potuit: ad extremum vero per prædictum Macharianum in altissimam rupem adductus, inde pręcipitatus est, sed tamen Christo protegente corpus eius integrum inter asperrimos scopulos, atq; acutissimos seruatum est: Anima vero egressa de corporis ergastulo ad vitam migrauit æternam.

VI. Cal. Romæ depositio Sirici Episcopi, & Saturnini, & in Aquilea Valentini Episcopi, & in Capua Nicanoris, Cassiani, & Felicissimi. Augustoduno depositio S. Amatoris Episcopi.

V. Cal. In Nicomedia natale Marcelli, Petri, Numeri, Hierenæ, & Melosæ, & depositio Optati Episcopi. (& Iulij.

IV. Calend. In Syria Trophimi, Theodoli, Expicaci, Euceri, Eusebij * senn.

III. Cal. Romæ natale S. Saturnini, * Serij, & Sisinnij Diaconi sub Maximiano, à quo primo inter alios damnati ad fodiendam arenam

ad

ad faciendas thermas Diocletianas. Deinde in carcere diu sunt macerati, vbi multos gentiles docentes baptizabant; & denuo educti vincti catenis, ac nudis pedibus ante præfectũ vrbis Laodicium iussi sunt in eculeo leuari, & attrahi neruis, & fustibus, ac scorpionib' cædi, quibus etiam postmodũ flammas ad latera iussit apponi & depositos de equuleo capite truncari, quorum corpora cum Ioanne Presbytero colligens Thrason vir Christianissimus, qui de facultatibus suis Martyribus multa ministrauerat, sepeliuit in prædio suo via Salaria. His in medio certamine positis crediderunt duo milites Papias, & Maurus, qui mox comprehensi à Laodicio, & non multo post martyrio coronati sunt. Scriptum in gestis Marcelli Papæ. Eodem die in Galliis ciuitate * Mannetis, Saturnini Epscopi, & Martyris. Ipse vero Saturninus Martyr vt fertur, ab Apostolorum discipulis ordinatus in vrbẽ Tolosatium est directus, qui impulsu Paganorum bouis petulci religatus vestigiis per gradus Capitolij præcipitatus, præsentem finiuit vitam, capitis compage dispersa; cuius reliquiæ in pluribus locis miraculis claruerunt.

** Tolosæ,*

II. Cal. Natale S. Andreę Apostoli, qui interpretatur virilis, vel decorus, frater Petri. Hic prædicauit Scythiam, & Achaiam, ibiq; in ciuitate Patras cruci suspensus occubuit. Romæ Castuli, & * Eucrepitis, & in Mediolano Ambrosij Episcopi.

** Euprepitis,*

DECEMBER.

Calendis Decembr. Romæ natale Candidæ, * Viriboni, & aliorum XXX. & dedicatio Basilicæ S. Albani Martyris, atq; ordinatio beati Bonifacij Martyris.

** Lucii, Rogati, Cassiani,*

IV. Nonarum Romæ natale Primenti, Pontiani, Pimini, Dafrosæ, * Dimetri, Iubiani. In Mauritania * Veri, Securi, Ianuarij, Victorini.

** forte Demetrii,*

III. Nonas. In Oriente Metrobi, Claudici, & Felicis. In Nicomedia Ambici, * Victuri, & Iulij. In Africa Crispini, Maginę, Ioannis, Stephani, * Victoris. In Pannonia S. Agricolę, & in Tingi Cassiani Presbyteri.

** Seueri,*
** Victoris,*
** Claudii.*

II. Nonarum. Natale Barbaræ Martyris, quæ temporibus Imperat. * Maximiani passa est pro Christo. Nam Pater eius nomine Dioscorus diues valde, sed paganus, & colens Idola, ipsam filiam suam vnicam, eo quod nollet nubere, & Deos falsos colere, multis tormentis affligebat: nouissime vero præcepto Præsidis à suo patre decollata est: & completum est martyriũ eius in bona confessione cũ sancta Iuliana. Descendente vero patre eius à monte, descendit ignis de cœlo, & combussit eum ita, vt nec puluis eius inueniretur. Eodem die Heracli, Christiani, Pudentis. Monasterio Floriaco à partibus Romæ aduentus corporis sancti Benedicti Abbatis.

** Maximini*

Nonis.

Nonis. Natale Dalmatij Martyris: natale S.Crispini, Felicis. In Africa ciuitate * Tagora natale Iulij, Potamiæ & Grati, & aliorum

** Thagura.*

VII.

VIII.Idus. In Africa Zeloti, Fortunati, Gathi: Eodem die natale Nicolai Myrensis Ecclesiæ Metropolitani Episcopi, qui temporibus Constantini Augusti cum Pagani, & Hæretici tumultuarent, & Ecclesiam Dei erroribus suis vexarent, adueniens illuc, compescuit errorẽ, & mitigauit persecutionem. Erat enim quidam Præses ibi nomine Eustachius, qui per cupiditatem pecuniæ multos Christianorum læserat. Nam amplius quam * ducentos pondos argenti, accepturus idem Præses erat, vt eos perderet: postea vero per inuidiam Diaboli non modica facta est persecutio in ciuitate à Magistro militum, & à Præfecto Ablabio, qui Imperatori persuasit falsis accusationibus sanctos Dei in custodiam mitti; quod cum factum fuisset, hoc est, vt Nepotianus, Vrsus, & Eupoleon intus in carcerem includerentur, iussit eos Imperator pernoctantes gladio capite truncari. Ipsi autem viri Sancti hoc audientes, puluerem capiti suo sparserunt, & clamauerunt ad Dominum, vt eos adiuuaret, dicentes: *Domine Deus sancti Nicolai miserere nostri, & sicuti fecisti in tribus viris, qui in Lycia iniquè, aut iniustè iudicati sunt mori, & saluasti eos: sic & nos salua sancte Nicolaë serue Christi, & si longinquus à nobis es, propinquior nobis fiat tua deprecatio, atque postulatio; ad Dominatorem tuum Deum, & saluatorem Dominum nostrum Iesum Christum, intercede pro nobis, vt salui facti ab iniqua & mortifera tempestate, digni efficiamur venire, & adorare sanctißima vestigia tuæ sanctitatis.* Hæc & his similia dicente Nepotiano, tunc hi tres quasi ex vno ore sic vociferati sunt, orantes. Sanctus vero Nicolaus ipsa nocte præsens apparuit Imperatori, & dixit ei: *Constantine Imperator surge, & dimitte illos tres viros, quos habes in custodia carceris, Nepotianum, & Vrsum, & Eupoleonem Magistros militum, quia ex summißione criminati sunt. Quod si non obaudieris me, pugnam tibi excitabo in doratio, & carnes tuas, & interiora bestiis tradam voranda: postulationem faciens contra te coram cœlesti Rege Christo*: Et dixit Imperator: *Quis enim es tu, & quomodo ingressus es in meum palatium?* Et dixit sanctus Vir: *Ego sum Nicolaus peccator, Episcopus, qui in Lycia metropolin inhabito*; & hæc dicens abscessit, & iterum in ipsa nocte, & hora ambulauit, & apparuit * Ababl io Præfecto eadem dicendo: *Ababli lætus animo, & mente surge, & dimitte illos viros tres Magistros militum, quos habes innocentes in custodia carceris: Quod si nolueris eos dimittere; & non audieris me, postulationes aduersus te faciam coram immortali*

** ducenta pondo.*

** f. Ablabio.*

Rege Christo, & in infirmitatem cades, & vermiũ comestione finieris, & omnis domus tua male peribit. Et dixit ei Ababliius; *Tu autem quis es? & vnde huc veniens talia loqueris?* Sanctus vero Nicolaus dixit: *Ego sum Nicolaus peccator seruus Dei, qui est in Myra metropoli,* & hæc dicens simili modo discessit. Euigilans Imperator misit ad Abablium dicens: *Vade nuntia Abablio Præfecto & dic ei, quæ vidi, & quæ audiui.* & intimatis eis omnibus dimisit eum, similiter & Præfectus remisit eundem præcursorem eadem denuncians Imperatori, & mox præcepit Imper. præsentari tres viros Magistros militum sibi coram omni cœtu, & generalitate, seu Præfecto, conuenientibus illuc, cum interrogasset eos de omnibus, & cognouisset veritatem visionis, quod per sancti Nicolai preces innocentes custoditi sunt, dixit ad eos: *Hoc autem scitote, quod non ego donaui vobis istam vitam, sed quem vos inuocati estis sanctum Nicolaum, ad quem destinastis, tondete capillos capitis vestri, & mutate vestes vestras, & gratias referetis ei. Memores estote & mei.* Deditque eis vt ferant secum vasa sancta diuersa: Et quidem Euangelium totum aureum, & * cereola aurea duo, & patenam auream lapillatim preciosam ornatam, & misit eos Imperator, qui ambulantes in Lycia Myrensium metropoleos, adorauerunt sanctum Nicolaum, & totonderunt capillos capitis sui, & mutauerunt vestiméta sua. Et multum quidem cum lachrymis distribuebant pauperibus, de quibus habebant rebus, quæq; auri, & argenti, & vestimentorum: per multos autem annos faciebant hæc glorificantes, & laudantes Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, nunc, & semper in sæcula sæculorum Amen.

* *thuribula*

VII. Idus. In Antiochia natale Polycarpi, & Theodori. Eodem natale S. Sauini Episcopi, & Martyris, qui temporibus Maximiani Augusti pro nomine Christi passus est simul cum Marcello, & Exsuperantio diaconibus suis. Nam Venustianus quidam vir clarus in Tusciæ partibus, cum ipsum sanctum Episcopum non posset à fide Christi auertere, & ad Idolorum culturam perducere, iussit ei manus abscindere, eo quod statiunculam Iouis in terram proiiciens frangeret. Diaconos vero suos tormentis variis torquebat; hoc est, equuleo suspensos, vnguibus latera eorum iussit lacerari, & ignem sub poni, qui dum ibi spiritum exhalassent, iactari præcepit in fluuium corpora eorum, quæ per piscatores inde ablata sepulta sunt per quandam fœminam nobilẽ, nomine Serenã, de ciuitate Spoletana, cuius nepotem S. Sauinus dum esset in carcere positus benedicens illuminauit. Venustianus autem post aliquot dies diuino iudicio in oculis suis magnum dolorem sustinuit,

nuit, quem sui pueri ad memoratum Episcopum perduxerunt: ipse vero sanctus Dei docens eum abrenunciare Diabolo, conuertit ad fidem Christi, & baptizauit eum cum vxore, & filiis. Quod cum comperisset Maximianus Augustus, misit militem suum vt amputaret caput Venustiani, & vxoris eius, & filiorum. Sauinum ergo in ciuitate Spoletana sine auditione tam diu præcepit cædi, quousq; deficeret; qui cum diu cæderetur, emisit spiritum.

VI. Idus. In ciuitate Verona natale S. Zenonis Martyris, quando aquæ fluminis Athesis, vsq; ad superiores tecti fenestras Ecclesiæ illius excreuerunt, nec in eam intrare potuerunt. virtutem Martyris ostendentes: & depositio S. Eucharij Episcopi.

V. Id. In Africa natale Petri, Successi, * Turni, Publiciani, & aliorum XX.

* Bassiani, Primitiui.

IV. Idus. Natale S. Eulaliæ virginis in Barchilona ciuitate Hispaniæ sub Daciano Præside, quæ cum esset XIII. annorum post plurima tormenta decollata est, & reciso ab ea capite columba de corpore eius exire visa est. Eodem die sancti * Habundi, & Carpofoli Martyrum.

* Abundij & Carpophori.

III. Idus. Romæ Damasi Papæ & Confessoris, hic constituit, vt psalmi die, noctuq; canerentur in Ecclesia Christi. Eodem die Fusciani, * Victurici, & Gentiani martyrum.

* Victorici & Gratiani.

II. Idus. In Hispanis ciuitate Emerita, natale Eulaliæ virginis, & Hermogenis, * Donatæ & aliorum XXII.

* Donati.

Idibus. Natale S. Luciæ virginis de Syracusis, sub Paschasio Consulari, quam cum * Leones corrumpere iubente Paschasio vellēt, nullatenus eam mouere potuerunt, nec funib. additis, aut boum paribus plurimis; picem resineam, feruens oleum, nil læsa suscepit. Tandem gladio in viscera merso percussa, nec tamen mortua est, donec venientibus sacerdotibus communionem Dominici corporis, & sanguinis accepit. Passa est tempore Diocletiani, & Maximiani.

* f. Lenones.

XIX. Calend. Ianuar. In Antiochia natale Drusi, & sociorum eius Zosimi, & Theodori. Lugduno Galliæ sancti Viatoris Episcopi. Remis, Nicasij Episcopi, & * Sacrepi. Viennæ Lupicini Episcopi, Aspediæ, Theodoli.

* Eutropiæ.

XVIII. Calend. In Africa natale Faustini, Lucij, Candidi, Celiani, Marci, Maximi, Ianuarij, Fortunati.

XVII.Cal.Rauennæ Valentini,Naualis,Agricolæ,Concordij. A relato dedicatio Basilicæ & altaris S.Genesij Martyris.

XVI.Cal.Sancti Ignatij Episcopi,& Martyris, qui tertius Antiochiæ post Petrum Apostolum Episcopus, vndecimo Traiani anno ad bestias vinctus Romam missus est, reliquiæ ductæ corporis eius Antiochiæ iacent extra portam Dafniticam in cœmiterio Ecclesiæ.

XV.Cal.Laodicea ciuitate Theotimi,Basiliani.In Africa, Quinti,Simplicij,Pomponij,& Pauli.

XIV.Cal.In Nicomedia Zosimi,Cyriaci, Pauli, Secundi: natale sanctorum Anastasij,& * Siddimi Episcoporum. Antisiodoro Beati Gregorij Episcopi.

* Syndimij.

XIII.Calend.in Thracia ciuitate Gildo,Baiuli.Romæ Zephyrini Episcopi.In Oriente natale sanctæ Teclæ virginis,& S.Liberati.

XII.Cal.Thomæ Apostoli, qui interpretatur abyssus, & Didymus, hoc est Christi similis.Hic Parthis,& Medis prædicauit, & destinatus ad Orientalem plagam,ibique Euangelium prædicauit.Lancea enim ibi transfixus occubuit in Calamia Indiæ ciuitate:ibi sepultus est cum honore XII.Calend.Ianuarias.& in Tuscia Ioannis,& Festi.

XI.Calend.In Antiochia natale sancti Basilei,& Romæ via Lauicana inter duas lauros natale sanctorum XXX. Martyrum, qui omnes vno die coronati sunt.Romæ via Portuēsi depositio sancti Felicis Episcopi, & alibi passio Theodosiæ virginis, & Didymi Monachi.

X. Calend. Natale Gregorij Presbyteri, qui temporibus Diocletiani, & Maximiani Imperatorum in Spoletana Vrbe, sub Flacco & Tircano Iudicibus multa tormenta passus est, hoc est, primum fustibus nodosis cæsus: postea in craticula ignea vri iubetur: ibique terræmotu magno facto intra ciuitatem Spoletanam oppressæ sunt, plusquam trecentæ animæ paganorum. Deinde in carcerem missus, & lampadibus ardentibus in lateribus accensis, ad extremum verò in medio amphitheatro ab Aqualino spathario capite truncatus, sicq; ad æternam gloriam migrauit. Depositio Victoriæ Romæ sub Decio, quæ cum esset desponsata viro pagano Eugenio, & nec nubere vellet, nec sacrificare, post draconem pestiferum de illis locis expulsum, & post alia multa facta miracula, inter quæ virgines plurimas, quas ad seruiendum Domino in spelunca, qua prius draco habitauit, adgregauerat, percussa gladio in corde à carnifice Thaliaco comite rogatu sui Sponsi. Deposita est autem X.Calend.earundem. In Nicomedia

comedia natale Martyrum XXXV. & in alio loco Euaristi, Victoris, & aliorum 532.

IX. Calend. Ianuarij in Tripoli ciuitate S. Luciani, & natale Sanctorum Metrobij, Pauli, * Zenoti, Theutini, Timisti. In Antiochia Syriæ, natale sanctarum virginum XL. Canonicarum, & aliorum II. simul Drusi & Donati.

* Zenobij, Theotimi, & Drusi.

VIII. Cal. In Bethlehem natiuitas Domini nostri Iesu Christi secũdum carnẽ, & natale S. Anastasiæ, quæ tempore Diocletiani primò duram, & immitem custodiã à viro suo Publio perpessa. In qua tamen à Chrysogono Confess. Christi multũ consolata, & cõfortata est. Deinde à Præf. cto Illyrici in grauissima æquè, & diuturna custodia macerata est, in qua duob. mensib. refecta est cœlestib. escis per S. Theodoten, quæ prius martyrium passa est. Deinde naui imposita cum ducentis viris, & ducentis fœminis, vt demergerentur in mari, perlata est ad Insulas Palmarias, vbi per manus & pedes extensa, & ligata ad palos fixos, & circa media eius ignis accensus est. In quo martyrium consummauit, & omnes qui cum illa venerant, variis interfectionibus martyrium celebrârunt. Eodem die natale S. Eugeniæ virginis, quæ erat filia Philippi Præfecti Alexandriæ, & totius Ægypti ab Imper. illuc transmissi. Hæc ergo propter fidem Christi, & castitatis amorem spreuit secularem habitum, & delicias mundi: induta est veste virili, & pergens ad S. Helenum Episcopum, simul cum Proto, & Eugenio Eunuchis suis, per quem baptismate abluti, monasterium Monachorum ingressi sunt, sub virili habitu monasticè conuersantes, vbi defuncto Abbate S. Eugenia in locum Abbatis statuta est, vbi sancta conuersatione, & miraculis claruit. Nam Melantiam quandam fœminam à febre signo crucis saluans: sed Diabolo instigante ipsa Melantia eam ad concubitum suum pertrahere voluit, sed cum hoc non consensisset, accusauit eam, quasi Eugenius Monachus, & Abbas eam stuprare voluisset. Sed hæc omnia per Philippum præfectum falsa inuenta sunt, quia ipsa Eugenia sese fœminam esse demonstrauit, non virũ. Hoc etiam considerato Philippus pater eius, & Claudia mater, fratresque Eugeniæ Auctus, & Sergius conuersi sunt ad fidem Christi, & baptizati sunt. Postea vero S. Eugenia cum Proto, & Hiacyntho Romam perrexit, vbi & martyrizata est iussu Gallieni Imperat. per Nicetium Præfectum vrbis, qui cum eam cogeret Deæ Dianæ sacrificia exhibere, & illa nollet acquiescere: imò ipsum simulachrum in puluerem redegisset, iussit eam Præfectus saxo ad collum ligato in Tyberin

proiicere, sed inde Dei gratia liberata, postea in fornacem ardentem missa est, sed nullo modo ab igne est læsa. nouissimè verò in die natalis Domini, sicut Saluator ipse ei antè reuelauit, per spiculatorem in custodia posita interfecta est. Sicque ad cœleste regnum migrauit.

VII. Calend. In oppido Hierosolymitano Cosargamala passio S. Stephani primi Martyris, & Diaconi.

VI. Calend. Adsumptio S. Ioannis Euangelistæ apud Ephesum, & ordinatio Episcopatus S. Iacobi fratris Domini, qui ab Apostolis primus ex Iudęis Hierosolymis est Episcopus ordinatus, & medio Pascha martyrio coronatus.

V. Calend. In Bethlehem natale sanctorum Infantum lactantium, qui sub Herode passi sunt pro Christo.

IV. Calend. In Africa natale * Domici, Victuri, Crescentij, Primiani, Lybosi Episcopi, & Romæ, in cœmiterio Callisti Felicis, & Bonifacij Episcopi de ordinatione.*

* *Dominici, Victorū.*

* *Videtur aliquid deesse.*

III. Calend. Turonis depositio beati Perpetui Episcopi, qui sancti Martini Ecclesiam ædificauit.

II. Calend. Depositio sancti Syluestri Episcopi, & Confessoris, & passio S. Columbæ virginis, Senonis sub Aureliano Imperatore, quæ superato igne cæsa est.

FINIS.

Martyrologium NOTKERI, COGNOMENTO BALBVLI, Monachi S. Galli.

Nunc primùm

Ex Bibliotheca S. Galli publicatum.

LECTORI.

IN Codice, ex quo hoc Martyrologium vulgamus, hoc annotauit R.P. Iodocus Metzlerus, Monasterij S. Galli professus. Martyrologij huius auctorem fuisse Monachū S. Galli, manifestum est ex die natali S. Desiderij X. Calend. Iunij: ex die S. Columbæ Confessoris V. Idus Iunij. Ex Natali S. Galli, & ex festo dedicatæ Basilicæ in honorem S. Galli. Item ex Indiculo N. P. Isonis, quem habes in vetustißimo Codice rubro in fol. paruo & pergameno.

Quod verò Martyrologij huius Auctor sit Notkerus, æquè clarum fit ex alia quadam perantiqua scheda membranacea præfixa Martyrologio seu Calendario Adonis in magno Cod. Historiæ Scholasticæ, vbi veteris cuiusdam Patris manu descriptæ leguntur historiæ S. Desiderij, Verenæ &c. & quidem, vt ipsemet exscriptor testatur, ex Martyrologio Notkeri, quod aliud non est, quàm hoc nostrum, cum historiæ illæ ad verbum cum exemplari nostro consentiant. Cum autem duo fuerint apud nos Notkeri scriptis celebres, alter nimirum Balbulus, qui anno Domini 912. obijt: alter Physicus qui anno Salutis 1033. mortuus est. priorem illum fuisse huius operis parentem inde liquidum euadit, quod ipse superstes erat, quando Ado Episcopus Viennensis reliquias S. Desiderij Martyris ad Monasterium S. Galli transmisit. Factum est autem hoc anno Redemptoris DCCCLXX. Caret porrò Martyrologium hoc mense Nouembri & Decembri, & alicubi etiam aliquot diebus, nescio quo infortunio. Hæc Metzlerus.

IN

IN NOMINE DOMINI INCIPIT MARTYROLOGIVM PER ANNI circulum. S.P.N. Notkeri, cognomento Balbuli, Monachi S. Galli.

Mensis Ianuarij habet dies XXXI. Lun. verò XXIX.

Calendis Ianuariis.

OCtaua natiuitatis Dominicæ, qua die idē Dominus circumcisus est in carne, secundum legem Moysi, & nomen, vt Iesus vocaretur, accepit, quod vocatum est ab Angelo, antequam conciperetur in vtero. A Luc. 2.

Romæ natalis sancti Almachij Martyris, qui iubente Alipio vrbis Præfecto, cum diceret: *hodie octauæ Dominici diei sunt, cessate, à superstitionibus idolorum sacrificiisque pollutis*; à gladiatoribus hac de causa occisus est.

Item Romæ sanctæ Martinæ virginis & Martyris, quæ sub Alexandro Imperatore pro fide Christi multis tormentorum generibus cruciata, & ad extremum gladio est percussa: Quæ etiam ferocitatem leonis numine habitantis in se Spiritus sancti mitigauit, & simulachra orando destruxit, ac multos ad fidem Christi conuertit. Pro cuius vindicta Imperator impiam vitam se ipsum lacerando finiuit.

Eodem die apud Spoletum Tusciæ ciuitatem passio sancti Concordij Presbyteri Romani de titulo Pastoris, temporibus Antonini Imperatoris. Qui pro eo quod idolis sacrificare noluit, à Torquato Comite capitalem sentētiam accepit. Item Romæ via Appia Coronæ & militum triginta, qui sub Diocletiano Augusto pro confessione Christianæ fidei martyrio coronari meruerunt.

In Cæsarea metropoli Cappadociæ, depositio S. Basilij Episcopi, qui regulam fratrum & multa alia vtilia conscripsit, & super multa mirabilia quæ fecit, chirographum perditi hominis, quod diabolo fecit, orando recipere meruit, & diem mortis suæ propter conuersionem Ioseph Hebræi distulit, & conscriptionem cuiusdam nefandi sceleris etiam defunctus aboleuit.

In Africa natalis sancti Fulgentij Ecclesiæ Ruspensis Episcopi & Confessoris. Qui tempore VVandalicæ persecutionis, ob Catholicam fidem, & eximiam doctrinam, ab Arrianis multa perpessus, & diu apud Sardiniam exilio relegatus, tandem ad Ecclesiam suam redire permissus, & vita & verbo clarus sancto fine quieuit: Annum sui Episcopatus agens vigesimum quintum, vitæ autem totius sexagesimum quintum.

Apud Alexandriam sanctæ Euphrosynæ virginis, quæ orationibus patris sui Pafnutij de sterili matre progenita, in puerili ætate constituta, clam se tonderi fecit, & monasticam vitam expetiit, Smaragdi sibi nomen imponens. Post etiam in conclusione viginti octo annis in omni sanctitate perdurans, tacta ægrotationis incommodo, & mortem sibi adesse cognoscens, manifestauit se religioso, & lachrymis multotiens quærenti se iam patri. Cuius nomen & conuersatio sub interpretatione castissimæ apud Romanos celebris habetur.

Quarto Nonas Ianuarij.

B Octaua sancti Stephani.

Romæ Telesphori Papæ. Qui constituit vt septem hebdomadibus ante Pascha Ieiunium celebraretur, & in natiuitatis Domini nocte Missa frequẽtaretur, & hymnus angelicus, id est, *Gloria in excelsis Deo*, caneretur. Omni autem reliquo tempore, nullus ante horam tertiam, qua Dominus traditur crucifixus, Missam celebrare præsumeret. Hic etiã martyrio coronatus, sepultus est iuxta corpus S. Petri in Vaticano.

In Antiochia Macharij Abbatis. Et in Ponto ciuitate Tomis, trium fratrum, Argei, Narcissi, & Marcellini pueri. Item Tomis Phili Episcopi. Qui sub Licinio Cæsare inter Tyrones comprehensus, cum nollet militare, cæsus ad mortem, & diu in carcere maceratus, & in cippo missus, deinde in mare demersus, martyriũ consummauit. Cuius corpus ad littus delatum, & à religiosis viris depositum, magnis coruscat virtutibus.

Viennæ depositio B. Florentij Episcopi.

In territorio Lugdunensi, monasterio Iurensiũ S. Eugendi Abbatis: cuius vita virtutib. & miraculis plena refulsit.

III. Non. Ian.

Octaua sancti Ioannis Apostoli. C

Romæ Antheri Papæ & Martyris, qui vicesimus post B.Petrum, duodecim annis rexit Ecclesiã,& Martyrũ gesta diligenter exquisiuit. Passus est sub Maximiano,& in Cœmiterio Callisti sepultus, via Appia.

Apud Parisium S. Genoseuæ virginis, quæ à B.Germano Antisiodorensi Episcopo Christo dicata, admirandis virtutibus, & miraculis latè claruit, & vsq; octoginta annos in Christi seruitute consenuit.

II. Non. Ian.

Octaua Innocentium.

Apud Cretam natalis sancti Titi Apostolorum discipuli. D

In Africa sanctorũ Aquilini, Gemini,* Eugentij, Martiani, Quinti, Theodoti, Tryphonis, præclarissimorum Martyrum. * Eugenij.

Eodem die apud vrbem Romam sanctorum Martyrum, Prisci Presbyteri, & Priscilliani Clerici, atq; Benedictæ religiosæ fœminæ. Qui tempore Iuliani impiissimi Augusti gladio martyriũ peregerunt.

Item apud Romam beatæ Daphrosæ vxoris Fabiani martyris, quæ post damnationem beati viri sui, primum relegata exilio, deinde ab impio Iuliano iussa est capite puniri.

Eodem die natiuitas Theogenis Martyris, qui sub Licinio Cęsare per Licentiũ Tribunum passionẽ compleuit. In Hellesponto primũ inter quatuor columnas tensus, fustibus cæsus est, deinde in carcerem missus, vt ibi fame interiret. Sed Domini pietate inuisibili cibo ibidem per quadraginta dies pastus. In laudibus Dei assiduè manebat. Ad vltimũ verò in mare missus, martyrizauit. Quẽ Eutychus & Eustochius & Zoticus tollentes de littore maris, sepelierunt in foro Hellesponti.

Ipso die passio Petri agnomine Balsami, qui sub Maximiano Imperatore agente Seuero Præside suspensus, & vngulis laceratus, ad extremum verò gladio percussus est, & in Aulona ciuitate sepultus est.

Eodẽ die passio Luciani Presbyteri & Martyris: Qui missus à Roma prædicare verbũ Dei in Galliis, post multorum conuersionẽ ad Christũ in eisdẽ partib. sub Iuliano Imperatore capite plexus est. Ad cuius sepulchrum multa ostenduntur miracula, & sanitates plurimæ fiunt.

Nonis Ianuarii.

Vigilia Theophaniæ. E

Hierosolymæ depositio S. Simeonis Prophetæ, qui Dominũ Iesum Christũ Spiritus S. illustratione cognitum, de manib. parentum in vlnas suas accepit, & nõ solum de eo, sed & de matre eius futura mystico sermone prænuntiauit. Luc. 2.

Apud Antiochiam, depositio sancti Simeonis Monachi, admirandæ virtutis viri. Qui tertio decimo ætatis anno, huic sæculo abrenuntians monasterij claustra expetiit. Vbi mira abstinentia, vix septimo die cibum sibi indulgens: Psalterium intra quatuor menses didicit: Deinde nimia domandi corporis intentione, fune palmitio renes sibi constringens, duriter laniatus est. Inde in quodam puteo se recludens, sed ex eo à fratribus violenter ad monasterium reductus, clam fugiens eremum petiit. Vbi multo commoratus tempore, in columna editiori, sanctitate feruens, se conclusit. Vbi non modo extraneæ mulieri, sed nec propriæ matri, se videre permisit. Et vsque hodie Basilicam columnæ illius, fœminarum nulla ingreditur. Nam quædam mulier veste induta virili ingredi voluit, sed mox vt limen attigit, retrorsum mortua cecidit.

In Africa Felicis, Secundi, Honorij, Luciani, Candidi, Ianuarij, Telesphori, Iocundi, Anastasiæ.

VIII. Idus Ian.

F Epiphania Domini: quod interpretatur manifestatio. Apud Romanos autem eadem festiuitas Theophania nominatur, vt ex compositione nominis, quod Dei sit apparitio manifestetur. Quo videlicet die Magi iuxta Prophetiam Balaam, cuius successores erant, dicentis: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth, & erit Idumæa possessio eius.* Et iterum: *De Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis*, videlicet Ar, quæ nunc Areopolis dicitur. Ex visione incognitæ prius stellæ, in hora natiuitatis Domini in Oriente, id est, domi, Hierosolymam versus conspectæ: In eadem regia ciuitate ex Prophetia Michææ de loco natiuitatis Christi certius edocti, ducatu eiusdem stellæ in Bethlehem puerum Iesum cum Maria matre sua inuenientes, mysticis muneribus adoratum venerati sunt. Quod licet diuino instinctu credatur actitatum, vt gentes quæ in vicinio erant, natiuitatis Dominicæ ac propheticæ doctrinæ, iam tunc participes fierent, tamen historica ratione, & temporaria Christi dispensatione non caret, vt & Moabitarum Duces apud parentes suspecti sibi quondam Regis muneribus oblatis gratiam impetrarent, & eadem munera ad peregrinationem Ægyptiam prodessent. Neque enim iidem magi, aut Chaldæi, aut Indi, aut denique Persæ, iuxta quosdam fuerunt, & altero vel tertio natiuitatis Domini anno ad eum adorandum venerunt, sed aut Moabitæ

Num. 24.

Ibidem.

bitæ & Ammonitæ siue Madianitæ, sancto Ieronymo id ipsum astipulante, & tertio decimo natiuitatis eius die, non in Ierusalem sublimem sicut putauerunt, sed in Bethlehem humilem studio deuotionis inuenire, & spirituali remuneratione donari meruerunt.

Eodem die passio sanctæ Macræ virginis, quam cum * Ricouarus Præses torqueri, & in ignem præcipitari iussisset, illæsa permansit. Deinde mamillis abscissis, & squalore carceris afflicta, super testas acutissimas, & prunas volutata orans migrauit ad Dominum.

*Rictiouarus.

In Africa Flori, Iocundi, Petri, Marci, Acutij, Ianuariæ.

In Syria sanctæ Anastasiæ.

* Medonis natiuitas & ordinatio Episcopatus, ac transitus sancti * Melani Episcopi & Confessoris. Cuius corpori superposita in mediis ignibus illæsa reperta est Palla.

*Rhedonis.
*Melanij.

VII. Id. Ianuarij. G

Relatio pueri Iesu ex Ægypto. Et natiuitas sancti Luciani Antiochenæ Ecclesiæ Presbyteri & Martyris, viri doctissimi atq; eloquentissimi, qui Nicomediæ ob Confessionem Christi passus, & in quatuor partes dissectus est; Quibus in singulis lapidibus ligatis, & in mare demersis: Alia die Helenopoli Bithyniæ integrum corpus cum ipsis lapidibus inuentum honorifice sepultum est. Quam vrbem cum prius Drepana vocaretur, in honorem eiusdem Martyris Constantinus Imperator instaurans, ex nomine matris suæ Helenopolim nuncupauit.

Item apud Antiochiam B. Cleri Diaconi, qui ob confessionem Christi septies tortus, & in carcere diu maceratus, ad vltimum decollatus martyrium consumauit.

Passio sanctæ Faustæ virginis, sub Maximiano Imperatore, quæ Euilasium primum palatij, tortorem suum, patientiæ suæ virtute conuertit ad fidem, nec non & Præfectum cui iussum est eam torquere. Primum ergo suspensa & ferramentis lacerata, postea bestiis tradita sed à nulla earum contaminata est. Deinde clauis caput eius confixum est. Postea in sartaginem pice feruentem missa, sed non est læsa, sicque cum Euilasio & Præfecto in tormentis constituta, reddidit spiritum: Populi vero Christiani hæc audientes, sepelierunt corpora sanctorum.

VI. Id. Ianuar. A

In Græcia * Poliecti, & Palladij.

*Polyeucti.

Neapoli Campaniæ natiuitas S. Seuerini Episcopi & Confessoris, fratris beatissimi Victorini clarissimi in miraculis viri. Qui & ipse fratris * imperator, post multarum virtutum perpetrationem, sanctitate plenus quieuit. Sepultus in eo loco vbi priusquam ad Episcopatū vocaretur, abstinentissimus fuerat conuersatus.

* imitator.

In Græcia Rustici, Timothei, & Iocundi.

* Melloacia sancti Luciani, socij beati Dionysij. Item Messiani.

* Bellonaci.

Metis, Patientis Episcopi.

B *V. Id. Ianuar.*

In Mauritania ciuitate Cæsariensi, passio S. Martianæ virginis & Martyris.

Eodem die apud Antiochiam S. Iuliani Martyris, & Basilissæ virginis: Qui locupletissimorum cura parentum, pro eo quod erant vnici, renitentes & inuiti specie tenus in coniugio copulati, sed sanctissimo voto per aliquot annos pariter in virginitate manentes, monasteria de rebus suis in Antiochiæ municipiis instituerunt, ita multa & frequentia, vt Iulianus ad decem millia monachorum pater: Basilissa vero multarum virginum mater existeret. Quas ante se ad regnum cælorum præmittens, & ipsa subsequitur. Iulianus vero postmodum à Martiano Præside perquiritur. Quo tempore rabies crudelissima, ad persequendum sanctos Dei sub Diocletiani & Maximiano exardescens, multitudinem sacerdotum & ministrorum Ecclesiæ Christi propter immanitatem persecutionis ad eum confugere coēgit. Comprehensus itaque cum hac ingenti multitudine, ipse Præsidis audientiæ est reseruatus, cæteri serui Dei iussu crudelissimi ducis accenso igne, eisq; apposito, in quo consistebant loco, consumpti sunt. Vbi ad * commodādam pretiosam mortem sanctorum, tertia, sexta, nona, sed & vespertina hora, psallentium Deo chori feruntur auditi. Beatus autem Iulianus primum auditus rigidissimis fustibus cæsus est. Cumq; cæderetur, vnus ministrorum Præsidi necessarius, oculum amisit: Quem B. Iuliano orante illico recepit, & Christo credens, statim ab insano iudice decollatur. Inde B. Iuliano ducto ad fanum dæmonum, ad quingēta simulachra comminuta, atq; in puluerem sunt redacta: Qui * pro hoc in profundissimum & obscurissimum carcerem, cum Celso puero Præsidis filio clauderetur, sed odore suauissimo & lumine mirifico donaretur, septem fratres & viginti milites, qui ad eos visitandi gratia venerunt, priores igni traditi, posteriores sunt gladio trucidati. Porro Iulianus

* commendandam.

* cum pro hoc.

lianus cum Celso puero, & Antonio Presbytero, atque Anastasio diuersis pœnis afflicti, & ipsi cum Marcionilla matrona à militibus sunt interempti, *IV. Id. Ianuar.* C

Natiuitas B. Nicanoris, * vnus de primis septem Diaconis apud Cyprum gloriose coronati, ibique venerabiliter sepulti. * *vnius*

Apud Thebaidem natiuitas sancti Pauli primi eremitæ: Qui à *16.* ætatis suæ anno vsque ad *93.* solus in eremo permansit. Cuius animam inter Apostolorum & Prophetarum choros ad cœlum ferri ab Angelis Antonius vidit. Romæ Melchiadis Episcopi: qui constituit in Ecclesia à fidel bus nulla ratione in diebus Dominicis ieiunandum. * Igini Papæ, qui constituit Clerum, & gradus Ecclesiasticos distribuit. * *Hygini.*

III. Id. Ianuar. D

Eductio Domini de Ægypto, quæ secundum alios VII. Id. Ian. secundum quosdam Non. Ian. propter multorum dierum profectionẽ celebratur. Apud Alexandriam SS. Confessorum, Petri, Seueri, Leuci.

In Africa natiuitas S. Saluij Martyris, in cuius natali S. Augustinus verbum fecit ad populum Carthagini.

Pridie Idus Ianuar. E

In Achaia Cyriaci. In Ægypto Philoromi. In Arabia Saturi: Qui transiens ante templum cuiusdam Idoli, cum exsufflasset illud, signans sibi frontem, statim corruit: Quam ob causam à iudice loci decollatus est. Eodem die natiuitas S. Arcadij Martyris, genere & miraculis clari.

Idibus Ianuarij. F

Octaua Theophaniæ. Romæ via * Lauinaca, Secundinæ, Coronæ, & militum quadraginta sub Gallieno Imperatore. Pictauis, depositio S. Hilarij Episcopi & Confessoris: Qui sub Constantio Augusto hæretico ob Catholicam fidem quadriennio apud Phrygiam exilio relegatus est. De quo inter alias virtutes refertur, quod orando mortuum suscitauerit. *XIX. Cal. Febr.* * *Lauicana.*

G

In Antiochia Glycerij Diaconi, de antiquis, multa * tormenti passi, & in mare demersi. * *tormenta.*

In Campania Nola ciuitate Felicis Presbyteri: cuius Episcopus Maximus cum persecutione territus fugisset in eremum, beatus Felix captus & vinculis astrictus, aute Præsidem est adductus & fustibus cæsus. Deinde in equuleo tortus, & in carcere vinculatus, & cocleis ac testulis superpositus: nocte ab Angelo Domini confractis catenis, & scissa trabe qua pedes eius astringebantur, Sacerdotem suum requirere iubebatur, Quem cum senio prægrauatum, fame

fame consumptum, gelu constrictum, clausis oculis strictisque dentibus semiuiuum vixque spirantem ægrè tandem aliquando reperisset & nō haberet, quid defecto seni porrigeret: Ecce subito de sentibus vuam dependere miratus, in os confessoris expressit, & refocillatū, atq; humeris impositum ad ciuitatem perduxit, ac sub tugurio cuiusdam viduæ clanculo pauit. Deinde captus & in exilium trusus, cū multos ibidem per signorum ostensionem conuerteret: Post inde regressus, cum iterum ad tormenta quæreretur, sed diuina prouidentia occultatus, apud Nolam multis virtutibus illustrissimus emineret, adeo vt cūctus populus eum sibi pontificem postularent: Non consensit, sed alio pro se ordinato, ipse nihilominus per duodecim annos Dei seruitio insistens, Dominica die mysteriis cōfectis migrauit ad Christum. Sepultusq; est non longe ab vrbe Nola, in loco qui dicitur Pincis.

In Spoletana ciuitate natiuitas Pontiani Martyris: Qui passus est temporibus Antonini Imperatoris, sub Fabiano Iudice. Qui cum nollet Idolis sacrificare, iussit eum virgis cædi crudelissimè. Deinde nudis pedibus super carbones ardentes ambulare, postea duos ei leones immitti, à quibus cum nocitus non fuisset, liquefacto plumbo perfusus est: cumq; nec in hoc læderetur, capite truncatus est.

A

XVIII. Cal. Febr.

In Palæstina depositio Abacuc prophetæ: Cuius reliquiæ simul cum ossibus Micheæ Prophetæ temporibus Arcadij & Honorij Augustorum domino reuelante repertæ sunt. Item Macharij Abbatis, discipuli S. Antonij. Item B. Isidori, sanctitate vitæ, fide ac miraculis præclari.

B

XVII Cal. Febr.

Romæ via salaria in cœmiterio Priscillæ, natiuitas S. Marcelli Papæ. Hic fecit cœmiteria via salaria, & viginti quinq; titulos in vrbe Roma constituit propter baptismum & pœnitentiam multorum, qui cōuertebantur ex Paganis, & propter sepulturas martyrum. Qui iubente Maximiano Imperatore primo fustibus cæsus, & à facie eius quem corripiebat expulsus est. Deinde audiens quod domum S. Lucinæ, quam ipse proscriptione damnauerat, eo quod de facultatibus suis Christianis donauerit Ecclesiam faceret, atq; in ea missas celebraret, in media ciuitate iussit in eadem Ecclesia plancas sterni, ad animalia * extabuli publici, & eundem Episcopum ad seruitium animalium deputauit, cū custodia publica. Vbi etiam post multos annos seruiendo, indutus amictu

* catabuli.

mictu cilicino, defunctus est, & conditus aromatibus à Ioanne Presbytero & B. Lucina, sepultus est in cœmiterio Priscillæ.

Arelate S. Honorati Episcopi & Confessoris, cuius inter cætera miracula fertur, quod draconem de Hilarina Insula orando fugauerit, & ibidem monasterium fundauerit.

In pago verò Mandensi in Perona monasterio S. Fursei Hiberniensis. Qui de hoc sæculo raptus multa mirabilia conspexit, & reuersus mortalibus admiranda narrauit: ac postmodum in austera districtione demigrauit.

XVI. Cal. Febr.

C

In Ægypto apud Thebaidem depositio B. Antonij monachi, qui sine vlla scientia literarum, scripturas diuinas, & memoriter audiendo tenuisse, & prudenter cogitando intellexisse, & inimitabitem vitam, ac miraculis claram, à pueritia vsq; ad decrepitam senectutem duxisse, & multos sanctitatis suæ discipulos reliquisse, toto orbe Christiano prædicatur Obiit autem in pace sub Imperatore Constantino, anno ætatis suæ CV. & sepultus in eremo à suis discipulis, sicut ipse viuens præceperat, occultatus est. Cuius corpus sub Iustiniano Imperatore diuina reuelatione repertum, Alexandriam delatum est, & in Ecclesia B. Ioannis Baptistæ humatum.

Lingonis natiuitas sanctorum geminorum Speusippi, *Elasippi, & Melasippi: Qui cum essent 25. annorum, cum auia sua Leonilla, & Ionilla & Neone martyrio coronati sunt, tempore Aureliani Imperatoris. Gemini quidem in vna arbore suspensi ligatis manibus, sursum, pedibus vero * lusum, ita extenti vt pene putarentur ab ipsa membrorum compage separari. Et post in ignem præcipitati, nec tamen flãmis læsi: inter verba orationum simul migrauerunt ad dominum. Ionilla hæc videns confessa est se etiam Christianam, & comprehensa à turbis, à capillis suspensa, ac multis afflicta suppliciis, cum Christum negare noluisset, cum Leonilla est simul gladio perempta. Neon exceptor gestorum & ipse Christi nomen cõfessus martyrio coronatus est. Docuit autem & baptisauit geminos hos Benignus Presbyter, quem misit ab Oriente B. Polycarpus *Myrneorum Episcopus, Ioannis Apostoli auditor in Galliam cum Andochio compresbytero & Thyrso Diacono. Sepulti sunt autem iidem gemini in secundo miliario ab vrbe Lingonensi. Turbon quoque scribens victorias confitentium dominum, non post multum temporis martyrium perpessus est.

* *Eleusippi & Meleusippi.*

* *deorsum.*

* *Smyrneorũ*

D *XV. Cal. Febr.*

Cathedra S. Petri Apostoli, qua primũ Romæ sedit: Cum enim idem Princeps Apostolorũ Hierosolymis & in Cæsarea, atq; in cæteris ciuitatibus Iudæorum primum prædicasset Euangelium, ad prædicandum postea gentibus missus, venit Antiochiam, ibiq; fundans Ecclesiã præfuit eidem annis * ..... Inde quoq; pergens Romam venit, secundo Claudij Cæsaris anno, ibique Euangelium instantissime prædicans viginti & quinq; annis eiusdem vrbis Episcopatum rexit.

* *septem. Baronium.*

Item Romæ natiuitas S. Priscæ virginis & Martyris.

In Ponto natiuitas SS. Martyrum, Moysei & Ammonij: qui cum essent milites, primo ad metalla deputati, nouissimè verò igni deputati sunt.

E *XIV. Cal. Febr.*

Hierosolymis natiuitas sanctarum Marthæ & Mariæ sororum Lazari.

In Smyrna Sancti Germanici Martyris, ad bestias damnati.

In Africa Pauli, Quinti, & plurimorum Martyrum. Carthagine, Picariæ, Piæ, & aliorum triginta octo.

F *XIII. Cal. Febr.*

Romæ Fabiani Papæ, qui cum viginti quinq; annis Ecclesiæ præesset, passus est tempore Decij & in cœmiterio Callisti sepultus. Hic regiones diuisit diaconibus, & fecit vt septem Diacones totidem notariis imminerent, vt gesta Martyrum in integrum colligerent, & multas fabricas per cœmiteria fieri præcepit. In cuius electione fertur Spiritus sanctus in columbæ specie plurimis apparuisse. Item Romæ eodẽ die natiuitas S. Sebastiani Martyris, qui in tantum carus erat Imperatorib. Diocletiano & Maximiano, vt principatum ei primæ cohortis traderent. Quem Diocletianus, vbi Christianum cognouit, nec à fide posse reuocari, iussit ligari in medio campo, quasi signum ad sagittam, & sagitari à militibus. Qui cum sagittis plenus, quasi hericius staret, putantes eum mortuum, abierunt. Nocte autem veniens quædam mulier, nomine Hirene, tollere corpus, inuenit eum viuentem, & adduxit eum in domum suam, & curam eius egit. Qui vbi conualuit, multos in fide confortauit. Nec mora ipsis Imperatoribus apparens, eos pro vt digni erant corripuit. Tunc iussit eum Diocletianus in Hippodromum palatij duci, & fustigari vsq; deficeret: Quem mortuum in cloacam maximam miserunt. Sed ille apparuit in somniis S. matronæ Lucinæ dicens: Iuxta circum inuenies corpus meũ, pendens in vnco, & dum leuaueris

naueris perduces ad Catacumbas, & sepelias me in crypta iuxta vestigia Apostolorum. * Qui ipsa nocte cum seruis veniens totum ita compleuit. *Quæ.

Eodem die Romæ SS. Martyrum * Marini & Marthæ cum filiis suis Audifax & * Ambacuc nobilium de Perside: Qui ad orationem venerant Romam tempore Claudij principis. E quibus post toleratos fustes, equuleum, ignes, vngues, manuum præcisionem, Martha in nympha necata, cæteri decollati. *Marij. *Abachum.

XII. Cal. Febr. G

Athenis Publij Episcopi, qui cum Paulo Apostolo in Insulam naufragio eiecto, post patris sui à febribus & dissenteria curationē, non modicam humanitatem præstitisset, per eius prædicationem ad Christum conuersus, in tantum gratia Dei profecit, vt ab ipso Apostolo Atheniensibus ordinatus Episcopus martyrio sit coronatus.

Romæ S. Agnetis, quæ sub præfecto vrbis Symphronio pro eo quod Christi & virginitatis amore filium eius maritum accipere noluisset, ad lupanar illusionis gratia perducta, ac denudata, primū capillis suis contecta, deinde cœlesti veste donata, ipsum præfecti filium se impudentius appetentē & ob hoc à diabolo præfocatum, orationis virtute suscitauit. Post hæc ignibus iniecta, sed eis merito sanctitatis eius extinctis, gladio percussa est. Quæ postea à parentibus suis inter multitudinem virginum auro textis cycladibus indutarum apparens, gloriam Dei, qua fruebatur in cœlis, aperta voce prædicabat in terris. In Hispaniis ciuitate Tarracone; natiuitas SS. Fructuosi Episcopi, Augurij & Eulogij Diaconorum. Qui tempore Gallieni Imperatoris sub Æmiliano Præside, primo in carcerem trusi, deinde flammis iniecti, exustis vinculis, manibus in modum crucis expansis orantes vt vrerentur, obtinuerunt. Ex mox quidam è fratribus & filia præsidis quæ astabat, viderunt sanctorum animas ad cœlum ascendere coronatas.

XI. Cal. Febr. A

Apud Trecas passio S. Patrocli Martyris.

In Hispaniis natiuitas sancti Vincentij Diaconi & Martyris: qui cum S. Valerio Episcopo suo à Cæsarea Augustana ciuitate Valentiam vsque grauibus nexus catenis, iubente Datiano perductus est: ibique fame & squalore carceris diu maceratus, tormentis equulei, & vngularum horrenda laceratione vexatus, etiā grabatto ferreo diutissime vstulat*, aruinæ gutis, & crepitātesale rēspersus est. Post hæc in teterrimū

carcerem trusus, diuaricatis in neruo cruribus, super acutissima testarū fragmenta proiectus est. Vbi nocte lux ingens apparuit, & virtute Dei solutus Martyr inter angelos, à quibus visitari meruit hymnum canebat, ita vt ipse custos carceris crederet Christo. Mane autem facto, cum misisset eum Datianus, & iussisset in lecto mollissimo reclinari vt aliquantulum recreatus, acrius denuo torqueretur, infatigabilem spiritū Christo reddidit. Tunc Datianus corpus eius in campū proiici & feris atq; auibus iussit exponi. Sed mox coruus diuinitus ad custodiam eius datus, non solum aues alias arcebat, sed & immanem lupum à sancto corpore reppulit. Quod cum Datiano nuntiatum esset, iussit eum insutum culeo in profundū maris cum grauissimo saxi pondere demergi. Sed prius virtute Dei super vndas innatans ad littus delatus, & arenis conditus est, quam remiges portum tangere potuissent. Inde cum se sanctus martyr cuidam fideli anui reuelasset, persecutionis rabie cessante, à Christianis reuerenter sublatus, & in Ecclesia tumulatus est.

Natiuitas S. Anastasij monachi & Martyris de Perside: Qui post plurima tormenta carceris, verberum, & vinculorum, quæ in Cæsaræa Palæstinæ perpessus fuerat à Persis, postremo in Perside multa pœna afflictus, atque advltimum decollatus est à rege eorum Chosdroë cum aliis septuaginta. Reliquiæ corporis eius primo Hierosolymis ad monasterium, deinde Romam delatæ venerantur in monasterio B. Apostoli Pauli, quod dicitur ad Aquas Saluias.

Ipso die in Galliis ciuitate Ebreduno sanctorum martyrum Vincentij, Orontij, & Victoris.

B *X. Cal. Febr.*

Natiuitas S. Parmenæ Diaconi de septem primis: Qui traditus gratiæ Dei à fratribus, iniunctum officium prædicationis plena fide consumauit, & martyrij palmam adeptus Philippis quieuit.

Romæ Emerentianæ virginis Christi & martyris, quæ erat collactanea S. Agnetis, & dum oraret ad sepulchrum eius, ac simul orātes à gentilium læsione defenderet, lapidata est ab eis. In Mauritania ciuitate Neocæsaræa natiuitas S. Seueriani & Aquilæ vxoris eius ignibus combustorum.

C *IX. Cal. Febr.*

Natiuitas sancti Timothei discipuli B. Pauli Apostoli: Qui apud Ephesum

Ephesum à beato Apostolo Episcopus ordinatus, post multos pro Christo agones dormiuit. Cuius corpus cum reliquiis beati Andreæ & Lucæ vicesimo anno Constantinopolim translatum est.

Apud Antiochiam sancti Babylæ Episcopi cum tribus paruulis: Qui sub * ...... posteaquam frequenter passionibus suis & cruciatibus glorificauerat dominum, gloriosæ vitæ finem est sortitus in vinculis. Et non longè à Castalio fonte sepultus. Apollinem in ipso celeberrimo oraculorum suorum loco damnauit silentio.

* Decio. Baronius.

In Neocæsarea ciuitate natiuitas sanctorum Martyrum Mardonij, Musonij, Eugenij, Metelli, qui omnes igni traditi sunt, & reliquiæ eorum in Axum fluuium dispersæ.

VIII. Cal. Febr.

Romæ translatio S. Pauli Apostoli, & conuersio eius apud Damascum, & ibidem natiuitas S. Ananiæ, qui eundem Paulum baptisauit. D

Alibi natiuitas S. Proiecti Martyris. Constantinopoli Gregorij Theologi.

Apud Gabalen ciuitatem S. Seueriani Episcopi, admirandæ sanctitatis & doctrinæ viri.

VII. Cal. Febr.

Natiuitas sancti Polycarpi, qui beati Ioannis Apostoli discipulus, E & ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit. Postea verò regnante Marco Antonino, & Lucio Aurelio Commodo, quarta post Neronem persecutione, Smyrnæ sedente Proconsule, & vniuerso populo in amphitheatro aduersus eum conclamante, igni traditus est. Sed flamma in modum cameræ curuata specie, quasi veli nauis vento sinuati, supra corpus martyris stetit. Quod corpus in medio positum, non erat vt caro ardens, sed tanquam si aurum aut argentum in fornace candesceret. Tum præterea odorem naribus suis circumstantes hauserunt, tanquam thuris incensi, vel pretiosissimi flagrantis vnguenti. Ad vltimum videntes sceleris ministri, corpus igne non posse consumi, iusserunt propius accedere confectores, & corpus cui ignis cesserat, mucrone transfodere. Quo facto tam largus profusus est sanguis, vt restringueret rogum. Cum quo & alij duodecim ex Philadelphia venientes, apud præfatam vrbem martyrio consumati sunt. Tunc etiam Germanicus athleta Christi insignis, ad bestias damnatus, & vltro ad deuorationem sui prouocans, veloci morte coronam adeptus est vitæ æternæ.

Eodem die sanctorum Martyrum, Theogenis cum aliis triginta sex.

Item apud Biturigas beati Sulpitij Episcopi & Confessoris.

VI. Cal. Febr.

F In Africa natiuitas S. Iuliani, Vincentiæ & aliorum triginta duorũ.

Natiuitas S. Ioannis Episcopi Constantinopolitani, qui pro mira & pretiosissima doctrina Chrysostomus appellatur: Quod latinè interpretatur: Oris aurei, vel os aureum habens. Qui per multos agones vitam promeruit sempiternam.

Item Marij Abbatis monasterij Badocensis, vita & virtutibus clari.

*Eustochij. In Bethlehem Iudæ dormitio beatæ Paulæ, matris *Eustochiæ virginis Christi. Quæ cum esset ex nobilissimo genere Senatorum Romæ, abrenuntians sæculo, & opibus suis in pauperes erogatis, Christi cõsecutá est paupertatem, & apud præfatum oppidum, Dominica natiuitate gloriosum, monasterij virginalis extitit mater. Cuius vitam virtutibus admirandam, S. Hieronymus scribens, testatur eam longè coronatam esse martyrio. Eiusdemq; petitionibus annuens, confecit plurima opuscula.

V. Cal. Febr.

G Octaua S. Agnæ, vel iuxta quosdam natalis *Genuinus.

*geminus. In ciuitate Apollonia, Leucij, Thyrsi, Gallinici, Martyrum. Qui temporibus Imperatoris Decij sub Præsidibus Cymbricio, Syluano, & Baudo, diuersis tormentorum generibus excruciati, primus & vltimus abscissione capitis, medius cœlesti voce euocatus spiritum reddens, martyria consumauerunt in Græcia.

Eodem die apud Alexandriam beati Cyrilli Episcopi, qui Catholicæ fidei præclarissimus extitit propugnator.

*Rhemensi, *Ioannis. In monasterio *Reomanensi, *Hicanis Presbyteri viri Dei.

IV. Cal. Feb.

A Romæ natiuitas Papiæ & Mauri militum tempore Diocletiani: Qui constantiam videntes Saturnini & Sisinnij Martyrum, conuersi sunt ad fidem. Statimque iussum est à Laodicio Præfecto vrbis, vt os eorum, quo Christum confitebantur, lapidibus contunderetur, & *retunderentur in carcerem, vbi erant baptisati, ab Marcello Papa. Quos post dies duodecim eductos, iussit sterni in viam & fustibus cædi. Deinde leuatos de terra plumbatis cædi, donec expirarent. Quorum corpora colligens noctu Ioannes Presbyter sepeliuit via Nomẽtana,

*retruderentur.

tana, ad nymphas beati Petri, vbi baptiſabat. Scriptum in geſtis beati Papæ Marcelli.

Eodem die Treuiris depoſitio beati Valerij Epiſcopi, diſcipuli S. Petri Apoſtoli.

III. Cal. Febr.

Apud Antiochiam paſſio S. Hippolyti, qui* nouato ſchiſmate aliquantulum deceptus, operante gratia Chriſti correctus, ad charitatem Eccleſiæ rediit. Pro qua & in qua poſtea illuſtre martyrium conſumauit. B

*Nouati.

Ieroſolymis depoſitio beatiſſimi Matthiæ Epiſcopi, de quo mira & plena fide geſta narrantur: Qui octauus poſt Iacobum rexit Eccleſiam, & multa pro Chriſto perpeſſus, vltimò in pace vitam finiuit.

Item beati Alexandri; hic Deciana perſecutione pro confeſſione fidei iudiciis ſiſtitur, & vinculis carceris traditur. Quique cum longæuæ ætatis veneranda canicie præfulgeret, poſtquam frequenter paſſionibus ſuis & cruciatibus glorificauerat Dominum, de vinculis ad tribunalia, & à tribunalibus reuocaretur ad vincula, inter ipſa viciſſim ſibi ſuccedentia tormenta, bono fine quieuit.

Item in Malbodio monaſterio natiuitas Adelgundæ virginis: Quæ temporibus Dagoberti Regis Francorum ex nobili genere progenita, virginitatis propoſitum elegit, & in quo permanſit. Sæpiuſque illi Angelica viſio reuelata fuit, exhortans eam vt in propoſito permaneret. Nouiſſimè verò cum magna claritate cœleſtis luminis ad vitam migrauit æternam.

Pridie Cal. Feb.

Apud Alexandriam natiuitas S. Metrani Martyris: Quem pagani correptum iubent impia verba proferre. Quod illo recuſante, omne corpus eius fuſtibus colliſerunt. Vultumque & oculos acutis calamis terebrantes extra vrbem cum cruciatibus expulerunt. Ibique quod in eo ſupererat ſpiritus, lapidibus eiecerunt. C

Item Alexandriæ, Tarſitij, Zotici & Ammonij.

In Africa Victoris, Publij, Saturnini & Polycarpi: Item Thyrſi, Gelaſij, & Gallinici.

Eodem die apud * Trientinam vrbem beati Vigilij Epiſcopi & Martyris.

*Tridentinā.

Menſis

Menſis Februarius habet dies XXVIII. Lun.XXIX.In anno vero biſſextili XXX.

Cal. Feb.

D Apud Antiochiam S. Ignatij Epiſcopi & Martyris.

In Græcia Polycarpi Epiſcopi.

Rauennæ S.Seueri Epiſcopi.

Apud Smyrnã natiuitas S. Pionij Martyris, qui perſecutione * Antonij Veri, poſt inſuperabilem reſponſionum conſtantiam, & ſqualorem carceris, vbi multos fratrum ad martyrium ſuis exhortationibus roborauit: ad vltimum cruciatibus multis vexatus, clauis confixus, & ardenti rogo ſuperpoſitus, beatum pro Chriſto ſortitus eſt finem. Paſſi ſunt cum eo & alij quindecim.

* *Antonini.*

Eodem die beati Effrem, Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconi.

In Hybernia natiuitas S. Brigittæ Virginis, quæ magnorum meritorum & ſanctitatis eſſe prædicatur, adeò vt cum lignum altaris in teſtimonium virginitatis ſuæ tetigiſſet, viride ſit effectum.

Eodem die S. Pauli Epiſcopi ciuitatis Tricaſſinæ; cuius & vita virtutibus claruit, & mors pretioſa miraculis commendatur.

IV. Non. Feb.

E Hypapante Domini: vel purificatio beatæ Mariæ, quando Dominum Ieſum cum hoſtiis ſecundum legem præſentauit in templo, & ipſum eſſe Chriſtum Simeon & Anna in Spiritu ſancto cognouerũt, & expectantibus redemptionem Hieruſalem prædicauerunt.

Luc. 2.

Apud Cæſaream natiuitas beatiſſimi Cornelij Centurionis: Cui cum preces & Eleemoſynæ ſuæ Deo acceptæ ab Angelo nũtiarentur, mox ex admonitione eiuſdem Angeli, ad ſanctum Petrum Apoſtolum legatos direxit, vt ad ſaluationem ſubuenire dignaretur. Qui viſione cœlitus delata edoctus, ne immunditiam gentilium abhorreret, ad eum properans, & de fide Ieſu Chriſti in auribus gentium diſputans, ac Spiritum ſanctum ex dono linguarum eos accepiſſe non dubitans, eos iuſſit baptiſari, poſt conuerſionem multorum millium ex Iudæis, has primas ex gentilibus primitias Deo conſecrans. Qui Cornelius relicta militia, apud præfatam vrbem Epiſcopi honore ſublimatus quieuit.

Romæ ſancti Aproniani commentarienſis, qui à Siſinnio Diacono, Mar-

no Marcelli Papæ baptiſatus, à Laodicio Præfecto vrbis capite truncatus eſt, temporibus Maximiani Auguſti.

Item Romæ foro * Symphronij, via Flaminia milliario ab vrbe CLXIII. Laurentij, Hippolyti,& natiuitas S.Fortunati. *Semproni.

In Africa Victoris, Maurini, Honorati, Vrbani, Hilarij, Perpetui, Iuliani, Priuatulæ & aliorum ſeptuaginta quatuor.

Aurelianis depoſitio B. Floſculi Epiſcopi & Confeſſoris,& Sicharia virginis.

III. Non. Feb.

F

In Sebaſtia ciuitate Cappadociæ paſſio S.Martyris Chriſti Blaſij Epiſcopi, qui ſub Agricolao Præſide capite truncatus eſt, cum duobus puerulis filiis vnius mulieris, de illis ſeptem, quæ per prædicationem eius confortatæ ſub eodem Præſide martyrizauerunt.

In Africa beati Celerini Diaconi & Confeſſoris, & ſanctorũ Martyrum Celerinæ auiæ eius, & Laurentini patrui, & Ignatij auunculi ipſius.

Lugduni depoſitio S. Lupicini Epiſcopi.

Pridie Non. Feb.

G

In foro * Symphronij natiuitas ſanctorum Gemini, Gelaſij, * Mannij, * Aquilini & Donati. * Sempronij. * Magni, * Aquili.

In ciuitate Ægypti, quæ appellatur * Thynius paſſio beati Phileæ eiuſdem vrbis Epiſcopi,& Philoromi tribuni militum Romanorum: Qui conſtantiam Epiſcopi admiratus, & eam laudibus proſecutus, pariter cum eo capite plexus eſt. Cum quibus etiam innumera multitudo fidelium ex eadem vrbe paſtoris ſui veſtigia ſequens, perſecutione martyrio coronata eſt. * Thmuis.

Non. Feb.

A

In ciuitate Patris ordinatio Epiſcopatus S. Andreæ Apoſtoli.

In Sicilia vrbe Catina paſſio S. Agathæ virginis ſub Decio Imperatore, Proconſule Quintiano: Quæ poſt alapas & carcerem, poſt equuleum & tortiones, poſt mamillarum abſciſſionem, ſed à Domino ſanationem, poſt volutationem in teſtulis & carbonibus tandem in carcere conſummata eſt.

Viennæ beati Auiti Epiſcopi. Cuius fide & induſtria atq; admirabili doctrina, tempore Gundebaldi regis, ab infeſtatione Arrianæ hæreſeos Galliæ defenſæ ſunt.

VIII Id. Febr.

B Romæ via Appia in eiusdem cœmiterio passio S. Sotheris virginis & Martyris.

Apud Cæsaream Cappadociæ natiuitas S. Dorotheæ virginis; Quæ cum duabus sororibus Christe & Calliste, quæ à fide nuper apostatabant, vitæ doloribus, commendata esset, vt eam auerterent à Christo, ipsas iterum conuertit ad Christum. Ita vt à Præfecto in cupam feruentem missæ, ad martyrij palmam peruenerint. Postea verò ipsa sub Sapricio prouinciæ ipsius Præside, primum equulei extensione vexata, dein palmis diutissimè cæsa, ad vltimum capitali sententia punita est. Cumque egrediens de prætorio duceretur ad mortẽ, Theophilus quidam Scholasticus ait ad eam. *Eia tu Sponsa Christi, mitte mihi mala de paradiso Christi tui.* Quę statim promisit se esse missurã. Vbi ergo ventum est ad locum, in quo iugulanda erat, * pauper oratione facta, protulit orarium suum, & vocato ad se quodam puerulo annorum sex, misit Theophilo, dicens: *Dic ei: Dorothea ancilla Dei mittit tibi mala de paradiso Christi sui.* Accipiens ille & gratias agens quod petitionem eius implesset, cœpit sibi faciem tergere. Tantaque repente suauitate perfusus est, vt tota mente mutatus cum grandi exultatione, & clara voce sæpius replicaret: *Benedictum nomen Domini Iesu Christi.* Ob quam confessionem mox & ipse tentus ac suspensus in equuleo tanta crudelitate tortus est, vt omnes circumstantes exhorrescerent. Nouissimè verò cæso capite martyrium consumauit.

* *parumper.*

Eodem die natiuitas Antholiani, qui apud vrbem Aruernam martyrio coronatus.

In Gallia ciuitate * Aderato depositio sancti Vedasti Episcopi & Confessoris.

* *Atrebato.*

In Hellone monasterio depositio S. Amandi Episcopi & Confessoris.

A

VII. Id Febr.

C In Britanniis sancti Moyseis vel Moysis venerabilis Episcopi. Qui primò quidem in eremo vitam solitariam ducens, meritis & virtutibus ac signis quæ faciebat per illum Dominus, magnificè innotuerat. Quique postea petente Mauuia Saracenorum regina, Episcopus illius gentis factus, fidei Catholicæ custodiuit intemerata consortia, & gentem cui datus fuerat Episcopus, ex grandi parte ad fidem Christi conuertit. Sicque in pace perfectus in virtutibus quieuit.

VI. Id. Febr.

D

In Armenia minore, natiuitas sanctorum Dionysij, Æmiliani & Sebastiani.

Eodem die apud Alexandriam natiuitas sanctæ Cointhæ Martyris: Quam pagani correptam ad idola perducentes adorare cogebant. Quod cum illa execrans recusaret, vincula pedibus eius innectentes, & per plateas totius ciuitatis eam trahentes, horrendo supplicio discerpserunt.

Romæ depositio S. Pauli Episcopi, & Iulij Papæ.

V Id. Feb.

E

*Sueuo apud Cyprum natiuitas Alexandri & Ammonis. Item Ammonis & aliorum triginta septem. *Soli.

Alexandriæ Apolloniæ virginis: Cui persecutores omnes dentes excusserunt: deinde constructo ac succenso rogo, cum comminarentur, viuam se eos esse incensuros, nisi cum eis impia verba proferret, illa paulum quid intra semetipsam deliberans, repente se de manibus impiorum proripuit, & in ignem quem minabantur sponte prosiliuit.

IV. Id. Febr.

F

Romæ natiuitas sanctorum Martyrum Zotici, Hirenci, Iacinthi & Amantij.

Item Romæ via Lauicana militum decem.

Eodem die in Oriente sanctæ Sotheris virginis, quæ grauiter & diutissimè alapis cæsa, cum cætera quoque pœnarum genera vicisset, gladio martyrium consumauit.

In Campania sancti Syluani Episcopi & Confessoris.

In Bethlehem ciuitate Iudæ sub Herode Rege, passio sanctorum Andreæ & Aporij.

Sanctonis ciuitate depositio sancti Troiani Episcopi & Confessoris. Et Baldegundis Abbatissæ.

Eodem die depositio sanctæ Scholasticæ virginis, cuius animam frater eius sanctus Benedictus Abbas, vidit in columbæ specie cœlos petere. Quod fratribus matutinorum hymnis expletis intimauit, & Deo gratias inde retulit.

III. Id. Feb.

G

Romæ Calocerij & Parthenij.

In Apamia Pæonis & Eufraxij.

Apud Lugdunum Desiderij Episcopi & Martyris, qui beatus vir passus quidem est in Prisciniaco villa, territorio Lugdunensi X. Cal. Iunij. Translatus est autem Viennam in ciuitatem sui Episcopatus.

III. Id. Feb.

G Alexandriæ, depositio S. Euphrosynæ, quæ in monasterio mira virtute abstinentiæ & miraculis etiam claruit.

Pridie Id. Feb.

In Hispaniis ciuitate Barcillone, natiuitas S. Eulaliæ virginis & A Martyris: Quæ passa est tempore Diocletiani Imperatoris sub Præfecto Hispaniarum Datiano. Quando sub eodem apud Barcillonem sanctum Cucufatem & apud Gerundam sanctum Felicem, gloriosas constat martyrij accepisse coronas.

In Africa passio S. Damiani militis.

Alexandriæ Modesti & Ammonij infantum.

Romæ Gregorij Papæ secundi: Qui rexit Ecclesiam sedecim annis. Leonis & Constantij Imperatorum temporibus. Qui vir castus, & in diuinis scripturis eruditus, In Germaniam per Bonifacium Episcopum verbum salutis prædicauit. Idemque, vt in quadragesimali tempore, quinta feria ieiunium atque Missarum celebratio fieret, quod nõ agebatur, instituit.

Idibus Febr.

B Apud Antiochiam natiuitas S. Agabi Prophetæ: De quo in *Actibus Apostolorum refertur, quod & magnam famem & passionem Pauli Apostoli prædixerit.

*Act. 11. & 21.

In Militena Armeniæ natiuitas S. Polyeucti Martyris, qui latinè interpretatur, multum orans.

Lugduni depositio S. Stephani Episcopi.

XVI. Cal. Martij.

C Romæ natiuitas S. Valentini Presbyteri: Qui post multa sanitatũ & doctrinæ insignia fustibus cæsus, & sic decollatus est sub Claudio Cæsare.

Eodem die Romæ passio S. Valentini Interamnensis Episcopi. Qui tentus à Paganis ac virgis cæsus, & post diuturnam cædem custodiæ mancipatus, cum superari non posset, mediæ noctis silentio, eiectus de carcere, decollatus est, iussione furiosi Placidi Vrbis Præfecti. Quẽ cum discipuli eius Proculus, Ephebus & Apollonius ad ciuitatem suã retulissent, & hoc Consulari Leontio nuntiatum fuisset, iussit eos capite cædi. Qui non sunt longè à corpore S. Valentini sepulti.

Item

Item Romæ via Ardeatina, Feliculæ, Vitalis, Zenonis.

In Egea ciuitate S. Iuliani.

Apud Alexandriam natiuitas sanctorum Martyrum, Bassi, Antonij, Protolici, qui in mare mersi sunt. Item Cyrionis Presbyteri, Moyseos, Bassiani Lectoris, Agathonis Exorcistæ, qui omnes igni combusti sunt.

Item Dionysij & Ammonij decollatorum.

XV. Cal. Mart. D

Romæ Cratonis Martyris: Qui cum haberet filium Chæremonē nomine, qui inciderat in ægritudinem grauissimam, ad eumque sanandum B. Valentinum Interamnēsem Episcopum euocásset, eidemque ipsum sub tali conditione obtulisset, vt si puer sanaretur, ipse cum omni domo sua fieret Christianus, sanato puero, ipse quod promiserat impleuit: Atque cum vxore & vniuersa domo baptisatus, non post multos dies martyrio consumatus est.

Interamnis sanctæ * Agapæ Virginis. * Agapis.

In Brixia Faustini Martyris.

In Antiochia Iosephi Diaconi.

Apud Sebasten ciuitatem passio S. Blasij Episcopi: Qui multorū patrator miraculorum sub Præside Agricolao post diutinam cæsionē, post carcerem, atque inde suspensionem in ligno vbi pectinibus ferreis carnes eius disruptæ sunt: Postea iterum teterrimum carcerem, post demersionem in lacum, vnde supernatans saluus exiuit: Iubente iniquissimo iudice capite ad extremum cum duobus pueris truncatur, felicia regna vna cum ipsis ingressus. Ipso autem adhuc agonizante septem mulieres beatissimæ, quæ guttas sanguinis eius profluentes de beatissimis plagis corporis ipsius colligebant, deprehensæ quod essent Christianæ, post caminum ignis, vbi plumbo superinfusæ sunt, post pectines ferreos, quibus carnes earum disruptæ, post æreas tunicas excandentes: Nouissime data sententia gladio percussæ: datoque pretio sanguinis, vitam merebantur æternam.

XIV. Cal. Mart. E

Natiuitas S. Onesimi, pro quo B. Paulus Apostolus Philemoni familiares litteras mittit. Quem idem B. Apostolus Episcopum ordinās eique prædicationis verbum committens, apud Ephesiorum ciuitatē reliquit. Cui Episcopus post B. Timotheum, & ipse præfedit. Qui Ro-

mam perductus, atque ibi pro fide Christi lapidatus, sepultus est ibi primum Christi Martyr. Inde ad loca vbi fuerat ordinatus Episcopus corpus eius delatum.

In Cumis natiuitas S.Iulianæ virginis. Quæ temporibus Maximiani Imperatoris, primo à patre suo Africano cæsa, & grauiter cruciata est: deinde & à præfecto Eleusio quem sponsum habuerat, nuda virgis cæsa, & à capillis suspensa, & plumbo soluto à capite perfusa, & rursum in carcerem recepta, vbi palam cum diabolo conflixit, & rursum euocata, rotarum tormenta, flammas ignium, ollam feruentem, superauit, ac decollatione capitis martyrium consumauit. Quæ passa est quidem in Nicomedia, sed post paucum tempus Deo disponente in Campaniam translata

Eodem die in Ægypto Iuliani, cum aliis numero quinque millibus.

In Hispania ciuitate Barcillone S.Cucufatis Martyris.

In Africa sancti Maximi.

Item Secundæ, * Sauli.

* Seleuci.

F *XIII. Cal. Mart.*

In Perside natiuitas B.Polychronij Martyris, Babyloniæ, & Ctesifontis Episcopi. Qui præsente Decio Imperatore, os lapidibus cæsus, manibus extentis, oculis ad cœlum eleuatis, emisit spiritum. Scriptum in passione S.Laurentij. In Africa sanctorum Donati & Secundiani. In Aquileia Crysanthi, Eutychij, Concordiæ, Iusti, Romuli, Salonis, Syluani & aliorum octoginta quatuor, quorum nomina Deus scit. Alibi Ianuarij, & aliorum valde multorum.

G *XII. Cal. Mart.*

Hierosolymis B.Simeonis Episcopi & Martyris: Qui traditur propinquus Saluatoris fuisse secundum carnem. Constat tamen quia de Cleopha cuius filius fuit, frater erat Ioseph.

Eodem die natiuitas sanctorum Martyrum Claudij & vxoris eius Præpedignæ, & filiorum Alexandri & Cutiæ, & fratris Claudij B. Maximi: Qui cum essent præclarissimi generis, agente fratre eorũ Gabinio Presbytero, baptisati sunt à B.Gaio Pontifice Romano. Et postmodum tenti iubente Diocletiano à iudice Iulio. Et Claudius quidem cum vxore sua & filiis deportatus in exilium: deinde incendio concremati,

mati,odoriferum ſacrificium martyrij Deo reddiderunt. Ac ſic poſtmodum apud Oſtiam in Reuma iactati ſunt: Quorum reliquias Chriſtiani perquiſitas,iuxta ciuitatem ſepelierunt.

In Africa Rutuli, Syluani,Claſſici, Secundini, * Fluctuli, Damaſi. *Fructuli.

Interamnis Pauli & aliorum multorum.

XI. Cal. Mart.

A

Romæ natiuitas S.Gabinij Presbyteri patris beatiſſimæ Suſannæ,qui à Diocletiano diu in cuſtodia vinculis afflictus, pretioſa morte cœli gaudia meruit.

In Africa natiuitas B.Publij,Iuliani,* Marubi. *Marcelli.

Item Iuliani, Barachei, Pauli, Marcelli, Tullij, Lampaſij, Maiuli, Iulij.

X. Cal. Mart.

B

Romæ via Appia in cœmiterio Callixti depoſitio Gaij Epiſcopi.

Apud Cyprum natiuitas Potamij, Nemeſij & Didymi.

Alibi Victoris,& Coronæ & aliorum viginti.

Apud Tyrum quæ eſt vrbs maxima & celebris Phœnicis,beatorum Martyrum quorum numerum Dei ſola ſcit ſcientia. Quos iubente Diocletiano Veturius Magiſter militiæ, diuerſis tormentorum generibus ſibi inuicem ſuccedentibus occidit. Primò flagris per omne corpus Martyres Dei carpebantur. Poſthæc tradebantur ad beſtias,adhibebantur leones, vrſi, pardi atque ferarum genus, equi quoque & tauri: Quibus ferro & igni feritas addebatur. Sed cum nulla ferarum eos læderet,furor belluarum tranſit in homines, & cum gladiis peragerent,quod beſtiis nequiuerunt,etiam cadauera occiſorum, marinis fluctibus immiſerunt. Quorum primi & præuij fuerunt Tyrannio & Syluanus Epiſcopi,qui paruo tempore interpoſito beſtiarum dentib. martyrium compleuerunt,& Peleus & Linus Epiſcopi, qui cum plurimis clericis igne conſumpti ſunt. Zenobius presbyter quoque venerabilis capite fuit cæſus.

IX. Cal. Mart.

C

Apud Siciliam Martyrum ſeptuaginta quatuor. Qui ſub Diocletiano per diuerſa tormenta confeſſionis ſuæ coronam à Chriſto ſibi paratam percipere meruerunt.

In Africa ſanctorum Veruli, Secundini, Seruuli, Syricij, Felicis, Iocundi, Saturnini, Fortunati & aliorum ſeptendecim.

Alibi Victorini, Mappalici & plurimorum aliorum Martyrum.

Item depoſitio Eucherij Epiſcopi.

D *VIII. Cal. Mart.*

Apud Antiochiam Syriæ Cathedra S. Petri Apoſtoli.

Apud Alexandriam Abilij Epiſcopi, qui poſt B. Marcum ſecundus Epiſcopus tredecim annos Sacerdotium adminiſtrauit.

Apud Hierapolim S. Papiæ Epiſcopi, auditoris S. Ioannis Apoſtoli.

Item B. Ariſtionis, qui vnus fuit de ſeptuaginta duobus diſcipulis Chriſti.

* Tecla. In Nicomedia natiuitas S. * Teglæ virginis diſcipulæ S. Pauli Apoſtoli, quæ ſub Nerone Imperatore pro Chriſti nomine igni eſt tradita, ſed non eſt vſta. Poſtea verò beſtiis atq; ſerpentibus deputata & proiecta eſt, ſed à nullo eorum eſt læſa. Ad extremum verò in Seleucia cum virginitatis martyrio, atq; virtutum honore per ſomnum pacis migrauit ad Dominum.

Romæ via Tyburtina ad S. Laurentium natiuitas S. Concordiæ, quæ Deciana perſecutione trucidata eſt.

E *VII. Cal. Mart.*

* Sirmium. * Sireni. Apud * Smyrnam ſancti * Synerij Monachi, qui tempore Maximiani Imper. cum vnius ex domeſticis eius vxorem hora incongrua in horto quem ipſe ſibi excolebat deambulantem acrius increpando repuliſſet, iubente Maximiano tentus, & Chriſtianum ſe eſſe confeſſus, capite cæſus eſt.

Item aliorum ſeptuaginta duorum, qui ibidem paſſi ſunt.

Romæ S. Polycarpi Presbyteri, qui cum B. Sebaſtiano plurimos ad fidem Chriſti conuertit atque ad martyrij gloriam perduxit.

Smyrnæ natiuitas ſanctorum Erotis & Carpophori.

In Pannoniis ſanctorum Seneroti, Antigoni, Rutuli, Libij.

In Africa Gryſionij, Zenonis & aliorum multorum.

F *VI. Cal. Mart.*

In Palæſtina natiuitas S. Matthiæ Apoſtoli, qui de ſeptuaginta diſcipulis pro Iuda traditore in Apoſtolatum electus: In Iudæa Euangelium prædicauit.

Item

Item inuentio capitis præcursoris Domini, tempore Martiani Principis, quando idem præcursor duobus Monachis primum, vbi eius caput celatum iaceret reuelauit. Cōstat autem quia imminente festiuitate Paschali fuerit sicut in Euāgelio patet decollatus, & anno post hunc sequente, cum denuo tempus Paschale rediret, mysterium Dominicæ passionis esse completum. Et propterea quod in libro sacramētorum natiuitas eius quarto Calendarum Septembrium die notatum est, & in Martyrologio, quod Eusebij & Hieronymi vocabulis insignitum est, legitur IV. Cal. Sept. in * Emissa ciuitate Phœnicis prouinciæ natiuitatis S. Ioannis Baptistæ die quo decollatus est: Non specialiter ipsum diem decollationis eius, sed diem potius quo caput eius in eadē ciuitate repertum atque in Ecclesia est conditum, designat.

*Edessa.

Siquidem duo Monachi Orientales venerant adorare Hierosolymis, & loca sancta videre. Quibus per reuelationem assistens idem præcursor Domini, præcepit vt ad Herodis quondam regis habitaculum accedentes, caput suū ibi requirerent, & inuentum digno honore reconderent. Quod idcirco malignæ mulieres à corpore abscissum in cubiculo suo diligenti cura seruauerunt, ne corpori adnexum impietatem illarū denuo coarguere potuisset. Quod videlicet caput à supradictis fratribus diuina gratia repertum & assumptum, sed à conuiatoribus eorum sublatum, & de loco ad locum, ab homine ad hominem, quasi quiddam aliud Emissam vsque perlatum est, & in quodam specu in vrna sub terra, non pauco tempore ignobiliter reconditum, donec denuo se se caput ipsum ostendit Marcello cuidam Presbytero religioso, dum in eodem specu habitaret. Ex quo tempore cœpit in eadem ciuitate beati Præcursoris decollatio, ipso die quo caput inuentum siue eleuatum est, celebrari. Denique apud alios inuentio capitis eiusdem octauo Calendas Octobris, quo die conceptus asseritur, apud quosdam vero IV. Calend. Septembr. celebratur. Decollatus vero est in Castello quoddam Arabiæ, quod Macherunta nominatur, & corpus quidem eius in ciuitate Samaria, quæ nunc Sebaste dicitur, caput autem in Hierosolymis humatum est. At vero ossa eius tempore procedente Hierosolymam translata, ac mox Alexandriam missa, nunc ibidem in Ecclesia quæ nominis ipsius est honore consecrata seruantur. Caput quoque de Edissa Constantinopolim per Theodosium Imperatorem deportatum, extra vrbem in Ecclesia regio cultu composita, frequentatur. Quod diuina prouidentia constat actitatum, vt sci-

licet per plura loca deportatis B.Martyris reliquiis plura virtutũ signa fierent,pluresque per memoriam doctrinæ & vitæ illius ad fidem & dilectionem eius quam prædicauerat,confluerent,pluresque per memoriam doctrinæ & vitæ illius ad fidem quæ iustificat & saluificat conuerterentur.

Item Romæ Absalonis.

In Cæsarea Cappadociæ Heroli,Lucij,& Sergij Martyrum.

In Africa Iuliani,Iuliæ & aliorum plurimorum.

In Nicomedia Luciani Presbyteri.

G

V.Cal.Mart.

* Nicephori.

In Ægypto natiuitas sanctorum Victoris, Victorini, *Nicophori,Claudiani,Dioscori,Serapionis & Papiæ,sub Numeriano Imperatore,agente Sabino Duce. Quorum primus in pilam ex robore cauam,& vndique circumforatam missus, ac per singula foramina diutissime transpunctus,cumque nimius sanguis efflueret, eductus de pila,capite cæsus est. Secundus manibus & pedibus amputatis,in eandem pilam missus,prioris tormenta sustinuit, & nouissime gladio cæsus est. Tertius cum vltro in pilam fuisset ingressus, indignatus iudex iussit eum inde produci, & supra craticulam prunis substratam aliquantum perassari, & inuerti. Cumque in confessione persisteret, sublatus inde,minutatim gladio concisus,spiritum reddidit. Reliquorum quatuor Claudianus & Dioscorus flammis incensi, Serapion & Papias gladio perempti sunt.

In Africa sanctorum Donati,Iusti,Rutuli,Hirenei,Pisionis.

Pamphyliæ Nestoris & Castæ.

IV. Cal. Mart.

A

In ciuitate Pamphyliæ Perge natiuitas beati Nestoris Episcopi, qui persecutione Decij,cum die noctuque orationi insisteret, vt grex Christi custodiretur, comprehensus à quodam Irenarcho, qui erat Princeps Curiæ ciuitatis, velut aries sine macula oblatus est Præsidi Pollioni. Et cum nomen Christi mira libertate & alacritate confiteretur, Deos autem gentium dæmonia pessima memoraret, iussus ab eodem Præside suspendi in equuleo, & crudelissime torqueri, lætus

psallebat

psallebat dicens: *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Præses vero stupens super tanta tolerantia & volens eum blandis verbis à fide reuocare, dixit ei: *Vis esse nobiscum, aut cum Christo tuo?* Cui sanctus Nestor cum magno gaudio respondit dicens: *Cum Christo meo & eram & sum & ero.* Tunc indignatus Præses dedit aduersus eum sententiam, vt qui Iesum crucifixum sub Pontio Pilato fateretur, tanquam deuotus Deo suo illius subiret sententiam, & ligno affixus resolueretur à vita. Ille gratias agens Deo, cum iam affixus esset patibulo, docebat assistentem populum Christianum, vt in fide & charitate Christi persisterent, & libentissime compaterentur, vt & simul glorificarentur. Post hæc petens omnem astantem turbam fidelium, vt genua figentes orarent cum ipso: Cum compleret orationem & dixissent omnes, *amen*, reddidit spiritum. Consumauit autem martyrium suum, quinta sabbati, hora tertia. *Psal. 33.*

Eodem die beati Alexandri Alexandrinæ ciuitatis Episcopi, gloriosi senis: Qui post beatum Petrum Arrium Presbyterum suum hæretica impietate deprauatum, & à diuina veritate disiunctum de Ecclesia eiecit. Et postea inter trecentos & octo patres eundem in Nicæno Concilio damnauit.

Item in Alexandria Felicis cum sociis suis.

III. Calendis Martij. B

Apud Hispaniam ciuitate Hispali natiuitas sancti Leandri Episcopi, ad quem beatus Gregorius libros moralium scripsit. Cuius prædicatione & industria tota Gothorum gens per Reccharedum Regem ab Arriana impietate conuersa est. Qui etiam fratrem eius Ermingildum Regem, viuente adhuc patre hæretico, ab eadem Arriana hæresi, ad Catholicam fidem correxit, atque vsq; ad gloriosam Martyrij passionem suis exhortationibus perduxit.

Eodem die in Alexandria natiuitas sancti Iuliani Martyris, qui cum ita podagra constrictus esset, vt neque incedere neque stare posset, cum his qui eum in sellula portabant iudici offertur. Quorum vnus quidem statim negauit, alter nomine * Eum cum Iuliano sene in Domini confessione perdurat. * Quique iubentur camelis impositi per totam circumduci vrbem, & flagris hinc inde stipante populo laniari, vsquequo finem ipsis verberibus sortirentur. * *Eunus.* * *Ambo.*

* Baldomeri.

Apud Lugdunum sancti * Baldemeris viri Dei, cuius sepulchrum crebris miraculis illustratur.

C *Pridie Cal. Mart.*

* Caerealis, Pupuli.

In Alexandria sanctorum * Celeris, Pupilli, Gaij, Serapionis.

In territorio Lugdunensi locis virentibus B. Romani Abbatis, qui primus illic vitam eremiticam duxit, & multis miraculis ac virtutibus clarus, plurimorum postea pater extitit monachorum.

Martius habet dies XXXI. Lun. XXX. Et in hoc mense erit Ieiunium primum, de quatuor temporibus.

D *Calendis Martij.*

Romae sanctorum martyrum CCLX. temporibus Claudij, qui via Salaria arenam fodientes, damnati fuerant pro Christi nomine. Quos iussit Claudius vt in figlina foris muros portae Salariae mitterentur, & eo loco inclusi in ciuitatis amphitheatro militum sagittis interficerentur. Ibidem Simplicij Papae, qui sedit Romae annis quindecim. Hic Achatium Constantinopolitanum Episcopum, & Petrum Alexandrinum Episcopum Eutychianos damnauit.

Andegauis Albini Episcopi.

E *VI. Non. Mart.*

Romae via Latina sanctorum Iouini & Basilei, qui passi sunt sub Gallieno & Valeriano Imperatoribus.

Eodem die Martyrum plurimorum sub Alexandro Imperatore passorum: Quos diu cruciatos impius Alexander capitali sententia damnauit.

F *V. Non. Martij.*

* Hemiterij.

In Hispania ciuitate Calagurritana natiuitas sanctorum Martyrum * Emetherij & Cheledonij: Qui primum apud Legoniensem Galliciae ciuitatem milites, exurgente persecutionis procella pro confessione nominis Christi plurimis afflicti tormentis, Calagurrim vsque perducti, atq; ibidem martyrio affecti sunt & coronati. Cumque eorum capita lictor incideret, miraculum populis grãde apparuit. Nã vnius anulus orariumq; alterius, nube susceptũ, & in coelos euectũ est.

est. Viderunt hæc omnes qui aderant, & vsquequo acies oculorum intendere potuit, fulgorem auri, candoremque lintei attonito sequebantur intuitu. Scribit Aureolus in libro coronatorum.

Apud Cæsaream Palæstinæ sanctorum Martyrum Marini, militis, & Asterij Senatoris, sub persecutione Valeriani. Quorum prior cũ accusatus fuisset à commilitonibus quod esset Christianus,& interrogatus à iudice Christianum se esse clara voce testaretur, tres ei horæ ad deliberandum indultæ sunt. Cumque à tribunalibus fuisset egressus à beato Theotecno eiusdem vrbis Episcopo plurimum in fide confortatus, repetens continuò tribunal iudicis confidentissimè respondit: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*, & ilicò martyrij coronam capitis abscissione suscepit. Cumque præfatus Asterius capite truncatum Martyris corpus subiectis humeris & substrata veste qua induebatur, exciperet, honorem quem Martyri detulit, continuò ipse martyrium accepit. Scriptum in historiæ Ecclesiasticæ libro septimo.

Act. 5.

IV. Non. Martij.

Natiuitas sancti Lucij Papæ & Martyris. Hic præcepit vt duo Presbyteri & duo Diaconi in omni loco Episcopum non desererent propter testimonium Ecclesiasticum. Qui persecutione Valeriani & Gallieni ob fidem Christi exilio relegatus, & postmodum diuino nutu ad Ecclesiam suam redire permissus, martyrium capitis obtruncatione compleuit. Postea positus est via Appia ad sanctum Xystum. Sedit autem in Episcopatu annos tres, menses tres, dies tres.

G

Item Romæ via Appia sanctorum Martyrum nongentorum, qui positi in cœmiterio ad sanctam Cæciliam.

Eodem die S.Gaij, Palatini in mare demersi.

III. Non. Martij.

Apud Antiochiam sancti Focæ Martyris. Qui per multas, quas pro Redemptoris Christi nomine perpessus est iniurias, qualiter de antiquo illo serpente triumphauerat, hodieque populis declaratur. Denique in quempiam loci illius coluber morsum figens venena diffuderit, extemplò qui percussus est, vt ianuam basilicæ Martyris credens attigerit, euacuata virtute veneni, saluatur.

A

Item

Item ipſo die Euſebij & Palatini & aliorum octo Martyrum.

Item in Antiochia, Saturnini, Caſti, Syriæ.

Item Saturnini, Martini, Petri & aliorum non paucorum.

B

II. Non. Martij.

Nicomediæ natiuitas ſanctorum Victoris & Victorini, qui per triennium cum Claudiano & Baſſa vxore eius tormentis afflicti, & retruſi in carcerem, ibidem vitæ ſuæ curſum impleuerunt.

Nicopoli Papiæ, Alexandri & Diodori Martyrum.

In Italia villa Fagoniæ Victorini & Syluani.

C

Nonis Martij.

In Mauritania ciuitate Tiburbitanorum paſſio ſanctarum Martyrum Perpetuæ & Felicitatis, & cum eis Reuocati, Saturnini & Secunduli. Quorum vltimus in carcere quieuit. Reliqui omnes ad beſtias ſunt traditi, ſub Seuero Principe, die natiuitatis eius. Quique cum adhuc ſeruarentur in carcere, & Felicitas parturiret, omnium Sanctorum commilitonum precibus, impetratum eſt, vt octauo menſe pareret. Iam verò Perpetuæ inter alia conceſſum eſt, vt eius mens quodammodo auerteretur à corpore, in quo vaccæ impetum pertulit, ita vt adhuc futurum expectaretur, quod in ſe iam geſtum eſſe neſciret.

In Antiochia Leuci, Saturi, & Neſtoris.

In Thracia Dandæ, Eunicæ, Secundi, Sergij, Optati.

D

VIII. Id. Martij.

Apud Carthaginem ſancti Pontij Diaconi, beati Cypriani Epiſcopi. Qui vſque ad paſſionis ſuæ diem cum ipſo exilium ſuſtinens, egregium volumen vitæ, & paſſionis ipſius reliquit. Atque Dominum ſemper in paſſionibus ſuis glorificans, coronam vitæ promeruit.

In Nicomedia Quintilis Epiſcopi, & Capitulini.

In Africa Rogati & Felicis, natiuitas etiam Cyrilli Epiſcopi, Syluani & Manilij.

E

VII. Id. Martij.

Apud * Miſenam ciuitatem ſancti Gregorij Epiſcopi fratris beati Baſilij Cæſarienſis viri doctiſſimi, & eloquentia clariſſimi.

* *Nyſſenam.*

Apud Barcillonem Paciani Epiſcopi, tam vita quam ſermone clari. Qui optima ſenectute mortuus eſt, Theodoſij Principis temporibus.

In

In Africa Felicis & Philippi, Mariani, Rogati & Concessi, Gorgonij & Esychij.

VI. Id. Martij.

F

Natiuitas sanctorum Martyrum, Alexandri & Gaij de Eumenia, qui apud Apamiam persecutione Antonini Veri martyrio coronati sunt. Scribit Apollinaris Hierapolitanus Episcopus in libro aduersus Cataphrygas.

Ir Perside sanctorum Martyrum numero quadraginta duo.

In Antiochia * Agapæ virginis & Marinæ. ** Agapes.*

In Nicomedia Palatini, Firmani, & Rustici Martyrum.

In Alexandria Heraclij, Zosimi, Alexandri & Gaij.

In Italia in monasterio Bobio sancti Atalæ Abbatis, admirandæ sanctitatis viri, discipuli beati Columbani.

V. Id. Martij.

G

Apud Sebasten Armeniæ minoris, natiuitas Martyrum quadraginta, qui temporibus * Lucinij Imperatoris & Agricolai Præsidis & Lysiæ Ducis, pro nomine Christi martyrio sunt coronati. ** Licinij.* Quos Agricolaus Præses cum ad culturam idolorum conuertere non posset, lapidibus obrui præcepit. Sed tortores eorum alterutrum se lapidibus cædentes, Martyribus nocere non poterant. Dux verò Lysias exardescens ira, tulit lapidem vt percuteret aliquem sanctorum. Sed miro Dei nutu ipse lapis in faciem Præsidis peruenit. Qui furore commotus sanctos Dei in stagnum glacie constrictum, mitti præcepit. Diuino autem nutu glacies dissoluta & frigidissima aqua in balnearum temperiem conuersa est, ita vt in laudem Dei, sancto Spiritu confortati, erumperent. Vnus autem ex eorum numero, pusillanimis effectus, refugiens ad balneum iuxta paratum, mox vt attigit calorem, dissolutus & mortuus est. Porrò cunctis qui eos custodiendos acceperant, somno grauatis, clauicularius tantum vigilabat. Qui audiens eos orantes, vidensq; lucem immensam, atque glaciem resolutam, respiciens vnde ortûm lux ipsa haberet, vidit super sanctos coronas descendentes numero XXXIX. cœpit cogitare: *Quadraginta*, inquit, *sunt, vnius corona vbi est?* & Christi confessione præmissa exiliens in stagnum suppleuit numerum definitum. Mane autem facto inuenientes eos incolumes, crura eorum fustibus confregerunt, & igni corpora comburentes, in fluuium proiecerunt. Sed diuina dispensatione, reliquiæ ipsorum in profundo aquæ religiosis viris reuelatæ, & honore digno sunt conditæ.

In

In Nicomedia Eunici, & Gorgonij, Firmi & Agapiti.

IV. Id. Martij.

A Romæ beatorum Pontificum Gregorij Doctoris & Apostoli Anglorum, quos per fidelissimos Euangelistas Augustinum & Mellitum atque Ioannem ad fidem Christi conuertit. Qui sedit in Episcopatu annos tredecim, menses sex, dies decem.

Item Innocentij, qui rexit Ecclesiam annos quindecim, menses duos, dies viginti & vnum. Hic constitutum fecit de Ecclesia Dei, & Pelagium atque Cælestinum hæreticos damnauit, & constituit vt qui natus fuisset de Christianis parentibus, per baptismum regeneraretur. Quod Pelagius damnabat. Hoc Innocentius. Gregorius verò augmentauit,* sed in precatione Canonis, *diesque nostros in tua pace dispone.*

** f. addens.*

Apud Nicomediam beati Petri Martyris, qui vnus fuit ex Dorothei & Gorgonij Martyrum sodalibus, qui in cubiculo regis erant. Hic iubente Diocletiano, eo quod de suppliciis Martyribus irrogatis liberius * clausaretur, in equuleo suspensus, & flagris toto laniatus corpore, ac visceribus iam pelle denudatis, aceto & sale perfunditur. Cumque hoc tormenti genus constanter ac fortiter tolerasset, craticula prunis substratis poni iubetur in medio, ibique quod reliquū fuerat verberibus absumpti corporis superponi, & non ad subitum sed sensim paulatimque succendi, quo scilicet pœna protelaretur in longum. Hoc Petrus martyrio coronatus, verè Petri extitit & fidei hæres & nominis.

** causaretur.*

Item Nicomediæ natiuitas sanctorum Egduni Presbyteri, & aliorum septem, qui singuli diebus singulis suffocabantur, vt cæteris metus incuteretur

Eodem die passio Maximiliani Martyris & aliorum plurimorum.

III. Id. Martij.

B

Apud Nicomediam natiuitas sanctorum Macedonij Presbyteri, & Patriciæ vxoris eius, & filiæ Modestæ.

Nicæa ciuitate natiuitas sanctorum * Theuseæ & Horis filij eius, Theodoræ, Nymphodoræ, Marci, * Arabæ, qui omnes igni sunt traditi.

** Theusete & Horrii.*
** Arabiæ.*

Item Iulij Episcopi & Alexandri.

Item Nicomediæ multorum Martyrum.

Pridie

Pridie Id. Martij.

C

Romæ Martyrum quadraginta ſeptem, qui baptiſati ſunt à beato Petro Apoſtolo, cum teneretur in cuſtodia Mamertini cum Coapoſtolo ſuo Paulo, vbi nouem menſes in vinculis detenti ſunt.

Item Zachariæ Pontificis, qui ſedit Romæ annos decem. Hic in patriarchio beati *Gregorij Martyris caput reperit in capſa reconditum: In qua & Pitatium pariter inuenit, hoc ipſum Græcis litteris habens exaratum. Sepultus eſt in Eccleſia beati Apoſtoli Petri.

* *Georgij. Baron.*

Apud Carthaginem Donati, Eufroſij, Fronimi.

In Nicomedia Feliciſſimi, Datiui, Frontinæ.

In Africa Dionæ, Alexandri, Petri, Mammarij & Naboris Martyrum.

Idibus Martij.

D

In Cappadocia ſancti Longini Martyris: Qui cum in paſſione Domini lancea latus eius aperuit, viſo terræmotu, & ſignis quæ fiebant, credidit in Chriſtum, pœnitentiam agens de priſtinis operibus, & per triginta & octo annos Chriſto militans, multosq; ad fidem Dei conuertens, ad extremum in Cappadocia ſub Octauio Præſide conſumauit. Quem propter infidelitatem animi corporea cæcitate percuſſum poſt martyrium ſuum illuminauit.

Apud Theſſalonicam ſanctæ Matronæ: Quæ cum eſſet Plautillæ cuiuſdam viduæ ancilla & occultè Chriſtum colens, quotidie furtiuis orationibus Eccleſiam frequentaret, deprehenſa à domina ſua, in ſcamno extenta atque ligata, & penè vſque ad mortem flagellata, atque vincta in ſcamno, obſignatis diligentiſſimè ianuis per noctem relicta, die altera diuinitus ſoluta, & cum ingenti oris gratia orans inuenta eſt. Rurſumque crudis neruis in eodem ſcamno conſtricta, & loris quouſque obmuteſceret cæſa, ibique per triduum obſignatis ianuis eſt relicta. Facta autem die tertia, iterum diuinitus ſoluta, & orans inuenta eſt. Tunc robuſtis fuſtibus vſque ad mortem cæſa eſt. In confeſſione Chriſti incorruptum ſpiritum reddidit.

In Nicomedia Lucij Epiſcopi & Martyris.

Carthagine Pauli, Salutaris.

Item Alexandri, Theophili.

E

XVII. Cal April.

Romæ Cyriaci Martyris, qui à beato Marcello Papa Diaconus ordinatus simul cum Sisinnio multa mirabilia fecit sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, & dæmones ab obsessis corporibus expulit, & post multa ac nimia tormenta quæ pertulit: nouissimè per Carpasium Vicarium iussu Maximiani decollatus est.

In Aquilegia Hilarij.

In Nicomedia Castoris, Dionysij & Nonni.

In Græcia Cyriacæ, Florentij & Iouiani.

F

XVI. Cal. April.

In Aquilegia Largi, Tatiani, Catonis, & Datiui.

Romæ Alexandri Episcopi & Theoduli Diaconi.

In Scotia natiuitas sancti Patricij Episcopi natione Britanni, qui in Hybernia Insula Scotis primum euangelizauit nomen Domini nostri Iesu Christi, & eos per miraculorum ostensionem ad fidem veram conuertit.

Eodem die passio sanctæ Mariæ Martyris: quæ cum esset ancilla cuiusdam Tertulli præclari viri, & nollet in natiuitate filij eius, prandiis domini sui interesse, sed magis Christianorum more ieiuniis operam dare, flagellis atrocibus ab eodem domino suo lacerata est. Sed cum non posset per hoc ab instantia Christi seruitij ad idolorum cultum reuocari, Iudici publico ad puniendum tradita est. Vbi dum carnifices eam incendio tradere voluissent, precibus populi datæ sunt ei induciæ trium dierum. Triduo ergo completo, cum iterum eam punire vnanimiter instarent, mirabiliter Dei misericordia erepta est. Nam cum orationem ad Deum fudisset, vna petra ingens, quæ ante eam fuerat, per medium scissa, illam in se recipiebat, & vndique concludens, hostium furori resistebat. Ad quam populus concurrens, cum vellet secundum iussum Principis ipsum lapidem destruere, fulmine ac tonitru cœlitus emisso, plurimi eorum interierunt, ita vt duo millia & septingenti ex ipsis diuino iudicio extincti fuerint, pauci verò qui remanserant, conuersi ad Dominum in Christiana religione permanserunt.

Eodem die natiuitas sanctæ Gertrudis virginis: De cuius miraculis hoc celeberrimum fertur, quod cum in die natalis eius quædã anus nuper

nuper monasterium ingressa propter imminentem Paschalis Festi propinquitatem, iejunium soluere cogi non potuerit, filia ipsius ad hauriendam aquam de puteo Claustri directa, sed in eundem ipsa demersa & mortua extracta, meritis sanctæ virginis resuscitata, gaudium non solum matri, sed & cunctæ congregationi ad cumulum solennitatis S. Patricij, atque ipsius Gertrudæ sua recuperatione triplicauerit.

XV. Cal. April. G

Natiuitas sancti Alexandri Episcopi. Qui de Cappadocia ciuitate sua veniens cum desiderio sanctorum locorum Hierosolymam pergeret, & Narcissus Episcopus eiusdem vrbis iam senex regeret Ecclesiam, & ipsi Narcisso & multis Clericorum eius reuelatum est; altera die mane intrare Episcopum, qui adiutor sacerdotalis cathedræ esse deberet. Itaque re ita completa vt prædicta fuerat, cunctis in Palæstina in vnum congregatis, adnitente yel maximè Narcisso, Hierosolymitanæ Ecclesiæ cum eo gubernaculum suscepit. Quique persecutione Decij cum iam longæuæ ætatis veneranda canicie præfulgeret, ductus Cæsaream, & clausus carcere ob confessionem Christi martyrio coronatus est.

In Alexandria Collegij, & Colyti Diaconorum.

In Nicomedia Aprilis & Seruuli.

In Campania Quinti, Rogati, & Ingenuæ.

In Mauritania Timothei & Saldæ.

XIV. Cal. April. A

Apud * Pinarensem vrbem beati Ioannis magnæ sanctitatis viri. Qui de Syria oriundus peruenit ad Italiam, & angelo Dei, non longè ab eadem vrbe locum permansionis sibi demonstrante, sed & à venatoribus hyemis tempore sub arbore foliis vestita repertus, & per hanc famam populo commendatus, monasterium statuit. In quo per quadraginta quatuor annos, multorum seruorum Dei pater extitit, & in pace quiescens, quotidianis miraculis clarus effulsit.

*Pinnensem.

Eodem die apud * Sorrentum Quinti, Quintilis, Quartillæ, Marci, cum aliis nouem.

*Surrentum.

In Cæsarea Cappadociæ Theodori Presbyteri sancti & pij.

In Africa Bassæ, Lucillæ, Fusciani, & aliorum multorum.

B *XIII. Cal. April.*

*Archippi.

Apud Colossos * Archiepiscopi Episcopi commilitonis beati Apostoli Pauli.

In Antiochia sancti Ioseph.

In Syria Pauli, Cyrilli, Eugenij, Serapionis, Victorici & aliorum.

In Britannia sancti Chudberti, qui ex Anachoreta Ecclesiæ Lindisfarnensis Antistes, totam ab infantia vsque ad senium vitam, miraculorum signis inclytam duxit. Cuius dum vndecim annos maneret corpus humatum, incorruptum post hæc, quasi eadem hora defunctum, simul cum veste qua tegebatur, inuentum est. Scribit S, Beda Presbyter in libello de vita ipsius.

C *XII. Cal. April.*

Apud Alexandriam sancti Serapionis Monachi.

Item Iosephi, Volutiani, Philocali.

Apud castrum Cassinum Beneuentanæ ciuitatis sancti Benedicti Abbatis. Cuius vitam virtutibus & miraculis gloriosam, in dialogorum libris, beatus Papa scribit Gregorius. Quem etiam regulam Monachorum cum magna discretione, & luculento sermone scripsisse commendat.

In territorio Lugdunensi sancti Lupicini Abbatis Virensium. Qui cum fratre Romano post Anachoreticam vitam, quam ab adolescentia austerissimam duxerant, fundator monasteriorum, & rector extitit animarum, vterque verò effector miraculorum. Cumque post agones plurimos, quos contra diabolum & angelos eius visibiliter atque inuisibiliter desudauerunt, atque militiam quam Christo per annos plurimos fideliter impenderunt finem sibi laborum, & perceptionem præmiorum appropinquare cognoscerent, decreuit Lupicinus, vt in remotiori solitudinis monasterio in vno conderentur sepulchro. Quod Romanus qui mitioris erat ingenij, intuitu pietatis * abluens, salua charitate impetrauit ab eo, vt ipso ad tutionem fratrum in monasterio tumulato, se ad remedium pauperum & maximè fœminarum incommodo laborantium, in oratorio ad introitum salutis poni pateretur. Quod cum primo ita factum fuisset,

*abnuens.

nunc

nunc corpus B.Lupicini incertum ex qua causa in finibus Vesontionum apud Laconense monasterium celeberrime frequentatur.

XI. Cal. April. D

Apud Narbonem ciuitatem, à qua Gallia Narbonensis nomen assumpsit, natiuitas S.Pauli, quem B.Apostoli ordinatum, eidem vrbi Episcopum direxerunt. Quem tradunt eundem ipsum fuisse Sergium Paulum Proconsulem, virum prudentem, à quo ipse Paulus Apostolus sortitus est nomen, quia illum fidei Christi subegerat. Qui in eadem regione prædicationis officio non segniter impleto, clarus miraculis confessione Christi coronatus sepelitur.

In Africa Saturnini & aliorum nouem.

X. Cal. April. E

Natiuitas sanctorum Martyrum Victoriani, Frumentij, & alterius Frumētij & duorum germanorum: Qui omnes persecutione Wandalica sub * Henrico Rege Arriano pro constantia Catholicæ confessionis, immanissimis suppliciis excruciati egregie coronati sunt in partibus Africæ.

* *Hunnerico.*

Item in Africa Fidelis & aliorum viginti.

In Antiochia Theodori Presbyteri.

In Cæsarea Achatij & Alexandri.

IX. Cal. April. F

In Africa Agapiti & Romuli.

In Mauritania Secunduli, Veruli, Felicis, Saturnini & aliorum multorum.

Romæ S.Pigmenij Presbyteri. Is Iulianum Apostatam & impiū à puero nutriuit, & litteris etiam sacris erudiuit. Qui factus Imperator culturam pietatis relinquens, audito quod corpora sanctorum Martyrum, qui ab eo necabantur, idem Pigmenius sepeliret, mandauit ei. *Perge quo vis, hic enim non mercabitur vita tua. Tamen hoc seruitiis tuis reddo, non tibi.* Tunc S. Pigmenius perrexit ad Persidem. Cumque post quatuor menses reuersus cliuum sacræ viæ cum vno puero stipem petendo conscenderet, factum est vt ostenderet Iulianum Imperatorem in Rheda aurea sedentem. Qui eminus prospiciens Pigmenium, vocari eum præcepit, dixitq; ei. *Gloria diis, deabusque meis, quia te video.* Cui vir Dei Pigmenius ilico respondit. *Gloria Deo meo Iesu Christo Nazareno*

crucifixo,quia te video. Ad hanc vocem iratus Iulianus iussit eum per pontem in Tyberim præcipitari. Cuius corpus inuentum & collectum sepultum est in cœmiterio Pontiani, non longe à sanctis Abdon & Sennen.

G

VIII. Cal. April.

Apud ciuitatem Galileæ Nazareth annunciatio incarnationis Dominicæ.

Extra portam Hierosolymorum Dominus noster Iesus Christus crucifixus, occulta prophetarum maxima ex parte reuelauit.

In monte Visionis immolatio Isaac.

Item Hierosolymis passio S. Iacobi fratris Domini, qui in Paschæ solennitate Iudæis Christum testificatus, de templi est culmine præcipitatus, ac fullonis vecte percussus.

In Nicomedia natiuitas Dulæ ancillæ militis quæ pro castitate occisa est.

Romæ Cyrini, qui interfectus à Claudio & in Tyberim iactatus, in Insula Lycaonia inuentus, & in cœmiterio Pontiani conditus est. Scriptum in passione S. Valentini.

* *Sirmium.*

Apud * Smyrnum natiuitas S. Irenæi Episcopi: Qui tempore Maximiani Imperatoris sub Præside Probo primo tormentis acerrimis vexatus, deinde diebus plurimis in carcere maceratus; nouissime abscisso capite consummatus est.

A

VII. Cal. April.

Romæ via Lauicana in cœmiterio eiusdem natiuitas S. Castuli. Qui cum esset * Notarius palatij & hospes sanctorum, vt in B. Sebastiani gestis legitur, à persecutoribus artatus, & tertio appensus, tertio auditus, in confessione Domini perseuerans, missus est in foueam, & dimissa est super eum massa arenaria. Atque ita cum palma martyrij migrauit ad Christum.

* *Zetarius.*

Eodem die apud Pentapolim Lybiæ Theodori Episcopi, Irenæi Diaconi, Serapionis & Ammonij Lectorum.

* *Sirmium.*

Item apud * Smyrnium natiuitas S. Montani Presbyteri. Qui cũ Maxima vxore tentus, & in fluuium præcipitatus est. Quorum corpora nono ab vrbe lapide inuenta sunt.

VI. Cal. April. B

Hierosolymis resurrectio Domini nostri Iesu Christi.

In Africa Romuli, Acutij, Mauruli, Pinarij, Missiæ, Matutinæ & aliorum.

Item Donati, Saturnini & Martiani.

In Ægypto beati Ioannis eremitæ admirandæ sanctitatis viri. Qui præter multa miracula quæ gessit, etiã prophetico spiritu plenus, Theodosio Imperatori Christianissimo victorias de tyrannorum immanitate prædixit.

V. Cal. April. C

Apud Cæsaream Palæstinæ natiuitas SS. Martyrum Prisci, Malchi & Alexandri. Qui persecutione Valeriana cum suburbanum agellum supradictæ vrbis habitarent, atque in ea cœlestes martyrij proponerentur coronæ, diuino fidei calore succensi, vltro iudicem adeuntes, cur tantum in sanguinem piorum desæuiret, obiurgant. Quos ille continuo pro Christi nomine bestiis tradidit deuorandos.

Item..... Romæ Xyxti Papæ, qui sedit octo annos. Is criminatorem suum Bassum nutu diuino mortuum, manibus suis cum linteaminibus & aromatibus tractans, sepeliuit apud B. Petrum.

Apud Cabillonensium ciuitatem, *, Cunderammi Regis Francorum viri religiosi, qui ita se spiritualibus actionibus mancipauit, vt relictis sæculi pompis, thesauros suos Ecclesijs & pauperibus erogaret.

* Gunthrãni.

IV. Cal. April. D

In Nicomedia Pastoris, Victorini, Saturnini, Iuliani.

In Africa sanctorum Confessorum Armogastis, Archimimi & Satyri. Qui tempore Wandalicæ persecutionis sub Geiserico rege Arriano, cum essent lucidissima membra Ecclesiæ Christi, & prauitatem Arrianorum libertate Catholica frequenter arguerent, pro confessione veritatis multa & grauia perpessi supplicia atq; opprobria, cursum gloriosi certaminis impleuerunt.

In Burgundia depositio beati Eustasij Abbatis discipuli S. Columbani. Qui pater ferme sexcentorum extitit Monachorum, & vitæ sanctitate conspicuus, etiam miraculis clarus effulsit.

In ciuitate Pisana sancti Torpetis Martyris.

III. Cal.

E *III. Cal. April.*

Romæ Quirini Tribuni & Martyris sub Traiano Imperat. Qui cum ex præcepto eius B. Alexandrum Papam, & Hermen Præfectum in vincula coniecisset, haberetque filiam, cuius collum struma circumdederat, exauditis orationibus B. Herme de fide Christi, & visis signis, quæ Dominus in Martyribus suis Alexandro & Herme operabatur, eandem filiam suam obtulit eis ad sanandum. Cui dixit beatus Alexander. *Tolle boiam de collo meo & impone ei.* Quod cum obedienter pater exequeretur, diuino nutu subito sanata est. Vocabatur autem ipsa Balbina. Atque ita pater eius Quirinus & ipsa cum vniuersis qui in custodia tenebantur omnique domo sua baptizatus est. Quod vt nuntiauit commentariensis Aureliano Iudici, iratus iussit ad se adduci Quirinum & dixit ei: *Ego te quasi filium dilexi. Tu autem irrides me, deceptus ab Alexandro.* Dixit ei Quirinus: *Ego Christianus sum factus, vis occidere? vis fustigare? vis incendere? aliud non ero. Nam omnes qui erant in carcere feci fieri Christianos, & noluerunt vsquam ire.* Iratus Aurelianus fecit ei linguam abscindi, deinde in equuleo suspendi. Qui dum Aureliani non cederet iniuriis, iussit ei manus ac pedes abscindi, & sic eum decollari & canibus proiici. Sed Christiani corpus eius raptum in via Appia sepeliuerunt in cœmiterio Prætextati.

In Thessalonica ciuitate Domnini, Philopoli, Achaici, Palatini.

Alibi Victoris, Aquilinæ virginis.

Aurelianis depositio sancti Pastoris.

F *II. Cal. April.*

Romæ sanctæ Balbinæ virginis, filiæ Quirini Martyris. Quæ cum boiam beati Alexandri, per quam sanata fuerat frequentius oscularetur, admonita ab eo vt illam osculari desineret, & magis vincula beati Petri perquireret, & ea osculari curaret, summo studio per desiderium magnum peruenit ad ipsa. Tradiditque sanctæ Theodoræ religiosissimæ fœminæ, sorori sancti Hermetis Præfecti & Martyris. Ipsa vero Balbina instructa à beato Alexandro in virginitate plena bonis operibus permansit. Et post deuictum sæculum iuxta patrem suum Quirinum Martyrem sepelitur.

In Africa sanctorum Anesij, Felicis, Dioduli, Proti, Cornelij & Valeriæ cum sociis eorum.

Men-

Mensis Aprilis habet dies XXX. Lun. XXIX.

G

Cal. April.

Romæ natiuitas beatissimæ Theodoræ sororis illustrissimi Martyris Hermetis. Quam beatus Alexander Papa & Martyr instruxit, baptisauit, atque in fide Christi edocuit. Quæ sub Aureliano Principe martyrizauit, sepulta iuxta fratrem Martyrem via Salaria non longe ab vrbe Roma.

In Armenia Parthenij, Quintiani, Victoris, Secundi.

Eodem die S. Venantij Episcopi & Martyris.

In pago Iumnoense S. *Wiolarici Confessoris, cuius sepulchrum crebris miraculis illustratur. **VValerici.*

A

IV. Non April.

Apud Cæsaream Cappadociæ passio sanctæ Theodosiæ Virginis. Quæ tempore Diocletiani cum esset annorum decem & octo, vltro se sanctis Cõfessoribus in custodia socians, tenta ab Vrbano præfecto, & in equuleo cruciata, deinde ferro onerata, & in carcerem trusa est. Vbi Dei virtute, omnia vincula eius disrupta sunt. Posthæc saxo alligata, in mare demersa est. Sed mox littoribus incolumis reddita & bestiis in amphitheatro proiecta, sed ab his intacta, martyrium capitis abscissione compleuit.

In Africa natiuitas sanctorum Amphiani, Victoris & aliorum quatuordecim.

Apud Lugdunum Galliæ depositio S. Nicetij Episcopi & Confessoris. Cuius & vita mirabilis claruit, & pretiosa mors nihilominus miraculis commendatur.

III. Non. April.

B

Thessalonicæ natiuitas sanctarum virginum Agapes, *Hirenes & Chioniæ sub Diocletiano. Quæ primo in carcere maceratæ, postea in ignem missæ sunt. Sed intactæ à flammis post orationem ad Deum fusam, animas reddiderunt. **Irenes.*

In Scythia ciuitate Tomis natiuitas sanctorum Euagrij & Benigni.

Apud Tauromininium Siciliæ sancti Pancratij.

In Nicomedia Donati & Ampliani.

C *Pridie Non. April.*

In Thessalonica natiuitas sanctorum Agathonis Diaconi & Theoduli.

Alibi Pauli, Matutini, Vrbani, Saturnini, Quintiliani, Publij, Victoris, Successi & Iuliani.

Mediolani depositio B. Ambrosij Episcopi & Confessoris. Cuius studio inter cætera doctrinæ & miraculorum insignia, tempore Arrianæ perfidiæ, tota Italia ad fidem Catholicam conuersa est. Qui præfecturæ gratia ad eundem locum destinatus est, cum adhuc esset catechumenus, in depositione albarum à lactante puero designatus est Episcopus, & suggestione Angelica auditores suos allocutus, expulsione dæmonum, & exhibitione sanitatum, atque resuscitatione mortuorũ, nec non & tolerantia omnimodarum iniuriarum vere comprobari, & nuncupari meruit, imitator antiquorum Martyrum & Apostolorum.

D *Nonis April.*

* Irenes.

In Thessalonica natiuitas S. *Hirenes, quæ post tolerantiam carceris sagitta percussa est à Sisinnio Comite, sub quo & sorores eius simul Agape & Chionia martyrizauerunt. Quas omnes cum Dulcitius prædecessor eius in obscurissimam cellam coquendi vasis refertam inclusisset, sed post eas ardentissima concupiscentia deperisset, clanculo ingressus in eam per totam noctem cum ollis, cacabis ac caldariis volutatus, atq; à sanctarum virginum illusione defraudatus, cum primum à familia vel familiaribus suis pro hac turpitudine abominabilis haberetur, Imperatorium palatiũ petens, vt vel ibi suarum iniuriarum vltionẽ mereretur, propter intolerabilem fœditatem, quam oculis clausis non agnoscebat, & inde expulsus, de reliquo omni honore est priuatus.

Apud Aegyptum natiuitas sanctorum Martiani, Nicanoris, Apollonij.

Apud Cæsaream Lyciæ natiuitas S. Amphiani.

In Cilicia natiuitas sanctorum Taraci, Andronici & Probi, multis tormentis excruciatorum, adeo vt post tertiam interrogationem cum pro nimia corporis dilaceratione non possent ambulare, militum iussu deportarentur in amphitheatrum, vt à bestiis consumerentur.

Qua-

Quarum cum nulla à quoquam hominum vel ab ipsis Martyribus ad læsionem sanctorum prouocari quiuisset: Iussit Maximus Præses introduci gladiatores, vt sanctos Dei Martyres gladio interficerent. Quod cum factum fuisset, Maximus de amphitheatro se recipiens, reliquit ibi decem milites, qui corpora Martyrum immiscerent corporibus gladiatorum. Non post multum vero terræmotus factus est, & tonitrua & fulgura & coruscatio, & nimia tempestas imbrium * descendẽtibus. Custodib. autem inde nimio terrore fugatis, accedentes quidã religiosi fratres qui in proximo latitabant, indicio stellæ se præcedentis sanctorum corpora repererunt, & in spelunca vicini montis abscõderunt. De quorum longissima historia, quia paucissima sunt adnotata, libet in eorum supplementum gladiatorij ludi exhibitionem simul, & cessationem, sanctorum illorum occasione, qui à gladiatoribus sunt interempti, commemorare. Inter multa inepta & sacrilega, quibus ante cognitionem vnius veri Dei veteres tenebantur obstricti, etiam hęc consuetudo mortalibus * illidebat, vt præstantiores quique in eo spectabiliores apparerent, si effusione rerum homines diutius saginatos in arenam intromitterent, qui primum sceleratis quibusq; vel etiam S. Martyribus interemptis, deinde * mitius vulneribus crudeliter interirent. Quæ stultitia cum etiam Christiana religione pollente, propter antiquitatem sui non posset aboleri, contigit quendam Monachũ de Oriente, orationis gratia Romam venire, & gladiatores sese cedentes inopinato incurrere. Quos cum miseratus ab alterutra cæde prohibere conaretur, à spectaculorum editoribus, lapidum ruina est cõsumptus. Pro cuius indigna morte religiosus Imperator zelo Dei compunctus ludos illos infaustos vlterius exhiberi prohibuit.

*f. descendentium.

*illudebat.

*mutuis.

Apud Alexandriam S. Didymi Presbyteri.

VIII. Id. Aprilis.

E

Romæ Sixti Papæ & Martyris. Qui rexit Ecclesiam annos decem, menses duos, diem vnum, passus est temporibus Adriani Imperatoris, hic constituit vt sacra mysteria non tractarentur nisi à sacris ministris. Et quicunq; Episcopus euocatus ad sedem Apostolicam rediens ad parochiam, non susciperetur, nisi salutationis literas, hoc est formatas, à sede Apostolica, plebi detulisset. Et hic instituit, vt intra actionem Missarum: Sanctus, sanctus, sanctus, decantaretur.

In Syrmio S. Irenæi Epiſcopi eiuſdem loci.

In Africa ſanctorum Epiphanij Epiſcopi, Donati, Sixti, Rufini, Modeſti, & aliorum vndecim.

In Nicomedia Timothei & Theogenis.

Pentapoli Lybiæ ſuperioris, paſſio S. Theodori Epiſcopi, & multorum Martyrum,

F *VII. Id. April.*

Depoſitio Egeſippi viri ſanctiſſimi. Qui vicinus Apoſtolicorum temporum, omnes à paſſione Domini, vſq; ad ſuam ætatem Eccleſiaſticorum actuum texens hiſtorias, multaque ad vtilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinq; libros ſimplici ſermone compoſuit. Vt quorum vitam ſequebatur, dicendi quoque exprimeret charactere.

In Alexandria ſancti Peluſij Presbyteri.

In Nicomedia natiuitas S. Cyriaci cum aliis decem.

In Scotia Finiani Confeſſoris.

G *VI. Id. April.*

Romæ depoſitio Cæleſtini Papæ, qui rexit Eccleſiam per annos octo. Hic conſtituit vt Pſalmi Dauid centum quinquaginta antiphonatim canerentur ante ſacrificium. Nam antea tantum Epiſtolæ recitabantur Apoſtolicæ, & S. Euangelium.

Turonis ſancti Perpetui Epiſcopi, admirandæ ſanctitatis viri. Cuius opera templum ſuper reuerenda oſſa B. Martini Epiſcopi perfectum eſt, eiuſque ſacrum corpus, de loco vbi primum fuerat tumulatum, ad locum vbi nunc condigne veneratur, Angelica demonſtratione delatum.

In Africa ſanctorum Ianuarij, Macharij, Maximæ & Conceſſæ, & aliorum multorum.

A *V. Id. April.*

Natiuitas beati Prochori Diaconi, vnius de ſeptem primis, præclariſſimis fide & miraculis viri, apud Antiochiam martyrio conſumati, ibique quieſcentis.

Apud Syrmium natiuitas ſeptem virginum, quæ in vnum coronari meruerunt.

Item

Item natiuitas quinque virginum.
Alibi Demetrij Diaconi, Hilarij & Concessi.

IV. Id. Aprilis. B

Natiuitas beati Ezechielis Prophetæ.
Apud Romam beatorum Martyrum plurimorum, quos beatus Alexander Papa & Martyr baptizauit, cum teneretur in carcere, & ipsi essent relegati pariter cum illo. Hos omnes Aurelianus Princeps naui vetustæ impositos, in altum mare deduci,& illic ligatis ad colla lapidibus, mergi in profundum maris fecit.
In Alexandria Apollonij Presbyteri.
In Antiochia S. Theodori Presbyteri.
In Thracia natiuitas S. Gaiani.
In Africa Martyrum sedecim, quorum nomina Deus scit.

III. Id. Aprilis. C

Apud Cretam vrbe in Cortyna natiuitas beati Philippi Episcopi, qui vita & doctrina claruit, temporibus Antonini Veri,& Lucij Aurelij Commodi Imperatorum.
In Mauritania Salonis, Maximi & Concessi cum cæteris sanctis.
In *Salonia Dalmatiæ Domnionis Episcopi,& millium octo. *Salona.
In Africa Fortunati, Donati,& aliorum ducentorũ quadraginta.
Romæ Leonis Papæ, qui quadragesimus septimus post beatum Petrum Apostolum, sedit in Episcopatu annos viginti & vnum. Hic detexit hæreses duas, & missa legatione ad Martianum Principem Catholicum, congregata Synodo ducentorum quinquaginta & sex Episcoporum in Chalcedone in martyrio S. Eufemiæ exposuerunt iuxta fidem Catholicam, duas naturas in vno Christo Domino, hoc est, humanam & diuinam, & condemnauerunt Eutychem & Nestorium Hæreticos.

Pridie Id. Aprilis. D

Pergamo Asiæ natiuitas sanctorum Polycarpi Episcopi, Pauli, Isaac, Agathonis.
Romæ via Aurelia, miliario tertio in cœmiterio Calepodij natiuitas sancti Iulij Papæ & Confessoris. Qui sub Constantio Arriano filio Constantini, decem mensibus, tribulationes & exilia perpessus, post eius mortem cum magna gloria ad sedem suam reuersus est. Hic constituit vt nullus Clericus causam quamlibet ageret nisi in Ec-

clesia, & notitia fidei per Notarios colligeretur, & siue cautiones, vel instrumenta aut donationes, vel commutationes aut traditiones, aut testamenta, aut allegationes, aut manumissiones à Clericis in Ecclesia celebrarentur.

In ciuitate Verona sancti Zenonis Martyris, de cuius miraculis sanctus Papa Gregorius refert, quod Athesis fluuius inundans, vsque ad superiores Ecclesiæ fenestras, vbi corpus eius iacebat humatum, excreuerit, sed intra Ecclesiam, vbi fuerat congregata turba fidelium, intrare non potuerit.

E *Idibus Aprilis.*

Apud Pergamum Asiæ vrbem natiuitas sanctorum Carpi Episcopi, & Papyrij Diaconi, & Agathonicæ optimæ fœminæ, aliarumque multarum, quæ pro beatis Confessoribus martyrio coronatæ sunt. Cum quibus & vir mirabilis Iustinus Philosophus, qui in habitu quoque Philosophorum incedens, pro religione Christiana plurimum laborauit. In tantum vt Antonino Pio & filiis eius & Senatui librum contra gentes scriptum daret, ignominiamque crucis non erubesceret. Cumque iam secundum librum successoribus præfati Imperatoris, id est, Antonino Vero, & Aurelio Commodo, pro religionis nostræ defensione porrexisset, remuneratione linguæ fidelis martyrij munus accepit.

In Chalcedone sanctæ Eufemiæ, & Eucarpiæ post multa tormenta requiescentis.

In Hispania natiuitas beati Herminigildi, quem pater eius Leouigildus Arrianus Rex Gothorum, ob fidei Catholicæ confessionem inexpugnabilem in carcerem & in vincula coniecit. Vbi nocte dominicæ resurrectionis iussu perfidi patris securi in capite percussus, regnum cœleste pro terreno, Rex & Martyr intrauit. Scribit beatus Papa Gregorius in dialogo suo.

F *XVIII. Cal. Maii.*

Romæ via Appia in cœmiterio Prætextati, natiuitas sanctorum Tiburtij, Valeriani & Maximi, sub Almachio vrbis Præfecto. Quorum primi fustibus cæsi, & gladio sunt percussi; vltimus tamdiu plumbatis verberatus, donec spiritum redderet.

Interamnis sancti Proculi Martyris.

Item sanctæ Domnæ virginis, cum sociis virginibus coronatæ.

Apud

Apud Alexandriam beati Frontonis Monachi Nitriensis. Qui septuaginta Monachos secum in eremum abduxit, vt sequestrati ab hominibus, diuinæ contemplationi vacarent. Sed cum eis alimenta deessent, admonuit Dominus quendam diuitem patremfamilias, vt seruis suis fame laborantibus, alimenta dirigere curaret. Qui cum locum habitationis eorum ignoraret, consilio amicorum prudentiũ edoctus, septuaginta camelos victualibus oneratos, absque vllo humano ducatu in eremum direxit, vt Deus omnipotens eos quo vellet sua prouidentia perduceret. At illi per deuia & auia, recto itinere vsque ad cellam sanctorum peruenerunt. Quibus discretissimus Fronto conspectis Deo gratias agens, & auaritiam cauens, dimidium omnium sibi & suis assumpsit, dimidium verò camelis impositum, domino suo per ipsos remisit. Qui miraculo simul & beneficio stupefactus, omnibus annis pari modo sanctis Dei annonã subministrauit. Qua recreati & aliorum etiam relgiosorum adminiculo sustentati, in Dei seruitio perstitêre deuoti.

XVII. Cal. Maij.

G

In Perside ciuitate Cordula natiuitas Olympiadis & Maximi nobilium. Qui iubente Decio Cæsare fustibus cæsi, deinde plumbatis, ad vltimum capita eorum securibus tunsa sunt, donec spiritum redderent.

In Tuscia natiuitas sanctorum Martyrum, Maronis, Eutychetis & Victorini. Qui cum beata Flauia Domitilla apud Insulam Pontianam longum ducentes exilium, eamque in Christi confessione pio fouentes solatio, inuidia atque insectatione Aureliani sponsi & persecutoris eius, quem illa ob Christum contempserat, postmodum à Principe Nerua, eidem Aureliano in seruitutem traditi sunt. Quos ille primum quasi seruos per sua prædia singulos diuisit, iussitque eos terram fodere per diem, ad vesperum verò * cantabrum manducare. Deinde quamplurimos ad fidem Christi cum conuerterent, & populum credentium ampliarent, repletus ira à diabolo, misit qui vario genere pœnarum interficerent. Nam * Eutychen in media via tamdiu cædi iussit, donec spiritum exhalaret. Cuius corpus rapuit populus Christianorum. Victorinum verò apud locum quem Cotilias appellant, vbi aquæ putentes emanant sulphure, capite

* *ita MS.*

* *Eutychetem*

capite deorſum per horas tres ſuſpenſum, iuſſit torqueri. Quod cum per triduum pro nomine Chriſti perpeſſus fuiſſet, migrauit ad Dominum. Cumque vna die iuſſu Aureliani corpus eius inhumatum iacuiſſet, venerunt Amiternenſes populi Chriſtiani, & rapientes in ſuum territorium, tranſtulerunt. Maronem autem miſſo amico ſuo nomine Turgio, iuſſit idem Aurelianus duci, & ſaxo ingenti opprimi. Sed protegente Domino, in nullo eum lædere potuerunt. Quem Conſularis accepto ab Aureliano præcepto interfecit. Corpus verò eius populus Chriſtianus rapuit, & condigno honore apud vrbem Picenum in monte aureo ſepeliuit.

In Hiſpaniis ciuitate Cæſarauguſta, natiuitas ſanctorum octodecim Martyrum, Optati, Luperci, Succeſſi, Martialis, Vrbani, Iuliæ, Quintiliani, Publij, Frontonis, Felicis, Ceciliani, Euotij, Primitiui, Apodemij, & reliquorum quatuor, qui omnes Saturnini vocati eſſe referuntur.

A *XVI. Cal. Maij.*

In Achaia ciuitate Corintho, natiuitas ſanctorum Calliſti, Chariſij, Leonidis, Chriſtinæ, Gallæ, Theodori, qui omnes in mare ſunt demerſi.

In Mauritania ſanctæ Baſiliæ.

Romæ Aniceti Papæ, qui ſedit in Epiſcopatu annis vndecim, & temporibus Seueri & Marci martyrio coronatus, ſepultus eſt in cœmiterio Calliſti. Hic conſtituit vt Clerus comam non nutriret ſecundum præceptum Apoſtolicum.

B *XV. Cal. Maij.*

In Antiochia natiuitas ſanctorum Petri Diaconi, & Hermogenis, Petri, Fortunati & Martiani.

In Africa ſancti Mappalici, qui cum aliis plurimis eſt coronatus, vt de illis beatus Cyprianus in epiſtola ad Martyres & Confeſſores, hoc modo ſcribit inter alia: *Iſtum nunc beatiſsimum Martyrem, & alios Principes eiuſdem congregationis & Comites, in fide ſtabiles, in dolore patientes, in quæſtione victores, vt cæteri quoque ſectemini, & opto pariter & exhortor. Vt quos vinculum confeſsionis, & hoſpitium carceris ſimul iunxit, iungat etiam conſumatio virtutis & corona cœleſtis.*

C *XIV. Cal. Marij.*

* *Meſſanam,* Apud * Meſenam Apuliæ ciuitatem, natiuitas ſanctorum Martyrum Eleutherij Epiſcopi, & Anthiæ matris eius. Qui in Aquileia Epiſco-

piscopus ordinatus, primum Felicem &* Correnum Comites conuertit ad fidem Christi. Qui sub Adriano Imperatore Romam perductus, cum esset & sanctimonia vitæ, & miraculorum virtute illustris, in confessione Christi lectum ferreum ignitum, craticulam igni supposito, & sartaginem oleo pice ac resina feruentem superans, leonibus quoque proiectus, sed eis mitigatis non læsus: Nouissimè vna cum matre gladio iugulatur. * Corebum.

Romæ Parthenij &* Calocerij. * Caloceri.

Item Romæ Apollonij Senatoris. Qui sub Commodo Principe à seruo proditus quod Christianus esset, Imperatori vt rationem fidei suæ redderet, insigne volumen composuit. Quod in Senatu legit, & nihilominùs sententia Senatus pro Christo capite truncatur. Veteri apud eos lege obtinente, absque negatione, non dimitti Christianos, qui semel ad eorum iudicium protracti fuissent.

In Salonia ciuitate natiuitas sancti Septimi Diaconi.

In Africa Victoris cum sociis suis.

X I I I. Cal Maij. D

Apud Corinthum natiuitas beati Timonis de illis septem primis Diaconibus.

In Armenia ciuitate * Militana natiuitas sanctorum Hermogenis, Gaij, Expediti, Aristonici, Rufi, Galatæ vno die coronatorum. * Melitinæ.

Caucoliberi Hispaniæ natiuitas S. Vincentij Martyris.

X I I. Cal. Maij. E

Romæ S. Victoris Episcopi, qui tertius decimus post beatum Petrum, rexit Ecclesiam annos decem, & sub Seuero Principe martyrio coronatus est. Hic constituit vt sanctum Pascha die Dominico celebraretur, & à quinta decima Luna primi mensis, vsq; in vicesimā primā obseruaretur. Quod eatenus sexta die Cal. Aprilis absque vllius diei discretione, vel Lunæ obseruatione celebratum est. Et constituit vt necessitate cogente, siue in flumine siue in mari, siue in fontibus sub Christiana confessione, quicunque homines ex gentilibus venientes baptisarentur.

Item Romæ sanctorum Martyrum Sulpitij & Seruiliani: Qui prædicatione & miraculis beatæ Flauiæ Domitillæ ad fidem Christi conuersi, quæ etiam sponsas eorum Theodoram & Euphrosynam, ad spem vitæ æternæ & perseuerantiam sanctæ virginitatis lucrata fuerat,

rat, persecutione Traiani, cum nollent Idolis immolare, à Præfecto vrbis Aniano capite cæsi sunt. Quorum corpora Christiani rapientes, posuerunt in prædio eorum, via Latina, miliario secundo.

Eodem die in Galliis ciuitate Ebredunensi natiuitas sancti Marcelli primi eiusdem vrbis Episcopi & Confessoris. Qui diuino iussu cum sanctis sociis Vincentio & Domnino ex Africa veniens, maximam partem alpium maritimarum, verbo & signis admirandis, quibus vsque hodie refulget, ad fidem Christi conuertit. Ita vt baptisterium quod ipse apud præfatam vrbem condidit, in sacrosanctis Paschalis festi vigiliis, diuina virtute singulis annis aquis subitis inundaretur, & per septem eiusdem solennitatis dies, gratia exuberante permaneat. Venerabiles socij eius apud Dimensium vrbem conditi, gloriosis nihilominus miraculis commendantur.

F XI. Cal. Maij.

In Asia natiuitas sancti Maximini Martyris, qui tempore Decij Imperatoris oblatus est Proconsuli, nomine Optimo. Qui cum ab eo tormentis cogeretur ad sacrificandum Idolis, & nollet, in equuleo diu tortus, ad extremum lapidibus est oppressus.

Apud Alexandriam natiuitas sanctorum Fortunati, Aratoris Presbyteri, Felicis, Siluij, Vitalis, qui in carcere quieuerunt.

Romæ sancti Sotheris Papæ, qui sedit in Episcopatu annos nouem, sepultusque est in cœmiterio beati Callisti. Hic constituit vt nulla Monacha pallam sacratam contingeret in Ecclesia, neque incensum poneret.

In Perside natiuitas sancti Simeonis Episcopi Seleuciæ, & Ctesiphontis regalium ciuitatum. Qui persecutione * Saphoris Regis Persarum, iubente eodem Tyranno, comprehensus, ferroq; onustus, cum iniquis tribulationibus eius aspectibus exhibitus, de Domino Iesu Christo libera voce, & constantissima testaretur, primum carcerali ergastulo, cum aliis centum, è quibus alij Episcopi, alij erant Presbyteri, alij diuersorum ordinum Clerici, longo tempore maceratus est. Deinde omnibus ante se trucidatis, ad extremum & ipse lictoris ictu percussus, martyrij palmam assecutus est. Erat autem sexta feria septimanæ maioris, in qua ante resurrectionis festiuitatem, annua passionis Christi memoria celebratur. Passi sunt cum eo etiam

* Saporis.

iam Vstazadis nutricius Regis, & Maior regiæ domus, & Abdella atque Ananias venerabiles senes, & Pusitius Princeps artificum regalium, eoquod videns præfatum senem Ananiam sub ictu gladij trementem, exclamauerit confidenter, dicens: *Paululum o senex claude oculos, & securus esto, mox Christi videbis aspectum.* Filia quoque eiusdem Pusitij virgo sacra perempta est. F

X. Cal. Maij. G

Romæ via Appia in cœmiterio Callisti natiuitas sancti Gaij Papæ. Qui cum Ecclesiam vndecim annos, menses quatuor, dies duodecim rexisset, martyrio coronatus est sub Diocletiano Imperatore. Frater autem eius beatus Gabinius Presbyter, in multis clarissimus passionibus iam finierat triumphum victoriæ suæ, sub eodem impio Principe, vndecimo Calendis Martij. Hic constituit vt per omnes primum gradus ascenderet, si quis Episcopus fieri mereretur, id est, vt esset Ostiarius. Lector, Exorcista, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & libellum valde vtilem de incarnatione Domini conscripsit.

Item Agapiti Pontificis, qui sedit Romæ vndecim menses. Et ingressus Constantinopolim ad Iustinianum Imperatorem, Anthemium Episcopū Constantinopolitanum, qui duas naturas in Christo negabat, deposuit, & in eius loco Menam Catholicum consecrauit.

In Perside ciuitate Cordula, natiuitas sanctorum Parmenij, * Helinæ, & Chrysoteli Presbyterorum, & Lucæ & Marci Diaconorum de Babylonia. Quorum primus præcisa etiam lingua loquebatur. Omnes in equuleo suspensi, & nexibus attracti sunt. Deinde laminis ardentibus circa latera appositis, vstulati, & vnguibus lacerati, ad vltimum gladio trucidati sunt præsente persecutore Decio. Scriptum hoc est in passione sancti Laurentij.

* *Helimenæ.*

Item in Perside sanctorū Martyrum plurimorū, qui iubente * Saphore Persarū Rege, annuo die cū passionis Dominicæ memoria celebratur, per totā Persidis regionem tenti, ac pro Christi nomine gladio sunt iugulati. In quo fidei certamine, passus est etiā * Milesius Episcopus, sanctitate & miraculorum gloria insignis. Acepsimas quoq; Episcopus cum Presbytero suo Iacobo, & Mareas & Bicor nihilominus Episcopi cū Clericis ferè ducentis, & quinquaginta monachis, etiā

* *Sapore.*

* *Milles.*

sacratis virginibus plurimis. Inter quas etiam & sororem sancti Episcopi & Martyris Simeonis, nomine* Tarbuam, cum pedissequa sua stipitibus alligantes, serraque findentes crudelissimè necauerunt.

* Tarbulam.

Lugduno Galliæ sancti Epipodij, qui persecutione Antonini Veri, post gloriosos quadraginta octo Martyrum agones, qui in eadem vrbe passi sunt, cum Alexandro charissimo collega tentus, ipso interim in carcerem truso, primo os duris pugnorum ictibus cæsus, deinde equulei extensione vexatus, postremò martyrium capitis abscissione compleuit.

A

IX. Cal. Maij.

In Perside ciuitate Diospoli passio sancti Georgij Martyris, qui sub Datiano Rege potentissimo, qui dominabatur super septuaginta Reges, multis miraculis claruit, plurimosque ad fidem Christi conuertit: Simul & Alexandram ipsius Datiani vxorem vsque ad martyrium confortauit. Ipse verò post multos & inauditos agones nouissimè decollatus, martyrium suum sanguinis effusione consumauit. Cuius gesta passionis, etsi inter apocryphas connumerantur scripturas, tamen illustrissimum eius martyrium inter coronas Martyrum Ecclesia Dei venerabiliter honorat.

Romæ sancti Naboris. In Alexandria Coronæ Martyris.

In Gallia ciuitate Valentia, Felicis Presbyteri, Fortunati & Achillei Diaconorum. Qui à beato Irenæo Lugdunensi Episcopo & Martyre ad prædicandum verbum Dei missi, cum maximam partem supradictæ vrbis ad fidem Christi conuertissent, à Duce Cornelio in carcerem trusi, deinde durissima neruorum flagellatione diutissimè verberati sunt. Post etiam reuinctis post terga manibus, renibus, cruribusque confractis, circa rotarum vertiginem astricti, fumi quoque amaritudine supposita die ac nocte continuata, equulei extensione suspensi, ad extremum gladio perempti sunt. In Fontenella monasterio sancti VVolframi Episcopi, præclari in miraculis & doctrina viri.

B

VIII. Cal. Maij.

In Babylone metropoli Chaldæorum, Ananias, Azarias, Misaël, qui ab ipsis nominibus immutatis Sydrach, Mysach, & Abdenago nuncupati sunt, de camino ignis ardentis sunt liberati.

In

In Alexandria Victoris, Zotici cum aliis plurimis.

In Africa Faustini, Victorini & aliorum plurimorum Martyrum.

Apud Lugdunum clauatum, natiuitas S. Alexandri medici, ciuis Pergamensis, qui tertio post passionem Epipodij die productus è carcere, primo ita laniatus est crudelitate verberantium, vt carne soluta costarum, patefactis visceribus secreta omnino panderentur. Dein crucis affixus patibulo beatum spiritum exanimatus emisit. Passi sunt cum eo & alij numero triginta quatuor.

In Britannia depositio Melliti Episcopi qui tertius post Augustinum primum Anglorum Episcopum Doruernensem rexit Ecclesiam.

VII. Cal. Maij.

C

Apud Alexandriam natiuitas S. Marci Euangelistæ. Qui discipulus & interpres Apostoli Petri, rogatus Romæ à fratribus scripsit Euangelium. Quo assumpto perrexit in Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annunciauit. Meminit & huius Marci Petrus in prima Epistola sub nomine Babylonis figuratè Romam significans. *Salutat vos quæ est in Babylone Ecclesia, & Marcus filius* * *maximus*. Qui constitutis & confirmatis Ecclesiis per Lybiam, Marmaricam, Hammoniacam, Pentapolim, Alexandriam, atque Ægyptum vniuersam, ad vltimum tentus est à paganis, qui remanserant Alexandriæ. Qui videntes eum die sancto VIII. Cal. Maij missas facientem, miserunt funem in collo eius & trahebant eum ad loca Bucoliæ, quæ erant iuxta mare sub rupib. vbi erat Ecclesia constructa. Et inter trahendum insultantes dicebant. *Trahamus bubulum ad loca buculi.* Hoc autem ideo, quia statura procerus erat. Et præ nimio cruciatu, defluebant carnes eius in terram, ac saxa inficiebantur sanguine. Vespere autem facto, miserunt eum in carcerem, vbi circa mediam noctem, primo angelica visitatione confortatus, deinde ipso domino sibi apparente ad cœlestia regna vocatus est. At mane dum traheretur ad loca Bucoliæ, gratias agens & dicens: *Domine in manus tuas commendo spiritum meum.* defunctus est, & à viris religiosis sepultus in loco lapidis excisi cum gloria. Ordinauerat autem pro se Alexandriæ Episcopum Anianum. Alios quoque longe lateque Episcopos & Presbyteros & Diaconos Ecclesiis dederat. Passus est autem octauo Neronis anno.

* *mem.*

In Syracusa ciuitate Siciliæ natiuitas sanctorum Euodij, Hermogenis & Callistæ.

In Perside S. Georgij Martyris, iuxta Calendarium sagacissimi

Hieronymi. Cuius passio apud Romanos & pene alios omnes IX. Calendarum Maiarum, vt superius notatum est, celebris habetur. Quod idcirco significandum putaui, vt Patriarcha noster Hatto Magontiacensis, qui hoc anno item ab incarnatione Domini, * caput eius, & aliud quoddam membrum cum plurimis & maximis sanctorũ reliquiis in Alemanniam ad nouum monasterium suum à Formoso Apostolico impetratis asportauit. In eius solennitate, S. Georgij videlicet, indicenda, caute se agat, quia & plures in hac die ipsius natalicia celebrare consueuerunt. Et festiuitas S. Marci Euangelistæ à supradicto Hieronymo sancto, priori die, id est, octauo Calendarum Maiarum, auctoritate Eusebij Cæsariensis designata est.

* Hic videtur numerus anni excidisse.

Roma Letania maior: Cuius causæ, quia nos vtpote barbari, & in extremo mundi climate positi, sumus ignari, vel eius, quæ ante ascensionem Domini religionis gratia videtur instituta, vt si quid culpæ sordidantis in diebus indulgentiæ contractum videatur, vel hoc triduano ieiunio diluatur, hic rationem secundum traditionem maiorum commodum duximus aperire. S. Auitus Viennensis Episcopus refert in quadam homilia quam de rogationibus scripsit, has ipsas rogationes quas ante ascensionis Dominicæ triumphum celebramus, à Mamerto ipsius Viennensis vrbis Episcopo, cui & hic eo tempore præerat, institutas fuisse, dũ vrbs illa multis terreretur prodigiis. Nã terræmotu freqũeti quatiebatur, sed & ceruorum atq; luporum feritas portas ingressa, per totam vt scripsit vrbem nihil metuens oberrabat. Cũque hæc per anni circulum gererentur, aduenientibus Paschatis solennitatibus, expectabat misericordiam Dei plebs tota deuote, vt vel hi magnæ solẽnitatis dies, huic terrori terminum darent. Sed in ipsa gloriosæ noctis vigilia, dum Missarum celebrarentur solemnia subito palatium regale intra muraneum diuino igne succenditur. Pauore omnibus perterritis, & Ecclesiam egressis, credentibus, ne aut hoc incendio vrbs tota consumeretur, aut certe disrupta tellure dehisceret: Sanctus Sacerdos prostratus ante altare cum gemitu & lachrimis Domini misericordiam deprecatur. Quid plura? Penetrauit excelsa poli oratio Pontificis inclyti, restinxitque domus incendium, flumine profluentium lachrymarum. Cumq; hæc agerentur, appropinquante ascensione, vt iam diximus, maiestatis dominicæ, indixit populis ieiunium, instituit orandi modum, edendi seriem, erogandi hilarem dispensationẽ. Cessantibus inde quoque terroribus, per cunctas prouincias dispersa facti fama cunctos Sacerdotes imitari commonuit, quod Sacerdos fecit ex fide.

fide. Quæ Letania vsque nunc in Dei nomine per omnes Ecclesias in cōpunctione cordis, & contritione spiritus celebratur.

VI.Cal.Maij. D

Romæ natiuitas S.Anacleti Papæ, qui duobus post B. Petrum cū Ecclesiam rexisset annis, XII. persecutione Domitiani, martyrio coronatus est. Hic memoriam B.Petri construxit, & composuit loca vbi Episcopi reconderentur. Hic Presbyter à B. Petro est ordinatus. Hic ad sacrificandum idolis ductus, sacrificauit: deinde pœnitentia ductus, pro confessione veræ fidei, capite truncatus est.

Ipso die natiuitas S.Marcellini Papæ, qui cum Ecclesiam nouem annos, & menses 4. rexisset temporibus Diocletiani & Maximiani ab eodem Diocletiano pro fide Christi cum Claudio & Cyrino & Antonio capite truncatus est, & post dies 35. sepultus via Salaria, in cubiculo, à Marcello Presbytero & Diaconibus cum hymnis. Quo tempore fuit magna persecutio, ita vt intra mensem decem & septem millia martyrio coronarentur.

In Gallia Richarij Episcopi & Confessoris.

V.Cal.Maij. E

Romæ natiuitas S.Anastasij Papæ, qui post B.Petrum quadragesimus primus, sedit in Episcopatu annos tres, dies decem. Hic Manichæos in vrbe Roma inueniens damnauit, & constitutum fecit, vt nullus transmarinus in Clericatum susciperetur, nisi quinque Episcoporum designaret chirographum.

In Nicomedia S.Anthimi Episcopi & Martyris. Qui persecutione Diocletiani ob confessionem Christi, martyrij gloriam capitis obtruncatione accepit. Quem tanquam bonum pastorem viam martyrij præeuntem, vniuersa pene gregis multitudo secuta est. Quorum alios præfatus Tyrannus apud eandem ciuitatem tunc temporis residens, gladio obtruncari, alios ignibus cōflagrare, alios nauiculis impositos, pelago fecit immergi, ipsis fidelium turbis tanta per Dei gratiam fide inflammatis, vt nec interrogari se paterentur, sed vltro vel flammis irruerent, vel cædentibus gladijs ceruices obiectarent. Scriptum in historia Ecclesiastica libro septimo.

In

In Tharso Ciliciæ natiuitas S. Castoris. In Lydia Genesij, Sodalis Zotici, Elpidij & Eutychij.

F *IV. Cal. Maij.*

*patris. Apud Rauennam natiuitas S. Vitalis Martyris, *cum SS. Geruasij & Protasij. Qui militaris cum Paulino Iudice Rauennam ingressus est, & cum videret in conspectu iudicis sui Christianum nomine Vrsicinum, arte medicum, natione Ligurium, post nimia tormenta capitalem accepisse sententiam: Locus autem vbi decollabantur Christiani, hoc habebat vocabulum, vt diceretur, ad Palmam, eo quod arbores antiquæ palmæ illic essent. Ille igitur vt diximus, post nimia tormenta decollandus cum veniret ad palmam, expauit, & dum mallet male euadere, exclamauit voce magna Vitalis dicens: *Noli, noli Vrsicine medice, qui alios curare consueuisti, te ipsum æternæ mortis iaculo vulnerare, & qui per passiones nimias venisti ad palmam, coronam perdere à Domino tibi præparatam.* Audiens hæc Vrsicinus genu posuit, & speculatorem vt feriret, hortabatur, agēs pœnitentiam quod expauisset, & sic Christi Martyrem se fecit. Statimque B. Vitalis corpus eius rapiens, & intra Rauennatium vrbem sepeliens, ad iudicem vltro venire contempsit. Ideoque à Paulino consulari tentus, post equulei tormenta iussus est perduci ad palmam, & facta fouea profunda, quousq; perueniretur ad aquam, ibi supinus depositus, & terra ac lapidibus est oppressus. Beata vero Valeria vxor eius, cum post mortem viri Mediolanum tenderet, Syluano sacrificantes incurrit. Qui cum eam deponentes de Saumario hortarentur de idolothytis manducare, nec sibi omnino licitum esse testaretur, quia esset Christiana, tanta ab eis cæde mactata est, vt vix seminecem eam sui homines ad Mediolanensem vrbem perducerent, ita vt intra biduum migraret ad Dominum.

Alexandriæ S. Theodoræ virginis. Quæ sacrificare contemnens, in lupanar tradita, miro Dei fauore erepta est. Astante quippe iam ad ostium cellæ multitudine iuuenum impudicorum, repente quidam è fratribus Didymus nomine, plenus fide, diuinitus inspiratus, sumpto militari habitu, primus lupanar irrupit, & S. virgini cur venisset exponēs, illi militares imposuit exuuias, ipse virginali veste induitur. Sic virginali veste induitur. Sic virgo egressa & à nullo agnita, ad ciuitatē fugiens, euasit. Didymus Præsidi exhibitus, & omne factum constanter exponens, Christianum se esse confessus, abscisso capite igni traditus est. Beata quoq; virgo quæ pro tuenda virginitate ex lupanari fugerat, amore coronæ continuo ad stadium regressa simul cum Didymo percussa, & simul est coronata.

In

In Pannonia Eusebij Episcopi, Tiballi, & Pollionis.

In Africa prouincia Numidia, sanctorũ Manilij, Donati, Maurilij, Luciani, Victorini, Niciæ Virginis & aliorum septuaginta duorum.

Item Luciani cum aliis ducentis & septuaginta.

In Tarso Ciliciæ Malinæ cum aliis centum septuaginta, & aliorum multorum.

III. Cal. Maij.

In Papho insula natiuitas sancti Tychici Apostolorum discipuli. G

Apud Alexandriam natiuitas sanctorum Germani Presbyteri, Prosdoci Diaconi.

In Perusio Tusciæ Valentini & Martiani.

In Bononia Vitalis & Agricolæ.

In Numidia apud Cirtensem coloniam sanctorum Martyrum Agapij & Secundini Episcoporum. Qui persecutione Valeriani post longum exilium apud præfatam vrbẽ, in qua tunc maxime gentilium cæco furore, & officiis militaribus ad tentandum iustorũ fidem, rabies Diaboli infestantis inhiabat, ex illustri Sacerdotio effecti sunt Martyres gloriosi. Passi sunt in eorum collegio Æmilianus miles, Tertulla, & Antonia sacræ virgines, & quædam mulier cum suis geminis.

II. Cal. Maij.

In ciuitate Sanctonis natiuitas S. Eutropij Martyris. Qui à beato A Clemente Apostolorum successore ad Episcopatum consecratus & in Gallias prędicandi gratia directus, impleto huius officij munere insurgentibus paganis, quos author inuidiæ credere non permisit: Ictu securis colliso capite victor occubuit.

In Alexandria natiuitas sancti Aphrodisij Presbyteri & aliorum triginta.

Romæ depositio Quirini Episcopi.

Passio sanctorum Mariani & Iacobi, quorum prior Lector, sequens Diaconus erat. Et cum iam pridem infestationes Decianæ persecutionis in confessione Christi euicisset, iterum cum charissimo collega tentus, apud Cirtensem coloniam post dira & exquisita supplicia, ita vt Marianus per summos apices pollicum suspensus, & graui pondere pedibus innex⁹, crudelissime torqueretur, tum cæteri in carcere macerati

 sunt,

ſunt, ſed diuinis reuelationibus mirabiliter confortati: Deinde Lambeliſitanam vrbem ad præſidem directi, & rurſum longo tempore carcerali ergaſtulo mancipati, ſed iterum diuinis reuelationibus allcuati: nouiſſime cum multis aliis gladio conſumati ſunt.

Menſis Maij habet dies triginta & vnum, Lun. triginta.

Cal. Maij.

B Pauſatio Ieremiæ Prophetæ. Initium prædicationis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Natale Apoſtolorum Philippi & Iacobi. Ex quibus Philippus cum totam pene Scythiam ad fidem Chriſti conuertiſſet, Diaconibus, Presbyteris & Epiſcopis ibi conſtitutis, reuerſus eſt ad Aſiam. Vbi continuę prędicationi, per aliquot annos inſiſtens, multitudinem populorũ Chriſto laboribus piis ſemper inſeruiens lucratus eſt. Quique apud Hierapolim Aſiæ ciuitatem,* dormiuit cum patribus ſuis, extincta hæreſi Ebionitarum, qui Chriſtum Ieſum ante incarnationis tempus fuiſſe negabant, & ſepultus eſt in pace. Iacobus vero qui & frater Domini dicitur, pro eo quod filius materteræ eius Mariæ perhibetur, cognomento Iuſtus, poſt paſſionem Domini ſtatim ab Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopus eſt ordinatus. Hic de vtero matris ſanctus fuit. Vinum & ſiceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonſus eſt, nec vnctus vnguento, nec vſus balneo. Huic ſoli licitum erat ingredi ſancta ſanctorum. Siquidem veſtibus laneis non vtebatur ſed lineis. Sed cum publice in Concilio compelleretur, vt Dominum Ieſum Chriſtum & filium Dei eſſe denegaret, & ille voce maxima proteſtaretur ad populum dicens. *Quid me interrogatis de filio hominis? Ecce ipſe ſedet à dextris virtutis, & venturus eſt in nubibus cœli.* Præcipitatus de pinna templi, confractis cruribus, adhuc ſemianimis, tollens ad cœlũ manus diceret. *Domine ignoſce eis, quod enim faciunt neſciunt.* Fullonis fuſte in cerebro percuſſus, occubuit. Hic eſt de quo & Apoſtolus Paulus ſcribit ad Galatas. *Alium autem Apoſtolorum vidi neminẽ niſi Iacobũ fratrem Domini.* Et Apoſtolorum ſuper hoc acta crebrius teſtantur. Euangelium quoque, quod appellatur ſecundum Hebræos, & à beato Hieronymo, in Græcum ſermonem Latinumq; translatum eſt, poſt reſurrectionem Saluatoris de eo refert. *Dominus autem venit ad Iacobum Iuſtum, & apparuit ei. Iurauerat autem Iacobus ſe non comeſturum panem ab illa*

** Confunditur hic Philippus Apoſtolus cum Philippo Diacono. Vide Baronium.*

Gal. 1.

illa hora, qua Calicem Domini biberat, donec videret eum resurgentem à mortuis. Rursumq; post paululum: *Afferte, ait Dominus, mensam & panem.* Statimque additur; *Tulit panem & benedixit & fregit, & dedit Iacobo Iusto, dixitque ei: frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis à dormientibus.* Inde est, vt quidam existimant quod in Epistola Pauli ad Corinthios specialiter ei dicitur apparuisse, sic scriptum est: *Deinde visus est à Iacobo.* Triginta itaque annis Hierosolymitanorum rexit Ecclesiam, id est, vsq; ad septimum Neronis annum, & iuxta templum vbi præcipitatus fuerat, sepultus. Scripsit autem vnam tantum Epistolam, quæ de septem Canonicis est.

1. Cor. 15.

In Gallia territorio Viuariensi S. Andeoli Subdiaconi. Quem misit ab Oriente sanctus Polycarpus Smyrnensis Episcopus discipulus beati Ioannis Apostoli, cum beato Benigno & Andochio Presbyteris, & Thyrso Diacono, ad prædicandum verbum Dei in Gallia. Cuius prædicatione Cæsar Seuerus comperta, spinosis fustibus crudelissime flagellatum in carcerem tradi præcepit. Et alia die productum cum videret superari non posse, iussit ad similitudinem gladij de ligno durissimo ensem fieri, & in crucis modum eius caput findi. Quod cum factum fuisset, eliso in terram cerebro, gloriosa morte translatus est ad vitam æternam. Item Ierosolymis passio sancti Iudæ siue Quiriaci Episcopi, cui reuelatum est lignum Dominicæ crucis, & Annæ matris eius, omnimodis passionibus cruciatæ.

Item in Galliis territorio Sidunensi loco Agauno passio * Sigmundi Regis, filij Gundewaldi Regis Burgundionum. Qui cum se cerneret Francis resistere non posse, solus fugiens coma deposita habitum religionis suscepit, & ieiuniis, vigiliis, atque orationibus die noctuq; vacans, captus à Francis cum vxore ac filiis in puteum demersus occubuit. Postea vero cuidam Abbati reuelatus, & ab eo reuerenter sepultus, etiamnum miraculis claret. Adeo vt frigoretici ab eo quasi specialem expetere soliti sint medicinam, & fideliter expetentes nequaquam priuentur eadem.

* *Sigimundi*

VI. Non. Maij.

Natiuitas S. Patris nostri Athanasij Alexandrinæ vrbis Episcopi & Confessoris; Qui multa Arrianorum perpessus insidiis, & maxime Constantij Imperatoris, adeo vt sex continuis annis in lacu Cisternæ non-

non habentis aquam, nunquam Solem conſpiciens latitauerit, totis Regni viribus in eius necem conſpirantibus. Sed & ibi à quadam ancilla patrisfamilias, qui ei latebram præbere curaret, proditus, ſed diuina ſe gratia protegente ſeruatus, & in ſedem ſuam Conſtante Galliarum principe, apud fratrem Conſtantium impetrante, reſtitutus. Rurſumque poſt mortem illius ob conſtantiam Catholicæ fidei fugatus, vſque ad imperium Iouiani latuit. A quo honorificis & officioſiſſimis litteris requiſitus, Eccleſiarum diſponendarum ſtatutus in ſede ſua poteſtatem accepit. Anno autem Sacerdotij ſui quadrageſimo & vltra, poſt multos agones, multasq; patientiæ coronas, quieuit in pace, temporibus Valentiniani & Valentis Imperatorum: Vitam ſancti Antonij Anachoretæ futuris generationibus profuturam, eleganti ſermone, & plurima ſapientia refertam, ſcriptam relinquens.

Item Alexandriæ Saturnini & Neopolis. Qui in carcere requierunt.

Antiſiodoro Optati Epiſcopi & Sanctiani Presbyteri.

V. Non. Maij.

D Hieroſolymis inuentio ſanctæ crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti ab Helena Regina, poſt paſſionem Domini anno ducenteſimo trigeſimo tertio, regnante Conſtantino Imperatore filio eiuſdem Helenæ. Quàm poſt tam diuturna tempora diuina reuelatione repertam, & reſuſcitatione mortui comprobatam, ac per medium diuiſam, ita cunctoorbi curauit exhibere ſalubrem, vt pars Hieroſolymis in loco Dominicæ paſſionis relicta, Orientalibus & Auſtrinis non fieret elongata, & pars Conſtantinopolim ad filium deportata, Septentrionalibus & Occidentalibus eſſe videretur ad inuiſendum aliquantulum propinquata. Quæ Dominica crux in materia inſenſata; vim ſenſatam, & procul dubio vitam retinens, ita vt ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis, lignum ſuum accommodet vt detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, iugiter diuidua ſumentibus, & ſemper tota venerantibus; Sed iſtam imputribilem virtutem & indetribilem ſoliditatem, de illius profecto ſanguine creditur accepiſſe, qui paſſus mortem non vidit corruptionem, imo cunctis in ſe credentibus immortalitatem prouidit & incorruptionem.

Eodem die Romæ via Nomentana miliario ſeptimo natiuitas S. Alexandri Papæ. Qui Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum, quintus poſt

beatum

beatum Petrum, annos decem, menſes duos, dies decem, ſanctitate incomparabilis rexit, & fide clariſſimus maximam partem Senatorum vrbis conuertit ad Dominum. Hic conſtituit aquam ſparſionis cum ſale benedici in habitaculis fidelium, & paſſionem Domini miſcuit in prædicatione Sacerdotum, cum Miſſæ celebrantur. Qui iubente Traiano Cæſare ab Aureliano comite vtriuſque militiæ, carceri mancipatus, & inde per cœleſtem nuntium, ad domum Quirini tribuni, vbi beatus Hermes præfectus in cuſtodia tenebatur, perductus, poſtquam filiam ipſius Quirini nomine Balbinam in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti à ſtruma colli ſanauit, & nutricem eius illuminauit, ipſumque Quirinum in fide Chriſti confortauit, & eos quos carcer incluſerat baptiſatos, inde liberauit: Inter quos etiam duos ſanctiſſimos Presbyteros Euentium & Theodulum, idem Quirinus adhuc gentilis conſtrictos habuit: Poſt hæc omnia & multa alia Apoſtolicè facta, exhibitus eſt ipſi Aureliano, cum duobus ſupradictis Presbyteris, & in equuleum leuatus, tortus vngulis, atque lampadibus grauiſſime eſt attrectatus. Cumque nullas voces emitteret, dixit ei Aurelianus. *Quare taces?* Sanctus Alexander reſpondit. *Quia tempore orationis Chriſtianus homo cum Deo loquitur.* Tunc eo depoſito, iuſſit applicari Euentium & Theodulum, & interrogauit eum. *Qui ſunt iſti?* Sanctus Alexander dixit: *ambo viri Sancti, ambo Presbyteri.* Quos etiam ipſos cum in confeſſione Chriſti conſtantiſſimos inueniret, iuſſit furnum acriter incendi, & beatos Alexandrum & Euentium ligatos in medio præcipitari. Ad quos inuictus Theodulus ſponte proſiluit in flammas, cumque non læderentur ab igne, fecit Aurelianus beatiſſimum Alexandrum punctis creberrimis per cuncta pungi membra donec deficeret. Sanctos autem duos Presbyteros gladio conſumari. Quorum corpora Seuerina religioſa fœmina colligens, beatum Alexandrum atque Euentium in vno ſepulchro, ſanctum vero Theodulum ſeparatim in altero diligenti accuratione commendauit.

Ipſo die natiuitas ſancti Iuuenalis Epiſcopi.

In Aſia ſancti Hermogenis de antiquis.

Antiſiodoro depoſitio ſanctorum Euſebij Presbyteri, & Auiti Diaconi.

Eodem die Heraclij Martyris.

IV. Non: Maij.

In Palæſtina ciuitate Gaza natiuitas ſancti Syluani eiuſdem vrbis Epiſco-

Episcopi. Qui persecutione Diocletiani cum plurimis clericorum suorum Martyrio coronatus est.

* Ebennensi. Item in Metallo * Fanensi sanctorum quadraginta Martyrum, qui simul capite cæsi sunt.

Hierosolymis Quiriaci Episcopi, cognomento Iudæ, qui posteaquam Dominicam crucem reperit, & in fide Christi profecit, a Beato Eusebio Romanæ vrbis Episcopo, Hierosolymorum est Antistes ordinatus. Cuius fama Iulianus apostata cognita, cum ad bellū Persicum, vbi & diuinit⁹ est interemptus, tenderet, iussit eum ad se perduci. Quē cum nullis terroribus aut promissionibus à Confessione Christi posset immutare, iussit dextram eius abscindi manum, dicens: *In hac manu multas scribens Epistolas, multos separauit à sacrificiis deorum.* Sed videns eum immobilem, & fixum in Christo perseuerare, iussit plumbum bulliens in os eius infundi, vt & interiora viscera eius conflarentur. Cumque ne sic quidem eius constantiam emollire valuisset, iussit grabatum æreum afferri, & in eo sanctum virum extendi, & substerni carbones ignis, & spargi super eum sal & adipem, & desuper virgis cædi. Matrem autem eius hæc omnia perseueranter aspectantem, & non solum impauidam, sed etiam constantissimam permanentem, ac filium materno affectu confortantem, iussit impiissimus tyrannus per capillos suspensam, pene tribus horis vngulari, & lampades magnas, flamma ardentes, lateribus eius applicari. Quæ in gratiarum actione, inter tam immanes cruciatus perseuerans, immaculatum Deo reddidit Spiritū. Tunc præcepit Iulianus nequissimus fossam fieri altam, & vocauit plurimos incantatores serpentium, & iussit eos nequissimos serpentes afferre, & mitti in fossam, & sanctum Quiriacum proiici in medio eorum. Cumq; serpentes diuino nutu mortificati fuissent, & Ammon serpentarius ad tantum miraculum credidisset, capite plexus est. Tunc Iulianus consueto sibi more Beatum Quiriacum compellans, vt crucifixum negaret, & ab eo digna inuectione coërcitus, iussit cacabū magnum impletum oleo calefieri, & in eum sanctum Quiriacum mitti. Sed cum nimium ferbuisset Cacabus, ita vt astantes calorem sustinere non possent: Dixit sanctus: *Longe recedite filioli, vt nemo confletur ex vobis,* & faciens in fronte sua signum Crucis, ingressus est in cacabum quasi ad lauacrum. Cumque ne sic nocitus fuisset, iussit eum tyrannus de Macroconto in pectus percuti. Qui percussus in voce confessionis emisit Spiritū, & cū triumpho martyrij peruenit ad Christū. Dies passionis eius secundū alios hic, secundū martyrologiū verò S. Hieronymi Calendis Maij celebris habetur.

Item

Item die supraſcripto Nicomediæ ſanctæ Antoninæ. Quæ nimiam torta, & variis cruciatibus afflicta, brachio tribus diebus ſuſpenſa, & in carcere biennio detruſa, à Priſcilliano præſide ad vltimum flammis exuſta eſt.

Eodem die in * Nicorio ripenſi, loco Lauriaco natiuitas ſancti Floriani. Qui tempore Diocletiani & Maximiani Imperatorũ ſæuiẽte iniquiſſimo præſide Aquilino, iuſſus eſt ad collum ſaxo ligato poſt nimias cædes, & lacerationes in flumen Aniſum præcipitari. Cumque lictores diuino metu pauefacti, impium facinus exhorruiſſent, quidam iuuenis audacior & infœlicior ceteris, præcipitauit eũ de ponte in fluuiũ, & ſtatim oculi eius crepuerunt: Vnda vero famulatrix corpus S. Martyris in quodam ſecretiori loco ſaxo eminentiori depoſuit, vbi ei tamdiu aquila exhibuit cuſtodiam, donec ipſe cuidã religioſæ fœminæ eundem locum demonſtrauit, & ei de transferendo corpore ſuo mandauit.

* Norici

III. Non: Maij.

F

A Bethania in monte Olíueti iuxta Ieroſolymam ſita, aſcenſio Domini noſtri Ieſu Chriſti in cœlum. Vbi cum Eccleſia regio cultu cõſtructa viſatur & tecta, proprie locus ille, in quo nouiſſime ſtetit, & vnde ad cœlos corpus incorruptiuum librauit, ita ſacratus diuinæ Maieſtatis impreſſione creditur, & ab incredulis etiam cernitur, vt nunquam deſuper tectum ſuſtinere, aut deorſum marmor, aut aliud pauimentum recipere patiatur, ſed in media baſilica, Dei & hominis vltima veſtigia arenæ cernantur omni tempore impreſſa, vt locum ipſum adeuntes non immerito poſſint in hanc Propheticæ laudationis vocem erumpere. *Adorauimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius.*

Pſalm. 131.

Apud Alexandriam natiuitas ſancti Euthymij Diaconi, in carcere quieſcentis.

Theſſalonicæ Irenæi & Peregrini atq; Irenes igni combuſtorũ.

In Gallia quæ dicitur Prouincia ciuitate Arelatenſi ſancti Hilarij Epiſcopi, magni, docti & præclariſſimi viri. Qui paupertatis amator, & erga inopum prouiſionem, non ſolum mentis pietate, ſed & corporis ſui labore ſolicitus erat. Nam pro reficiendis pauperibus etiam ruſticationem contra vires ſuas & vſum, homo genere clarus, & longe aliter educatus exercuit, ſed nec in Spiritualibus neglexit: Nam & in docendo gratiam habuit, & abſque perſonarum acceptione omnibus caſtigationem ingeſſit. Pelagianam quoque hæreſim in Col-

in Collatore maxime deprehendit, & corrigere fategit. Inter fua vero opera ad multorum vtilitatem neceffario opere vitam fancti Honorati decefforis fui ingenio immortali compofuit. Moritur Valentiniano & Martiano Imperatoribus.

Viennæ Nectarij & Nicetij Epifcoporum.

Antifiodoro paffio fancti Iouiani Confefforis.

II. Non: Maij.

G Romæ ante portam Latinam paffio fancti Ioannis Apoftoli. Qui ab Ephefo vbi manere confueuerat, iuffu Domitiani fratris Titi, fecunda in Chriftianos perfecutione, quam ipfe poft Neronem exercuit, ad vrbem Romam perductus, præfente Senatu ante portam Latinam in feruentis olei dolium miffus eft. Agente hoc impio Principe, qui Chriftianorum infeftiffimus perfecutor erat, vt tam valido capite detruncato, infirmiora cederent Ecclefiæ membra. Sed beatus Apoftolus tàm illæfus à pœna immaniffima exiit, quam à corruptione carnis permanfit immunis. Tunc in Pathmum infulam relegatus exilio, Apocalypfin vidit & fcripfit. Ad commendandam ergo ipfius dignam memoriam, & Apoftolicam in fide & confeffione Domini noftri Iefu Chrifti conftantiam, Chriftiani bafilicam ipfius nomine ac memoria gloriofam, in fupra dicto loco ante portam Latinam præclaro opere condiderunt. Vbi feftiuum concurfum pridie nonas Maias annuatim vfque hodie facere non defiftunt. Quod & in plurimis Ecclefiæ Catholicæ locis religiofe folet actitari. Poft mortem vero Domitiani, omnibus eius conftitutis Senatus iudicio caffatis, inter alios diuerfis ex caufis ab eo damnatos, & in exilia detrufos, etiam beatus Apoftolus Ioannes indulgentia Neruæ * Imperatricis dimiffus, & ad Ephefum redire permiffus, Ecclefiam ad tempus abfentia fua deftitutam & contriftatam, aduentu fuo lætificauit, & exemplis inftructam dictis & fcriptis in perpetuum confortauit. Porro propter nimiam crudelitatem, & impiiffimi perfecutoris eius Domitiani facinora, in eo vt Hiftoriographi referunt, & domus & nomen Cæfarum defecit. Vt verò etiam poftea Reges Romanorum Cæfares appellarentur, antiqua confuetudo & maxime apud Barbaras nationes obtinuit.

*Imperatoris.

Eodem die natiuitas beati Euodij Antiochenæ Ecclefiæ Epifcopi, qui primus ab Apoftolis ibi eft ordinatus Epifcopus. De quo ipfe

Paulus

Paulus Philippensibus scribens ait: *Euodium rogo, & Syntychen depre- cor, idipsum sapere in domino Iesu Christo.* Philipp. 4.

Item natiuitas Beati Lucij Cyrenensis, qui apud Cyrenen primus Episcopus à sanctis Apostolis est constitutus. Quem etiam in actibus Apostolorum sanctus Lucas Euangelista in Catalogo virorum commemorat perfectissimorum. Actor. 13.

Item Mariani & Iacobi iuxta quosdam, & aliorum plurimorum.

Antisiodoro depositio S. Valerij Episcopi.

Nonis Maij.

Natiuitas sancti Iuuenalis Martyris: Et beatissimæ atq; illustrissimæ Dei famulæ, Flauiæ Domitillæ: Quæ cum esset Flauij Clementis Consulis ex sorore neptis, & à sancto Clemente sacro velamine ad integritatis perseuerantiam consignata, persecutione Domitiani, anno principatus eius decimo quinto, ob testimonium quod Christo perhibebat, cum aliis plurimis, in insulam Pontianam exilio deportata, longum inibi martyriũ duxit. Nouissime cum ab Aureliano Sponso suo, quẽ ꝓ Christo contempserat, & cuius accusatione exilio fuerat relegata, translata esset ad Terracinam vrbem Campaniæ, & doctrina ac miraculis primo Euphrosynam & Theodorã collactaneas & conuirgines suas, Deinde etiam alios ad fidem domini conuertisset: Inter quę magnalia prædictus Aurelianus infestissimus persecutor eius diuina virtute extinctus est, à Luxurio fratre eius incenso cubiculo, in quo simul cum præfatis virginibus clausa morabatur, cursum gloriosi martyrij consumauit sub persecutione Traiani. Altera vero die sanctus Diaconus nomine Cæsarius inuenit corpora sanctarum illæsa. In facies enim suas prostratæ, orantes dominum recesserunt. Quarum corpora idem sanctus Diaconus & Martyr inclytus in sarcophago nouo simul condiens, in profundo terræ infodiens, sepeliuit. Luxurium vero dum ad conuiuium properaret, coluber de ramo arboris per capitium ad cor eius ingressus, enectum & turgidum ad spectaculum & exemplum infidelium dereliquit. A

Item Romæ depositio Benedicti Pontificis, qui sedit menses decem, imperante Constantino. Hic ab ineunte ætate in Ecclesia militauit, paupertatis semper amator. Sepultus est apud Beatum Petrum.

Apud Nicomediam passio sanctorum Martyrum Flauij & Augustini, & trium fratrum Marcellini, Macrobij, & Eutychij.

In Africa Celerini, Maximi, Victuri, Potentillæ, Faustinæ & aliorum innumerabilium. Augustoduno depositio beati Placiti Episcopi.

IIX. Id. Maij.

B Mediolani natalis sancti Victoris. Qui natione Maurus, & à primæua ætate Christianus, cum esset in castris Imperialibus miles, etiam canitie decoratus, compellente Maximiano Imperatore, vt sacrificaret Idolis, in confessione domini fortissime perseuerans, post ergastulum carcerale, vbi sex dies sine cibo & potu permansit, primo grauiter fustibus & flagellis cæsus, deinde liquenti plumbo perfusus, sed nihil penitus læsus: nouissime gloriosi martyrij cursum capitis abscissione compleuit. Cuius corpus apud Syluam quæ ad vlmos vocatur, bestiis & volucribus proiectum, sed per integram hebdomadam à nulla earum contaminatum, à sancto Materno Episcopo collectum, & honorifice sepultum est. Erat autem ciuis sanctorum Naboris & Felicis, qui in Africa decollati, simul cum Ianuario & Marino Mediolanum translati sunt.

Constantinopoli Agathi militis, & aliorum valde multorum.

In Ægypto Victoris & Stephanæ.

In Sanctonico depositio S. Martini Presbyteri.

Antisiodoro Helladij Episcopi.

VII. Id. Maij.

C In Axiopoli Quirilli, Quindei, Zenonis.

In Tharso Ciliciæ Afrodisij.

Constantinopoli translatio S. Timothei.

In Perside sanctorum trecentorum & decem Martyrum.

Apud Nazanzi oppidum depositio beati Gregorij Episcopi, qui Theologus dicitur, nobilis, Athenis eruditus, collega Beati Basilij Cæsareæ Cappadociæ postea Episcopi. Quique cum se totum Dei seruitio mancipasset, tantum de collegæ amore præsumpsit, vt sedentem Basilium de doctoris Cathedra deponeret, ac secum ad monasterium manu iniecta perduceret, ibique per annos tredecim omnium Græcorum secularium libris remotis, solis diuinæ scripturæ voluminibus operam dabant. Postmodum verò apud Nazanzum oppidum Episcopus ordinatus, hæreticorum turbinem fidei serenitate dispulit. Deinde etiam

etiam Constantinopolim ad corrigendam vocatus, ire, & eius curam suscipere non abnuit. Qua in fide Catholica roborata, ne cupiditate illectus, ditioris inuasor æstimaretur, ad pauperrimam sedem suam reuersus, quod superfuit vitæ, in ea tempus exegit. Et quoniam fessa iam ætate & corpore inualidus erat, successorem sibi delegit, quo Ecclesiam gubernante debilitatis & senectutis otio frueretur.

VI. Id. Maij.

Depositio Beati Iob Prophetæ.

Romæ Faltonis, Pinianæ, & Anitiæ, Lucinæ coniugis eius, cum aliis plurimis Martyribus. D

Item Romæ Calepodij senis Presbyteri sub Alexandro Imperatore, qui eum fecit occidi à Laodicio, & corpus trahi per ciuitatem, atque in Tyberim iactari, die Calendarum Maij. Quod inuentum Piscatores leuauerunt & narrauerunt Callisto Episcopo. At ille acceptum condiuit cum aromatibus, & linteaminibus inuolutum, sepeliuit in cœmeterio eiusdem, via Aurelia, miliario ab vrbe tertio, in Crypta, sexto Idus Maij. Tunc decollatus est ab Alexandro Palmatius Consul cum vxore & filiis, & aliis promiscui sexus quadraginta duobus. Cum quibus & Simplicius Senator. Qui per doctrinam Callisti Papæ, & Calepodij Presbyteri, nuper fuerant baptisati. Scriptum in passione Beati Callisti Papæ.

Eodem die natale Beati Gordiani Martyris, qui sub Iuliano impiissimo Imperatore passus est. Nam cum prædictus tyrannus præcepisset eidem Gordiano Vicario suo adhuc gentili vt Ianuarium Presbyterum diligenter examinaret, si quo modo illum posset auertere à fide Christi: Sanctus autem Ianuarius eum magis lucratus esset Christo cum vxore ipsius nomine Marina, & familia promiscui sexus, numero quinquaginta tribus, & eo amplius, atque vniuersos baptismatis vnda consecrasset: Audiens hoc impiissimus Iulianus iracundia plenus, sanctum Ianuarium Presbyterum proscriptione damnauit. Sanctum vero Gordianum in custodia publica posuit, atq; cuidã Clementiano, quem Vicarium eius loco deputauerat, commisit. Porro vxorẽ eius Marinam ad aquas Saluias in seruitio Rusticorũ opprimi fecit. Cũ autem vidisset Clementianus, quia sanctum Gordianum nullo modo à statu fidei suæ posset auertere, iussit eum primo plumbatis cædi, dein capite truncari, & corpus eius ante templum Apollinis * intellude iactari. Quod cum factum Christiani comperissent, corp' eius nocturno

*forte palude.

 silen-

silentio rapientes, miliario plus minus vno ab Vrbe Roma posuerunt in crypta in cœmiterio Prætextati, vbi iam pridem corpus beati Martyris Epimachi sepultum fuerat. Quem ferunt vnum de septuaginta discipulis Domini Iesu Christi fuisse.

V. Id. Maij.

E Passio sancti Euellij Martyris. Qui antea Consiliarius Neronis Imperatoris fuit. Sed videns constantiam Christianorum quomodo martyrizarentur, & præcipue patientiam sancti Torpetis, & mirabilia quæ per eum facta sunt, credidit Christo, ita vt etiam pateretur pro illo.

Romæ via Salaria miliario vigesimo secundo S. Anthimi.

In Africa Maioli, Victorini, Fortunati & aliorum multorum.

In Asia natiuitas sanctorum Demetrij & Thadæi.

Viennæ beatorum Episcoporum Martini & Materni. Quem Maternum ob clades imminentes, solenni ante ascensionem domini letanias instituisse retulimus.

Item depositio Nepotiani Presbyteri; nepotis Heliodori Episcopi de sorore, in cuius Epitaphij consolatione S. Hieronymus totum mundum, pro eis quæ in eo fiunt malis & accidunt calamitatibus, in luctum & lamentationem conuertit.

IV. Idus Maij.

F Romæ in cœmiterio Prætextati natiuitas sanctorum Nerei & Achillei fratrum. Qui fuerunt Eunuchi beatæ Flauiæ Domitillæ, & cum ea apud Insulam Pontiam longum pro Christo duxerunt exilium. Postmodum vero ab Aureliano sponso Domitillæ, quem ipsa ob amorem Christi spreuerat, primo verberibus grauissimis * artati, deinde * Moninio Ruffo consulari sunt traditi. A quo cum equuleo & flammis compellerentur ad immolandum, & dicerent se a Beato Petro Apostolo baptisatos, nulla ratione idolis immolare, capite cæsi sunt. Quorum corpora rapuit Auspicius discipulus eorum, nutritor sanctæ Virginis Domitillæ. Quæ etiam nauiculo imposita, adduxit, & in prædio Domitillæ in Crypta arenaria, via Ardeatina sepeliuit, à muro vrbis miliario vno, & semisse.

** attrectati.*
** Memmio Rufo.*

Item via Aurelia miliario secundo, sancti Pancratij Martyris. Qui

cum esset annorum quatuordecim, sub Diocletiano martyrium capitis detruncatione compleuit. Cuius reuerendum corpus, Octouilla illustrissima fœmina occulte noctu sublatum aromatibus conditum sepeliuit.

Eodem die beati Dionysij patrui eiusdem sancti Pancratij. Cuius studio idem Pancratius baptisatus, & in timore Dei confortatus ad martyrium animatus est. Ipse vero cum præmiis cælestibus charus & Deo dignus, diem huius vitæ vltimum in pace conclusit.

Item passio sacratissimæ Virginis Sotheris, genere nobilis, sub Diocletiano Augusto.

Item passio sanctorum Ioannis, Achillis, Moysei, Aphroditi, cum aliis numero quingentis quatuor.

Apud Cyprum S. Patris nostri Epiphanij Episcopi Salaminæ.

III Idus Maij.

Natiuitas S. Mariæ ad Martyres. Cuius festiuitatis ista est ratio. G Sub Phoca Imperatore beatus * Boneficius Papa, in veteri fano quod Pantheon vocabatur, ablatis idololatriæ sordibus, Ecclesiã beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Martyrum dedicauit.

*Bonifacius.

Cuius dedicationis sacratissima dies tertio Idus Maij Romæ agitur. Festiuitas autem omnium sanctorum Calendis Nouembris toto orbe terrarum religiosissime celebratur.

Eodem die S. Seruatij Ecclesiæ Tungrensis Episcopi. Qui tempore quo Hunni Germaniam vastabant, ne ciuitatis atq; Ecclesiæ suæ videret excidium, diuina reuelatione commonitus, transiit ad vicum Traiectensium, ibiq; defunctus, atque in medio publici aggeris est sepultus. Ob cuius meritum hominibus demonstrandum cum tempore hyemis omnia nix in circuitu repleret, nunquam sepulchrum eius operuit, donec industria ciuium, instante etiam successore ipsius Munolfo, Basilica super illum ædificata est.

Antisiodoro depositio S. Marcelliani Episcopi.

In Alexandria Aphrodisij, Agrippæ & multorum Martyrum.

In Pollentia passio sanctorum Victoris & Saturnini.

Pridie Idus Maij.

In Ægypto depositio sancti Patris nostri Pachumij. Qui cum esset A

factis Apostolicæ gratiæ insignis, fundatorque Ægypti cœnobiorum, scripsit Monachorum Regulas, quas Angelo dictante didicerat, simul & de tempore Paschali.

In Syria natiuitas S. Victoris & Coronæ sub Antonino Imperatore, duce Alexandriæ Sebastiano. Erat autem Victor miles à Cilicia. Cui Sebastianus in confessione fidei digitos confringi, & euelli iussit à cute. Deinde illum in Caminum ignis mitti. Vbi triduo permanens non est læsus. Deinde venenum bibere iussus non est mortuus, sed veneficum potius ad fidem conuertit. Deinde iussum est neruos corporis eius tolli: deinde oleum bulliens in pudendis eius mitti. Post hæc lampades ardentes suspenso ad latera applicari. Post hæc acetum & calcem simul misceri, & in os eius infundi. Deinde oculos eius erui. Deinde per triduum capite deorsum verso suspendi. Et cum adhuc spiraret, præcepit eum iudex inquitatis excoriari. Tunc Corona cum esset vxor militis cuiusdam, cœpit beatificare sanctum Victorem pro gloria martyrij, & dum hoc faceret, vidit duas coronas de cœlo lapsas, vnam Victori & alteram sibi missam. Cumq; hoc cunctis audientibus protestaretur, tenta est à duce. Iussumque est duas arbores palmæ curuari adinuicem, & cannabineis funibus ligari Coronam, in vtraq; manibus & pedibus, & sic arbores dimitti. Quod dum fieret diuisa est Corona in duas partes. Erat autem annorum sedecim. Tunc quoque Victor decollatus, & in omnibus Victor effectus, simul cum Corona coronam vitæ perennis, & martyrij palmam accepit.

In Asia beati Maximini.

Mediolani Victoris, Naboris, Felicis, Rustici.

Item quadringentorum sanctorum, qui cum sancto Quiriaco passi sunt.

In Africa Secundiani, & multorum Martyrum.

Idibus Maij.

B In Hispaniis natiuitas beatorum confessorum Torquati, Ctesiphontis, Secundi, * Indelatij, Cæcilij, Hesychij, Euphrasij. Qui Romæ à sanctis Apostolis Episcopi ordinati, & ad prædicandum verbum Dei ad Hispanias tunc adhuc gentili errore implicitas directi sunt. Cumque ad ciuitatem Aceitanam venissent, & propter laborem itineris modicum quiescentes, causa victus emendi discipulos in vrbem misissent, mox Paganorum multitudo, qui tunc forte diis suis festa celebrarent,

* *Indaletir*

brarent, eos vsq; ad fluuium persecuta est. In quo pons miræ magnitudinis & firmitatis extructus, transeuntibus sanctis, Dei nutu cum omni insequentium multitudine funditus corruit. Ad quod miraculum cæteri territi, & cuiusdam magnæ senatricis Lupariæ, quæ diuinitus inspirata, eos benigne suscipiens, credidit, exemplum secuti, relictis idolis Christo Domino crediderunt. Post hæc vero diuersis vrbibus Euangelizantes & innumeras multitudines Christi fidei subiugantes: Torquatus Acci, Ctesiphon Vergij, Secundus Abulæ, Indaletius Vrci, Cæcilius * Heliberri, Hesychius * Carcesæ, Euphrasius * Heliturgi quieuerunt. Extat vsq; hodie illustre miraculum, ad commendationem pretiosæ mortis eorum. Nam eadem solennitate apud præfatam Accitanam vrbem ad sepulchrum sancti Torquati arbor oliuæ diuinitus florens maturis fructibus onustatur.

*Iliberi. *Carteiæ. *Illiturgi

Apud Insulam Chium natiuitas sancti Isidori Martyris, in cuius basilica puteus, in quo & fertur iniectus. De cuius aqua Energumeni & febricitantes, vel reliqui infirmi sæpius potati, saluantur.

* Lamosaco passio sanctorum Petri & Andreæ, Pauli & Dionysiæ. In Sardinia Simplicij.

*Lampsaci

XVII. Cal. Iunij.

In Isauria natiuitas sanctorum Aquilini & Victoriani. C

Antisiodoro passio sancti Peregrini primi eiusdem vrbis Episcopi.

In ciuitate Piceno Florentij & Diocletiani. Apud Ephesum Miogenis, Gaiani & Iouini.

In ciuitate Cortina Vincentij & aliorum.

Apud Castrum Tricassinum depositio * Fidulij Presbyteri. *Fideli

In pago foro Iuliensi, vico qui dicitur Calidianus, sanctæ Maximæ virginis: Quæ multis clara virtutibus in pace quieuit.

XVI. Cal. Iunij.

In Tuscia ciuitate Pisana, natiuitas sancti Torpetis Martyris sub Nerone principe. Qui magnus quidem prius in officio Neronis Cæsaris fuit, sed à beato Antonino Presbytero baptisatus, & in D

fide

fide Christi eruditus est. Quem cum Nero cognouisset esse Christianum, tradidit cuiquam propinquo suo Satellico, vt eum sacrificare compelleret. Sed cum spiritu Dei confortatus beatus vir, & in fide fundatus immobilis permaneret, fecit eum Satellicus alapis cædi, & ligatum ad columnam tamdiu verberibus affici, quousq; sanguis guttatim de corpore ipsius efflueret. Sed subito dum Martyr cæderetur, columna cadens oppressit iudicem, & cum eo viros quinquaginta. Inde tentus à ministris, positus est in rota. Inde feris obiectis à filio Satellici, sed minime læsus ab eis. Cuius constantiam & virtutem quidam Consiliarius Neronis Euellius nomine inspiciens, Christo credidit, ac post paululum baptisatus, decollatus est in vrbe Roma, martyriiq; honore coronatus. Sed & beatus Torpes iubente Syluio foras ciuitatem Pisanam ductus, decollatione martyriũ suum compleuit tertio Calendas Maij. Cuius festiuitas & conuentus ciuium decimo sexto Calendas Iunij agitur. De quo etiam fertur, quod ingens machina, quam aduersarius Dei Nero ad similitudinem cæli commentando fabricauit, meritis & orationibus eius in flumen Auxarum præcipitata fuerit, ita vt nusquam comparuerit.

In Alexandria Victoris & Basilij.

Romæ beati Parthenij.

* Leuiduno Heraclij, Pauli & aliorum.

Item depositio beati* Præandini Confessoris.

*Nouioduni, Heradii, *forte Brandani.

XV. Cal. Iunij.

E In Alexandria Potamonis, Hortasij & Serapionis Presbyterorum.

Item in Ægypto sancti Dioscori Lectoris. In quem Præses multa & varia tormenta exercuit. Ita vt vngues eius effoderet, & lampadibus eius latera inflammaret. Sed cælestis luminis fulgore territi ceciderunt ministri. Nouissime laminis ardentibus adustus, martyrium consumauit. Constantinopoli Hesychij & Eustachij.

XIV. Cal. Iunij.

F Romæ natiuitas sanctæ Pudentianæ Virginis. Quæ illustrissimi generis Pudentis discipuli sancti Pauli Apostoli filia fuit. Cuius mater Sabinella, soror Praxedis. Quas piissimus pater earum Pudens in omni religio-

religione Christi erudiuit, Christoque virgines reliquit. Quæ post obitum patris ita in omni exercitatione pietatis exercuerunt, vt die noctuque incessanter hymnis & orationibus cum familia sua Domino inseruirent. Quam totam beatissimus Pius vrbis Romæ Episcopus baptismatis vnda consecratam, chrismatis vnctione & quotidiana exhortatione confirmauit. Beatæ vero virgines Christi post innumeros Christi agones, & multorum Martyrum venerabiliter exhibitas sepulturas, post omnes facultates suas in visceribus pauperum inclusas, Christoque fideliter commendatas, tandem de terris ad cœlestia regna migrauerunt. Potentiana quidem decimoquarto Calendas Iunij posita in cœmiterio Priscillæ via Salaria. Praxedis vero duodecimo Calendas Augusti. Quæ ab Apostolis susceptum in Christo baptismatis candidatum, vsque ad finem vitæ custodierunt immaculatum.

Item Romæ natiuitas Sanctorum Calocerij & Parthenij, Eunuchorum vxoris Decij Imperatoris. Qui cum essent, vnus præpositus cubiculi, alter primicerius, nolentes sacrificare idolis, à Decio sunt occisi, & à Christianis iuxta viam Appiam sepulti.

In Alexandria sancti Irenæi Diaconi.

In Africa sanctorum Quinti, Primuli, Salustij, & multorum Martyrum.

XIII. Calend. Iunij.

Romæ via Salaria natiuitas sanctæ Basillæ Virginis & Martyris Christi. Quæ cum esset ex regio genere, & haberet sponsum illustrissimum nomine Pompeium, per beatam Eugeniam & sanctos Dei viros Protum & Iacinthum ad fidem Christi conuersa, accusata est à præfato sponso suo apud Gallienum Augustum, quod esset Christiana. Qui eodem tempore immanissimus Ecclesiæ persecutor, decreuit, vt aut sponsum Basilla repeteret, aut gladio interiret. Quæ conuenta super hoc, respondit se regem regum habere sponsum, Christum videlicet veri Dei Filium. Et cum hæc dixisset, gladio transuerberata est. G

In Gallia ciuitate Nemauso passio sancti *Baldelij. Qui à paganis Deorum suorum sacrificia celebrantibus comprehensus, cum sacrificare nollet, sed in fide Christi immobilis inter verbera & tor-

*Baudelij.

menta persisteret, martyrij palmam pretiosa morte percepit, & creberrimis signis clarus effulsit.

Biturigis depositio Austregisili Episcopi & Confessoris.

XII. Calend. Iunij.

A In Mauritania ciuitate Cæsariensi natiuitas Sanctorum Timothei, Pollij, & Eutychij Diaconorum. Qui apud præfatam regionem verbum Domini disseminantes, pariter coronari meruerunt.

Apud Cæsaream Cappadociæ sanctorum Polyeucti, Victorij, Donati.

In Britannia Timothei Diaconi.

Antisiodori depositio beati Valis Presbyteri. A quo nostrates æstimo nomen Valentis mutuatos.

XI. Calend. Iunij.

B Romæ natiuitas sanctorum Faustini, Timothei, Venusti, cum sociis eorum.

In Corsica sanctæ Iuliæ, quæ crucis supplicio coronata est.

In Africa Casti & Æmylij. Qui per ignem passionis martyrium consummauerunt. Scribit beatus Cyprianus in libro de lapsis.

In ciuitate Antisiodorensi depositio beatæ Helenæ virginis.

X. Calend. Iunij.

C Apud Lingones passio sancti Desiderij Episcopi. Qui cum plebem suam ab exercitu Wandalorum vastari cerneret, ad regem eorum pro ea supplicaturus exiuit. A quo statim iugulari iussus, pro omnibus sibi creditis, ceruicem libenter tetendit, & percussus gladio migrauit ad Christum. Percussor vero eius mox amentia correptus, interiit. Sepultus est idem beatus Martyr in Basilica intra vrbis muros. Quod fidelium populus à Christo ei commissus præcipuo amore ipsius, & pia deuotione ad tutelam ciuium fieri procurauit. Contra pessimam quorundam consuetudinem, qui ne sanctissimos quidem in vrbibus tumulari voluerunt, dicentes, ciuitatem ciuium esse viuentium, non cadauerum defunctorum. Passi sunt cum eo & plures alij de numero gregis sui, & apud eandem vrbem conditi.

Eodem

Eodem die apud Viennam natiuitas sancti Desiderij eiusdem vrbis Episcopi. Qui passus est quidem in territorio Lugdunensi in villa Prisciniaca, super fluuium Calaronam: modo autem in Viennensi Ecclesia sepultus, honorifice seruatur. De quo quia venerabilis Pater Ado eiusdem Ecclesiæ nostra ætate Pontifex, vtpote in præsentia posito, & ob id suis in cunctis notissimo, aliquid speciale dicere superfluum existimauit: Nos iuxta scriptum, quod idem Apostolicus vir, anno ab incarnatione Domini DCCCLXX. indictione tertia, per virum sanctissimũ Beroldum Presbyterum indigenam eorundem locorum, sed nunc in castro Turcio Christi seruitiis insistentem, cum reliquiis ipsius sancti Martyris Desiderij, & aliorum Sanctorum pignoribus atque agonibus, nobis in Cœnobio beati Galli constitutis direxit, pauca de eo summatim attingentes, earundem rerum ignaris insinuare curauimus. Igitur incestuosissima regina Brunnichildis Hispanis superba diuitiis, & Arrianis infecta venenis: Ideoque omnibus corrupta vitiis, postquam electos aduenas, peregrinos quidem mundi, sed ciues sanctorum, & domesticos Dei, Columbanum scilicet & discipulos eius, quorum Gallus noster pars præcipua fuit, flagitia sua non ferentes, à Francorum finibus expulit, & sanctus Desiderius tali solatio destitutus, non iam ouem erroneam, sed indomabilem bestiam corrigere studeret, hoc ab ea pro beneficiis recepit, vt in exilium truderetur. Vbi quadriennio diuersis quidẽ laboribus fatigatus, sed tamen gratiâ Dei suos vbiq; comitante adiutus est ac releuatus: adeo vt non solũ ipse necessariis non careret, sed & omnibus se deuota mãsuetudine quærentibus proficua subministraret. Nam quidam totus lepra exasperatus, tactu sancti viri inspectante populo sanitati est restitutus, & Cincindele, quod ad primum Insulę, ad quam exilio deportatus fuerat, ingressum, ipse manu sua accenderat, per omne illud tempus ardens & non deficiens, incolis, & sanctitatem famuli Dei ostendit, & multis infirmantibus omnimodam salutem suo vnguine recuperauit. Vasculum etiam vini, quod ad refocillandum pauperem Christi, minister eius custodela cautissima seruare curauit, sed eo iubente plurimis aduenientibus inde præbendo se exinanisse timuit, lætus iterato diuina largitate repletum inuenit. Sed cum industria consacerdotum suorum diu desideratus Desiderius ad sedem suam reuersus esset, nec tamen fonti iniquitate profluo cursum liberum permisisset, sed intra legitimos terminos coërcere studuisset, tum vero rapacissimi imo furentis fluuij more, omnes iustitiæ metas Brunnihildis

excedens,& committens operariis iniquitatis propugnatorem veritatis,ad Lugdunensem vrbem, quasi ad Concilium, re autem vera ad supplicium deduci præcepit. Quorum aliis virum Dei perimere dissimulantibus, alij qui & insaniores fuerunt,orantem illum lapide primum in cerebro grauiter vulneratum, deinde vallo acutissimo in ceruice confossum, ab hac ærumnosa vita crudelitate nimia propulsarunt. Passus est sanctus Desiderius nullo crimine impetitus, sed criminosis inuisus,die supra memorato, in vico Prisciniaco, temporibus Mauritij Imperatoris, & Theodorici Burgundiorum regis, factione Brunnihildis non reginæ sed meretricis,adnitentibus Bettone,Ephano,atque Gasifredo Comitibus. In diebus autem Etherij successoris sui Viennam cum magna gloria translatus, & extra vrbem in Ecclesia beatissimorum Petri & Pauli Apostolorum inter antecessores suos Martyres & Confessores tertio Idus Februarij sepultus, quotidie signis & virtutibus mirabilis apparet & viuus.

*Epitacij. *Basilei.

Eodem die in Hispaniis * Epictij & sancti * Basilij.

In Africa Quinti & Lucij,atque aliorum multorum.

Nono Calend. Iunij.

D Natiuitas sancti Manahe Herodis Tetrarchę collactanei,doctoris & Prophetæ, sub gratia noui Testamenti apud Antiochiam in Christo quiescentis.

Item beatissimæ Ioannæ vxoris Chuzæ, procuratoris Herodis, quæ in * Euangelio commemoratur. *Luc.8.& 24.

In portu Romano sancti Vincentij Martyris.

In Gallijs ciuitate Nannetis, passio sanctorum Donatiani & Rogatiani fratrum. Qui ab impio Præside compedibus impediti,carcerali sunt ergastulo mancipati. Indeque producti, cum à confessione nominis Christi non possent vllo modo coërceri, iussi sunt equuleo suspendi,& diu torqueri. Cum neque sic possent emolliri ad consentiendum idolis,militari lancea ceruicibus perfossi, tandem martyrium consumauerunt, gladio capitibus amputatis. Sed quia vulgari accusatione insperato ad tribunal Præsidis sancti Dei sunt euocati, vt Rogatianus aqua baptismatis non posset emundari, quid de eo cautissimus Ecclesiæ Doctor Augustinus sentiat, sententiis eius in medium proferre non solum commodum,sed & valde necessarium duxi: *Qui baptismatis Sacramentis initiandi sunt*, inquit, *prius abrenuntiare solent*

lent Diabolo, & omnibus operibus & pompis eius: deinde post confeßionem vnius veri Dei, Patris videlicet & Filij & Spiritus sancti, aqua intingi vel perfundi. Et Martyres contemptis idolis & abdicatis, propter eandem confeßionem in ignem aut certe in aquam demerguntur, aut proprij sanguinis effusione perfunduntur. Moris est etiam baptisatos sacro chrismate perungi, & sancti Spiritus inuocatione confirmari: & Martyres nisi eiusdem Spiritus vnctione confortati, nequaquam vel ad certamen accederent, vel omnimoda tormentorum genera constantißime superarent. Iam baptisati ac fideles perceptione corporis & sanguinis Domini eidem consueuerunt incorporari: & Martyres cum pro Domino patiuntur, ipsius corpus efficiuntur. Martyres igitur tanto perfectius omnia Ecclesiastica Sacramenta consequuntur, quanto & post percepta, mox sine vllo contagio ab hac ærumnosa vita rapiuntur.

Eodem die in Istria natiuitas sanctorum Zoëlli, * Seruuli, Felicis, Syluani & Dioclis. *Seruili.

VIII. Calend. Iunij.

Romæ via Nomentana in cœmiterio Prætextati, natiuitas sancti Vrbani Papæ & Martyris. Cuius doctrina sub persecutione Alexandri, multi martyrio coronati sunt. Hic constituit vt nulla esca repudiaretur à Christianis, quæ rationabilis esset & humana. E

Mediolani sancti Dionysij Episcopi & Confessoris. Qui ab Imperatore Constantio Arriano apud Cappadociam pro fide Catholica damnatus exilio, ibidem requieuit. Reliquias corporis eius per sanctum Basilium præfatæ vrbis Episcopum receptas, beatus Ambrosius condigno condidit honore. Licet alij contendant, quod in Armeniam apud Reditium ciuitatem exiliatus, ibidemque defunctus, per sanctum Aurelium eiusdem vrbis Episcopum Mediolanum sit translatus, & quod idem Aurelius ibidem infirmatus ac mortuus, in eodem cum sancto Dionysio monumento, sicut in vita condixerant, fuerit tumulatus.

Item Romæ Eleutherij Papæ, qui sedit in Episcopatu annos quindecim, & accepit epistolas à Lucio Britannorum rege, vt per eius mandatum fieret Christianus. Quod & factum refertur per Timotheum virum sanctum, ita vt idem Lucius spretis omnibus mundialibus rebus nudus & expeditus peregrinatione suscepta, partem Baioariorum & totam Rhetiam inter Alpes sitam miraculis & prædicationibus ad fidem Christi conuertisse credatur. Cuius sepulchrum,

 id est,

id eſt, qui in Rhetia requieſcit, ſiue Rex quondam ille, ſiue quicunque ſeruus Dei fuerit, creberrimis virtutibus illuſtratur.

Eodem die apud Mœſiam ciuitate Doroſcoro natiuitas ſanctorum Martyrum Paſicratis, Valentionis, & aliorum duorum ſimul coronatorum.

VII. Calend. Iunij.

F Natiuitas ſancti Quadrati Apoſtolorum diſcipuli. Qui in locum beati Publij Athenarum Epiſcopus conſtitutus, Eccleſiam grandi terrore diſperſam fide & induſtria ſua congregauit. Cumque Adrianus Athenis exegiſſet hyemem, inuiſens Eleuſinam, & omnibus pene Græciæ ſacris initiatis dediſſet occaſionem, eis videlicet qui Chriſtianos oderant, abſque præcepto Imperatoris vexare credentes, porrexit ei librum pro noſtra religione compoſitum, valde vtilem, plenumque rationis & fidei, Apoſtolica doctrina dignum. In quo & antiquitatem ſuæ ætatis oſtendens, ait plurimos à ſe viſos, qui ſub Domino variis in Iudæa oppreſſi calamitatibus, ſanati fuerant. Qui vna cum filiabus Philippi in prophetica gratia celeberrimus fuit.

Item in Africa ſancti Quadrati Martyris: in cuius ſolennitate ſermones ſancti Auguſtini inueniuntur habiti.

Romæ Symmitrij Presbyteri & aliorum viginti duorum. Quos Antoninus Imperator gladio pro Chriſto puniri fecit. Quorum corpora noctu beata Praxedis collegit, & in cœmiterio Priſcillæ ſepeliuit.

Tuderto Tuſciæ, Feliciſſimi, Heraclij, Paulini.

In territorio Antiſiodorenſi paſſio ſancti Priſci Martyris cum ingenti multitudine.

In Britannia depoſitio ſancti Auguſtini Epiſcopi & Confeſſoris. Qui miſſus à beato Gregorio Papa, primus genti Anglorum Chriſti Euangelium prædicauit, atque illic virtutibus & miraculis glorioſus in pace quieuit.

VI. Calend. Iunij.

G In Alexandria natiuitas ſanctorum Aquili Presbyteri, Euangeli, & aliorum duodecim.

In Tomis Heliæ, Luciani, Zotici, Martialis, Victoris & Maurini.

In Sardinia Saluſtiani.

In Mœ-

In Mœsia ciuitate Dorostorensi natiuitas sancti Iulij. Qui tempore persecutionis cum esset veteranus & emeritæ militiæ, comprehensus ab officialibus, & Maximo Præsidi oblatus, nolens sacrificare idolis, & nomen Domini Iesu Christi constantissime confessus, capitali sententia punitus est. Cumque duceretur ad locum cædis implendæ, Hesychius quidam miles cum & ipse ob fidem Christi comprehensus detineretur, rogabat eum dicens: *Memor esto mei, nam & ego subsequor te. Plurimum etiam saluta Pasicratem & Valentionem famulos Dei, qui nos per confessionem bonam iam præcesserunt ad Dominum.* Iulius vero osculans Hesychium dixit: *Frater festina venire: mandata tua iam audierunt quos salutasti.* Sic accepto orario, ligans sibi oculos, martyrij palmam gladio cædente percepit.

In Galliis ciuitate Arausica, sancti Eutropij Episcopi, cuius vitam illustrem virtutibus ac miraculis Verus Episcopus luculento sermone descripsit.

V. Calend. Iunij.

In Sardinia passio sanctorum Æmylij, Felicis, Priami, Luciani. A

Romæ natiuitas sancti Ioannis Papæ: quem quia orthodoxus erat, & à Iustino Imperatore orthodoxo, Constantinopolim veniens, gloriose susceptus fuerat: Theodericus Rex Arrianus reuertētem Rauennę in custodia detentum ad mortem vsque cum aliis æque Catholicis viris perduxit. Huius meminit sanctus Gregorius in libro dialogorum: cuius corpus translatum de Rauenna sepultum est in Basilica sancti Petri Apostoli, quinto Calendarum Iunij, Olibrio Consule. Quo tempore Theodericus Rex duos Senatores præclaros & excōsules Symmachum & Boëthium occidit. Qui nonagesimo octauo die postquam Ioannes Papa defunctus est, subito interiit, & in ollam Vulcani proiectus, vltra non comparuit.

Item apud vrbem Parisium depositio Germani Episcopi & Confessoris. Qui ex nobilibus quidem parentibus exortus, sed malitiosorum omnimodis attentatus insidiis, diuina se gratia protegente, non solum viuus & incolumis euasit, sed & in virile robur virtutibus & sapientia decoratus excreuit in tantum, vt à sancto Nectario Presbyter ordinatus, Abbas monasterio sancti Symphoriani præficeretur inuitus: In cuius regimine ita & diuino iudicio & humano placuit arbitrio, vt claues portæ Parisiacæ, & prius in visione per Dominum, & post-

postmodum in Episcopatus electione per * cohibentiam acciperet populorum. Cuius dignitatem tanta authoritate administrauit, vt tamen exemplo beati Martini propositum Monachi, virtutemque non desereret, atque ideo & in carne viuens, & spiritu cœlos petens, in miraculorum ostensione illi per omnia similis appareret, & eadem ætate octogenaria videlicet ad Christum ipso vocante plenus sanctitate migraret.

* forte conniuentiam.

IV. Calend. Iunij.

B Romæ via Aurelia natiuitas sancti Restituti.

Via Tiburtina septem Germanorum.

Apud Iconium prouinciæ Isauriæ passio sancti Cononis & filij eius, sub Aureliano Imperatore, Iudice Domitiano. Qui cum esset fide præclarus, exhibitus Iudici cum filio suo annorum duodecim, Spiritum sanctum in se habitare, veraci confessione manifestauerunt. Primum itaque ignito ferro superpositi, deinde craticulæ prunis suppositis, & oleo superfuso. Deinde frixorio candenti immissi, omnia superauerunt in nomine Christi. Inde suspensi, & valido igni subtus adhibito, malleo ad extremum ignito manibus contritis in laude omnipotentis DEI spiritum emiserunt.

Eodem die in regione Anagniæ iuxta vrbem Tridentinam passio sanctorũ Sisinnij Diaconi, Martyrij Lectoris, & Alexandri Ostiarij. Qui à beato Vigilio Tridentinæ vrbis Episcopo ad vicina loca prædicationis gratia destinati, cum plurimos ad fidem Christi conuertissent, ab his qui in errore Paganismi persistere maluerunt, diuersis mortium generibus trucidati sunt. Nam beatus Sisinnius cum cęteris quidem diutina cæde mactatus, sed ærea tuba in capite percussus, atque securibus confossus, iuxta ipsius Ecclesiæ limina decumbebat. Sanctus vero Martyrius & ipse in caput securibus vulneratus, atque sudibus transforatus, reddidit spiritum. Tunc gentiles corpora sanctorum Sisinnij & Martyrij simul cum sancto Alexandro adhuc seminece ad aram Saturni, vbi ignis copiosus erat accensus, ad concremandum perduxerunt: & sanctum Alexandrum flagellis cædentes, nec ad immolandum idolis compellere queuntes, viuum proiecerunt in ignem, & sic martyrij cursum consumans, palmam gloriosæ passionis accepit. Post quorum necem mox vmbra quædam terræ proxima totam regionem fulminibus creberrimis discurrentibus obtexit, vt & ipsi impij terrore perculsi,

perculsi, confiterentur hoc Sanctorum causa fieri. Ad quorum etiam reliquias cum eas postmodum Mediolanenses summa deuotione susciperent, quidam cæcus ex littore Dalmatino diuino admonitus instinctu veniens, tacto loculo lumen recepit, vt scribit beatus Paulinus in vita beati Ambrosij.

Treuiris depositio sancti Maximini Episcopi. Cuius indumenta sacerdotalia in vrna ærea ad vsque nostra, imo Nordmannorum tempora in testimonium sanctitatis eius visebantur incorrupta. A quo sanctus Athanasius persecutionem Constantij fugiens, honorificè susceptus est. Sed quia fuga sancti Athanasij quosdam formidolosos aut certe blasphemos in contrarium abuti cognoui: Quid de ea fidelissimus Ecclesiæ dispensator senserit Augustinus, verbis eius in medium proferre necessarium duxi. Dicit ergo inter alia in Epistola quam ad Honoratum scripsit Episcopum: consultus vtrum tempore persecutionis fugiendum sit Episcopis à suis sedibus. *Quid est ergo quod in Epistola tua posuisti? dicis enim: Si in Ecclesiis persistendum est, quid simus nobis vel populo profuturi, non video, nisi vt ante oculos nostros viri cadant, fœminæ constuprentur, incendantur Ecclesiæ, nos ipsi tormentis deficiamus, cum de nobis quæritur quod non habemus.* Respondit Augustinus. *Potens est quidem Deus audire preces familiæ suæ, & hæc quæ formidantur, auertere, nec ideo tamen propter ista quæ incerta sunt, debet esse nostri officij certa desertio, sine quo est plebi certa pernities, non in rebus vitæ huius, sed alterius, quæ incomparabiliter diligentius, solicitiusque curanda est. Nam si certa essent ista mala, quæ timentur, ne in locis in quibus sumus forte contingant, prius inde fugerent omnes propter quos manendum est, & nos à manendi necessitate liberos redderent. Non enim quisquam est, qui dicat, ministros manere oportere, vbi iam non fuerint, quibus necesse sit ministrare. Ita quidam sancti Episcopi de Hispania profugerunt, prius plebibus partim fuga lapsis, partim peremptis, partim obsidione consumptis, partim captiuitate dispersis. Sed multo plures illic manentibus propter quos manerent, sub eorundem periculorum densitate manserunt. Et si aliqui deseruerunt plebes suas, hoc est quod dicimus fieri non debere: neque enim tales ducti authoritate diuina, sed humano, vel errore decepti, vel timore sunt victi. Cur sibi enim putant indifferenter obtemperandum esse præcepto, vbi legunt, de ciuitate in ciuitatem esse fugiendum, & mercenarium non exhorrent? qui vidit lupum venientem & fugit, quoniam non est ei cura de ouibus. Cur non istas duas Dominicas verasque sententias, vnam scilicet vbi fuga sinitur aut iubetur, alteram vbi arguitur atque culpatur, sic intelligere student, vt inter se non reperiantur*

esse contrariæ, sicut non sunt, & hoc quomodo reperitur nisi attendatur quod iam superius disputaui? Tunc de locis in quibus sumus, premente persecutione, fugiendum esse Christi ministris, quando ibi plebs Christi non fuerit cui ministretur, aut potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus eadem non est causa fugiendi. Sicut in sporta summissus fugit Apostolus, cum à persecutore ipse propriè quæreretur, aliis vtique necessitatem similem non habentibus, à quibus illic ministerium absit, vt desereretur Ecclesiæ: Sicut fugit sanctus Athanasius Alexandrinus Episcopus, cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet Imperator, nequaquam à cæteris ministris deserta plebe Catholica, quæ in Alexandria commanebat. Cum autem plebs manet & ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ouibus? Veniet enim lupus non homo sed diabolus, qui plerumque fideles apostatas esse persuasit, quibus quotidianum ministerium Dominici corporis defuit, & peribit infirmus in tua non scientia sed ignorantia frater, propter quem Christus mortuus est. Quod autem ad eos attinet, qui in hac re non falluntur errore, sed formidine superantur: quare non potius contra suum timorem, Domino miserante atque adiuuante fortiter dimicant, ne mala sine comparatione grauiora, quæ multo amplius sunt tremenda, coniungant? Fiat hoc, vbi DEI charitas flagrat, non mundi cupiditas fumat. Charitas enim dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Sed charitas ex Deo est. Oremus ergo vt ab illo detur, à quo iubetur, & per hanc magis timeamus, ne oues Christi spiritualis nequitiæ gladio in corde, quam ne ferro in corpore trucidentur, vbi, quando, cum quibus, quocunque mortis genere mortui sunt. Magis timeamus ne sensu interiore corrupto pereat castitas fidei, quam ne fœminæ violenter constuprentur in carne. Quia violentia non violatur pudicitia, si mente seruentur, quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis sua turpiter carne non vtitur, sed sine consensione tolerat, quod alius operatur. Magis timeamus ne lapides viui extinguantur deserentibus nobis, quam ne lapides & ligna terrenorum ædificiorum incendantur præsentibus nobis. Magis timeamus ne membra corporis CHRISTI destituta spirituali victu necentur, quam membra corporis nostri oppressa hostili impetu torqueantur. Non quia ista non sunt vitanda cum possunt, sed quia potius sunt ferenda, quando vitari sine impietate non possunt. Nisi forte quisquam contenderit, non esse ministrum impium qui tunc subtrahit ministerium pietate necessarium, quando magis est necessarium. An non cogitamus cum ad istorum periculorum peruenitur extrema, nec est potestas vlla fugiendi,

2.Corin. 11.

liendi, quantus in Ecclesiam fieri soleat ab vtroque sexu, atque ab omni ætate concursus? Aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem. Omnibus consolationem & sacramentorum confectionem & erogationem. Vbi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium de perditione filiorum suorum, qui eos secum in vita æterna requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium? & quorundam quanta blasphemia de absentia ministeriorum & ministrorum? Vide quid faciat malorum temporalium timor, & quanta in eo sit adquisitio malorum æternorum. Si autem ministri adsint pro viribus, quas eis subministrat, omnibus subuenitur. Alij baptisantur, alij reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur. Omnes consolantur, ædificantur & exhortantur, vt DEVM rogent, qui potens est omnia, quæ timentur auertere. Parati ad vtrumque, vt si non potest transire ab eis calix iste, fiat voluntas eius, qui mali aliquid non potest velle: Certe iam vides, quod scripseras te non videre, quantum boni consequantur populi Christiani, si in præsentibus malis non eis desit præsentia ministrorum CHRISTI. Quorum vides etiam quantum obsit absentia, dum sua quærunt, non quæ IESV CHRISTI, nec habent illam charitatem, de qua dictum est, non quærit quæ sua sunt: Nec imitantur eum qui dixit: Non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Qui etiam persecutoris principis illius insidias non fugisset, nisi se aliis quibus necessarius erat seruare voluisset. Propter quod ait: Compellor autem ex duobus, concupiscentiam habens dissolui, & esse cum CHRISTO, multo enim magis optimum, manere autem in carne, necessarium propter vos. Hic autem fortasse quis dicat, ideo debere fugere ministros DEI talibus imminentibus malis, vt se pro vtilitate Ecclesiæ temporibus tranquillioribus seruent. Recte hoc fit à quibusdam, quando non desunt alij, per quos suppleatur Ecclesiasticum ministerium, nec ab omnibus deseritur, quod fecisse Athanasium supra diximus. Nam quam necessarium fuerit Ecclesiæ, quantumque profuerit, quod vir ille mansit in carne, Catholicà fides nouit, quæ aduersus Arrianos hæreticos ore illius & amore defensa est. Hoc breuiarium sancti Patris Athanasij causa hic à nobis positum, magnum vt credo legentibus conferet emolumentum, & ad inquirendum totum illud opusculum, dulcedine sui præbebit incitamentum.

1.Cor. 13.
1.Cor. 10.
Philip. 1.

III. Calend. Iunij.

C Romæ via Aurelia in cœmiterio sancti Felicis Papæ. Qui cum annos quinque rexisset Ecclesiam sub Claudio Principe, martyrio coronatus est. Hic constituit super memorias Martyrum Missas celebrari.

*Syci. In Antiochia sanctorum *Isychij & Palatini. Qui vt S. Hieronymus scribit, multa tormenta propter nomen Christi sunt passi.

Turribus Sardiniæ, sanctorum Martyrum Gabini & Crispuli.

In Nicomedia multorum Martyrum.

Pridie Calend. Iunij.

D Romæ natiuitas sanctæ Petronellæ virginis, filiæ beati Petri Apostoli. Quam ipse rogantibus fidelibus à paralysi curauit, sed mox vt sanitatis miraculum in Christi nomine ostendit, ad grabatum eam salutis animæ gratia redire mandauit. At vbi in Dei timore cœpit esse perfecta, non solum ipsa salua facta est, verum etiam plurimis sanitatem recuperauit orationibus suis. Quam quia nimis erat speciosa, Flaccus Comes suo voluit coniugio sociari. Sed sancta Virgo triduanas ab eo petens inducias, cum Felicula collactanea sua æque sanctissima Virgine totum illud spatium in ieiuniis & orationibus expleuit, & veniente S. Nicomede Presbytero, & Christi mysteria celebrante, mox vt Dominici corporis & sanguinis sacramenta percepit, ad gaudia æterna migrauit.

Eodem die apud Aquileiam passio sanctorum Cantij, Cantiani, & Cantianillæ fratrum. Qui imperante Diocletiano martyrij sui cursum consumauerunt.

Turribus Sardiniæ S. Crescentiani.

In Hispania ciuitate Gerunda, Germani, Victuri, Syluani, Telesphori, Victorini & aliorum multorum.

Mensis Iunius habet dies XXX. Et in hoc mense hebdomade secunda erit celebratio Ieiuniorum.

Calend. Iunij.

E Romæ dedicatio S. Nicomedis Presbyteri & Martyris, cuius martyrium XVII. Calend. Octob. celebratur.

Item

Item Romæ natiuitas * Lyciæ Virginis & Auceiæ Regis Barbarorum, Rogati, Germani, Syluani, cum aliis plusquam trecentis. * *Luciæ.*

In Thessalonica natiuitas sancti Octauij.

In Antiochia Zosimi & Teclæ.

Apud Cæsaream Palæstinæ passio sancti Pamphili Presbyteri, viri admirandæ fidei & sanctitatis. Qui persecutione Maximini martyrio coronatus est. Huius vitam Eusebius Cæsariensis Episcopus tribus libris comprehendit. Sed & beatus Hieronymus scribit quædam volumina manu eius exarata se reperisse: *Quæ tanto*, inquit, *amplector & seruo gaudio, vt Crœsi opes habere me credam. Si enim lætitiæ est vnam Epistolam habere Martyris, quanto magis tot millia versuum?, quæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigiis.*

Eodem die depositio sancti Caprasij Abbatis monasterij Lyrinensis.

Viennæ Claudij & Helladij Episcoporum.

IV. Non. Iunij.

Romæ natiuitas sanctorum Marcellini Presbyteri, & Petri Exorcistæ: Qui multos in carcere ad fidem Christi conuertentes, post dira vincula & plurima tormenta decollati sunt, persecutione Diocletiani, sub Iudice Seuero. Sed qui eos decollauit, vidit animas eorum splendide ornatas ab Angelis ferri ad cœlos, & pœnitentiam agens, sub Iulio Papa baptizatus est in senectute sua, nomine Dorotheus. Ex plurimis autem qui per doctrinam eorum in Christum credentes baptizati sunt, id est, trecentis viris & amplioris numeri fœminis, decollatus est Artemius cum vxore sua Candida, & filia Paulina, quæ per beatum Petrum Exorcistam à dæmonio fuit liberata. F

Item Romæ centum octoginta Martyrum, & multo plurium, quorum nomina Deus scit solus.

Apud Lugdunum Galliæ natiuitas quadraginta octo Martyrum, temporibus Marci Aurelij Veri, & Antonini atque Lucij filiorum eius. Quando per multas orbis Romani prouincias ex acclamatione & seditione vulgi, persecutiones aduersus Christianos dirissime concitatæ sunt, ita vt multa millia Martyrum per loca singula fierent. Quo tempore apud Lugdunum & Viennam vrbes Galliæ erga DEI seruos supra omne narrationis genus suppliciorum & cruciatuum modus exhibitus est, ita vt primum domorum illis prohiberetur habi-

tatio, vini deinde vſus, & balnearum. Poſt etiam proceſſus ad publicum. Ad vltimum ne omnino in quolibet loco domi foriſque publico priuatoque viderentur. Denique quodam tempore aſtante Tribuno & Primoribus ciuitatis pro ſolis acclamationibus populi, correpti & in carcerem truſi ſunt Chriſtiani vſque ad præſentiam Præſidis. Cuique aduenienti offeruntur, in quos ille tanta crudelitate abuſus eſt, vt ſæuitiæ eius ſpecies ſingulas, nemo poſſit exponere. Inter eoſdem vero Martyres licet omnes in Chriſto fideles & fortiſſimi fuiſſent inuenti, hi tamen ad Deum & homines apparuêre præcipui. Photinus videlicet Epiſcopus, qui nonagenaria ætate grauatus, dum ab Eccleſia ad tribunal, & à tribunali ad carcerem deferretur, & poſt nimias cædes & iniurias ei factas, paulo poſt incontaminatum edidit ſpiritum. Et Zacharias Presbyter, qui pro defenſione fratrum exemplo Chriſti animam ſuam poſuit, & * Repagatus, qui eius imitatione cum eſſet nobiliſſimus & eruditiſſimus, quaſi Aduocatus Chriſtianorum, pro omnibus eſt interemptus. Diaconus quoque nomine & opere Sanctus, qui inauditis cruciatus tormentis, adeo vt candentes laminas æris & ferri erga inguinum loca, & delicatiora quæque membrorum, inſtauratis ignibus tortores adhiberent, & ſuper ſellam ferream igni ſuppoſito collocarent, nec tamen eum à fide Chriſti deflectere valerent, cum Attalo & Maturo cæſis ferro ceruicibus, martyrij palmam adepti ſunt. Blandina etiam quædam fœmina, cuius teneritudini omnes metuerent: cui à prima luce vſque ad veſperam tormenta ſemper innouantes, ad vltimum victos ſe tortores confitentur: Quæ & ſecundo pulſata cruciatibus non ſuperatur. Tertio quoque die religata ad ſtipitem, atque in crucis modum diſtenſa, beſtiis pabulum præparatur. Quam cum nulla ex eis auderet contingere, rurſum reuocatur ad carcerem. Quarto etiam verberibus acta, craticulis exuſta, & multa alia perpeſſa, ad vltimum gladio iugulatur. Tunc & Ponticus puer annorum quindecim per omnia tormentorum genera cum ipſa cruciatus, & materna eius adhortatione corroboratus, ante illam martyrium conſumauit. Alexander autem Medicus, genere Phryx, qualiter omnia tormentorum genera ſuperauerit, & victor ad Chriſtum perrexerit, congruentius in quinto libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, vnde iſta excerpſimus, inuenietur. Nomina vero eorundem Martyrum illa ſunt: Photinus Epiſcopus, Zacharias Presbyter, Sanctus Diaconus, * Vetitius, qui & * Repagatus, Macharius, Aſclepiades, qui alio nomine dicitur Alcibiades, Siluius, Primus, Vlpius, Vitalis, Comminus, Octo-

* *Epagathus.*

* *Vetius.*

* *Epagathus.*

October, Philominus, Geminus, Vilia, Albina, Grata, Rogata, Æmylia, Potamia, Pompeia, Rhodana, Biblis, Quarta, Matema, Elpis quæ & Ammas, Hi quidem diuersissimis mortibus interempti sunt. Hi autem ad bestias traditi sunt: Sanctus supradictus Maturus, Attalus, Alexander, Ponticus, Blandina, Aristeus, Cornelius, Zosimus, Titus, Iulius, Zoticus, Apollonius, Geminianus, Iulia, Ausonia, Æmylia, Iannica, Pompeia, Domna, Iusta, Trophima, Antonia. Quorum omnium reliquiæ igni traditæ, & in Rhodanum fluuium dispersæ sunt. Sed ipsis Martyribus reuelantibus collectæ, & in Ecclesia Apostolorum conditæ, creberrimis virtutibus apud Deum viuere declarantur. Quorum festiuitatem ciues Lugdunensis vrbis, omnibus vndequaq; lætanter per descensum fluminis cum hymnis & canticis gratulationis procedendo concelebrantes, Missarumque solemnia in eadem Ecclesia festiue Domino reddentes, ex antiquorum traditione ipsam diem miraculorum appellant. Locus autem in quo passi sunt, Athenaco vocatur: ideoque dicuntur Martyres Athenacenses.

III. Non. Iunij.

Romæ natiuitas sanctorum Martyrum Marcelli, Auidi, Gaij, Donati cum aliis amplius quam centum quinquaginta.

In Africa Quirini, Abidiani, Neophori, Pambo, Ianuariæ, Demetriæ, Zinci & aliorum centum quadraginta nouem.

Apud Aritium ciuitatem Tusciæ sanctorum Martyrum Pergentini & Laurentini fratrum. Qui persecutione Decij sub Iudice Tertio, cum essent pueri, post dira supplicia tolerata, & multa miracula ostensa, gladio cæsi sunt, & apud eandem vrbem conditi, & aliorum plurimorum quadringentorum.

In Campania beati Erasmi Antiocheni Episcopi & Martyris. Qui in Libano monte per annos septem vitam eremiticam duxit, ibidemque multa mira fecit. Sed postmodum à Diocletiano Imperatore comprehensus, & iussu ipsius primo plumbatis crudeliter cæsus, deinde fustibus diutissime maceratus. Postea resina, sulphure, plumbo, pice, cera, oleoque solutis, perfusus, ingenti miraculo illæsus apparuit. Quod multi videntes, fidem Christi, reiectis idolis, susceperunt. Inde immenso pondere ferri constrictus, in carcere sub dira custodia reclusus est. De qua Angelica visitatione solutus & ereptus; sed fama miraculorum Maximiano Imperatori proditus, renouatis suppliciis iterum

iterum eſt cruciatus, in tantum vt tunica ærea ignita veſtiretur, & in ollam quæ plumbo, pice, cera, reſina, oleo ferueſacta erat, immitteretur; ſed virtute Domini omnia ſuperans, & illæſus exinde progrediens, atque ad confirmandum cæteros à Domino ſeruatus, in Campaniam Angelico monitus & munitus ſolatio peruenit. Vbi cum plurimos ſiue in fide roboraſſet, ſiue ad fidem Chriſti conuertiſſet, vocante Domino martyrio clarus, ſancto fine quieuit.

* *Liphardi.* Aurelianis depoſitio ſancti * Leiſardi Presbyteri.

II. Non. Iunij.

A Nouiduno ciuitate, Zotici, Attali, Eutychij, cum aliis multis.

In Sicilia ſanctorum Expergentij & Chriſtæ Martyrum.

In Pannonia ciuitate Sabaria, Rutuli cum aliis duobus.

In Illyrico ciuitate Fiſcia, natiuitas ſancti Quirini Epiſcopi. Qui perſecutione Maximiani pro fide Chriſti ligato ad manum molari ſaxo, in flumen præcipitatus eſt, & circumſtantibus collocutus diutiſſime, ne eius terrerentur exemplo, vix tandem precibus vt mergeretur, obtinuit. Cuius reliquiæ translatæ ſunt Romam, & poſitæ ad Catacumbas.

Nonis Iunij.

B In Ægypto natiuitas ſanctorum Martyrum Marciani, Nicandri & Apollonij.

Romæ miliario ſeptimo Feliculæ & Felicitatis cum aliis multis.

In Hiſtria Zoëli, Satyri, Thymini, Saturnini, Seruuli, Felicis, Syluani, Fortunati.

Item Romæ ſancti Bonifacij Martyris, ſub Diocletiano & Maximiano apud Tharſum Ciciliæ paſſi, ſed Romæ in via Latina ſepulti. Qui cum eſſet procurator rerum cuiuſdam nobilis matronæ, nomine Aglaës, & cum ea in ſtupro miſceretur, tandem vterque diuino nutu compuncti, conſilium habuerunt, vt ad quærendum corpora Martyrum Bonifacius mitteretur: ſi quo modo ſeruientes atque obſequentes eis, per eorum merita ſaluari mererentur. Perueniens igitur poſt dies aliquot Tharſum, feſtinabat ad locum vbi erant ſancti Martyres in agone certantes, viditque alium ſuſpenſum per pedes igne ſuppoſito: alium in quatuor lignis extenſum, & diutiſſime afflictum: alium vngulis

vngulis exaratum, alium manibus abscissum, alium stipitem in collo habentem infixum, & à terra leuatum, & sic diuersa supplicia martyrij ab impio carnifice disposita, cum eminus feruens & ipse amore Christi respiceret, magnum Deum sanctorum Martyrum clamare cœpit, & accurrens consedit pedibus eorum, deosculans vincula, ac dicens: *Certate Martyres Christi, calcate Diabolum, modicum perseuerate. Paruus quidem labor, sed multa est requies, & ineffabilis postmodum satietas.* Aspiciens autem Simplicius iudex, iussit eum applicari ad tribunal & dixit ei: *Quis es tu?* sanctus Bonifacius dixit: *Christianus sum, & Bonifacius vocor.* Tunc iratus iudex iussit eum suspendi, & tamdiu corpus eius vngulis radi, donec ossa eius apparerent. Deinde calamos acutos, sub vngulos manuum eius affigi. Cumque sanctus Martyr in cœlum aspiciens, alacriter dolores toleraret, videns impius Iudex, iussit aperire os eius, & plumbum bulliens infundi. Sanctus autem Martyr dicebat: *Gratias tibi ago Domine Iesu Christe Fili Dei.* Deinde Iudex iussit afferri ollam, & eam pice impleri, atque sanctum Martyrem verso capite in picem bullientem mitti. Sed cum nihil læsus esset, iussit impius Iudex vt gladio caput eius abscinderetur. Quo facto terræmotus factus est magnus, ita vt multi infideles virtutem Christi in Martyre cernentes, crederent. Socij autem eius tollentes corpus ipsius, & aromatibus condientes perduxerunt ad vrbem Romam. Angelus vero Domini apparens dominæ quondam ipsius, rem factam beati Martyris indicauit ei. Quæ confestim cum omni veneratione obuiauit sancto corpori, & ædificans ei memoriam dignam, reposuit illud in ea ab vrbe Roma stadiis quinque. Beata vero Aglaë abrenunciauit mundo & pompis eius, distribuens vniuersa quæ possederat egenis ac monasteriis, relaxans vniuersam familiam suam à iugo seruitutis: Et tantam gratiam à Domino meruit, vt in eius nomine virtutum signis clarescеret. Superuixitque in habitu sanctimoniali annos tredecim, & sepulta est apud eundem Martyrem, piis operibus consumata. Martyrizauit autem beatus Bonifacius decimoquarto die mensis Maij apud Tharsum Metropolim Ciliciæ, sed nonis Iunij sepultus est Romæ.

Eodem die in Fresia passio sancti Bonifacij Episcopi. Qui de Britannia veniens, & fidem Christi euangelizans, cum maximam multitudinem in Fresia Christianæ religioni subiugasset, nouissime à paganis qui supererant, gladio peremptus, martyrium consumauit, cum Eobano Episcopo & aliis seruis Dei: Quorum hæc sunt nomina: Wintrug, Walthere, Skirwald, Bosan, Hamund, & Hethere, Wacchar, Gun-

ar, Gundachar, Willehere, Hadouolf. De quorum collegio fertur etiam fuiſſe Willibaldum Presbyterum virtutibus & doctrina clariſſimum, & ſororem eius Waldburgam ſanctitate conſpicuam.

VIII. Idus Iunij.

C Natiuitas ſancti Philippi, qui fuit vnus de ſeptem primis Diaconibus, qui cum beato Stephano ſtatim poſt paſſionem Chriſti ab Apoſtolis ſunt ordinati. De quo in Actibus Apoſtolorum refertur, quod ſigna & prodigia faciendo, prædicatione ſua Samaritas ad fidem Chriſti conuerterit, & Candacis reginæ Æthiopum ſtudioſum in ſcripturis Eunuchum, in fonte qui eſt apud vicum Betſuram, in tribu Iuda, euntibus ab Helia ad Hebron, in viceſimo lapide baptizauerit. Qui poſtea apud Cæſaream requieuit. Iuxta quem tres filiæ ipſius virgines ac prophetiſſæ iacent tumulatæ. Nam quarta filia ipſius, plena Spiritu ſancto in Epheſo occubuit. Quidam tamen putant apud Ierapolim eas eſſe ſepultas, vbi Philippus Apoſtolus vnus de duodecim quieſcit. Cuius fuiſſe filiæ ab aliquibus ſcriptoribus putatæ ſunt. Quorum opinionem beati Lucæ refellit authoritas ita narrantis: *Intrauimus in domum Philippi Euangeliſtæ, qui erat vnus de ſeptem: cui erant quatuor filiæ virgines prophetantes.*

Actor. 6. & 8.

Actor. 21.

Apud Tarſum Ciliciæ Martyrum viginti, qui ſub Iudice Simplicio temporibus Diocletiani & Maximiani Imperatorum per diuerſa ſupplicia glorificauerunt DEVM in corporibus ſuis, vt ſupra in paſſione beati Bonifacij dictum eſt.

Romæ ſanctorum Artemij cum vxore ſua Candida & filia Paulina. Qui Artemius cum eſſet cuſtos carcerum, & clauſum teneret beatum Petrum Exorciſtam in cuſtodia, per liberationem vnicæ filiæ Paulinæ à dæmonio, credidit in Chriſtum, & à beato Marcellino Presbytero baptizatus eſt cum omni domo ſua & aliis multis. Quod Iudex nomine Serenus ſed mente turbidus audiens factum, Artemium & Candidam filiamque ipſorum Paulinam ſibi præſentatos immenſo pondere ruderum iuſſit obrui. Sicque ſancti Dei ad paſſionis locum perducti, beatus quidem Artemius gladio percuſſus: ſancta vero Paulina & Candida per limina cryptæ præcipitatæ lapidibus ſunt obrutæ.

Nouiduno Amantij, Lucij & beati Alexandri.

Alexandriæ Donati & Peregrini.

VII. Idus

VII. Idus Iunij.

In Cæsarea Cappadociæ beati Luciani Martyris.

In Byzantio natiuitas sancti Primosi, Fortunati, Macri & Macharij Monachi. D

Constantinopoli, quæ antiquitus Byzantium vocabatur, natiuitas sancti Pauli eiusdem ciuitatis Episcopi. Qui tempore Arrianæ perfidiæ à Constantio Imperatore apud ciuitatulam quandam Cappadociæ, Cucusam nomine, ob Catholicam fidem expulsus exilio, Arrianorum insidiis strangulatus, ad cœlestia regna migrauit.

In Africa Victurij, Euasij, Priuitæ, Ianuariæ, Donatæ, Spisinæ, Quirilli.

VI. Idus Iunij.

In Ægypto natiuitas sancti Martiani. E

In Cæsarea palæstinæ Cristi.

In ciuitate Doroscoro natiuitas sancti Marci.

In Nicomedia Eutychij, Nestorij & Marinæ.

In Sardinia natiuitas sancti Salustiani.

In Gallia ciuitate Suessionensi festiuitas sancti Medardi Episcopi & Confessoris, cuius vita virtutibus plena à Fortunato Parisiaco Episcopo, & prosa & metro nobiliter est conscripta: nam & in eleemosynis largus, & in virtutibus clarus, & in prophetiæ Spiritu præcipuus, quindecim annis Veromandensium vrbis Episcopatum rexit, imo totum Occidentem exemplis & doctrina gubernauit. Cuius anima ab Angelis in cœlum perducta, corpus eius ad Suessionem delatum, & ibidem honorifice sepultum, miraculorum ostensione gloriosum commendatur.

Andegauis sancti Licinij Episcopi.

Item eodem die Carlenij Confessoris.

V. Idus Iunii.

Romæ in monte Cælio natiuitas sanctorum Martyrum Primi & Feliciani sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus. Qui gloriosissimi Martyres semper in Domino viuentes à Pontificibus templorum apud Imperatores quod Christiani essent, accusati sunt: Et inquisiti, erant n. ciues Romani, adducti sunt in cõspectu Imperatorũ: Qui iussei ũt eos ferro vinctos in carcerem detrudi. Vbi affuit eis An- F

gelus Domini, qui eos consolaretur. Post aliquot vero dies iusserunt eos Imperatores suis aspectibus repræsentari, & præceperunt militibus, vt ducerent eos ad Fanum Herculis, & si sacrificare nollent, fortiter eos pœnis affligerent. Verum cum nulla possent eos ratione mouere, sed pro Christi nomine magis optarent mori, extenderunt eos milites & virgis fortiter mactauerunt, & cum renunciassent Imperatoribus quæ facta sunt, irati valde iusserunt eos tradi Promoto Præsidi ciuitatis Nomentanæ vt diuersis pœnis eos interficeret. Et accipientes eos milites duxerunt in viam quæ dicitur Nomentana, miliario decimo tertio, ferro vinctos, & miserunt eos in carcerem iuxta forum ciuitatis. Vbi iterum Angelica visitatione releuantur. Post multum vero temporis iussit sibi Promotus sanctos Dei Primum & Felicianum ante tribunal suum præsentari. Quos cum ad primam & ipsam publicam interrogationem ab inuicem separari fecisset, iussit beatum Felicianum plumbatis cædi. Quem cum in eo genere supplicij videret insuperabilem, præcepit eum ligari ad stipitem, & aculeos in manibus eius ac pedibus figi, & diutissime torqueri, & per tres dies neque aquam neque vllum genus cibi ei ministrari. Cumque sic per triduum continue permaneret in Dei laudibus, iussit eum Præses flagellis cædi, ac de stipite depositum in custodia recludi. Ac postmodum præsente ipso beato Feliciano, fecit applicari sanctum Primum, quo validissimis fustibus cæso, ac deinde in equuleum leuato, lampades circa latera eius iussit applicari. Ac mox de equuleo deposito, & in lecto supinato, præcepit plumbum feruentissimum in os eius infundi. Sed cum sancti Martyres inuictissimi perstitissent, angustiatus Præses iussit eos ad amphitheatrum duci, & duos leones in eos dimitti. Quibus ad pedes sanctorum corruentibus, laxati sunt & vrsi ferocissimi, sed & ipsi Martyrum virtute sæuitiam perdiderunt. Quod videntes hi, qui ad spectaculum venerant, pene mille quingenti viri miraculis perculsi, crediderunt in Domino. Verum Præses cum insuperabiles eos cerneret, gladio animaduerti præcepit: Quorum corpora noctu à Christianis rapta, sepulta sunt ad arcus Nomentanos intra arenarium, quinto idus Iunij, ab vrbe Roma miliario decimo tertio.

In Galliis ciuitate Agenno loco Pompeiaco, passio sancti Vincentij Leuitæ & Martyris, de quo in libro miraculorum Gregorij Turonici refertur.

Item Romæ militum quindecim.

In Scotia Insula Hybernia depositio sancti Columbæ, cognomento

mento apud suos Columbkilli, eo quod multarum cellarum, id est, Monasteriorum vel Ecclesiarum institutor, fundator & rector exstiterit, adeo vt Abba Monasterij cui nouissime præfuit, & vbi requiescit, contra morem Ecclesiasticum primas omnium Hyberniensium habeatur Episcoporum, nec immerito, quia idem sanctus per inhabitationem sancti Spiritus, nulli post Apostolos, & mirabilem Martinum in Prophetia, doctrina & miraculorum ostensione, atque Angelica frequentatione videatur secundus: Quod vel ex his paucissimis persentiscere licet. Cum sederet in quadam Insula scribens, & in alia domus altissima ædificaretur, & quidam de culmine eiusdem enormis fabricæ ad terram corruere cœpisset, in ipso subitanei casus periculo, dixit Angelo Dei sibi assistenti, *Auxiliare, auxiliare*: Et ecce in ipsius momenti atomo, ita ruenti homini subuentum est ab Angelo, quasi non scriptori, sed fabro semper adesset. Cum grauis infirmitas, imo lues & pestilentia intolerabilis vniuersum pene populum deuastaret, benedixit lapidem de littoreis saxis, & vbicunque præcepit in aquam mittere, atque ipsa aqua infirmantes potari vel aspergi: Qui in aquam missus, & contra naturam suam in modum spumæ supernatans, & hoc modo diuinam se benedictionem percepisse contestans, & omnes morbos medicando sanificans, super aurum & omnes gemmas pretiosus, ac super omnia medicamenta fuit saluberrimus. Et ad augmentum miraculi, à nullo per id temporis morituro, licet diligentissime custoditus & cautissime requisitus, vnquam poterat inueniri. Hoc vno de multimoda sanatione commemorato, alterum de multiplici in penuria subuentione libet ad memoriam reuocare, vt prudens lector ex his duobus & tacita discat æstimare. Cuidam pauperculo omnibus rebus indigo, contulum in veru sanctus exacuit. Quod ab eo siluis & aquis iussit infigi. Quod cum faceret, ita diues effectus est, vt & domus eius eandem abundantiam non caperet, & vxor eius terrestres delitias cum marinis fastidiens, idem veru in pernitiem sui à viro suo fecisset incidi. Doctrina vero beatus Columba cum omnes anteriores adæquaret, in hoc transcendere non iniuria censetur, quod per tres dies vltimos commorationis in terra, cuncta ei reuelata sunt sacræ Scripturæ sacramenta, omnibus retro mortalibus aut penitus occulta, aut certe iuxta Apostolum: *Per speculum & in ænigmate*, comperta, imo requirenda atque enucleanda proposita. Quæ propter absentiam Batthenei, familiarissimi videlicet illius discipuli, imo propter indignitatem generis humani, litteris non sunt attitulata. Porro pro-

1. Corinth. 13.

phetiæ dono ita mortales omnes præponderauit, vt & præsentia cæteris abscondita, & absentia, non solum vicina, sed & longe posita, sed & præterita & futura, in vno ineuitabilis oculi ictu deprehenderet. Vas ante eum pro solenni benedictione, lacte plenum, oblatum est. Quod cum benedixisset, & vasculum ilico crepuisset, increpuit ministrum, cur non ante infusionem per signum sanctæ Crucis, antiquo hosti locum in eo permanendi interdixisset: item lactis similitudinem ex tauri testiculis expressam in propriam, id est, sanguinis eminus benedicendo conuertit naturam. Regum vicinorum bella & præsciuit, & aliquando compescuit, aliquando vero iustiores causas habentibus fauit, iniustiores vero diuinæ iustitiæ coniunctus non adiuuando despexit. Subuersionem quoque ciuitatis, quæ nunc Noua dicitur in Italia, in subitaneo stupore, terræ hiatu, imo cœlestis iræ respectu subuersam conspexit, & aliis extasin eius mirantibus idipsum nuntiauit, sed & hoc prædixit, quod Gallici nautæ, sicut & factum est, eandem rem ipso anno in Scotia relaturi essent. Die quoque vltimo vitæ mortalis, id est, Sabbato, cum Psalmum trigesimum tertium vsque ad eum versum perduxisset in scribendo: *Inquirentes autem Dominum, non deficient in omni bono*, astantibus inquit: *Quod reliquum est, Baitheneus scribat*: Vt videlicet qui in regimine fratrum ei successurus erat, non solum docendo sed & scribendo, discipulos ad se vocare deberet: *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos*: Et addit: *Hæc dies in Scriptura sacra sabbathum, id est, requies appellatur, in qua mihi requies æterna paratur. Ecce enim hac nocte resurrectionis Dominicæ vado ad Dominum Iesum Christum magnæ resurrectionis authorem, & hoc scitote, quia per continuos dies mare clausum nimia tempestate tenebitur, vt exequiæ meæ non à vulgaribus turbis superstitiose, sed à sanctis fratribus meis religiose celebrentur.* Qui cum plurimos discipulos vel socios sanctitatis suæ pares habuisset, vnum tamen Comgellum scilicet, Latine Fausti nomine illustrem, præceptorem beatissimi Columbani, magistri domini & Patris nostri Galli, virtutum ac meritorum suorum, quasi vnicum exemplo Isaac reliquit hæredem.

Psal. 33.

Ibidem.

IV. Idus Iunij.

G Romæ via Aurelia misiario decimo tertio, natiuitas sancti Basilidis Martyris, Tripodis & Mandalis, sub Aureliano Imperatore, Præside Platone, & aliorum viginti Martyrum. Pro Tripode tamen & Man-

& Mandale in quibuſdam codicibus in Tripoli Magdaletis ſcriptum reperitur.

Eodem die beati Getulij Martyris temporibus Adriani Imperatoris ſub Iudice Licinio. Hic in omni lege diuina erat doctiſſimus, & per eius doctrinam multi in fide Christi erudiebantur. Cuius famam Adrianus Imperator audiens direxit Cerealem Vicarium ad tenendum eum: Sed audito eius verbo veritatis, credidit in Christum, & baptiſatus à beato Sixto Papa, per instructionem ſancti Getulij in fide Christi confortatus eſt. Quo Adrianus comperto, Licinium Conſularem direxit, vt Cerealem Vicarium teneret. Cum quo beatus Getulius & frater eius Amantius, atque amicus eorum ſanctiſſimus Primitiuus inuenti, pariter ſunt tenti, & iuſſu eiuſdem Licinij expoliati ac cæſi, ac per viginti ac ſeptem dies in carcerem ſunt detruſi. Tunc veniens Romam, & Adriano de huiuſmodi facto innoteſcens, ab eo in mandatis accepit, vt omnes igne concremaret. Sanctus vero Getulius, cum in igne ſuperuiueret, fuſtibus colliſo capite martyrium compleuit. Conſumati ſunt autem beati Martyres in fundo Capreolis, via Salaria, ab vrbe Roma plus minus miliario decimo tertio, ſupra fluuium Tyberim, in parte Sabinienſium: Quorum corpora collegit beata Symphoroſa vxor Getulij Martyris: Quæ non longe poſt eundem ipſum Martyrem cum ſeptem filiis ſuis martyrizauit, videlicet vigeſimo ſeptimo die menſis Iunij, & ſepeliuit ea in prædio ſuo in arenario, in loco & oppido ſupra nominato.

Nicomediæ ſancti Zachariæ.

Antiſiodoro depoſitio ſancti Cenſorij Epiſcopi.

III. Idus Iunij.

Apud Cyprum natiuitas S. Barnabæ Apoſtoli: Qui cum à parentibus Ioſeph fuerit nuncupatus, ab Apoſtolis Barnabas, vel filius cõſolationis eſt vocatus, pro eo quod cũ habuerit agrum, eumq; vendiderit, pretium eius ante pedes Apoſtolorũ ad conſolationem pauperum poſuerit: Qui cũ eſſet gente Iudæus, imo Leuites, ſed natione Cyprus, non ſolũ cæteros Iudæos fidei Christi ſubiugare, ſed & ipſum Apoſtolũ Paulum à Christo de cælo vocatũ, ſed propter anterioris perſecutionis immanitatem Christianis ſuſpectũ, Apoſtolorum choro ſociare curauit. Cum quo ab illis gentium Apoſtolus ordinatus, & plurimas ab incredulis perpeſſus iniurias, ſed cauſa Marci cõmunis eorum diſcipuli, vel po-

vel potius dispensatione diuina ab eo corpore diuisus, mente tamen vnitus, nihilominus Euangelicæ prædicationis iniunctum sibi opus expleuit. De cuius sanctitate vnum beati Lucæ testimonium fidelibus sufficere debebit, quia videlicet erat *vir bonus, plenus Spiritu sancto, & fide.* Cuius corpus tempore Zenonis Imperatoris, ipso reuelante repertum est. Hic vnam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem scripsisse fertur Epistolam, quæ tamen inter apocryphas reputatur.

Actor. 11.

Eodem die apud Corinthum Sosthenis discipuli beati Pauli Apostoli. Qui cum in Iudaismo male à Gentibus, Gallione Proconsule non curante tractaretur, ad Christianismum conuersus, ab ipso beato Paulo in Apostolicis est litteris honorifice commendatus.

1. Cor. 1.

Item apud Aquileiam natiuitas sanctorum Martyrum Felicis & Fortunati, sub persecutione Diocletiani & Maximiani Imperatorum, Præside Euphemio. Qui cum essent germani fratres fide Christi feruentes, deferente Apamio qui erat vnus ex officio Præsidis, vincti ferro Aquileiam Iudici Euphemio perducuntur. Vbi cum Christum constantissime faterentur, ab irato Iudice primum in equuleo suspensi sunt, ardentibus lampadibus circa latera appositis, sed mox psallentibus Martyribus exstinctis, inde per ventrem ardenti oleo perfusi, ad vltimum dum in confessione Christi perdurarent, foras ciuitatem ducti, iuxta fluuium ciuitati proximum capite truncantur. Inde nocte à religiosis viris eius ciuitatis sublati, cum aromatibus inuoluti linteaminibus occulte sepulti sunt. At ciues Vicetiæ superuenientes eorum corpora perducere ad suam ciuitatem Vicetiam nitebantur. Non permittentibus autem Aquileiensibus, imo renitentibus, tandem pia contentio finita est nutu diuino, vt Felicem Vicentini, Fortunatum haberent Aquileienses, ita tamen vt caput beati Felicis Aquileienses, caput vero sancti Fortunati Vicetia sortiretur. Quod factum in laude Domini nostri Iesu Christi vsque hodie permanet.

Romæ Anacleti Papæ, qui primus beati Petri Apostoli memoriam construxit & composuit, cum Presbyter esset ordinatus ab eo, & iuxta corpus eius sepultus est.

II. Idus Iunij.

B Romæ natiuitas sancti Cyrini: Qui iussu Claudij Imperatoris secundi, post omnium facultatum ablationem, & diutinam carceris macerationem nocte decollatus est, & corpus eius in Tyberim proiectum.

ctum. Quod in Lycaonia Insula inuentum, honorifice à fidelibus est sepultum. Quando autem vel quomodo Romam fuerit translatum, nobis quidem est incognitum, sed beato Gregorio credimus non ignotum.

Item Romæ Naboris & Nazarij: Quos simul cum Gorgonio Martyre, quem in Ecclesiastica historia puto designatum, permittente Paulo Papa Romano, transtulit à Roma in Galliam, vel vt verius fatear in Franciam antiquam Ruodgangus Mettensis Episcopus, anno ab incarnatione Dominica septingētesimo sexagesimo quinto, & collocauit sanctum Gorgonium in Monasterio, quod dicitur Gorzia. Sanctum vero Naborem in Monasterio alio, quod dicitur noua Cella. Sanctum quoque Nazarium in Monasterio quod dicitur Loresham. Vbi signa & miracula in recuperatione sanitatis infirmorum & debilium sæpius ostenduntur.

Eodem die Mediolani natiuitas sanctorum Martyrum Nazarij & Celsi pueri. Beati Nazarij pater Africanus, mater vero Perpetua, à beato Petro Apostolo baptizati. Ipse vero sanctus Nazarius à sancto Clemente instructus & baptizatus est. Quem Anulinus sub rabie persecutionis, quæ per Neronem excitata est, diu maceratum & afflictum in carcere cum beatissimo puero Celso, quem idem ipse nutrierat, gladio feriri iussit. Quorum corpora Christiani furati quinto Calendas Augusti sepelierunt foris portam quæ dicitur Romana, in propriis hortis. Reuelauerunt autem se beati Martyres cuidam Cæratio nomine, cuius vxor Fortunata, & per visum monuerant se occultari propter rabiem persecutionis, quam Nero impius excitauerat. Latuerunt vero vsque ad tempora Honorij & Arcadij Imperatorum: Quos beatus Ambrosius Domino reuelante reperit: Patefacto autem sepulchro in quo iacebat corpus beati Nazarij, qui quandonam passus fuerit, vt scribit sanctus Paulinus, vsque tunc temporis ignorabatur, viderunt sanguinem Martyris ita recentem, qui præsentes erant, quasi eodem die fuisset effusus. Caput etiam ipsius quod ab impiis fuerat abscissum, ita integrum atque incorruptum cum capillis capitis & barba, vt videretur eodem tempore quo leuabatur, lotum atque compositum in sepulchro: etiam odore tanto repleti sunt, vt omnium aromatum vinceret suauitatem: Quo leuato & in lectica composito, statim ad sanctum Celsum Martyrem, qui in eodem horto positus erat, ad orationem perrexit sanctus Episcopus, & vtrumque transtulit ad Basilicam Apostolorum quæ est in Romana. Inuenti autem & translati

sunt pridie Idus Iunias. Festiuitas vero eorum de martyrio agitur quinto Calendas Augusti. Commemoratio tamen eorum publica & celeberrima in die sanctorum Martyrum Protasij & Geruasij, quasi sociorum Synchronôn agitur. *

* *Hic desiderātur aliquot pagellæ in manuscripto.*

Antiochiæ sanctæ Marinæ Virginis: Quæ per Olibrium Præfectum multa tormenta pro Christi nomine, id est, vincula, carcerem, flagella & equuleum perpessa est. Quam & diabolus in draconis specie atque Æthiopis aggressus subuertere tentauit, sed per signum sanctæ Crucis effugatus & superatus ab ea discessit. Nouissime vero per eundem Præfectum decollata, mortalem vitam finiens, veram & æternam à CHRISTO percepit.

Rauennæ Macharij, Felicis, Æmylij, Crispini.

XIII. Calend. Iulij.

B Mediolani natiuitas sanctorum Martyrum Geruasij & Protasij. Qui beatissimi à sancto Paulo Apostolo instructi: Cum per decem annos in vno cœnaculo conclusi, lectionibus & orationibus atque ieiuniis vacassent, decimo anno à Pontificibus templorum apud Astatium Comitem proditi, & ab eodem tenti atque examinati, hoc modo ad palmam martyrij peruenerunt. Cum enim nec minis nec blandimentis eos compellere potuisset, vt se Christianos esse negarent, Geruasium quidem tamdiu iussit plumbatis cædi, quamdiu spiritum exhalaret. Protasium vero fustibus cæsum capite truncari. Quorum corpora Philippus vir religiosus vna cum filio suo furtim abstulit, & intra domum suam in arca marmorea sepeliuit. Eorundem vero sepulchra multa post tempora sub Theodosio Imperatore Domino reuelante beatus Ambrosius reperit, & ita incorrupta corpora eorum, ac si eodem die fuissent interempti. Quæ cum in vrbem introducerentur, quidam diu cæcus, feretri tactu lumen recepit.

Item ibidem iuxta martyrologium sancti Hieronymi, natiuitas sancti Nazarij, & Celsi pueri.

Apud Rauennam sancti Vrsicini Martyris. Qui sub Iudice Paulino post nimia tormenta in confessione Domini immobilis permanens, capitis abscissione martyrium consumauit: sepultusq; est in eadem vrbe à beato Vitale patre sanctorum Geruasij & Protasij.

Romæ

Romæ Syluestri Papæ, qui sedit anno vno. Qui consentiente Iustiniano Imperatore à * Vilisario Patricio depositus, & monachus factus, in exilio Confessor moritur.

* Belisario.

XII. Calend. Iulij.

C

Romæ depositio beati Nouati fratris Timothei Presbyteri, qui à beatis Apostolis eruditi sunt. De quo Nouato scribit Pastor in gestis Pudentianæ & Praxedis Virginum, quod post mortem beatæ Potentianæ visitante se beato Pio Episcopo & sancta Praxede, assistente etiam frequentia plurimorum Martyrum migrauerit ad CHRISTVM.

In Tomis ciuitate Pauli, Cyriaci, Paulæ, Felicianæ, Felicis, Æmylij, Vitalis, Crispinæ, Martyriæ.

Item translatio sancti Zenonis Martyris.

XI. Calend. Iulij.

D

In Sicilia ciuitate Syracusis natiuitas sanctorum Martyrum Rufini & Martiæ.

Romæ sanctæ Demetriæ Virginis, quæ fuit beati Fausti filia. Hæc cum ante impium Iulianum pro fide Christi introduceretur, in eius confessione spiritum emisit, sepultaque est à beato Ioanne Presbytero, iuxta matrem suam Dafrosam, & sororem Viuianam iuxta palatium Licinianum.

Apud Moguntiacum ciuitatem natiuitas sancti Albani Martyris. Qui sub Theodosio Imperatore de Insula Namsia pergens, cum sancto Theonesto & Vrso Mediolanum venit. Indeque exiens auxiliante Domino peruenit ad Gallias, & in seruitute Domini perseuerans, & ad martyrium pro nomine Saluatoris promptus, postquam in ciuitate Augusta beatus Vrsus martyrij cursum consumauit, sanctus Albanus cum Theonesto Magontiacum peruenit. Dumque ibi verbum Dei prædicaret, martyrium expleuit, & sepultus est ibi iuxta prædictam ciuitatem.

In Cæsarea depositio sancti Eusebij Episcopi.

X. Calend. Iulij.

E

Antiochiæ natiuitas sanctorum Martyrum Agathalicæ, Iuliani,

Quique Romam reuersus, & Christianus effectus, quinque millia seruorum suorum, liberos ciuesque Romanos fecit, quibus etiam prædia domosque donauit. Cunctas vero facultates suas excepto iure filiarum, Atticæ videlicet & Artemiæ, quas Constantina augusta virgo sacratissima Christo fuerat lucrata, distrahi ac donari pauperibus fecit. Ac se in Ostiensi vrbe manenti sancto viro cuidam nomine Hilarino sociauit: Cuius habitaculum ampliari fecit ad peregrinorum susceptionem, quam ipse plurimis impendebat. Et adminiculo seruorum, quos iam libertate donauit, atque ideo arctius eos sibi astrinxit, omnibus indigentibus ad se venientibus, cunctisque languentibus sanctæ seruitutis seruitia exhibere non cessabat, donec Iulianus apostata Cæsar effectus, legem promulgaret, vt Christiani nihil in hoc seculo possiderent. Sed & tunc Gallicanus in paucissimis casis, quas ad ministerium pauperum reseruatas habebat, ita CHRISTVM defensorem inuenire merebatur, vt quicunque in eas malitiose, vel ad ponendos titulos fisci intrare præsumeret, statim aut diabolo repleretur, aut lepræ maculis respergeretur. Quod cum Iuliano fuisset nuntiatum, mandauit ei vt aut diis sacrificaret, aut à finibus Italiæ discederet. Mox ergo beatus Gallicanus relictis omnibus Alexandriam petiit, & ibi iunctus est Confessoribus CHRISTI per annum continuum. Post etiam secessit in eremum, ibique à Rauciano Comite templorum vi cogebatur sacrificare diis: Et dum contemneret, percussus gladio in corpore, Christi Martyr factus, atque ita perrexit ad Dominum, gaudens cum triumpho: Cui statim sui nominis Basilicam construxerunt, in qua exuberant beneficia Martyris, ex eo & nunc & vsque in sæcula.

Romæ Luceiæ Virginis & Auceiæ Regis, qui cum aliis viginti duobus pariter martyrio coronati sunt.

VI. Calend. Iulij.

B Romæ natiuitas sanctorum Ioannis & Pauli fratrum. Quorum prior Præpositus, secundus fuit Primicerius Constantiæ Virginis filiæ Constantini Imperatoris. Qui cum omni die turmas Christianorum recrearent ex his opibus, quas sacratissima virgo Christi Constantia reliquerat, peruenit hoc ad Iulianum impiissimum Cæsarem. Qui cum nec minis nec suasionibus à Christi amore eos abstrahere, & ad idolorum culturam allicere posset, dedit eis inducias de-

cias decem diebus, vt ad venerationem deorum suorum inclinarentur. Tunc sancti DEI Christianos ad se inuitantes, ordinauerunt de omnibus, quæ relinquere poterant, ac per totos decem dies incessanter noctu diuque Eleemosynis insistentes, in fine decimi diei hora cœnandi intra domum suam à Terentiano Campiductore orantes constricti sunt, & nulla ratione vel comminatione à dilectione Christi quantulumcunque declinantes, per eundem Terentianum decollati, & intra domum suam fouea facta repositi sunt, fama diuulgata quod iussu Cæsaris in exilium missi fuissent. Dæmones autem ex obsessis corporibus intra domum Ioannis & Pauli eiiciebantur, confitentes sanctam passionem eorum, ita vt vnicus filius Terentiani qui eos decollauerat, veniret intra domum sanctorum, & clamaret per os eius dæmon, quod Paulus & Ioannes incenderent eum. Tunc Terentianus diuina compunctus gratia, & in Christo regeneratus, tamdiu ad sanctorum corpora orationibus incubuit, donec emundationem filio suo impetraret.

In Alexandria Agathonis, Diogenis & Bigati.

In Africa Gaudentij, Felicis, Agapiti, & Emeritæ.

V. Calend. Iulij.

In Galatia natiuitas beati Crescentis, discipuli beati Pauli Apostoli. Qui & in Gallias transitum faciens, verbo prædicationis multos ad fidem Christi conuertit. Rediens vero ad gentem cui specialiter fuerat Episcopus datus, Galatas vsque ad beatum finem vitæ suæ in opere Domini confortauit. C

Apud Tiburtinam Italiæ ciuitatem, natiuitas sanctæ Symphorosæ, vxoris beati Getulij Martyris cum septem filiis, Crescente, Iuliano, Nemesio, Primitiuo, Iustino, Stacteo, Eugenio, cum quibus passa est simul, sub Adriano Principe. Qui ipsam Symphorosam iussit palmis cædi, deinde per crines suspendi. Quam dum superare nullatenus posset, iussit eam alligato saxo in fluuium præcipitari. Cuius frater Eugenius principalis curiæ Tyburtinæ, colligens corpus eius, sepeliuit. Et mane Imperator iussit septem stipites figi, ibique filios eius ad trocleas extendi. & Crescentem in gutture transfigi, Iulianum in pectore, Nemesium in corde, Primitiuum per vmbilicum, Iustinum per membra distensum, scindi per singulos corporis nodos atque iuncturas: Stacteum lanceis innumerabilibus donec moreretur in

phetiæ dono ita mortales omnes præponderauit, vt & præsentia cæteris abscondita, & absentia, non solum vicina, sed & longe posita, sed & præterita & futura, in vno ineuitabilis oculi ictu deprehenderet. Vas ante eum pro solenni benedictione, lacte plenum, oblatum est. Quod cum benedixisset, & vasculum ilico crepuisset, increpuit ministrum, cur non ante infusionem per signum sanctæ Crucis, antiquo hosti locum in eo permanendi interdixisset: item lactis similitudinem ex tauri testiculis expressam in propriam, id est, sanguinis eminus benedicendo conuertit naturam. Regum vicinorum bella & præsciuit, & aliquando compescuit, aliquando vero iustiores causas habentibus, fauit, iniustiores vero diuinæ iustitiæ coniunctus non adiuuando despexit. Subuersionem quoque ciuitatis, quæ nunc Noua dicitur in Italia, in subitaneo stupore, terræ hiatu, imo cœlestis iræ respectu subuersam conspexit, & aliis extasin eius mirantibus idipsum nuntiauit, sed & hoc prædixit, quod Gallici nautæ, sicut & factum est, eandem rem ipso anno in Scotia relaturi essent. Die quoque vltimo vitæ mortalis, id est, Sabbato, cum Psalmum trigesimum tertium vsque ad eum versum perduxisset in scribendo: *Inquirentes autem Dominum, non deficient in omni bono*, astantibus inquit: *Quod reliquum est, Baitheneus scribat*: Vt videlicet qui in regimine fratrum ei successurus erat, non solum docendo sed & scribendo, discipulos ad se vocare deberet: *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos*: Et addit: *Hæc dies in Scriptura sacra sabbathum, id est, requies appellatur, in qua mihi requies æterna paratur. Ecce enim hac nocte resurrectionis Dominicæ vado ad Dominum Iesum Christum magnæ resurrectionis authorem, & hoc scitote, quia per continuos dies mare clausum nimia tempestate tenebitur, vt exequiæ meæ non à vulgaribus turbis superstitiose, sed à sanctis fratribus meis religiose celebrentur.* Qui cum plurimos discipulos vel socios sanctitatis suæ pares habuisset, vnum tamen Comgellum scilicet, Latine Fausti nomine illustrem, præceptorem beatissimi Columbani, magistri domini & Patris nostri Galli, virtutum ac meritorum suorum, quasi vnicum exemplo Isaac reliquit hæredem.

Psal. 33.

Ibidem.

IV. Idus Iunij.

G Romæ via Aurelia miliario decimo tertio, natiuitas sancti Basilidis Martyris, Tripodis & Mandalis, sub Aureliano Imperatore, Præside Platone, & aliorum viginti Martyrum. Pro Tripode tamen & Man-

& Mandale in quibusdam codicibus in Tripoli Magdaletis scriptum reperitur.

Eodem die beati Getulij Martyris temporibus Adriani Imperatoris sub Iudice Licinio. Hic in omni lege diuina erat doctissimus, & per eius doctrinam multi in fide Christi erudiebantur. Cuius famam Adrianus Imperator audiens direxit Cerealem Vicarium ad tenendum eum: Sed audito eius verbo veritatis, credidit in Christum, & baptisatus à beato Sixto Papa, per instructionem sancti Getulij in fide Christi confortatus est. Quo Adrianus comperto, Licinium Consularem direxit, vt Cerealem Vicarium teneret. Cum quo beatus Getulius & frater eius Amantius, atque amicus eorum sanctissimus Primitiuus inuenti, pariter sunt tenti, & iussu eiusdem Licinij expoliati ac cæsi, ac per viginti ac septem dies in carcerem sunt detrusi. Tunc veniens Romam, & Adriano de huiusmodi facto innotescens, ab eo in mandatis accepit, vt omnes igne concremaret. Sanctus vero Getulius, cum in igne superuiueret, fustibus colliso capite martyrium compleuit. Consumati sunt autem beati Martyres in fundo Capreolis, via Salaria, ab vrbe Roma plus minus miliario decimo tertio, supra fluuium Tyberim, in parte Sabiniensium: Quorum corpora collegit beata Symphorosa vxor Getulij Martyris: Quæ non longe post eundem ipsum Martyrem cum septem filiis suis martyrizauit, videlicet vigesimo septimo die mensis Iunij, & sepeliuit ea in prædio suo in arenario, in loco & oppido supra nominato.

Nicomediæ sancti Zachariæ.

Antisiodoro depositio sancti Censorij Episcopi.

III. Idus Iunij.

A

Apud Cyprum natiuitas S. Barnabæ Apostoli: Qui cum à parentibus Ioseph fuerit nuncupatus, ab Apostolis Barnabas, vel filius cõsolationis, est vocatus, pro eo quod cũ habuerit agrum, eumq; vendiderit, pretium eius ante pedes Apostolorũ ad consolationem pauperum posuerit: Qui cũ esset gente Iudæus, imo Leuites, sed natione Cyprus, non solũ cæteros Iudæos fidei Christi subiugare, sed & ipsum Apostolũ Paulum à Christo de cœlo vocatũ, sed propter anterioris persecutionis immanitatem Christianis suspectũ, Apostolorum choro sociare curauit. Cum quo ab illis gentium Apostolus ordinatus, & plurimas ab incredulis perpessus iniurias, sed causa Marci cõmunis eorum discipuli, vel po-

vel potius diſpenſatione diuina ab eo corpore diuiſus, mente tamen vnitus, nihilominus Euangelicæ prædicationis iniunctum ſibi opus expleuit. De cuius ſanctitate vnum beati Lucæ teſtimonium fidelibus ſufficere debebit, quia videlicet erat *vir bonus, plenus Spiritu ſancto, & fide.* Cuius corpus tempore Zenonis Imperatoris, ipſo reuelante repertum eſt. Hic vnam ad ædificationem Eccleſiæ pertinentem ſcripſiſſe fertur Epiſtolam, quæ tamen inter apocryphas reputatur.

Actor. 11.

Eodem die apud Corinthum Soſthenis diſcipuli beati Pauli Apoſtoli. Qui cum in Iudaiſmo male à Gentibus, Gallione Proconſule non curante tractaretur, ad Chriſtianiſmum conuerſus, ab ipſo beato Paulo in Apoſtolicis eſt litteris honorifice commendatus.

1. Cor. 1.

Item apud Aquileiam natiuitas ſanctorum Martyrum Felicis & Fortunati, ſub perſecutione Diocletiani & Maximiani Imperatorum, Præſide Euphemio. Qui cum eſſent germani fratres fide Chriſti feruentes, deferente Apamio qui erat vnus ex officio Præſidis, vincti ferro Aquileiam Iudici Euphemio perducuntur. Vbi cum Chriſtum conſtantiſſime faterentur, ab irato Iudice primum in equuleo ſuſpenſi ſunt, ardentibus lampadibus circa latera appoſitis, ſed mox pſallentibus Martyribus exſtinctis, inde per ventrem ardenti oleo perfuſi, ad vltimum dum in confeſſione Chriſti perdurarent, foras ciuitatem ducti, iuxta fluuium ciuitati proximum capite truncantur. Inde nocte à religioſis viris eius ciuitatis ſublati, cum aromatibus inuoluti linteaminibus occulte ſepulti ſunt. At ciues Vicetiæ ſuperuenientes eorum corpora perducere ad ſuam ciuitatem Vicetiam nitebantur. Non permittentibus autem Aquileienſibus, imo renitentibus, tandem pia contentio finita eſt nutu diuino, vt Felicem Vicentini, Fortunatum haberent Aquileienſes, ita tamen vt caput beati Felicis Aquileienſes, caput vero ſancti Fortunati Vicetia ſortiretur. Quod factum in laude Domini noſtri Ieſu Chriſti vſque hodie permanet.

Romæ Anacleti Papæ, qui primus beati Petri Apoſtoli memoriam conſtruxit & compoſuit, cum Presbyter eſſet ordinatus ab eo, & iuxta corpus eius ſepultus eſt.

II. Idus Iunij.

B Romæ natiuitas ſancti Cyrini: Qui iuſſu Claudij Imperatoris ſecundi, poſt omnium facultatum ablationem, & diutinam carceris macerationem nocte decollatus eſt, & corpus eius in Tyberim proiectum.

ctum. Quod in Lycaonia Insula inuentum, honorifice à fidelibus est sepultum. Quando autem vel quomodo Romam fuerit translatum, nobis quidem est incognitum, sed beato Gregorio credimus non ignotum.

Item Romæ Naboris & Nazarij: Quos simul cum Gorgonio Martyre, quem in Ecclesiastica historia puto designatum, permittente Paulo Papa Romano, transtulit à Roma in Galliam, vel vt verius fatear in Franciam antiquam Ruodgangus Mettensis Episcopus, anno ab incarnatione Dominica septingētesimo sexagesimo quinto, & collocauit sanctum Gorgonium in Monasterio, quod dicitur Gorzia. Sanctum vero Naborem in Monasterio alio, quod dicitur noua Cella. Sanctum quoque Nazarium in Monasterio quod dicitur Loresham. Vbi signa & miracula in recuperatione sanitatis infirmorum & debilium sæpius ostenduntur.

Eodem die Mediolani natiuitas sanctorum Martyrum Nazarij & Celsi pueri. Beati Nazarij pater Africanus, mater vero Perpetua, à beato Petro Apostolo baptizati. Ipse vero sanctus Nazarius à sancto Clemente instructus & baptizatus est. Quem Anulinus sub rabie persecutionis, quæ per Neronem excitata est, diu maceratum & afflictum in carcere cum beatissimo puero Celso, quem idem ipse nutricrat, gladio feriri iussit. Quorum corpora Christiani furati quinto Calendas Augusti sepelierunt foris portam quæ dicitur Romana, in propriis hortis. Reuelauerunt autem se beati Martyres cuidam Cæratio nomine, cuius vxor Fortunata, & per visum monuerant se occultari propter rabiem persecutionis, quam Nero impius excitauerat. Latuerunt vero vsque ad tempora Honorij & Arcadij Imperatorum: Quos beatus Ambrosius Domino reuelante reperit: Patefacto autem sepulchro in quo iacebat corpus beati Nazarij, qui quandonam passus fuerit, vt scribit sanctus Paulinus, vsque tunc temporis ignorabatur, viderunt sanguinem Martyris ita recentem, qui præsentes erant, quasi eodem die fuisset effusus. Caput etiam ipsius quod ab impiis fuerat abscissum, ita integrum atque incorruptum cum capillis capitis & barba, vt videretur eodem tempore quo leuabatur, lotum atque compositum in sepulchro: etiam odore tanto repleti sunt, vt omnium aromatum vinceret suauitatem: Quo leuato & in lectica composito, statim ad sanctum Celsum Martyrem, qui in eodem horto positus erat, ad orationem perrexit sanctus Episcopus, & vtrumque transtulit ad Basilicam Apostolorum quæ est in Romana. Inuenti autem & translati

ſunt pridie Idus Iunias. Feſtiuitas vero eorum de martyrio agitur quinto Calendas Auguſti. Commemoratio tamen eorum publica & celeberrima in die ſanctorum Martyrum Protaſij & Geruaſij, quaſi ſociorum Synchronôn agitur. *

** Hic deſiderātur aliquot pagellæ in manuſcripto.*

Antiochiæ ſanctæ Marinæ Virginis: Quæ per Olibrium Præfectum multa tormenta pro Chriſti nomine, id eſt, vincula, carcerem, flagella & equuleum perpeſſa eſt. Quam & diabolus in draconis ſpecie atque Æthiopis aggreſſus ſubuertere tentauit, ſed per ſignum ſanctæ Crucis effugatus & ſuperatus ab ea diſceſſit. Nouiſſime vero per eundem Præfectum decollata, mortalem vitam finiens, veram & æternam à CHRISTO percepit.

Rauennæ Macharij, Felicis, Æmylij, Criſpini.

XIII. Calend. Iulij.

B Mediolani natiuitas ſanctorum Martyrum Geruaſij & Protaſij. Qui beatiſſimi à ſancto Paulo Apoſtolo inſtructi: Cum per decem annos in vno cœnaculo concluſi, lectionibus & orationibus atque ieiuniis vacaſſent, decimo anno à Pontificibus templorum apud Aſtatium Comitem proditi, & ab eodem tenti atque examinati, hoc modo ad palmam martyrij peruenerunt. Cum enim nec minis nec blandimentis eos compellere potuiſſet, vt ſe Chriſtianos eſſe negarent, Geruaſium quidem tamdiu iuſſit plumbatis cædi, quamdiu ſpiritum exhalaret. Protaſium vero fuſtibus cæſum capite truncari. Quorum corpora Philippus vir religioſus vna cum filio ſuo furtim abſtulit, & intra domum ſuam in arca marmorea ſepeliuit. Eorundem vero ſepulchra multa poſt tempora ſub Theodoſio Imperatore Domino reuelante beatus Ambroſius reperit, & ita incorrupta corpora eorum, ac ſi eodem die fuiſſent interempti. Quæ cum in vrbem introducerentur, quidam diu cæcus, feretri tactu lumen recepit.

Item ibidem iuxta martyrologium ſancti Hieronymi, natiuitas ſancti Nazarij, & Celſi pueri.

Apud Rauennam ſancti Vrſicini Martyris. Qui ſub Iudice Paulino poſt nimia tormenta in confeſſione Domini immobilis permanens, capitis abſciſſione martyrium conſumauit: ſepultuſq; eſt in eadem vrbe à beato Vitale patre ſanctorum Geruaſij & Protaſij.

Romæ

Romæ Syluestri Papæ, qui sedit anno vno. Qui consentiente Iustiniano Imperatore à * Vilisario Patricio depositus, & monachus factus, in exilio Confessor moritur.

* Belisario.

XII. Calend. Iulij.

Romæ depositio beati Nouati fratris Timothei Presbyteri, qui à beatis Apostolis eruditi sunt. De quo Nouato scribit Pastor in gestis Pudentianæ & Praxedis Virginum, quod post mortem beatæ Potentianæ visitante se beato Pio Episcopo & sancta Praxede, assistente etiam frequentia plurimorum Martyrum migrauerit ad CHRISTVM.

C

In Tomis ciuitate Pauli, Cyriaci, Paulæ, Felicianæ, Felicis, Æmylij, Vitalis, Crispinæ, Martyriæ.

Item translatio sancti Zenonis Martyris.

XI. Calend. Iulij.

In Sicilia ciuitate Syracusis natiuitas sanctorum Martyrum Rufini & Martiæ.

D

Romæ sanctæ Demetriæ Virginis, quæ fuit beati Fausti filia. Hæc cum ante impium Iulianum pro fide Christi introduceretur, in eius confessione spiritum emisit, sepultaque est à beato Ioanne Presbytero, iuxta matrem suam Dafrosam, & sororem Viuianam iuxta palatium Licinianum.

Apud Moguntiacum ciuitatem natiuitas sancti Albani Martyris. Qui sub Theodosio Imperatore de Insula Namsia pergens, cum sancto Theonesto & Vrso Mediolanum venit. Indeque exiens auxiliante Domino peruenit ad Gallias, & in seruitute Domini perseuerans, & ad martyrium pro nomine Saluatoris promptus, postquam in ciuitate Augusta beatus Vrsus martyrij cursum consumauit, sanctus Albanus cum Theonesto Magontiacum peruenit. Dumque ibi verbum Dei prædicaret, martyrium expleuit, & sepultus est ibi iuxta prædictam ciuitatem.

In Cæsarea depositio sancti Eusebij Episcopi.

X. Calend. Iulij.

Antiochiæ natiuitas sanctorum Martyrum Agathalitæ, Iuliani,

E

Graphi, & aliorum octingentorũ, quatuordecim, quorum nomina DEVS habet in libro viuentium.

In Britannia sancti Albani Martyris: Qui tempore Diocletiani in Verolamio ciuitate post verbera & tormenta acerba capite plexus est. Sed illo in terram cadente, oculi eius qui eum percussit, pariter ceciderunt. Passus est cum illo etiam vnus de militibus, eo quod eum ferire iussus, noluerit, diuino vtique perterritus miraculo, quia viderat beatum Martyrem, sibi dum ad coronam martyrij properaret, alueum amnis interpositi, orando transmeabilem reddidisse. Quo in tempore persecutio crudelissima Oceani limbum in Britannia transgressa, etiam Aaron & Iulium cum aliis octingentis octoginta nouem felici cruore damnauit.

In ciuitate Campaniæ Nola sancti Paulini Episcopi. Qui se temporibus Wandalorum aliis omnibus iam exhaustis pro filio cuiusdam viduæ in seruitutem Barbaris tradens, & ex terribili visione Regi eorum quis esset agnitus, reddita sibi omni captiuitate ciuitatis suæ, & oneratis frumento nauibus, cum ingenti gloria ex Africa ad propriam sedem reuersus est. Claruit autem non solum eruditione, & copiosa vitæ sanctitate, sed etiam potentia aduersus dæmones.

Eodem die depositio beati Nicetij Romanæ vrbis Episcopi.

IX. Calend. Iulij.

F In Nicomedia passio sanctarum Virginum, Pistis, Elpis, Agapis, quæ Latine Fides, Spes, Charitas dicuntur, & matris earum Sophiæ, quæ Sapientia interpretatur, & aliarum multarum.

Romæ sancti Ioannis Presbyteri: Quem impius Iulianus inauditum, via Salaria veteri, ante simulacrum Solis decollari præcepit. Eius corpus à beato Concordio Presbytero collectum, & sepultum est iuxta concilia Martyrum.

In Britannia depositio sanctæ Edeldrudæ Virginis & Reginæ. Cuius corpus cum decem annis esset sepultum, incorruptum inuentum est.

Item vigilia sancti Ioannis Baptistæ.

VIII. Calend. Iulij.

G In Prouincia Palæstina, ciuitate Sebasta, prius Samaria, & ante multa

multa ſecula Sichem nuncupata, celebritas natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ, propter corpus eius in Macherunta quidem caſtello Arabiæ detruncatum, ſed ibi à diſcipulis eius tumulatum. Qui reuera in Hebron ciuitate Iuda, quæ ad fugitiuorum præſidium Sacerdotibus, imo filiis Aaron fuerat delegata, authoritate Euangelij ſancti Lucæ, & libri Ieſu Naue, & natus creditur & nutritus. Cuius vitæ ſanctitas & conuerſationis auſteritas ac prædicationis qualitas, atque paſſionis ob defenſionem veritatis acerbitas, non ſolum Euangeliſtarum ſcriptis, verum etiam ipſius Domini, interni videlicet arbitri teſtimoniis commendatur.

In Epheſo dormitio beati Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ. Cuius licet præconia ſexta die Calendarum Ianuarij, quando per totam Eccleſiam feſtiuitatis eius ſolemnia celebrantur, congruentius prædicari videantur, tamen & hic aliqua ex eis ad legẽtium vtilitatem commemorentur. Cum igitur ſexageſimo octauo poſt paſſionem Domini anno, ſciret imminere receſſus ſui diem, conuocatis diſcipulis ſuis, inter ſacra Miſſarum Dei ſolemnia, de contemptu Mundi & concupiſcentiarum eius, ac de obſeruatione mutuæ charitatis, iterato atque frequentato ſermone eos admonere non deſtitit, in tantum vt etiam de eiuſdem ſententiæ repetitione faſtidientes, alia illum dicere, quia hæc ſibi ſatis ſuperque ſufficerent, precarentur. Quibus ille reſpondit: *Quia ſanctæ & intemeratæ dilectionis cuſtodia, aut vix à quoquam mortalium digne prædicaretur, aut inter mundana ſcandala vſque ad finem inlibata teneretur*: & his dictis, data omnibus pace, & tam ſemetipſo quam illis, Dominici corporis & ſanguinis ſacramento communitis, reclinauit ſe in ſepulchro quaſi in lecto, tam liber à dolore mortis, quam immunis creditur à contagio corruptionis.

Auguſtoduno depoſitio ſancti Simplicij Epiſcopi, Feſti, Lucerij.

VII. Calend. Iunij.

Apud Pyrrhi Beroëam natiuitas ſancti Soſipatri, diſcipuli beati Pauli Apoſtoli. A

Alexandriæ ſancti Gallicani Martyris: Qui dux Romani exercitus, cum intra * Philoppolim Thraciarũ vrbem, à gente Scytharum fuiſſet obſeſſus, & ad ſuggeſtionem ſanctorum Ioannis & Pauli, abdicata idolorum cultura, Domini Ieſu Chriſti ſe defenſioni commendaſſet, & ipſe & totæ Thraciæ ab hoſtium incurſione ſunt liberatæ.

* *Philippopolim.*

Quique Romam reuersus,& Christianus effectus, quinque millia seruorum suorum, liberos ciuesque Romanos fecit, quibus etiam prædia domosque donauit. Cunctas vero facultates suas excepto iure filiarum, Atticæ videlicet & Artemiæ, quas Constantina augusta virgo sacratissima Christo fuerat lucrata, distrahi ac donari pauperibus fecit. Ac se in Ostiensi vrbe manenti sancto viro cuidam nomine Hilarino sociauit: Cuius habitaculum ampliari fecit ad peregrinorum susceptionem, quam ipse plurimis impendebat. Et adminiculo seruorum, quos iam libertate donauit, atque ideo arctius eos sibi astrinxit, omnibus indigentibus ad se venientibus, cunctisque languentibus sanctæ seruitutis seruitia exhibere non cessabat, donec Iulianus apostata Cæsar effectus, legem promulgaret, vt Christiani nihil in hoc seculo possiderent. Sed & tunc Gallicanus in paucissimis casis, quas ad ministerium pauperum reseruatas habebat, ita CHRISTVM defensorem inuenire merebatur, vt quicunque in eas malitiose, vel ad ponendos titulos fisci intrare præsumeret, statim aut diabolo repleretur, aut lepræ maculis respergeretur. Quod cum Iuliano fuisset nuntiatum, mandauit ei vt aut diis sacrificaret, aut à finibus Italiæ discederet. Mox ergo beatus Gallicanus relictis omnibus Alexandriam petiit, & ibi iunctus est Confessoribus CHRISTI per annum continuum. Post etiam secessit in eremum, ibique à Rauciano Comite templorum vi cogebatur sacrificare diis: Et dum contemneret, percussus gladio in corpore, Christi Martyr factus, atque ita perrexit ad Dominum, gaudens cum triumpho: Cui statim sui nominis Basilicam construxerunt, in qua exuberant beneficia Martyris, ex eo & nunc & vsque in sæcula.

Romæ Luceiæ Virginis & Auceiæ Regis, qui cum aliis viginti duobus pariter martyrio coronati sunt.

VI. Calend. Iulij.

B Romæ natiuitas sanctorum Ioannis & Pauli fratrum. Quorum prior Præpositus, secundus fuit Primicerius Constantiæ Virginis filiæ Constantini Imperatoris. Qui cum omni die turmas Christianorum recrearent ex his opibus, quas sacratissima virgo Christi Constantia reliquerat, peruenit hoc ad Iulianum impiissimum Cæsarem. Qui cum nec minis nec suasionibus à Christi amore eos abstrahere, & ad idolorum culturam allicere posset, dedit eis inducias de-

cias decem diebus, vt ad venerationem deorum ſuorum inclinarentur. Tunc ſancti DEI Chriſtianos ad ſe inuitantes, ordinauerunt de omnibus, quæ relinquere poterant, ac per totos decem dies inceſſanter noctu diuque Eleemoſynis inſiſtentes, in fine decimi diei hora cœnandi intra domum ſuam à Terentiano Campiductore orantes conſtricti ſunt, & nulla ratione vel comminatione à dilectione Chriſti quantulumcunque declinantes, per eundem Terentianum decollati, & intra domum ſuam fouea facta repoſiti ſunt, fama diuulgata quod iuſſu Cæſaris in exilium miſſi fuiſſent. Dæmones autem ex obſeſſis corporibus intra domum Ioannis & Pauli eiiciebantur, confitentes ſanctam paſſionem eorum, ita vt vnicus filius Terentiani qui eos decollauerat, veniret intra domum ſanctorum, & clamaret per os eius dæmon, quod Paulus & Ioannes incenderent eum. Tunc Terentianus diuina compunctus gratia, & in Chriſto regeneratus, tamdiu ad ſanctorum corpora orationibus incubuit, donec emundationem filio ſuo impetraret.

In Alexandria Agathonis, Diogenis & Bigati.

In Africa Gaudentij, Felicis, Agapiti, & Emeritæ.

V. Calend. Iulij.

In Galatia natiuitas beati Creſcentis, diſcipuli beati Pauli Apoſtoli. Qui & in Gallias tranſitum faciens, verbo prædicationis multos ad fidem Chriſti conuertit. Rediens vero ad gentem cui ſpecialiter fuerat Epiſcopus datus, Galatas vſque ad beatum finem vitæ ſuæ in opere Domini confortauit. C

Apud Tiburtinam Italiæ ciuitatem, natiuitas ſanctæ Symphoroſæ, vxoris beati Getulij Martyris cum ſeptem filiis, Creſcente, Iuliano, Nemeſio, Primitiuo, Iuſtino, Stacteo, Eugenio, cum quibus paſſa eſt ſimul, ſub Adriano Principe. Qui ipſam Symphoroſam iuſſit palmis cædi, deinde per crines ſuſpendi. Quam dum ſuperare nullatenus poſſet, iuſſit eam alligato ſaxo in fluuium præcipitari. Cuius frater Eugenius principalis curiæ Tyburtinæ, colligens corpus eius, ſepeliuit. Et mane Imperator iuſſit ſeptem ſtipites figi, ibique filios eius ad trocleas extendi, & Creſcentem in gutture transfigi, Iulianum in pectore, Nemeſium in corde, Primitiuum per vmbilicum, Iuſtinum per membra diſtenſum, ſcindi per ſingulos corporis nodos atque iuncturas: Stacteum lanceis innumerabilibus donec moreretur in

tur in terram configi: Eugenium findi à pectore vſque ad inferiores partes, & poſuerunt Pontifices ſacrorum nomen loci illius, ad ſeptem Biathanatos: Quorum corpora requieſcunt via Tyburtina miliario nono.

Eodem die in Hiſpania, Corduba ciuitate, natiuitas ſanctorum Zoëlli & aliorum nouendecim.

Apud Epheſum feſtiuitas ſeptem dormientium fratrum, hoc eſt, Maximiani, Malchi, * Martiani, Dionyſij, Ioannis, Serapionis, Conſtantini. Qui Decianam perſecutionem poſt nimia & plurima tormenta fugientes, abſconderunt ſe in ſpelunca grandi in monte Cælio, & ibi in oratione aſſidua permanſerunt. Quod audiens Decius Imperator, iuſſit obſtrui os ſpeluncæ, vt ibi interirent. Poſt trecentos autem & ſeptuaginta duos annos, hoc eſt, triceſimo anno Imperij Theodoſij filij Arcadij Imperatoris, quando pullulauit hæreſis, volens euacuare ſpem fidei & reſurrectionem mortuorum, ipſi ſeptem fratres, qui in prædicta ſpelunca vſque ad illud tempus quieſcebant, diuina prouiſione ſuſcitati ſunt de ſomno longiſſimo, & comprehenſi à quibuſdam, eo quod pecuniam ſui temporis iam nunc antiquiſſimam in mercatum adduxerint ad comparãdum ſibi victum quotidianum, in præſentiam hominum illius ætatis adducti, quaſi inuentores antiquorum theſaurorum cogebantur reddere, quod putabantur tenere. Sed poſt multam concertationem, & ſanctorum nimiam tribulationem, quia ſuſpicabantur ſe veſpere de ciuitate exiſſe & mane rediſſe, licet immutata eſſet in oculis eorum. Tandem veniente Marino Epheſiorum Epiſcopo, & veritate rei difficulter exſculpta, liberati ſunt de manibus violentorum: Ac Theodoſio Imperatori de longinquis mundi partibus aduocato, in teſtimonium futuræ reſurrectionis præſentati, iterum in locum quietis priſtinæ redierunt.

* *Martiniani.*

In ciuitate Ambianenſium inuentio corporum ſanctorum Fuſciani, Victorici, atque Gentiani.

IV. Calend. Iulij.

D Apud Lugdunum Galliæ natiuitas ſancti Irenæi Epiſcopi. Qui beato Photino prope nonagenario, ob Chriſti martyrium coronato, in locum eius ſucceſſit. Quem etiam conſtat beatiſſimi Polycarpi diſcipuli ſancti Ioannis Apoſtoli, Sacerdotis & Martyris fuiſſe diſcipulum: Quique perſecutione Seueri cum omni fere ciuitatis ſuæ populo

glorioſe

gloriose coronatus est martyrio, sepultus est à Zacharia Presbytero, in Crypta Basilicæ beati Ioannis Baptistæ sub altari. Cuius ab vno latere Epipodius, ab altero Alexander Martyr est tumulatus.

Eodem die apud Alexãdriam passio sanctorum Martyrũ, Plutarchi, Sereni, Heraclidis, Herois. Item Sereni, Potamienæ, Marcellæ, & Catechumenæ Heræ nomine, baptismum martyrio consecutæ. Inter quas præcipua erat Potamiena virgo: Quæ primo immensos & innumeros agones pro virginitate desudans, deinde etiam pro Christi martyrio exquisita & inaudita tormenta perpessa, ad vltimum cum venerabili matre Marcella ignis suppliciis consumpta, è terris migrauit ad cœlum.

Eodem die depositio sancti Leonis Papæ. Qui post beatum Petrum Apostolum, quadragesimus septimus in vrbe Roma sedit annos viginti & vnum, mensem vnum, dies tredecim. Hic plurima doctrina exuberans, & cum multis Episcopis fidem Catholicam exponens, Eutychianam & Nestorianam hæresim damnauit, & sanctissimum Calcedonense Concilium sua industria congregari fecit. Hic constituit intra actionem dicere, *sanctum sacrificium*, & Monacham non accipere velamen capitis benedictum ab Episcopo nisi prius virginitas illius probata fuerit.

In Africa Fabiani & Felicis cum aliis multis Martyribus.

Vigilia sanctissimorum Apostolorum Petri & Pauli.

III. Calend. Iulij.

Romæ natalis beatorum Apostolorum Petri & Pauli, qui passi sunt sub Nerone Cæsare, Basso & Tusco Consulibus. Petrus post multorum millium Iudæorum conuersionem ad Dominum Iesum Christum, post vocationem Cornelij & plurimorum gentilium: post Episcopatum Antiochenæ Ecclesiæ & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia in Christum crediderant, secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum, imo ad illuminationem Occidẽtalium, & medicamentum in anima & corpore languentium à Deo directus Romam peruenit. Ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem vsque ad vltimum Neronis annum tenuit: à quo & cruci affixus, martyrio coronatus, capite secundum petitionem suam ad terram verso, & pedibus in sublime supinatis, quia videlicet indignum se cre-

 deret,

deret, qui ita crucifigeretur vt Dominus suus: sepultusq; apud eandem vrbem in Vaticano, iuxta viam Triumphalem, totius orbis veneratione celebratur, & cunctis ex fide se inquirentibus multis & inenarrabilibus modis opitulatur. Scripsit duas Epistolas, quæ Canonicæ nominantur: quarum secunda propter styli cum priore dissonantiam eius à plerisque negatur: Sed vere ipsius esse, à cunctis sanum sapientibus approbatur. Hic ordinauit duos Episcopos, Linum videlicet & Cletum, qui præsentialiter omne ministerium sacerdotale in vrbe Roma populo vel superuenientibus exhiberent. Ipse vero orationi & prædicationi operam dabat: Sicut etiam Hierosolymis Diaconibus ad viduarum ac pupillorum ministerium constitutis, ipse cum cæteris Apostolis orationi ac verbo semper erat instans.

Paulus quoque post passionem Domini vicesimo quinto anno, id est, secundo Neronis, postquam ab Ierusalem vsque in Illyricum Euangelium Christi repleuit, Romam quidem vinctus directus, sed à Deo mirabiliter absolutus, sub libera custodia ingressus est, & sicut ipse in secunda ad Timotheum Epistola scribit, *liberatus de ore leonis* ferocissimi videlicet persecutoris Neronis, Euangelium Christi in Occidentis quoque partibus prædicauit, & ipse quarto decimo Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatus, sepultus est in via Ostiensi, anno post passionem Domini tricesimo septimo. Scripsit autem nouem imo decem iuxta Decalogum legis Epistolas ad septem Ecclesias: Ad Romanos vnam, ad Corinthios duas, ad Galatas vnam, ad Ephesios vnam, ad Philippenses vnam, ad Colossenses vnam, ad Thessalonicenses duas, ad Hebręos vnam. De qua licet à quibusdam propter dissimilitudinem dictorum atque sententiarum, & quia nomen illius in titulo non habetur, quondam dubitatum sit, nunc & inter Canonicas scripturas, & ipsius beati Pauli Apostoli indubitanter habetur. Præterea sunt & aliæ ad discipulos eius quatuor, ad Timotheum duæ, ad Titum vna, ad Philemonem vna. Legunt quidam & ad Laodicenses, quæ tamen pro nihilo reputatur apud sapientes. Commemoratis igitur quæ ad Apostolatum vel martyrium eius pertinere videbantur, liceat paucis, quamuis ordine præpostero, aliqua de genealogia vel educatione siue electione ipsius ad memoriam studiosorum reuocare. Saulus itaque aut Saul certe, vt iuxta Hebraicum idioma loquar, quia ipsum nomen in tribu Beniamin vnde ille erat, propter Saul Regem maxime excellebat, ex oppido Giscalis oriundus fuit: Quo à Romanis capto, cum parentibus

2. Tim. 4.

suis

ſuis Tharſum Ciliciæ tranſmigratus eſt. A quibus ob ſtudium literarum Hieroſolymam directus, à Gamaliele antiquæ legis peritiſſimo, ac poſtea in Euangelium CHRISTI vocato, in tantum eruditus eſt, vt vas electionis ab ipſo datore ſpiritualium chariſmatum, non immerito nuncupari mereretur. Cum autem in nece beati Stephani Protomartyris CHRISTI, Iudæis Chriſtianorum perſecutoribus conſentaneus eſſet, ac poſtea per totam illam prouinciam omnes eo nomine inſignitos acerrime debellaret, atque vt ipſe confitetur, IESV Nazareni cultores vſque in exteras nationes perſequeretur: In quibus, dum Damaſcum Metropolim videlicet Syriæ pergeret, reuelatione ſubita, imo pœna digniſſima compulſus ad fidem, in Doctorem gentium de perſecutore eſt translatus. Cumque primum ad prædicationem eius Sergius Paulus Proconſul Cypri credidiſſet, eo quod eum Chriſti fidei ſubegerat, eius ſortitus eſt nomen.

Et quia de beati Pauli origine ſeu vocatione pauca propoſuimus, etiam de cæteris Apoſtolis ſine præiudicio ſapientum aliqua narrentur ad inſtructionem ignorantium.

Ac primum ſciẽdum, quia cum duodecim Apoſtoli à Domino referantur electi, quorundã eorum patria vel tribus aut deniq; vocatio nõ aperte videatur expreſſa. Sed diligentius inſpectis diuinæ ſcripturæ paginis, neq; hæc pie quærentibus, inuenienda negantur. Et de Petro quidem & Andrea atq; Philippo quod de Bethſaida, quę nomine proprio venatores noſtros præfigurarunt, orti fuerint, nullus qui Euangelium legit, ignorat. Quod etiã de Iacobo & Ioanne intelligendum, Lucas nobis inſinuat, cũ eos Simonis, qui ob firmitatem fidei, Petrus à Domino cognominari meruit, ſocios fuiſſe cõmendat. De Iacobo aũt minore, qui frater Domini non ſolum à fidelibus, verum & à Ioſepho Iudæorũ hiſtoriographo nuncupari ſolet, & fratribus ipſius Simone ac Iuda ſiue Thaddæo quin de tribu Iuda fuerint, nullus Chriſtianorum dubitare permittitur. De vocatione vero Matthæi, cũ tribus Euangeliſtis conſonantibus apertiſſime referatur, de tribu vel patria ipſius taceri videtur. Sed dum Marcus & Lucas eũ tacito vulgato nomine Leui nuncupat, aut Dionymon iuxta quoſdam, aut de tribu Leui iuxta diligentiores fuiſſe deſignant. Porro de Bartholomæo atq; Thoma nihil aliud quibuſdam in litteris Apoſtolicis ſignificari videtur, niſi quod ex multitudine diſcipulorum ſelecti narrantur in Apoſtolicum gradum. Sed & in eis, ſi quis acutius intueatur, ſacræ ſcripturæ profundiſſimos

Israel. rimando thesauros fontium * Ierusalem diuitias se inuenisse gratulabundus admiratur. Sicut in Psalmo de resurrectione & ascensione Domini atque donis Spiritus sancti, Apostolorumque prædicatione, nec non & credulitate gentium siue crudelitate persequentium conscripto cantatur: *In Ecclesiis: benedicite Deo Domino de fontibus* * *Ierusalem. Ibi Beniamin adolescentulus*, Paulus videlicet, sicut etiam Lucas de illo repetiuit, *secus pedes adolescentis, (in mentis excessu)* velut idem de se profitetur: *Siue mente excedimus Deo, siue temperantes sumus vobis. (Principes Iuda, duces eorum.)* Iacobus scilicet, Simon & Iudas, *(Principes Zabulon, principes Nephthalim.)* Reliqui procul dubio cuncti præter Iudam Scarioth, quod interpretatur, *meditatio mortis*, designata non incõuenienter accipiatur, etiam transmutatione litterarum, quia de tribu Isachar, quod in Latina lingua, est merces, exprimitur, & ortus, & ipsius nominis hæres seipsum profligando fuerit, à tractatoribus Euangelij commendatur. His breuiter per excessum commemoratis ad propositum redeamus.

Psal. 67. *Israel.* *Actor. 7.* *2. Corin. 5.*

Eodem die, id est tertio Calendas Iulij, quod est ante vnum diem Calendarum earundem, Romæ passio nongentorum septuaginta sex Martyrum.

In Perside natiuitas sanctorum Simonis & Iudæ Apostolorum.

II. Calend. Iulij.

F Romæ, imo per totum orbem Christi, festiuitas sancti Pauli Apostoli.

Item natalis beatissimæ Lucinæ, quæ ab Apostolis baptizata est & instructa: Quæque de facultatibus suis necessitatibus sanctorum communicans, vincula semper & carceres subleuare, atque sepulturis eorum venerabiliter inseruire studuit. Quorum meritis & ipsa sociata pretiosam mortem confessione Christi adepta, atria cœlestis Ierusalem intrare vota sua Domino persoluendo meruit: ac Romæ in Crypta laudabili, quam ipsa ad condendum corpora Martyrum construxerat, honorabiliter est sepulta.

In Africa Timothei & Zotici.

In Agrippina Asclepij & Pamphili.

Lemouicis. *Lemodicis depositio sancti Martialis Episcopi & Confessoris.

Mensis Iulius habet dies triginta & vnum.

Calendis Iulij.

In monte Or depositio Aaron primi Sacerdotis in lege. G

Romæ natiuitas sancti Gaij Papæ, & aliorum non paucorum Martyrum.

In Mesopotamia Zoëlli cum aliis plurimis * Vronis, * Monegundæ sanctissimæ fœminæ, apud beatum Martinum inclusæ, sed miraculorum ostensione celeberrimæ.

* Turonis.
* Monegundis.

In territorio Lugdunensi, loco qui vallis Vebrona nuncupatur, depositio viri Dei beatissimi Domitiani Abbatis, qui primus illic eremiticam vitam exercuit, & plurimos sibi in Dei seruitio aggregans, Monasterium instituit, magnisque virtutibus, & gloriosis miraculis clarus, collectus est ad Patres suos in senectute bona.

Eodem die depositio Areleffi Confessoris: Qui ab infantia Deo deditus, monasticam vitam expetiuit, & à sancto Maximino Aurelianensi Episcopo, simul cum Auito socio Presbyter ordinatus, vitam solitariam desiderans, sed proficientibus meritis latere nullatenus, diuino id factum nutu, nequiens, & Monasteria in diuersis locis ædificans, multis virtutibus & in carne manens, & post obitum claruit. Sed quia virtutum nomine aliquando vitæ sanctitas, aliquando miraculorum efficacia designatur, vnum de miraculis per sanctitatem illius ostensis, ad comprimendum temerariarũ mulierum audaciam, in hoc Ecclesiasticarum historiarum breuiario commemorare sufficiat. Audiens quædam mulier nomine Gunda, quia sanctus Areleffus muliebri sexui, per quem virile robur solet emolliri, interdixisset aditum in Monasterium suum, assumpto viri habitu, quasi sancto Dei illusura, & vt sibi videbatur iam voti sui compos effecta, inter multitudinem virorum tendebat ad Cœnobium, & ecce subito in amentiam versa, femora denudare, crura diuaricare, & pudenda proprio nomini cognomina cœpit ostentare, & quod pudet dicere, nisa est basiare: atque exemplo vxoris Loth, etsi non in statuam salis mutata, sed pœna sua condimentum fatuis effecta, præsentibus & absentibus, imo etiam futuris metum curiositatis incussit.

VI. Nonis Iulij.

Romæ natiuitas sanctorum Processi & Martiniani: Qui cum A

 viderent

viderent mirabilia, quæ faciebat per beatos Apostolos suos Petrum & Paulum Dominus Iesus Christus, mirari cœperunt. Erant enim tunc temporis beatissimi Apostoli traditi Paulino viro clarissimo sub custodia Mamertini in monte Tarpeio. Vbi de monte suis orationibus aquam manare fecerunt. Tunc baptizati sunt Processus & Martinianus à beato Petro Apostolo, & alij promiscui sexus numero quadraginta septem. Quod cum nuntiatum esset Paulino, misit milites & tenuit eos, iussitque in custodia retrudi. Sequenti autem die educti cum constantissimè *

** Hic iterum desiderantur aliquot pagellæ in manuscripto Codice.*

Rusticus è contra intulit: Nunc inquiens agnouimus, quia inreligiosus, incantator ac magus es, qui mane comedis, ceruas mulges, vestem de radio Solis appendis, si infantem in Dei nomine loqui non feceris. Tandem igitur post refragationem diutissimam sanctus vir, humilitatem suam aliquantulum postponere & potẽtiam manifestare coactus, conuersus ad infantem dixit: *Adiuro te per Iesum Christum Filiũ Dei viui, vt fatearis coram omnibus, quis te genuerit, aut quæ pepererit.* Ad quæ infantulus fandi gratia ab omnium auctore percepta, absolutissimo sermone respondit: *Pater meus iste Rusticus est Episcopus, & mater mea sanctimonialis est illa.* Sicq; obstinatus ille Episcopus in scelere suo denudatus, à veraci famulo Dei pœnitentiæ consilium accepit, & sanctus Sacerdos Goar à Christo glorificatus, ad locum suum rediit, ac de die in diem in augmento virtutum proficiens in pace requieuit.

Nonis Iulij.

F Apud Alexandriam Ægypti, natiuitas sancti Pantæni viri Apostolici & omni sapientia adornati. Cui tãtum studij & amoris erga verbum Dei fuit, vt etiam ad prædicandum Christi Euangelium omnibus gentibus, quæ in Orientis vltimis secessibus reconduntur, fidei & deuotionis calore profectus sit, & vsque ad Indiam citeriorem prædicando peruenerit. Vbi reperit Bartholomæum vnum de duodecim Apostolis, aduentum Domini Iesu Christi iuxta Euangelium Matthæi prædicasse. Quod Hebraicis litteris scriptum, reuertens Alexandriam secum detulit: ibique præclaram & nobilem vitam beato fine cõclusit.

Ibidem sanctorum Heraclij, Helij, Apollonij Publij cum aliis viginti.

Romæ

Romæ passio beatorum Martyrum Nicostrati primiscrinij, Claudij commentariensis, Castorij siue Castuli, Victorini, Symphoriani, vel sicut in libro sacramentorum continetur, Semproniani. Quorum natalem sexta die Iduum Nouembris eatenus nos celebrasse credidimus, donec venerabilis Pater Ado alios & alios pro eis nobis honorandos insinuaret: De quibus in suo loco, vita comite commodius differetur. Hos ergo beatus Sebastianus credere in Christum docuit, & sanctus Polycarpus Presbyter baptizauit. Qui cum sanctorum corpora per ora Tyberina requirerent, tenti sunt, & ad Fabianum vrbis Præfectum perducti. Qui cum per dies decem minis & blanditiis satageret, vt eos ad immolandum idolis prouocaret, & nullum penitus à stabilitate fidei commouere posset, fecit de eis suggestionem Diocletiano & Maximiano Imperatoribus: quique iusserunt eos torqueri: Cumque nulla ratione compulsi cederent, iusserunt eos in mare præcipites dari: immensis itaque arctati ponderibus, pelagi fluctibus dati sunt, vt in loco mundo inter aquas coronam martyrij percipere mererentur.

VIII. Idus Iulij.

In Asia minore natiuitas sancti Aquilæ & Priscillæ vxoris eius: G De quibus in Actibus Apostolorum legitur, quod apud eos beatus *Actor. 18.* Apostolus Paulus propter idem artificij genus, quod illi & eisdem erat commune, moraretur & operaretur, postquam ipsi ab vrbe Roma in Achaiam deuenerunt.

In Palæstina sancti Procopij Martyris: Qui ab Scythopoli ductus Cæsaream, ad primam responsionum confidentiam irato Iudice Fabiano capite cæsus est.

In Nicæa Sostrati Senatoris, Seueri & Honorati, cũ aliis multis.

In Tauromìnio Speri, & Corneliani cum aliis sexaginta.

In pago Austriæ, id est, nouæ Franciæ castro, imo ciuitate, vt Teutonico nomine prodit Wirzburg iuxta Moin fluuium sita, passio sancti Chiliani, primi eiusdem ciuitatis Episcopi, & duorum discipulorum eius * Colonati scilicet Presbyteri, & Totnani Diaconi. Qui ab Hibernia Scotorum Insula venientes, & à Pontifice sedis Apostolicæ authoritate accepta, nomen Christi in eodem loco & in circuitu prædicauerunt. Cumque multum populum idem vir Apostolicus signis & verbo Domino adquireret, à Duce locorum eorundem nomine

* *Colomanni.*

mine

mine Cozperto pro eo quod cum à coniugio vxoris fratris sui disiungere niteretur, factione eiusdem incestuosissimæ Geilæ, cum sociis eodem zelo feruentibus, est interemptus. Ad quorum memorias cum plurima semper fiant miracula, his tamen indiciis pretiosa mors eorum primum mortalibus est commendata. Nam is qui eos in oratione positos nocturno tempore silentio peremit, huc & illuc amens discurrendo, ac se reum necis sanctorum clamitando, seque ipsum dentibus suis laniando, quia igne inuisibili à sancto Chiliano sibi videbatur exuri, commissum suum ipse publicauit. Geilam quoque etiam ipso nomine Petulcam spiritus malignus inuasit, & indignam eius vitam dignissima morte finiuit. Cozbertum vero serui sui occiderunt gladio. Filium autem eius populi propulerunt de regno. Ad augmentum quoque sanctitatis Martyrum declarandum, cum post annos plurimos transferendi gratia detegerentur, contra naturam eiusdem regionis supra modum humidæ, libri eorum ac vestimenta omnia pariter cum eis subterrata, ita sunt illæsa reperta, quasi in scrinio super terram posito essent inclusa.

VII. Idus Iulij.

A Romæ ad guttam iugiter manantem natiuitas sancti Zenonis, & aliorum decem millium, ducentorum & trium.

Item Floriani & Fausti.

In ciuitate * Tyro non longe ab vrbe Roma Anatoliæ & Audacis sub Decio Imperatore. Quorum Anatolia cum multos in Piceno infirmos, lunaticos ac dæmoniacos curasset, ducta est iubente Faustiniano ad ciuitatem * Tyri, & diuersis plagarum generibus vexata, deinde cum serpente tota nocte inclusa, nihil læsa est. Quin & ipsum Marsum, qui serpentem dimiserat, nomine Audacem mane à suo serpente deuorandum eripuit, & ad Christi martyrium conuertit. Nam & ipse post hoc ob confessionem veritatis in custodiam datus, nec mora, capitali sententia coronatus est. Ipsa quoque Christi virgo gladio transuerberata, cum staret extensis manibus in oratione, ita vt per dextrum latus gladius missus, per sinistrum exiret, passa est septimo Iduum Iulij, sepulta autem est mane à ciuibus * Tyrensibus.

Mediolani natiuitas sancti * Mochimi.

In Ægypto Cyrilli Episcopi. Qui à Lycio Duce flammis iniectus, illæsus euasit: Ac stupore tanti miraculi à Iudice dimissus, cum rursus

* Thora.
* Thora.
* Thorensibus.
* forte sancti Mona.

rursus verbum Dei alacriter prædicaret, ac plurimos efficacius ad fidem Christi conuerteret, iudex impietate repletus, cum capite plecti iussit, atque optatum martyrij finem consumauit.

Item in Ægypto sancti Serapionis Episcopi & Confessoris.

In ciuitate Martulana sancti * Brici Episcopi & Confessoris: *Bricij.* Qui sub Iudice Martiano postquam os lapide contusum est, & in equuleo crudelissime cruciatus, in confessione Domini perdurans, in carcerem trusus est: Nocte autem terræ motu graui ciuitas est percussa, inter alios plures etiam Martianum occidit. Et Christi Confessor ab Angelo sancto, & à beato Petro Apostolo visitatus, atque ad prædicandum Euangelium confortatus, magnas populorum credentium multitudines omnipotenti Deo lucrifaciens, quieuit in pace. Cuius animam viderunt astantes in specie columbæ niueæ cœlo recipi.

VI. Idus Iulij.

Romæ natiuitas septem fratrum filiorum sanctæ Felicitatis, id est, Ianuarij, Felicis, Philippi, Syluani, Alexandri, Vitalis, Martialis. Qui sub Præfecto vrbis Publio tempore Antonini Principis primum auditi, deinde per diuersos Iudices, vt variis suppliciis laniarentur, missi sunt. E quibus Ianuarius post verbera virgarum & carcerem ad plumbatas occisus est. Felix & Philippus fustibus mactati. Syluanus præcipitio interemptus est. Alexander, Vitalis & Martialis capitali sententia puniti, à charitate Christi & vnitate fidei non sunt vel in morte diuisi. B

Item Romæ miliario decimo, fundo Plautillæ qui dicitur Buxo, sanctarum Rufinæ & Secundæ sororum, patre clarissimo Asterio & matre Aurelia genitarum: Sub persecutione Valeriani & Gallieni Iudicibus, Iunio Præfecto, & Archisilao Comite, in loco prædicto, pro eo quod sponsos suos à Christo apostatatos accipere noluerint, capite cæsæ sunt.

In Africa sanctorum Ianuarij, Marini, Naboris & Felicis, ob constantiam Christianæ fidei decollatorum: Quorum corpora postea Mediolanum sunt translata.

V. Idus Iulij.

Romæ passio sanctorum Stephani, Leontij, Mauritij & aliorum multorum. C

* Marini. In Africa * Mariani & Ianuarij.

In Armenia minore ciuitate Nicopoli sanctorum Martyrum Ianuarij & Pelagiæ. Qui equuleo, vngulis, & testarum fragmentis diebus quatuor cruciati, martyrizauerunt.

Translatio sancti Benedicti Abbatis à castro Cassino siue Cassiani in Gallias vel Aquitaniam. Postquam enim sicut ipse viuens prædixerat, Monasterium eius à gentibus est vastatum, hominibus tãtum iuxta sententiam illius, *Vix obtinui apud Deum omnipotentem, vt ex hoc loco mihi animæ cederentur*, illo intercedente saluatis: Corpus ipsius à religiosis quibusdam Domino reuelante repertum, & in Gallias translatum, atque in territorio Aurelianensi Monasterio quod vocatur Floriacum, digne sepultum, & multo dignius frequentatione deuotorum est iugiter honoratum.

Translata sunt etiam pariter ossa beatæ Scholasticæ virginis sororis eius, atque in partibus Cænomanensium religiosorum deuotione conditum. Cuius animam idem vir Dei è corpore egressam, vidit in columbæ specie cœli secreta penetrare, corpusq; eius secum in vno iussit poni sepulchro, vt quorum mens vna semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret. Sed væ miserorum meritis, per quos separationem passa sunt, quæ dispositione sancti Spiritus coniungi meruerunt: Sed non diu locus ille sanctorum reliquiis honorabilis, à fidelium conuentu mansit inanis: Nam fratres qui hostium manus euadere potuerunt, iterato in vnum conglobati, & aliis ad vicem dispersorum adhibitis multiplicati, sacros cineres seipsos iam cautius agentes, satis religiose curarunt: donec nuper infestatione Saracenorum in omnem ventum dispersi sunt.

IV. Idus Iulij.

D Apud Aquileiam natiuitas sancti Hermagoræ vel sicut in antiquis Codicibus inuenitur, Hermechoræ, primi eiusdem ciuitatis Episcopi, discipuli sancti Marci Euangelistæ.

Item Fortunati, de quo Fortunatus Episcopus, *& Fortunatum fert Aquileia suum.*

* Iasonis. In Cypro beati * Nasonis, antiqui Christi discipuli.

Romæ in Vaticano depositio S. Pij Papæ, qui sedit in Episcopatu annis octodecim: Sub huius tempore Hermes librum conscripsit, qui appellatur Pastor, quia in habitu pastoris ei Angelus apparuit.

Medio-

Mediolani translatio sanctorum Martyrum Naboris & Felicis, qui sexto Idus Iulij cum Ianuario & Marino in Africa decollati, hac die Mediolanum sunt deportati. De quibus beatum Victorem in passione sua credo supplicasse: *Ne separes me Domine à ciuibus meis Martyribus tuis Nabore & Felice.*

Lugduno Galliæ depositio Viuentioli Episcopi.

III. Idus Iulij.

Transitus Esdræ instauratoris diuinæ legis.

In Alexandria Serapionis, Euangeli, Zenonis & aliorum ac Trophimæ virginis. E

Romæ sancti Cleti Papæ, qui sedit in Episcopatu annis duodecim. Hic cum esset Chorepiscopus beati Petri Apostoli, ex præcepto illius ordinauit in vrbe Roma Presbyteros viginti quinque, & sepultus est iuxta corpus ipsius.

In Africa natiuitas sanctorum Confessorum imo victoriosissimorum Martyrum Eugenij Carthaginensis Episcopi, fide & virtutibus atque miraculis gloriosi, & vniuersi Cleri eiusdem Ecclesiæ: Qui cæde inediaque macerati fere quingenti vel amplius, inter quos quam plurimi erant Lectores, infantuliq; gaudentes in Domino, crudeli exilio procul extrusi sunt. In quibus erant nobilissimi Archidiaconi nomine Salutaris, & Muritta secundus in officio ministrorum. Qui plurima pro confessione Catholica perpessi supplicia, & tertio Confessores effecti, gloriosæ in Christo perseuerantiæ titulo collustrati sunt.

In Antiochia passio Margarethæ virginis: Quam Olibrius Consul à Christi fide seducere & constuprare cupiens, non consentientem sibi plurimis tormentis afflixit: Hoc est, in equuleo suspensam vngulis acerbissimis lacerari, ac postea in carcerem tenebrosum coniici præcepit: Vbi multimodas Diaboli seductiones, quas ei in specie draconis & æthiopis ingerere nisus est, in nomine Domini Iesu exuperans, nouissime decollata, ad requiem migrauit æternam.

II. Idus Iulij.

In Alexandria natiuitas SS. Martyrum Mammarij, Petri, & aliorum. F

In Africa Donatæ.

In Ponto S. Phocæ siue Phocatis Episcopi ciuitatis Synopis. Qui

ſub Traiano Imperatore, Præfecto Africano, carcerem, vincula, ferrum, ignem etiam pro Chriſto ſuperauit: cuius reliquiæ in baſilica Apoſtolorum in Gallia ciuitate Vienna habentur.

Lugduno Galliæ ſancti Iuſti Epiſcopi & Confeſſoris: Qui feruore diuinæ contemplationis in Anachoretica conuerſatione defunctus, & ad ciuitatem ſuam glorioſe translatus, ingenij ſui monumenta in Cantica canticorum reliquit inſignia.

Item ſancti Amici Epiſcopi.

Idibus Iulij.

G Niſibi ciuitate, Natalis ſancti Iacobi Epiſcopi, magnæ virtutis viri, ita vt ad eius preces ſæpe vrbs diſcrimine liberata ſit. Hic vnus fuit ex numero Confeſſorum ſub perſecutione Maximini, & eorum qui in Nicæna Synodo peruerſitatem Arrij homouſij oppoſitione damnarunt: atque intra muros vrbis ſuæ ex præcepto Conſtantini Imperatoris ad tutelam & munimentum ſepultus, poſtea zelo Iuliani apoſtatæ extra vrbem elatus & conditus eſt. Sed mox eadem ciuitas tanti patroni orbata reliquiis, Perſarum ditioni ſuccubuit. Qui etiam adhuc in corpore multa ſigna fecit, & arcam Noë ſolus in monte Armeniæ Tauro videre promeruit, quod nulli alij de his qui cum eo perrexerant, videre permiſſum eſt.

In portu Romano Eutropij, Zoſimæ & Bonoſæ ſororum.

Apud Alexandriam ſanctorum Philippi, Zenonis, Narſei & decem infantum.

Carthagine ſanctorum Catulini Diaconi, Ianuarij, Florentij, Iuliæ & Iuſtæ, qui ſunt poſiti in Baſilica Fauſti.

In Sirmio Agrippini, Secundi, Maximi, Fortunati, Martialis.

XVII. Calend. Auguſti.

A In Oſtia natalis ſancti Hilarini: Qui ſanctorum hilariſſimus ſuſceptor & ſuſtentator, dum ſub perſecutione Iuliani cogi non poſſet ſacrificare idolis, fuſtibus cæſus, martyrium conſumauit.

Apud Antiochiam Syriæ ſancti * Euſtachij Epiſcopi & Confeſſoris: Qui ſub Conſtantio Principe ob Catholicam fidem intra * Ianopolim vrbem Thraciæ pulſus exilio, ibidem primo requieuit.

Marginal notes: * *Euſtathij.* — * *Traianopolim.*

Item Theodoſij, Dionyſij, Theodoti.

In

In Cæsarea Cappadociæ sancti Pauli, cuius gesta sancto Hieronymo, vt ipse confitetur, agnita, nostræ tarditati sunt ignota.

Apud eandem vrbem passio sancti Mammetis: Qui in montem Syna diuina vocatione perueniens, & non propriam sed cœlo delapsam ad paranda miracula virgam accipiens, ea terram attigit, & mox Euangelium prosiliuit. Quod cum legere cœpisset, omne genus ferarum mansuetis animalibus mansuetius est effectum, adeo vt lactantes fœminæ vltro se mulgendas applicarent. Cumque lactis coagula pressisset in caseum, perrexit ad Cæsaream Palæstinæ, & viduis ac debilibus & cæteris pauperibus ministrauit. Quod videntes Hierosolymitæ Iudæi omnium bonorum inuidi, detulerunt eum quasi arte magica imbutum apud Præsidem Cappadociæ ab Alexandro Tyranno ad procurationem partium earundem directum: Quo modo ad exhibitionem eius manum militiæ destinante, & sancto Mamma eosdem exsecutores suos charitatis intuitu pascente, & post prandium Euangelium lectitante, tantus ferarum ac bestiarum concursus est effectus, vt se milites effugium non habituros, crederent: Quos vir benignissimus blande consolatus ante se præmisit, & Leoni immanissimo præcipiens, vt post se veniret ad theatrum, milites è vestigio subsecutus est. A quibus Præsidi assignatus, & ab eo crudeliter examinatus, & crudelius vngulis in equuleo laceratus, ac deinde in carcerem missus, quadraginta alios, quos ibi fame ac siti periclitatos inuenit, melle & lacte per columbam sibi cœlitus delato reficiens, & meritorum suorum clauibus inuisibiliter absoluens, & ipse solus in carcere persistens, iterum Præsidi præsentatur. A quo in caminum ignis missus, & post quinque dies illæsus inter Angelorum choros repertus, vrsæ crudelitatis nimiæ obiicitur, quæ magno impetu ad discerpendum eum festinans, diuino nutu subito retroacta subsedit, quasi audaciæ suæ semetipsam accusans. Admissus est ei etiam pardus, obsecutus est potius, quam ei iniuriosus effectus. Tunc Præses iracundia plenus, leonem crudelissimum ad deuorationem eius inquiri præcepit. Et ecce Arabicus ille, & tanto cursu efferatus leo theatrum irrumpens, Euangelicæ lectionis assiduitate mansuefactus beato Mammæ his eum verbis alloquitur: *Salue ô probate Dei cultor, in quo Spiritus sanctus habitaculum sibi dulce construxit. Ecce Angelica iussione vocem ad tempus accepi, fides tua naturæ iura superauit, pro te mutis animalibus humana vox creditur: officia reddo pastori, memini cui paruerimus in monte.* Hæc eo loquente, ab Angelis theatri clausæ sunt ianuæ, & statim ille horridis rictibus fremens, per omnes po-

* forte leo.

puli cuneos communiter sæuit. Hos ex industria * lenc lacerat, illos ore excipit, hos frangit amplexu, confringit alios vnguibus, nonnullos consumit solo timore. Extinctis itaque omnibus gentilibus vel Iudæis: Præsidi & officio eius, ex præcepto Mammæ, vita côceditur. Qui pro beneficiis reddens iniuriam, leonem iubet dimitti, in quo omnem spem putabat esse suæ victoriæ. Sed fera vt propius accessit, lingens sancti vestigia, poscens veniam, voluebatur ad genua. Tunc omnis populus lapidibus eum obruere nisi sunt, sed incassum, nam ictus hinc inde volitando Martyrem non læserunt. Sic integer inde discessit, Deo vota persoluens. Et ecce vox è cœlo lapsa est, quæ ait: *Ascende Mamma, apertum tibi est cœlum, & omnia Paradisi claustra reserata. Iam pro te Dominus exultat, remunerans præmia pro triumphis: Iam te cum corona Christus exspectat, propera cum sancto Spiritu, qui te gubernat.* His victoriosissimus Martyr gaudēter auditis, facta oratione, quieuit in pace.

XVI. Calend. Augusti.

B In Carthagine natalis sanctorum Martyrum Scillitanorum, id est, Sperati, Martialis, vel Narthali, Aquilini, Cythini, Beturij Felicis, * Lactantij vel Lactatij, Ianuariæ, Generosæ, Bessiæ, Donatæ & Secundæ. Qui sub Saturnino Præfecto de ciuitate sua Scylla Carthaginem perducti, & post primam confessionem Christi in carcerem missi, & in ligno confixi, mane gladio decollati sunt: Quorum reliquiæ cum ossibus beati Cypriani & capite sancti Panthaleonis ex Africa in Gallias translatæ, venerationi habentur Lugduni in basilica beati Ioannis Baptistæ.

* Lætarij.

Mediolani sancti Marcelli.

Antisiodoro depositio beati Theodosij Episcopi.

XV. Calend. Augusti.

C Romæ via Tyburtina miliario octauo natiuitas sanctorū Symphorosæ Martyris, matrisque septem germanorum, quæ cum ipsis est posita, nomina vero germanorum hæc sunt: * Petri, Marcelliani, Ianuarij, Dionysij, Sympronij, Clementis, Hirenei.

Apud Carthaginem natalis sanctæ * Gudenes quæ * Plutio & * Zeto Consulibus iussu Rufini Proconsulis, quatuor diuersis temporibus equulei extensione vexata, & vngularum horrenda laceratione cruciata, carceris etiam squalore diutissime afflicta, nouissime gladio cæsa est.

* Horum nomina in martyrologio Rom. alia habentur.
* Gundenis.
* Planciano.
* Geta.

Apud

Apud ciuitatem Mettensem, depositio sancti Arnolfi Episcopi: Qui sanctitate & miraculorum gratia illustris, eremiticam vitam etiam in Episcopatu diligens beato fine quieuit.

XIIII. Calend. Augusti.

In Hispaniis natalis sancti Iusti: Et in ciuitate Hispalensi sanctarum Iustæ & Rufinæ. Quæ à Diogeniano Præside comprehensæ, equulei extensione & vngularum laniatione vexatæ sunt. Deinde trusæ in carcerem, inedia & dolore afflictæ: Post hæc iussit Præses, vt quocunque iret ipse, nudis pedibus sequerentur. Tandem Iusta in carcere spiritum exhalauit. Corpus eius in puteum proiectum, & à Sabino Episcopo leuatum, in Hispalensi cœmiterio sepultum est. Rufinæ ceruix confracta, & corpus eius igni traditum: Cuius reliquiæ à fidelibus curatæ sunt. D

In Ægypto Patris nostri Arsenij: de quo in verbis seniorum refertur: quia propter redundantiam lachrymarum tergendam, sudarium semper in sinu, vel in manu sua habuerit.

In Alexandria sancti Sisinnij.

In Antiochia Luciani & sociorum eius.

Constantinopoli Dariæ.

In Hispaniis Iusti.

Apud Lugdunum Galliæ, depositio sancti Rustici Presbyteri & Confessoris.

In Italia ciuitate Tyro natalis sanctæ Crystinæ virginis iuxta quosdam.

XIII. Calend. Augusti.

Natiuitas beati Ioseph qui cognominatus est Iustus: Quiq; cum beato Matthia vt numerum duodecimum impleret ab Apostolis statuitur. Sed Matthia locum Iudæ præuaricatoris implente, beatus Ioseph nihilominus prædicationis & sanctitatis officio inseruiens, multasque pro fide Christi persecutiones à Iudæis sustinens, victoriosissimo fine in Iudæa quieuit. De quo refertur quod venenum biberit, & nihil ex eo triste propter fidem Christi pertulerit. E

Apud Damascum natalis sanctorum Sabini, Maximi, Iuliani, Macrobij, * Cassij, Paulæ cum aliis decem.

* Cassia.

In Co-

In Corintho Cyriaci cum aliis multis.
Romæ ſanctæ Paſſeriæ, Macrini, Saturi, & Æmylij.

XII. Calend. Augusti.

F Depoſitio ſancti Danielis Prophetæ.

Romæ ſanctæ Praxedis virginis. Hæc cum ſua ſorore beata Potentiana vel Pudentiana à ſanctiſſimo patre Pudente, qui fuit edoctus in fide à beato Apoſtolo Paulo, in omni caſtitate & lege diuina erudita. Poſt tranſitum patris vigiliis & orationibus atque ieiuniis aſſidue vacans, omne patrimonium ſuum ſimul cum beata ſorore in ſuſtentationem pauperum & Chriſti ſanctorum erogauit. In titulo vero quem pater eorum Pudens, nomine beati Paſtoris dedicauit, vna cum conſilio beati Pij ſedis ſacroſanctæ & Apoſtolicę Epiſcopi, fontem baptiſmi conſtruere ſoror & ipſa ſtuduerunt, vt familia earum die ſancto Paſchæ baptizaretur. Quos ad nonaginta ſex numero manu miſſos, beatus Pius aquis ſalutaribus abluit. Inde poſt innumera pietatis opera, poſt multorum Martyrum ſepulturas, eadem beatiſſima Virgo migrauit ad Dominum, coronam iuſtitiæ à iuſto iudice receptura. Sepulta in cœmiterio Priſcillæ via Salaria iuxta ſororem ſuam, atque patrem Pudentem.

In Galliis ciuitate Maſſiſia natalis ſancti Victoris: Qui ſub perſecutione Diocletiani & Maximiani cum eſſet miles, & nec militare, & nec idolis ſacrificare vellet, primum à Tribuno ſuo Auſterio in carcerem truſus, ſed omni nocte ad viſitandos & conſolandos infirmos, ab Angelo eductus eſt. Deinde iuſſu Eutychij Præfecti retortis brachiis loris ſubtilibus ligatus, & pedibus fune conſtrictus, per mediam tractus eſt ciuitatem. Poſt hæc fuſtibus crudeliſſime cæſo ac ſuſpenſo, & taureis cruciato, cum exhibuiſſent aram in qua ſacrificaret, & eam nec reſpicere ſuſtinens, de manu Sacerdotis calce excuſſiſſet, pedem Præſes eius iuſſit incidi. Ad vltimum in confeſſione Chriſti perſiſtens, miſſus eſt in molam piſtoriam, in qua ſparſum vertigine animalis macerari ſolet, atque ita contritus, martyrium conſumauit. Paſſi ſunt cum eo tres milites Alexander, Felicianus, & Longinus: Puer quoque Deuterius, dum ad ſepulchrum eius oraret, emiſit ſpiritum.

In vrbe Cæſena natiuitas ſanctorum Adriani, Helij, Victoris, Patrocli & aliorum.

Apud Veronam translatio ſancti Zenonis Martyris, de cuius ſancti-

ſanctitate beatus Papa Gregorius commemorat, quia cum Ateſis fluuius vſque ad ſuperiores Eccleſiæ feneſtras, in qua venerabile corpus ipſius requieſcebat, excreſceret, patentibus ianuis aqua in eandem Eccleſiam non intraret, ſed hauſtum ſuum incluſis omnino non negaret.

XI. Calend. Auguſti.

Natiuitas ſanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua vt Euangeliſtæ referunt, dæmonia ſeptem Dominus eiecit. Quæ etiam inter alia dona inſignia, Chriſtum à mortuis reſurgentem prima videre, & Apoſtolis prædicare promeruit. G *Mar. 16.* *Luc. 8.*

Depoſitio ſanctæ Syntyches, quæ Philippis ſepulta quieſcit. De qua beatus Apoſtolus Philippenſibus ſcribit: *Euodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipſum ſapere in Domino.* *Philip. 4.*

In Antiochia Cyrilli Epiſcopi, Andreæ & Actebelli.

In Ancyra Galatiæ ſancti Platonis.

X. Calend. Auguſti.

Apud Rauennam natalis ſancti Apollinaris Epiſcopi & Martyris. Qui Romæ ordinatus à beato Petro Apoſtolo, illuc directus eſt. Qui etiam in Æmylia, & in partibus Corinthiorum & in Myſia, & in ripa Danubij, & in partibus Thraciæ, in quibus locis exilio relegatus eſt, Euangelium Chriſti fiducialiter adnuntiauit. Et vbicunque peruenit, innumeras virtutes oſtendit, & plurimas paſſiones ſuſtinuit. Nam nimia cæde frequenter ac diu mactatus, ac nudis pedibus ſuper prunas impoſitus, atq; equuleo ſuſpenſus, crudeliſſime tortus eſt, & ſaxo os eius contuſum, & cum grauiſſimo ferri pondere incluſus in carcere horrifico, atque in ligno extenſus eſt. Vbi ab hominibus quidem eſt neglectus, ſed ab Angelo publice paſtus eſt. Deinde catenatus in exilium truſus eſt, ibique rurſum fuſtibus cæſus & vulneratus eſt, iterumque in carcerem miſſus eſt & cæſus, ſic martyrium conſumauit ſub Veſpaſiano Cæſare Demoſthene Patricio. Rexit Eccleſiam per annos viginti octo, menſem vnum, dies quatuor. A

Romæ via Tyburtina, miliario decimo octauo, natiuitas ſancti Vincentij.

Via Acula ſanctæ Primitiuæ.

In Laodicia Phrygiæ Miniſci & Iſichij.

IX. Calend. Augusti.

B Romæ natiuitas sancti Victorini.

In Ammiternina ciuitate militum octoginta trium.

In Tuscia apud ciuitatem Tyrum, quæ est iuxta lacum Vulsinum, passio sanctæ Christinæ virginis: Quæ in tenera adhuc ætatula Christi fide & gratia confortata, deos aureos Vrbani patris sui Præfecti contriuit, & pauperibus distribuit. Ob hoc iubente patre alapis afflicta, verberibus dilaniata, ferro onerata, in carcerem coniecta est. Post hæc cum diutissime & crudelissime dilaniaretur, de carnibus suis patri in faciem proiecit. Cumque alligata rotæ igni supposito, & fuso desuper oleo torreretur, erumpens flamma mille gentilium interfecit. Iterum carceri tradita, Angelo visitante sanata est & refecta. Deinde cum magno saxi pondere in mare iactata, Angelico præsidio liberata est: Quam successor patris eius Dion multis iterum suppliciis afflixit: Sed orante illa, simulacrum Apollinis, quem adorare iubebatur, in fauillam subito redactum est. Quo miraculo tria millia hominum ad fidem Christi conuersa sunt. Nouissime successor Dionis Iulianus post fornacem candentem, vbi quinque diebus illæsa permansit, post serpentes à venefico immissos, sed fide Christi superatos, post abscissionem linguæ, sagittis eam configi præcepit: sicque cursum martyrij sui beata virgo compleuit anno ætatis suæ decimo.

Apud Emeritam Hispaniæ ciuitatem sancti Victoris militaris, qui cum duobus fratribus Stercatio & Antinogene diuersis examinatus suppliciis martyrium consumauit.

** Niceta.* Eodem die natalis sanctarum * Niceæ & Aquilinæ. Quæ ad prędicationem beati Christophori Martyris ad Christum conuersę, martyrij palmam capitis abscissione sumpserunt.

VIII. Calend. Augusti.

C Natale beati Iacobi Apostoli filij Zebedæi, fratris Ioannis Euangelistæ. Qui iussu Herodis Regis decollatus est Ierosolymis, vt liber Actuum Apostolorum docet. Huius beati Apostoli sacratissima ossa ad Hispanias translata, & in vltimis earum finibus videlicet contra mare Britannicum condita, celeberrima illarum gentium veneratio-

Actor. 12.

ne ex-

ne excoluntur. Nec immerito, quia eius corporali præsentia & doctrina atque signorum efficacia fidem populi ad Christi fidem conuersi referuntur. Ad quorum fidei confirmationem etiam beatissimus Apostolus Paulus se iturum esse pollicetur.

In prouincia Lycia ciuitate Samone natiuitas sancti Christophori: Qui virgis ferreis attritus, & flammis æstuantis incendij Christi virtute saluatus, ad vltimum sagittarum ictibus confossus, martyrium capitis obtruncatione compleuit.

In Hispania ciuitate * Barcilone Cucufatis Martyris: Qui ex ciuitate Scyllitana oriundus fuit, sed Barcilone sub Galerio Proconsule, & Maximiano & Rufino passus: primo grauissime tortus & cæsus, deinde catenis astrictus, in craticula superextensus, aceto & sinapi perfusus, assari iussus est. Cumque ab igne & flammarum globis illæsus apparuisset, ex præcepto impij Iudicis extra ciuitatem ductus, in ignem copiosum iterum proiectus est. Quo diuino nutu extincto, iterum ferro vinctus, in custodiam retrusus est. Vbi diuino splendore consolatus, iterum carduis ferreis & taureis crudelissime cæsus, in vltimo gladio perimente consumatus est. Cuius corpus à Christianis ibidem tunc temporis sepultum, sed postmodum inde translatum, non longe à ciuitate Parisiaca, in Ecclesia beatorum Martyrum, Dionysij, Rustici, & Eleutherij tumulatum, & ad vsque hæc Nordmanorum tempora omni cum honore cultum est.

* Barcinone.

Romæ Eutychiani Papæ & Martyris: Is constituit fruges super altare, id est, tantum fabas & vuas benedici. Qui temporibus suis per diuersa loca trecentos quadraginta & vnum Martyres manibus suis sepeliuit. Quique hoc constituit, vt quicunque fidelium sine dalmatica aut colobio purpurato Martyrem nulla ratione sepeliret, quo vsque ad notitiam suam diuulgaretur.

VII. Calend. Augusti.

Natiuitas beati Erasti, qui Philippis à beato Paulo Episcopus relictus, ibi martyrio coronatus, quieuit. C

In portu Romano Hyacinthi, sub Consulari Leontio Luxurio primo ciuitatis Terracinæ tradente: Qui missus in ignem, nullo modo lædi potuit. Inde præcipitatus in validissimũ torrentem, incolumis eiectus est ad ripam. Quibus Leontio nuntiatis misit spiculatorẽ cum mi-

litibus, vt eum gladio ferirent. Tunc quædam matrona nomine Iulia corpus eius collegit, & in prædio suo cum honore sepeliuit.

In Laodicia Phrygiæ, Iouiani, Iuliani, Æmylij, Felicis, Martiani, Maximæ, Saturnini, Gloriosæ.

VI. Calend. Augusti.

E Apud Nicomediam natiuitas beati Hermolai Presbyteri. Cuius doctrina beatus Panthaleon ad fidem Christi conuersus est. Qui sanctissimus Presbyter tentus à Maximiano capitali sententia ob confessionem Christi punitus est.

Item ibidem passio sanctorum Iuliæ, Iocundæ, & Ianuarij.

In Sicilia Simeonis Monachi.

In ciuitate Nola sancti Felicis, de ordinatione Episcopatus, vbi multa mirabilia fiunt.

Antisiodoro depositio sancti Ætherij Episcopi.

V. Calend. August.

F In Laodicia Phrygiæ natiuitas sanctorum Auxentij, Prudentij, Theophili, Philippi, Alexandri, Zotici, Byssiæ, Secundæ & Macharij.

In Nicomedia sancti Pantaleonis pueri. Qui cum iubente Maximiano artem disceret Medicinæ, à Presbytero Hermolao ad fidem Christi conuersus, multa miracula fecit, patremq; suum Eustorgium Senatorem Christi fidei subiugauit. Ob quam causam ab eodem Maximiano equulei pœna & lampadum exustione cruciatus, sed inter hæc Domino sibi apparente est refrigeratus, tandem ictu gladij martyrij cursum consumauit.

Mediolani natiuitas sanctorum Geruasij & Protasij, Nazarij & Celsi pueri.

Lugduni Peregrini, cuius beatitudinem miraculorum gloria testatur.

Romæ Victoris Papæ & Martyris: Qui constituit vt vbicunque in Ecclesia Catholica necessitas occurreret, quicunque ex gentilitate ad Christi fidem festinans, veræ fidei confessione præmissa, siue in fonte siue in flumine siue in mari licite baptizaretur.

Item Innocentij Papæ: Qui constitutum fecit de omni Ecclesia, & de regulis Monasteriorum, & de Iudæis & de paganis: Et multos Cata-

Cataphrygas inuenit, quos exilio in Monasteria relegauit; Et ipse inuenit Pelagium & Cœlestinum hæreticos, ac damnauit eos, & hoc constituit, vt qui nati fuerint de Christiano, denuo per baptismum nascantur, quod Pelagius damnauit.

Mediolani commemoratio sanctorum Martyrum Geruasij & Protasij, Nazarij & Celsi pueri.

IV. Calend. Augusti.

Romæ via Aurelia natiuitas sancti Felicis Papæ, sub Constantio filio Constantini. Qui Constantius Imperator Concilium hæreticorum, ac Valentis & Vrsatij Arrianorum approbans, quia & ipse Arrianus erat ab Eusebio Nicomediense rebaptizatus, eiecit sanctum Felicem vrbis Episcopum de sede Episcopatus sui. Et facta est persecutio maxima in Clero, ita vt Presbyteri & Clerici plures necarentur, & martyrio coronarentur. Depositus autem sanctus ac beatissimus Felix Papa, habitauit in prædiolo suo, quod erat via Portuensi: Sed agentibus postmodum hæreticis, ductus est in ciuitatem, & capite truncato martyrio coronatus est. G

Eodem die natiuitas sanctorum Martyrum Simplicij, Faustini, Beatricis, temporibus Diocletiani & Maximiani: Qui post multa ac diuersa supplicia, iussi sunt capitalem subire sententiam, & ligato saxo in colla eorum, iactari per pontem, qui vulgo lapideus, sed à prudentioribus Lepidi vocatur, in Tyberinis reumatibus: Quorum corpora Dei nutu inuenta, leuata sunt ab beata sorore eorum Beatrice, & beatissimis Presbyteris Crispo & Ioanne, & sepulta sunt in loco, qui appellatur sextum Philippi, via Portuensi. Quo comperto Lucretius possessor vicinus, nocte præfocari fecit sanctam Beatricem, & sic quasi à nemine iam impediendus, possessiones sanctorum inuasit. Vbi dum quædam mulier filium paruulum lactaret, ipse infantulus Lucretio cum complicibus suis epulante, huiusmodi vocem emisit dicens: *Audi Lucreti: Occidisti & inuasisti, & ecce datus es in possessionem inimici.* Ad hanc vocem inuasus à maligno spiritu ibi in conuiuio, & per tres horas vexatus, emisit spiritum Lucretius, mortemque sempiternam lucratus.

Depositio beati Lupi Episcopi Trecasini. Qui cum beato Germano Antisiodorensi Episcopo venit in Britanniam, & quinquaginta ibi annis sacerdotio functus, ad Christum, quem semper dilexit, mun-

di ac Diaboli victor ascendit: Quique inter alia miracula tempore Regis Attilæ, qui Gallias crudelissime deuastabat, sicut in Hymno eius canitur: *Dum bella cuncta perderent, orando Trecas muniit.*

Aurelianis Prosperi Episcopi, viri sanctissimi & doctissimi. Qui multa ad vtilitatem Ecclesiæ conscripsit, maximeque gratiam Dei, contra superbiam hæreticorum defensare curauit.

III. Calend. Augusti.

A Romæ in cœmiterio Pôtiani ad vrsum * Pilatum: natiuitas sanctorum Abdonis & Sennis: Quos Decius in ciuitate Persarum Cordula comprehensos, catenis vinctos Romam perduci, & ornatos auro atque lapidibus pretiosis: in templo * Intelludi præsentati sunt Decio ac Senatui, & omni populo Romano facti sunt spectaculum, eo quod essent nobiles & subreguli, insuper & à Domino Iesu Christo diuinitus illustrati. Tunc Decius ira permotus, iussit Valeriano Præfecto, vt si Deum Solem non adorarent, ferarum morsibus interirent. Qui tenuit eos, ac duxit ante simulacrum Solis iuxta amphitheatrum vt sacrificarent. Sed illis contemnentibus, & in simulacrum Solis expuentibus, iussit Valerianus vt cum plumbatis cæderentur: deinde introductis in amphitheatrum, admissi sunt eis leones duo, & vrsi quatuor: Qui rugientes venerunt ad pedes Sanctorum, & nullatenus eos læserunt, sed magis custodiebant. Valerianus vero plenus furore iussit gladiatores introire, & beatos subregulos interficere, & ligare pedes eorum, & ante simulacrum Solis iactare. Vbi iacuerunt corpora sanctorum tribus diebus. Post triduum venit quidam Subdiaconus Quirinus nomine, & collegit noctu corpora; & recondidit in arca plumbea in domo sua tertio Calendas Augusti. Vbi latuerunt vsque ad tempora Constantini. Tunc se reserantes beati Martyres, leuati sunt & translati in cœmiterium beati Pontiani.

* Pileatum.

* Telluris, fortasse.

In Africa ciuitate Tyburbolucernaria, natiuitas sanctarum Virginum Maximæ, Donatillæ & Secundæ. Quæ persecutione Gallieni sub Anullino Iudice passi sunt. Qui eas diutina fame ac siti ad negandum Christum compellere conatus, sed despectus contemptusque, aceto & felle potari præcepit. Deinde cum in conspectu eius crudelissime cæderentur, iussit calcem super plagas earum spargi & fricari. Exinde in equuleo extendi & torqueri & * Statiuam ad biben-

* ita MS.

bendum offerri. Dein super craticulam ad carbones igneos sterni, & prunas ardentes super comam capitis earum adduci. Postmodum in theatro ad ludibrium deponi, & ab omnibus conculcari. Cumque eas inuincibiles per omnia vidisset, ad bestias damnauit, & ferro vinctas, ad spectaculum populi iterato iussit in Theatrum produci: Quæ cum introducerentur in media arena, osculatæ sunt se inuicem, vt martyrium pace complerent. Quibus admissus vrsus ferocissimus ac sæuissimus, in mansuetudinem versus pedes eorum lingere cœpit. Tunc furore repletus Anullinus, sanctas Dei Martyres gladio iussit aduerti.

Item in Africa Rufi, Prisci, Paternæ, Septimæ, Optionis, Ammonij, Iusti, Iuliæ, Potamiæ: Item Maximæ.

Antisiodoro depositio beati Vrsi Episcopi.

11. Calend. Augusti.

Cæsareæ passio sancti Fabij Martyris. Qui cum ferre vexilla B præsidialia recusaret, primum diebus aliquot in carcerem trusus est, deinde productus sistitur ante tribunal, interrogatus semel & iterum, in CHRISTI confessione perdurat: Et mox à furibundo Iudice capitali sententia damnatus est: Cuius etiam detruncato cadaueri sepultura per triduum sub custodia negabatur. Quod postea reticulo inclusum, in maris profunda seorsum, & seorsum caput immergitur. Sed Domini virtute rescisso reticulo, membra capiti reuocantur, & scapulis ceruix cum indiciis passionis adiungitur: atque ita suæ integritati redditum corpus vnda blandiore ad Cartenitanum littus euectum, & condigno cultu à fidelibus in basilica tumulatum est.

In Africa ciuitate Sinnada natiuitas sanctorum Democriti, Secundæ, Dionysij, & Thyrsi Martyrum.

Antisiodoro depositio sancti Germani Episcopi & Confessoris: Qui multis virtutibus, doctrina & continentia clarus, etiam Brittonum fidem per duas vices à Pelagiana hæresi defendit. Cuius tamen festiuitas Calendis Octobris apud Gallicanas Ecclesias celebrior habetur.

Augu-

Auguſtus habet dies triginta & vnum, Lun. viginti & nouem.

Calend. Auguſti.

C Apud Antiochiam Syriæ natiuitas ſeptem fratrum Macchabæorum cum matre: Qui vt beatus Auguſtinus ait: *Ante tempora reuelatæ gratiæ, multimoda paſsione probati fideles ſunt inuenti. Quos crudeliſsimus Antichriſti præceſſor Antiochus de patria eliminatos, gentile ſolum ſacri ſanguinis effuſione fecit inuidus atque inſcius conſecrare.*

Romæ ſtatio ad ſanctum Petrum ad vincula: Quam Eccleſiam ipſe primus in Europa primam conſtruxit & conſecrauit: In qua poſtmodum catenæ, quibus apud Ieroſolymam vinctus, & à quibus Angelica viſitatione ſolutus eſt, fidelium cura poſitæ, expetuntur & coluntur orbis quadripartiti veneratione, ſicut etiam diſtichon antiquiſſimum de illis teſtatur.

In Arabia ciuitate Philadelphia Synodus Martyrum celebratur.

Ibidem natiuitas ſanctorum Martyrum Cyrilli, Aquilæ, Petri, Domitiani, Rufi, Menandri, vna die ſimul coronatorum.

In Italia ciuitate Vercellis, ſancti Euſebij Epiſcopi & Confeſſoris: Qui ob cōfeſſionem Catholicæ fidei à Conſtantino Principe Scythopolim Arabiæ, ac deinde Cappadociam relegatus, ſub Iuliano Imperatore ad Eccleſiam ſuam reuerſus; Nouiſſime perſequentibus Arrianis, martyrium ſcalarum tractu perpeſſus, ſed ſaluatore Ieſu Chriſto ſeruante ſaluatus, in pace Eccleſiæ circum confeſſionis ſuæ conſumauit. Prius ſibi viſione reuelata, quia in Calend. Auguſti à monte ad montem volare deberet: Quod Patres ita interpretantur: quia videlicet ab humanitate Chriſti, quem verum Deum propter nos hominem factum, in terris confeſſus eſt, ad viſionem Dei Patris, Spiritus ſancti gratia ſubleuante eſſet peruenturus in cœlis, eiſdem Calendis.

In Hiſpaniis ciuitate Gerunda ſancti Felicis Martyris: Qui de Scyllitana ciuitate oriundus: Cum perſecutiones in Hiſpaniis aduerſus Chriſtianos agi comperiſſet, aſcenſa mercatorum naui, amore martyrij ocyus accurrit. Et cum aliquamdiu apud Barcinonam, Empurias & Gerundam verbum Dei prædicans, plurimos in fide Chriſti confortaſſet, & fama eius longe lateque crebreſceret, iubente Datiano repente à Rufino Officiali tentus eſt: cumque nomen Chriſti conſtantiſſime fateretur, primo fuſtibus cæſus, & in ima carceris truſus: deinde

deinde manibus pedibusque ligatis, negato cibo & potu, in loco squalido proiectus est: Posthæc etiam catenis grauioribus vinctus, per totas plateas ab indomitis mulis tractus, & pene in frusta discerptus est. Deinde missus in carcerem, nocte ab Angelo visitatus & solutus atque sanatus fuit, factoque die ad certamina reuocatus est. Tunc vngulis excoriatus, capite inuerso ab hora tertia vsque ad vesperam suspensus, nullum penitus sensit dolorem. Deinde in carcerem Rufinus eum trudi præcepit. Vbi per totam noctem splendor copiosus effulsit, & voces Angelorum psallentium sunt auditæ. Quod cum nuntiatum fuisset Rufino à custodibus, iussit eum manibus post tergum ligatis, in maris profunda demergi. Vbi continuo vincula eius disrupta sunt, & Angelis sibi manum tenentibus, super vndas deambulans, ad littus venit. Tunc Rufinus iussit iterum cutem eius vngulis detrahi, ac deinde vsque ad ossa laniari, & tamdiu vulnera vulneribus instaurari, vsque dum inuictum Christo spiritum reddidit. Cuius corpus Gerundæ in monumento, quod sibi ipse præparauerat, conditum est nonis Augusti.

In Gallia ciuitate Biturica, depositio beati Arcadij Episcopi.

IV. Nonis Augusti.

Romæ in cœmiterio Callisti natiuitas sancti Stephani Papæ & Martyris, sub Valeriano & Gallieno Principibus. Hic constituit vt Sacerdotes & Leuitæ vestes sacras in quotidiano vsu non haberent, nisi tantum in Ecclesia: Qui cum persecutio sæua grassaretur, congregato vniuerso Clero suo, hortabatur eos vt pro Christo coronam martyrij alacriter susciperent: Ordinauerat autem tres Presbyteros & septem Diaconos & Clericos sedecim, cum quibus de regno Dei assidue docebat. Diuina autem gratia procurante, occurrebant multi ex gentilibus, & honesti viri vt baptizarentur ab eo. Inter quos Nemesius Tribunus cum omni sua domo, filiaque sua nomine Lucilla, quæ cæca erat, at per beatum Stephanum illuminata fuerat. Et Olympius alter Tribunus cum vxore sua Exuperia, & filio Theodulo, & aliis plurimis. Qui postea gloriosa confessione martyrij palmam promeruerunt. Celebrabat autem beatus Stephanus Missas, atque concilia per Cryptas Martyrum. Quem Valerianus & Gallienus summo studio perquisitum, missis militibus teneri fecerunt, cum multitudine Clericorum, Presbyterorum & Diaconornm. Qui veniens ad tribunal Valeriani D

riani ſolus intrauit, & condemnatus ad mortem, perductus eſt à militibus foras muros portæ Appiæ ad templum Martis, vt ibi aut ſimulacrum Martis adoraret aut interiret. Orante autem beato Stephano Deum ſuum, facto fragore tonitrui cum terroribus coruſcationum', corruit pars maxima templi ſacrilegi, & milites paucfacti fugerunt. Ipſe vero cum omnibus Chriſtianis ad cœmiterium ſanctæ Lucinæ perrexit, & multis eos conſolatus ſermonibus, obtulit pro eis ſacrificium DEO omnipotenti. Quæ geſta audiens Valerianus, miſit plurimos militum, qui beatum Stephanum punirent. Qui venientes inuenerunt eum ſacrificium DEO offerentem: Quem intrepidum & conſtantem ante altaris officia, & cœpta perficientem, in eodem loco, in ſua ſede decollarunt.

In Antiochia natiuitas reliquiarum ſancti Stephani Protomartyris Chriſti, & primi in Eccleſia Diaconi: vbi haberi dicitur vnus de lapidibus, quibus in paſſione ſua percuſſus eſt, & multas ſanitates per eum fieri.

Eodem die paſſio ſanctæ Theodotæ cum tribus filiis ſuis, in prouincia Bithynia, vrbe Nicæa, tempore Diocletiani, ſub Comite Leucadio: Qui eam ferro vinctam cum filiis Conſulari Bithyniæ Nicetio deſtinauit. At ille filium eius primogenitum Euodium Chriſtum fiducialiter confitentem, in conſpectu matris iuſſit fuſtibus cædi. Cumque pia mater ſacris adhortationibus filium confortare non deſiſteret, iuſſit Nicetius cuidam Hirtaco, vt prius ei illuderet, & ſic inter publicas meretrices conſtitueret: Quam ille tenere conatus, ſed ab Angelo Dei pugno percuſſus in naribus, nimia ſanguinis eruptione periclitatus receſſit ab ea. Tunc Conſularis Nicetius in furore nimio ſuccenſus, iuſſit ignem copioſum accendi, & beatam Theodotam cum tribus filiis ſuis immitti, & ſic in confeſſione Chriſti conſumata, migrauit ad cœlum.

In Italia ciuitate Verona, natiuitas ſanctorum Felicis & Nicetij.

III. Non. Auguſti.

E Ieroſolymis inuentio, imo raptus, corporis ſancti Stephani Protomartyris Chriſti, quando lapidatus à Iudæis, & aliquamdiu cuſtoditus ne ſepeliretur à Chriſtianis, tandem compaſſione beati Gamalielis ſublatus eſt, & in villa Gamaliel ſepultus ac lamentatus eſt, ſicut ipſe Gamaliel ſeptimo Honorij Principis anno, cuidam Presbytero nomine

nomine Luciano in visione diuina apparens exposuit, & sanctus etiam Lucas breuiter intimauit dicens: *Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.* Cuius visionis seriem, commodius Deo donante in tempore suo, id est, septimo die Calendarum Ianuarij, quando sacrum corpus eius patefactum, & Ierosolymam translatum est, vita comite curabimus aperire. Quam reuelationem quidam minus caute legentes, hoc tempore putant actitatam, cum & circa principia Decembris inchoata, & iuxta finem eiusdem Mensis probetur absque dubio consumata, vt celebritas Protomartyris Christi subiiceretur natiuitati Iesu Christi. *Actor. 8.*

Romæ natiuitas sanctorum Diogenis & Stephani Martyrum.

Constantinopoli sancti Achillæ.

Augustoduno depositio sancti Euphronij Episcopi.

II. Non. Augusti.

Natale sancti Aristarchi, de quo Apostolus Paulus Colossensibus scribit: *Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus*: De qua captiuitate, quia tractatores diuinarum scripturarum, alios adeo errasse, vt animas de cœlo captiuatas, & ad corpora damnatas existimarent, alios vero pio quidem sensu, sed historiæ satis incongruo ita intellexisse cognoui, vt idcirco beatus Apostolus Aristarchum concaptiuum suum dixerit, quia captiuitatem quam omnes patimur, solus pene secum senserit, & sentiendo doluerit: Quod ego ab anterioribus, gratis accepi, sequentibus sine inuidia tradam. Cum Iudæi rebellionem contra Romanos assumpsissent, illo solito sibi more, quasi iniuriam dissimulantes, interimque Iudææ parcentes, Basanitidem & Galilæam siue Galaaditin deuastantes, Giscalamque beati Pauli & Aristarchi patriam inuadentes, pueros ipsos in Ciliciam cum parentibus transmigrarunt. Vnde idem Apostolus vere & multipliciter se peregrinum agnoscens, cum sanctis Patribus supernæ Ierusalem iugiter suspirabat, sed & terrestrem discendi gratia frequentabat, vt iam superius insinuauimus. F *Coloss. 4.*

Romæ in Crypta arenaria beati Tertullini Martyris: Quem beatus Stephanus Pontifex baptizatum, in albis Presbyterum consecrauit. Qui post biduum consecrationis suæ, tentus à Marco Præfecto, ductus est ad Valerianum Imperatorem: Quem ille extensum mactari fustibus iussit. Cumque inter cædes Christo gratias ageret, iussit

lateribus eius Valerianus ignem supponi: Cumque lætus & constans perseueraret, iussit eleuari eum, & tradi Sapricio Præfecto: Qui primum iussit os eius lapidibus conquassari: deinde extentum in equuleo, neruis diutius torqueri, deinde ignibus assari. Qui cum perseueranter sancti Spiritus gratia roboratus, Christum Dominum fateretur, mandauit hoc factum Sapricius Valeriano Tyranno: Cui ille remandauit, vt eius caput abscinderetur. Tunc Sapricius depositum de equuleo, iussit eum duci via Lauicana, in secundo miliario, & ibidem decollari. Cuius corpus sanctus Stephanus Papa colligens cum Clericis, hymnis Deo redditis, sepeliuit in eodem loco in Crypta arenaria.

Item Romæ in via Tyburtina, Crescentiani & Iusti.

Item Iustini Presbyteri, de quo narratur in passione sancti Laurentij, quod multos ad fidem Christi conuerteret, & plurimorum Martyrum corpora sepeliret.

Apud Lugdunum Galliæ aduentus corporis sancti Iusti Episcopi de eremo.

Nonis Augusti.

G In Gallia ciuitate Catalaunis depositio sancti Memnij Episcopi & Confessoris: de quo legitur, quod à beato Petro Apostolo Episcopus ordinatus, in Galliam vna cum sancto Dionysio atque Eucherio ad prædicandum verbum Dei fuerit directus. Qui post admirabilis vitæ consumationem, & plurimorum miraculorum ostensionem, ad vitam commigrauit æternam.

Romæ Hormisdæ Papæ: qui sedit annos septendecim, & composuit Clerum, ac Psalmis erudiuit, sepultusque est in Ecclesia beati Petri.

In Augusta Eufratensi, natiuitas sancti Afri Martyris, quorum nominum similitudine, id est, & Augustæ & Afri, nostrates inducti, hac die apud Augustam Rhetianam siue Vindelicam passionem sanctæ Afræ consumatam putauerunt. De qua in sequentibus Deo volente dicemus.

Augustoduni depositio sancti Cassiani Episcopi.

Alibi natiuitas sanctorum Floriani & Cœlestini.

VIII. Idus Augusti.

A Romæ via Appia in cœmiterio Callisti natiuitas sancti Sixti Episcopi & Martyris.

Item

Item in cœmiterio Prætextati, Feliciſſimi & Agapiti Diaconorum, ſub Decio Imperatore, Valeriano Præfecto. Qui tenuit beatiſſimum ſenem ſanctum Sixtum Epiſcopum Romanum, cum omni Clero ſuo, & recluſit in publica cuſtodia, & fuerunt ibi diebus multis. Poſtea vero iuſſit Decius beatum Sixtum cum duobus Diaconibus Feliciſſimo & Agapito ſibi in Templo * Intelludi præſentari, & contemnentes idolis ſacrificare, in cuſtodia priuata includi. Cumque iterato præſentarentur Decio & Valeriano, ſuggerente Valeriano iuſſit Decius, vt ducerentur ad templum Martis, & ſi ſacrificare nollent, in eodem loco capite truncarentur. Cumque illuc perducti fuiſſent, dixit beatus Sixtus ad templum Martis: *Destruat te Chriſtus Filius Dei viui.* Et cum reſpondiſſent omnes Chriſtiani, *Amen*, ſubito cecidit aliqua pars templi, & comminuta eſt. Tunc beatus Laurentius cœpit clamare dicens: *Non me derelinque Pater ſancte, quia theſauros iam expendi, quos tradidiſti mihi.* Milites autem qui duxerunt eos, audientes theſauros, tenuerunt beatum Laurentium Archidiaconum. Sanctum vero Sixtum, Feliciſſimum atque Agapitum duxerunt in cliuum Martis, & ibidem decollauerunt. Noctu vero aduenientes Clerici, & maxima pars Chriſtianorum collegerunt corpora Sanctorum, & in locis ſupra nominatis honorifice ſepeliuerunt. Decollati ſunt cum eis & alij quatuor, Ianuarius, Magnus, Vincentius, & Stephanus Subdiaconi, vt in geſtis pontificalibus legitur. Paſſus eſt cum eis quoque ſanctus Quartus, vt ſcribit magnus doctor Cyprianus. Hic beatus Sixtus apud Athenas natus & edoctus, prius quidem Philoſophus fuit, ſed poſtea Chriſti diſcipulus factus fuit. Sedit in Epiſcopatu annum vnum, menſes decem, dies triginta & tres.

etiam ſuperius 3. Calend. Auguſti hac voce vſus eſt.

Item Romæ militum centum, ſexaginta quinque, & paſſio ſanctæ Afræ virginis.

Eodem die in Hiſpaniis ciuitate Compluto Iuſti & Paſtoris fratrum: Qui cum adhuc pueri litteris imbuerentur, proiectis in ſchola tabulis, ſponte ad martyrium cucurrerunt. Et mox à Datiano Comite teneri iuſſi ſunt, cum ſe mutuis exhortationibus conſtantiſſime roborarent, extra ciuitatem producti, & in campo Laudabili à carnificibus ſunt iugulati.

VII. Idus Auguſti.

B

Romæ paſſio ſanctorum Martyrum numero viginti quinque.

* iuliani.

Item ſanctorum Martyrum Petri & * Iulianæ cum aliis octodecim.

In Tuſcia ciuitate Aretio, natiuitas ſancti Donati Epiſcopi & Martyris: Qui nutritus à ſancto Pigmenio Presbytero in titulo beati Paſtoris, eruditus eſt non ſolum in diuinis, verum etiam in humanis litteris ſufficientiſſime. Cum quo & Iulianus creuit, & Subdiaconus ordinatus, reiecto poſtmodum gradu, inutilis apoſtata factus, ad imperium aſpirauit. Quo tempore beatum Pigmenium Romæ in cuſtodiam mancipauit, & ſanctos patrem & matrem Donati gladio occidit. Donatus vero Lector, fuga petiit Aretium ciuitatem, & habitauit cum Hilarino religioſiſſimo Monacho, ſeruiens Domino continuis orationibus & ieiuniis. Factum eſt autem, vt mulier nomine Suranna gentilis & pagana, capta oculis & corde vere cæca, cum vnico filio ſuo Herculio nomine, cellam beati Hilarini, cum quo beatus vir habitabat, requireret. Quam fide Chriſti inſtructam ad beatum Satyrum Epiſcopum Hilarinus & Donatus perduxerunt. Qui fidem eius accipiens, & DEO gratias agens, indixit ei ieiunium, & vt humiliaretur in cilicio & cinere. Et ſic deinde catechizauit eam & baptizauit, tam ipſam quam filium eius. Et mox aperti ſunt oculi Surannæ. Quod factum audiens Apronianus, attulit etiam filium ſuum dæmoniacum ad beatum Donatum. Quo orante ſimul cum beato Satyro Epiſcopo, & beato Hilarino, expulſus eſt dæmon, puerumque ſanum reliquit. Sed & non longo poſt tempore vir quidam Euſtaſius Rector Tuſciæ, & exactor fiſci, dum occupatus alicubi teneretur, ſuperuenientibus hoſtibus, vxor ipſius Eufroſyna pecuniam fiſci abſcondit, & paucis diebus ſuccedentibus, abſente adhuc viro, defungitur. Rediens autem vir eius, & pro pecunia fiſci conuentus, venit ad beatum Satyrum & Donatum, & indicauit eis anxietatem animi ſui. Stans itaque Donatus ſuper ſepulchrum vxoris ipſius, voce magna clamauit: *Eufroſyna per CHRISTVM crucifixum te adiuro, vt dicas nobis quid factum ſit de pecunia fiſci, quia vir tuus propter eam ab exactoribus valde affligitur.* Quæ mox de ſepulchro reſpondit: *In ingreſſu domus ſuffoſſa latet pecunia quam quæritis.* Recepta igitur pecunia liberatus eſt Euſtaſius ab impoſitione calumniæ. Verum recepto beato Satyro cum patribus ſuis, eius loco ſacerdotium beatus Donatus ſuſcepit. Cumque die quadam Miſſas celebraſſet populo, & de corpore CHRISTI ac ſanguine ipſius populus venerabiliter recrearetur, Diaconus quidam nomine

nomine Anthimus, tradebat sacrum sanguinem CHRISTI, & subito paganorum impulsu cecidit, & sanctum calicem comminuit. Vnde valde tristis tam ipse, quam populus CHRISTI effectus: Cuius tristitiam Dominus per beatum Donatum illico releuauit: Nam collecta sunt fragmenta Dominici calicis, & beato viro allata: Quæ flendo ille suscipiens, oratione facta vas in pristinam formam restaurauit: Quo signo perculsi pagani, simul cum Christianis Deitatem CHRISTI confessi sunt, ac circiter septuaginta & octo animæ in CHRISTVM credentes, per baptismum saluatæ sunt. Multis ergo signis Dominus glorificans sanctum suum, ad coronam martyrij prouexit. Denique tempore Iuliani Imperatoris, tentus à Quadratiano Augustali, simul & cum eo vir DEI Hilarinus iubetur idolis sacrificare. Cui fideliter reluctanti, iussit Quadratianus eius os lapidibus contundi, Hilarinum vero Monachum, in conspectu ipsius tamdiu fustibus cædi, donec spiritum emitteret. Deinde beatum Donatum in custodia recludi. Vbi cum innumera miracula Dominus per seruum suum operaretur, misit Quadratianus, & gladio percussit, septimo idus Augusti. Cuius corpus Christiani iuxta ciuitatem eum veneratione sepeliuerunt: Martyris vero Hilarini ossa in ciuitate Ostia tumulata seruantur.

Apud Mediolanum sancti Faustini, tempore Aurelij Commodi martyrizati.

Apud Prouinciam Rhetiam ciuitate Augusta, natiuitas sanctæ Afræ: Quæ cum esset pagana & meretrix, per doctrinam sancti Narcissi Gerundensis Episcopi, eô per gratiam DEI directi, ad Christum conuersa, & cum omni domo suo baptizata, pro confessione Domini cum matre Hilaria, & puellis, Digna, * Eumenia & Euprepia igni est tradita.

* *Eunomia.*

VI. Idus Augusti.

Romæ natiuitas sancti Cyriaci: Qui post longam carceris maceratione, quam sub Maximiano pertulit cum Sisinnio Condiacono suo, & Largo & Smaragdo, post multa facta miracula, in quibus filiam Diocletiani Artemiam ipsius rogatu à dæmonio curauit ac baptizauit: Filiam quoque Saporis Regis Persarum Iobiam, missus illô à Diocletiano pro hoc, æque liberauit à Dæmonio, ac

C

nio, ac baptizauit cum ipſo Rege, & aliis trecentis & triginta. Rediens Romam poſt mortem Diocletiani, tentus eſt inter alios Chriſtianos à * filio eius Maximiano, & in cuſtodiam miſſus, eo quod ſororem ſuam Chriſtianam feciſſet. Deinde præcepit idem Maximianus, vt die proceſſionis ſuæ, nudus catenis obligatus, ante rhædam eius traheretur. Et poſt hoc eductus de carcere cum ſociis Largo & Smaragdo, & Creſcentiano per Carpaſium Vicarium, pice reliquata caput eius perfuſum eſt. Et rurſum poſt dies quatuor eductus eſt denuo de carcere, in cataſta extenſus, attractus neruis, & fuſtibus cæſus: poſt dies aliquot iubente Maximiano, capite truncatus eſt, cum Largo & Smaragdo, & aliis viginti: Quorum corpora collegit noctu Ioannes Presbyter, & ſepeliuit in via Salaria, ſub die decimo octauo Cal. Aprilis. Poſt dies octo veniens beatus Marcellus Epiſcopus, cum Lucina matrona Chriſtianiſſima, condiuit corpora ſanctorum cum aromatibus & linteaminibus. Deinde ſuſtulit ea & tranſtulit in prædium ſuum via Oſtienſi, miliario ab vrbe Roma ſeptimo, & manu ſua recondidit in ſarcophagis lapideis, die octauo menſis Auguſti. Carpaſius vero Vicarius petiit domum Cyriaci, quam donauerat ei Diocletianus Auguſtus, & eam ſtatim Maximianus conceſſit. Ingreſſus autem Carpaſius, inuenit locum vbi ſanctus Cyriacus Diaconus fontem ædificauit, quem conſecrauit beatus Marcellus Epiſcopus, vbi venientes ad fidem, baptizabat beatus Cyriacus: In quo loco Carpaſius balneum ſibi ſtatuit, & dum lauaſſent, & epulás exhibuiſſent, Carpaſius & nouendecim pariter cum ipſo, cum deriderent fidem Chriſtianam, ſubito ceciderunt & mortui ſunt.

* *collega. Vide Baron. in annal.*

In Nicomedia natalis ſanctorum Nazarij, Iuliani & Agapes virginis, Eutychiani, Philadelphiæ, Leonidis.

Apud Viennam Galliæ vrbem natiuitas ſancti Seueri Presbyteri & Confeſſoris: qui vt eius teſtantur geſta, natione Indus, fide Chriſti feruens, cauſa Euangelium prædicandi, laborioſiſſima peregrinatione ſuſcepta, etiam ad præfatam vrbem deueniens, ingentem paganorum multitudinem, verbo & miraculis ad fidem Chriſti conuertit: Cumque in pace quieuiſſet, conditus eſt in baſilica beati Stephani, ſignis clarus, mira fidelium veneratione colitur.

V. Idus Auguſti.

D Vigilia ſancti Laurentij.

Eodem die Romæ natalis sancti Romani Martyris: Qui confessione beati Laurentij compunctus, petiit ab eo baptizari. Et mox iubente Decio cum fustibus exhibitus & decollatus est.

In Verona ciuitate, Firmi & Rustici, qui tempore Maximiani Imperatoris & Anullini Consiliarij eius passi sunt.

In Oriente passio multorum Martyrum.

In Colonia Faustini, Marcellini, Secundiani, Veriani: iuxta martyrologium beati Hieronymi: Cum à nostratibus Apocryphorum deliramenta sectantibus à beato Sixto propter continuationem temporum baptizati, & à Decio dicantur interempti.

IV. Idus Augusti.

Romæ via Tyburtina natiuitas sancti Laurentij Archidiaconi & Martyris sub Decio Imperatore. Cui beatus Sixtus omnes facultates & thesauros Ecclesiæ, pergens ad coronam martyrij, reliquit. Quos ille munifica liberalitate debilibus & aliis pauperibus, viduisque & indigentibus erogare curauit. Quo audito Decius Cæsar fecit eum sibi præsentari: Et auditum tradidit eum Valeriano vrbis Præfecto: Qui & ipse dedit eum in custodiam cuidam Hippolyto, & Hippolytus reclusit eum cum multis. Ibidem beatus Laurentius post sanationem Cyriacæ viduæ, & inluminationem Crescentionis, Lucillum cæcum, in nomine Iesu Christi videntem reddidit. Hoc factum audientes multi cæci, veniebant ad beatum Laurentium, & illuminabantur. Quod videns Hippolytus credidit, & catechizatus atque baptizatus est. Completis autem tribus diebus, in quibus ex permissu Hippolyti iam Christiani omnes facultates Ecclesiæ beatus Laurentius pauperibus expendit, præsentauit se ipse in palatio Salustiano: Decius iratus iussit eum expoliari, & cædi scorpionibus. Postea vinctus catenis, ductus est beatus Laurentius in palatium Tyberij, vt ibi audiretur, & iracundia plenus Decius iussit eum nudum cædi: Qui dum cæderetur clamabat ad Cæsarem; *Ecce miser vel modò cognosce, quia non sentio tormenta tua.* Tunc Decius fustes augeri, darique ad latera eius laminas ferreas ardentes iussit: Beatus vero Laurentius dixit: *Domine Iesu Christe Deus de Deo, miserere mihi seruo tuo, quia accusatus non negaui; interrogatus, te Dominum Iesum Christum confessus sum.* Et cum diutissime plumbatis cæderetur, dixit: *Domine Iesu Christe, qui pro salute nostra dignatus es formam serui accipere, vt nos à seruitio Dæmonum liberares, acci-*

pe spiritum meum. Et audita est vox: *Adhuc multa certamina tibi debentur.* Tunc extensus in catasta, & scorpionibus grauissime cæsus, subridens & gratias agens, dicebat: *Benedictus es Domine Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui nobis donasti misericordiam, quam meriti non sumus: Sed tu Domine propter tuam pietatem, da nobis gratiam, vt cognoscant omnes circumstantes, quia tu consolaris seruos tuos.* Tunc vnus de militibus nomine Romanus, credidit Domino Iesu Christo, & dixit beato Laurentio: *Video ante te hominem pulcherrimum, stantem cum linteo, & extergentem tua vulnera. Adiuro te per Christum, qui tibi misit Angelum suum, ne me derelinquas.* Leuatus igitur beatus Martyr de catasta, & solutus, redditus est Hippolyto, tantum in palatio. Veniens autem Romanus cum vrceo, misit se ad pedes beati Laurentij vt baptizaretur: Et mox baptizatus, ac se Christianum publica voce professus, eductus foras muros portæ Salariæ, decollatus est. Decius autem Cæsar pergit noctu ad thermas iuxta palatium Salustij: Et exhibito ei sancto Laurentio, allata sunt omnia genera tormentorum: plumbatæ, fustes, laminæ, vngues, lecti, baculi. Et dixit Decius beato Martyri: *Iam depone perfidiam artis magicæ, & dic nobis generositatem tuam.* Cui beatus Laurentius dixit: *Quantum ad genus, Hispanus sum, eruditus vel nutritus Romanus, & à cunabulis Christianus, eruditus omni lege sancta & diuina.* Et Decius, *Sacrifica,* inquit, *diis, nam nisi sacrificaueris, nox ista in te expendetur cum suppliciis. Mea,* inquit ille, *nox obscurum non habet, sed omnis in luce clarescit.* Et cum cæderetur lapidibus os eius, ridebat, & confortabatur ac dicebat: *Gratias tibi ago Domine, quia tu es Dominus omnium rerum:* Allatus est autem lectus, cum tribus costis: Et exspoliatus beatus Laurentius vestimentis suis, extentus est in cratem ferream, & cum furcis ferreis cońiatus desuper, dixit Decio: *Ego me obtuli sacrificium DEO in odorem suauitatis, quia sacrificium est DEO spiritus contribulatus.* Carnifices tamen vrgenter ministrabant carbones, mittentes sub cratem, & desuper eum comprimentes furcis ferreis: Sanctus Laurentius dixit: *Disce miser, quanta est virtus Domini Iesu Christi Dei mei, nam carbones tui mihi refrigerium præstant: tibi enim supplicium sempiternum. Quia ipse Dominus nouit, quia accusatus non negaui, interrogatus Christum confessus sum, assatus gratias ago.* Et vultu pulcherrimo dicebat: *Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, quia me confortare dignatus es.* Et eleuans oculos suos in Decium, ait: *Ecce miser, assasti vnam partem, regyra aliam, & manduca eam:* Gratias igitur agens & glorificans Deum, dixit: *Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, quia merui ianuas tuas ingredi.* & emisit

spiritum.

ſpiritum. Mane autem primo adhuc crepuſculo, rapuit corpus eius Hippolytus, & condiuit cum linteis & aromatibus. Et hoc factum mandauit Iuſtino Presbytero. Tunc beatus Iuſtinus & Hippolytus plorantes, & multum triſtes, tulerunt corpus beati Laurentij Martyris, & venerunt in via Tyburtina in prædium matronæ viduæ nomine Cyriacæ, in agro Verano, ad quam ipſe beatus Martyr fuerat noctu, cui & linteum dedit, vnde ſanctorum pedes exterſerat, & ibi iam hora veſpertina ſepeliuerunt quarto Idus Auguſti. Et ieiunauerunt agentes vigilias noctis triduo cum multitudine Chriſtianorum: Beatus vero Iuſtinus Presbyter obtulit ſacrificium laudis, & participati ſunt omnes. Tunc paſſi ſunt Claudius, Seuerus, Creſcentius & Romanus, ipſo die quo beatus Laurentius, poſt tertium diem ſancti Sixti Martyris.

Eodem die Romæ militum centum & quadraginta quinque.

III. Idus Auguſti.

Romæ inter duas lauros natalis ſancti Tyburtij, filij Chromatij vrbis Præfecti, quem cum eſſet ſcholaſticiſſimus, erudierunt in fide beatus Sebaſtianus & ſanctus Tranquillinus, ac glorioſus Presbyter Polycarpus, qui ipſum in ſacro fonte baptiſmatis innouauit, & familiam eius promiſcui ſexus, mille quadringentos cum eo pariter baptizauit. Huius filius Tyburtius cum propter immanitatem perſecutionis, & pater eius, & ingens multitudo Chriſtianorum, cum illo in Campaniam ex conſilio Pontificis Gaij perrexiſſet, amore martyrij flagrans, reſedit in vrbe Roma. Et cum ieiuniis & orationibus ibi cum beato Gaio Papa occuparetur, quadam die tranſiens, incurrit in hominem, qui de alto lapſus, ita caput & omnia membra quaſſatus erat, vt de ſola ſepultura eius agerent, hi ad quos pertinere videbatur: iuxta quem ipſe acceſſit, & cœpit dicere ſuper eius vulnera lente orationem Dominicam & Symbolum, & ita factus eſt homo ſolidatis membris incolumis, quaſi nihil ei contigiſſet. Tunc apprehendens parentes eius, ſegregauit eos à turbis, & indicauit eis virtutem CHRISTI: Et videns animum eorum fixum fortiter in timore Domini, perduxit eos ad Papam Gaium, qui iuuenem ſanatum ac DEO gratias referentem, & parentes eius pariter baptizauit. Interea dum procella perſecutio-

nis grauiter excresceret, iunxit se quidam Torquatus nomine, simulata fide, veris Christi famulis: & egit arte, quatenus orantem sanctum Tyburtium pagani comprehenderent. Qui comprehensus, & ad Fabianum vrbis Præfectum perductus, cum Christum constantissime confiteretur, iussit Fabianus ante pedes eius carbones ardentes effundi, dicens ad eum: *Elige tibi vnum e duobus: Aut thura in istis carbonibus diis addice, aut pedibus nudis super eos incede*: Ille autem faciens signum crucis, constanter nuda super eos ingressus est planta: Et cœpit dicere: *Depone infidelitatem, & disce, quia solus est Deus, quem confitemur omnibus creaturis dominari: nam mihi in nomine Domini nostri Iesu Christi videtur, quod super flores roseos ingrediar; quia creatura ipsa creatoris famulatur imperio*: Cui Fabianus ait: *Quis ignorat magiam vos docuisse Christum?* Tunc beatus Tyburtius exclamauit, dicens: *Obmutesce infelix, & noli hanc iniuriam auribus meis facere, vt audiam te ore rabido, latrantem mellifluum nomen & sanctum.* Iratus Fabianus dictauit sententiam capitalem, vt gladio interficeretur. Ductus autem gloriosus Martyr Tyburtius in via Lauicana, tertio ab vrbe miliario, vno ictu gladij percussus abscessit: Et in eodem loco à quodam parente Christiano sepultus est tertio Idus Augusti.

Eodem die Romæ sanctæ Susannæ virginis & Martyris, sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Iudice Macedonio. Fuit autem filia gloriosi Presbyteri & Martyris Gabinij, fratris Gaij Papæ & Martyris, nobili sata propagine: Quam pater diligentissime nutrierat, & diuinis litteris imbuerat. Audiens itaque Diocletianus de puella, quod pulchritudine & sapientia præcelleret, misit ad Gabinum quendam consobrinum suum nomine Claudium, & petiit eam Augusto Maximino filio suo in coniugem. Cuius petitionem & filia & patre ac præcipue patruo refutante, etiam ipse Claudius à beato Gaio instructus, & cum vxore sua Euprepia, & filiis Alexandro & Cutia baptizatus est, & in tantum in fide conualuit, vt omnes suas facultates venderet, & pauperibus Christianis erogaret. Quod audiens Diocletianus misit fratrem eius nomine Maximum, quid de puella Susanna ageret: qui & ipse à beatis Gaio & Gabino diligenter instructus, in Christoque baptizatus, cœpit facultates suas vendere, & per quendam suum amicum nomine Thrasonem, Christianissimum virum, per vicos & carceres ministrare: Quibus Diocletianus compertis misit Iulium, qui Claudium & Maximum & Euprepiam, quæ alio nomine ex Græco & Latino composito vel interpretato Præpedigna dicitur, &

Alexan-

Alexandrum atque Cutiam puniret, iuſſitque filio ſuo Maximino, vt abuteretur Suſanna in domo ſua, ſicut ipſi liberet. Qui ingreſſus domum, vbi ſancta virgo orabat, vidit nimiam claritatem ſuper eam, & timefactus ad palatium recurrit. Quod Diocletianus audiens, miſit Macedium, qui eam intra domum patris ſui conſtringeret, illeque exſpoliatam eam cœpit fuſtibus cædere. Cumque beata virgo in confeſſione Chriſti perſeueraret, gladio percuſſa, ſpiritum incontaminatum Domino reddidit: Cuius corpus Serena auguſta occulte Chriſtiana noctu collegit, & manibus ſuis aromatibus conditum, ac linteaminibus inuolutum, poſuit iuxta corpora ſanctorum in cœmiterio Alexandri in arenario iuxta ſanctum Alexandrum tertio idus Auguſti. Sanguinem vero maris velamine deterſit, & poſuit in capſa argentea in palatio domus ſuæ: Vbi die noctuque furtiuis orationibus ſemetipſam Domino effundebat.

Nicopoli paſſio multorum Martyrum.

II. Idus Augusti.

In Sicilia ciuitate * Catina natalis ſancti Eupli Diaconi, ſub Diocletiano & Maximiano Auguſtis: Qui cum extra velum Secretarij ſe Chriſtianum eſſet confeſſus, intromiſſus eſt iubente Caluiſiano Conſulari in auditorium. Et cum ibidem fidem ſuam conſtantiſſime confiteretur, commotus ira Caluiſius, iuſſit eum acrius torqueri, atque ad vltimum dictauit ſententiam, dicens: *Iubemus Euplum iuſto iudicio interfici*: Beatus vero Euplus gratias agens Deo, & flectens genua ſua, facta oratione parauit ceruicem, & decollatus eſt tertio Idus Auguſti. Cuius corpus aromatibus conditum, ſepultum eſt in loco venerabili * Catinæ ciuitatis pridie Idus Auguſti. G

**Catana.* **Catana.*

Eodem die paſſio Hilariæ matris beatæ Afræ Martyris. Quæ cum ad ſepulchrum illius excubaret, ibidem pro fide Chriſti à perſecutoribus, igni tradita eſt cum Digna & * Eumenia & Euprepia, quæ fuerunt puellæ ſanctæ Afræ. **Eunomia.*

In Hiſtria ſancti Iuliani, cum ſociis ſuis.

In Syria Vicomagarito natalis ſanctorum Macharij & Iuliani, vbi multa religio conuenit Monachorum.

Idus Augusti.

Romæ natiuitas ſancti Hippolyti: Qui tempore Decij Impera- A

 toris

toris ligatus pedes ad colla equorum indomitorum, sic per carduos & tribulos, prærupta & ardua tractus, emisit spiritum: Et Cōcordiæ nutricis eius, quæ ante ipsum plumbatis cæsa martyrizauit: Et aliorum nouem de domo eius, qui simul decollati sunt.

Apud forum Sylla.

* Dorosyllæ sancti Cassiani, qui cum adorare idola noluisset, interrogatus à persecutore quid artis haberet: Respondit, quia pueros notas doceret: Et mox spoliatus vestibus ac manibus post terga reuinctis statuitur in medio, vocatisque pueris, quibus docendo exosus fuerat, data est facultas eum perimendi: At illi quantum oderunt discentes, tantum se vlcisci gaudentes, alij eum tabulis ac buxis scribebant, alij stylis vulnerabant. Quorum quanto infirmior erat manus, tanto grauiorem martyrij pœnam dilata morte faciebat: Scripsit Prudentius Poëta.

Pictauis depositio Radegundæ Reginæ, quæ & prius in palatio ieiuniis & orationibus, atque eleemosynarum largitionibus Deo placere studuit, ac postmodum à sancto Medardo Suessionensi Episcopo in Monacham consecrata, adeo se hostiam viuam Christo exhibere curauit, vt inter mille cruces quas pro eius amore sustinuit, etiam circulis æreis, more sacrilegorum sanctissima brachia sua constringi fecisset: Sed easdem tribulationes remunerator fidelium etiam in præsenti recompensare dignatus est, annuens ei omnia quæcunque petiisset in nomine ipsius.

XVIII. Calend. Septembris.

B Vigilia assumptionis sanctæ Mariæ.

Romæ depositio sancti Eusebij Episcopi & Confessoris: Qui præsente Constantio Imperatore Arriano, cum fidē Catholicam constantissime defenderet, & * Liberium Papam Arrianæ perfidiæ consensisse doleret, iubente eodem Constantio, includitur in quodam cubiculo domus suæ, habente in latitudine pedes quatuor, vbi multis diebus in oratione constanter perseuerauit, ac post menses septem adhuc tamen inclusus, decimo Calendas Septembris dormitionem accepit: Cuius corpus collegerunt Gregorius & Orosius Presbyteri, & sepelierunt in crypta iuxta corpus beati Sixti Episcopi & Martyris, via Appia, in cœmiterio Callisti, vbi & titulum eius scribentes, posuerunt ita: *Eusebio Homini Dei*: Audiens Constantius, quod Gregorius & Orosius sepeliuissent corpus beati Eusebij, in eadem crypta vbi illud condiderat, præcepit viuum includi Gregorium: Quem se-

Vide Baronium in Annalibus.

miuiuum

miuiuum noctu Orosius Presbyter excepit inde,& post paululum defunctum iuxta corpus sancti Eusebij Presbyteri sepeliuit. Factaque est grauissima persecutio in Catholica Ecclesia ab Arrianis sedem Apostolicam tenente tunc Liberio.

Mendara Syriæ natalis sancti Fortunati.

In Africa Demetrij.

Alibi Eutychij, Pauli,* Eracli, Possessoris, Parmi, Dissei, Hermæ, Prospolini, Prosalami, Hermiæ. * *Heracl.*

Item Heraclij cum tribus.

In Aquileia natalis sanctorum Felicis, Fortunatæ, Vincentiæ.

Item alibi Eusebij, Tituli conditoris.

XVII. Calend. Septembris.

Assumptio beatæ Mariæ genitricis Dei. Pro quo nomine cum C in cæterorum sanctorum transitu, depositio vel dormitio, aut certe natale dici soleat, quid venerabilis Pater Gregorius Turonicus Episcopus in libro miraculorum de eadem assumptione sentiat, libet ad vtilitatem legentium commemorando proferre. *Post admirabilem igitur Dominicæ ascensionis gloriam, quæ contrito diabolicæ malignitatis capite, mentes fidelium ad contemplanda cœlestia animauit, sancti Apostoli Domini & Saluatoris nostri, cum beata Maria matre eius in vnam congregati domum, omnia ponebant in medium, nec quicquam suum esse aliquis dicebat, sed vnusquisque cuncta posidebat in charitate, sicut sacer Apostolicæ actionis enarrat stylus. Post hæc dispersi sunt per regiones diuersas, ad prædicandum verbum Dei: Denique impleto beata Maria huius vitæ cursu, cum iam vocaretur è sæculo, congregati sunt omnes Apostoli de singulis regionibus ad domum eius. Cumque audissent quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum ea simul. Et ecce Dominus Iesus aduenit cum Angelis suis, & accipiens animam eius, tradidit Archangelo Michaëli & recessit. Diluculo autem leuauerunt Apostoli corpus eius, posueruntque illud in monumento, & custodiebant, aduentum Domini præstolantes. Et ecce iterum astitit eis Dominus, susceptumque corpus sanctum in nube, deferri iussit in paradisum. Vbi nunc resumpta anima, cum electis eius exultans, æternitatis bono, nullo occasura fine perfruitur.* Huc vsque Gregorius. Quod si quem mouet, quomodo idem Gregorius in occasu Solis positus, ea quæ in Oriente sunt gesta, compererit, ex aliis eius scriptis agnoscat, quia de toto orbe ad sanctum Martinum, sicut ad Philosophos concurrebatur,&

tur, & de occiduis mundi partibus loca sancta in Iudæa frequentabantur. Quod etiam vsque ad hæc Nordmannorum tempora, iugiter actitari solebat. Sed ne idem Catholicus & venerabilis pater contra Apostolum sensisse videatur, vbi ait: *Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium. Quoniam enim per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, vnusquisque autem in suo ordine. Primitiæ Christi: deinde hi qui sunt Christi in aduentu eius.* Sciendum quia vel hæc specialis assumptio corporis venerandæ genitricis Dei Mariæ, vel eorum, qui cum Domino surrexisse leguntur, & in cœlum ascendisse creduntur, Apostolicam auctoritatem magis adiuuant, quam impugnant. Quoniam & corpus illud, de quo Deus incorporari voluit, citius in cœlum subleuari decuit, & illos veræ resurrectionis & ascensionis nostræ testes præisse, procul dubio constat. De quibus quia doctissimi tractatores videntur inter se dissidere, non est meum in tam breui opusculo definire: Hoc tamen certissime cum vniuersali Ecclesia, & credimus & confitemur, quia si reuerendissimum illud corpus ex quo Deus est incarnatus, adhuc alicubi in terra cælatur, reuelatio vtique ipsius ad destructionem Antichristi reseruatur.

1. Corinth. 15.

Eodem die in Nicomedia natiuitas sanctorum Stratonis, Philippi, & Eutychiani, cum sociis eorum.

Romæ sancti Tharsicij Martyris: Quem pagani cum inuenissent Christi corporis sacramenta portantem, cœperunt discutere quid ageret, & quid gereret. At ille indignum iudicans porcis prodere margaritas, tamdiu fustibus ac lapidibus cæsus est, quo vsque spiritum exhalaret: Et reuoluto eius corpore sacrilegi discussores, nihil potuerunt in eius manibus vestimentisque inuenire sacramentorum Christi: Christiani autem collegerunt corpus eius, & sepeliuerunt in cœmiterio Callisti via Appia.

XVII. Calend. Septembris.

D In Nicæa Bithyniæ natiuitas sancti Vrsatij Confessoris sub Licinio persecutore. Qui deinde relicta militia, solitariam vitam in quadam turre præfatæ vrbis egit, tantisque virtutibus claruit, vt & dæmones expulisse, & ingentem draconem orando interemisse legatur: Scriptum in libro quinto historiæ Ecclesiasticæ tripartitæ.

Romæ sanctæ Serenæ vxoris quondam Diocletiani Augusti.

In Ale-

In Alexandria natiuitas sanctorum Orionis, Æmilij, Agnati. In Perside Thyrsi cum sociis suis.

XVI. Calend. Septembris.

In Cæsarea Cappadociæ natiuitas sancti Mammæ, siue Mammetis, qui temporibus Aureliani Tyranni, quando persecutio maxima fuit Christianis, cum puer esset decem annorum, relictis omnibus fugit in montem cum pecoribus suis, quæ ibidem pascebat, & eorum lacte vescebatur. Vbi visitatio diuina super illum venit, eique præsignauit, qualiter pro Christi nomine pati deberet. Cum ergo feræ siluestres ad eum venirent, ipseque sedens quotidie Euangelium legeret, mansuetissime circa eum versabantur, earumque lacte seruus Dei & se & alios pauperes in alimoniis iuuabat. Cum audisset hoc Alexander Præses, eum inter feras communiter viuere, magicæ arti illud deputauit: vocatumque ad se multis tormentis afflixit, hoc est, equuleo suspensum torsit, & in caminum ignis ardentem misit, sed in nullo eum ignis lædere potuit. Postea iussit eum lapidari, in tantum vt pene totum corpus illius lapidibus operiretur. Quem persecutor mortuum credens, secessit. Sed Dominus Martyrem suum illæsum seruans, postea sua vocatione, ad cœlestia regna eum arcessiuit: sicque in pace animam reddens ad æternam requiem migrauit.

In Africa sanctorum Martyrum Liberati Abbatis, Bonifacij Diaconi, * Seruij & Rustici Subdiaconorum, Rogati & * Septimini Monachorum & Maximi pueri. Qui persecutione Wandalica iussu crudelissimi atque impiissimi Regis * Henrici de territorio Capsensis ciuitatis, ex habitaculo Monasterij abstracti, atque ad vrbem Carthaginensem perducti sunt. Vbi pro confessione Catholicæ fidei, & vnici baptismatis defensione primo carcerali custodiæ mancipati, & crudelibus ferri ponderibus arctati, tenebrosis deputati sunt locis. Vbi cum die ac nocte Christianissimum populum in fidei constantia roborarent, iussit Tyrannus furore succensus nauem lignorum manipulis adimpleri, atque in ea omnes pariter alligatos, in medio pelagi igne supposito concremari. Cumque pro voluntate nefandi Regis, vel crudelium ministrorum, extensis eorum manibus & pedibus eleuatis, ignis fuisset lignis iniectus, statim imperio diuino, videntibus cunctis, extinctus est. Et dum sæpius reuocaretur, iterum atque iterum extinguebantur globi flammarum. Vnde magis Tyrannus furore simul & pudore

* Serui.
* Septimi.
* Hunnerici.

dore repletus, iussit eos remorum vectibus enecari, & ita singulos, in modum canum cerebris comminutis exstingui: Sicque speciosum cursum certaminis sui coronante Domino perfecerunt. Corpora eorum in mare iactata, sed eadem hora illæsa litoribus reddita, & à Christiano populo reuerenter sublata, præeunte Clero cum hymnis solennibus condita sunt in Monasterio continuo Basilicæ, quod dicitur Celerinæ: Scribit beatus Victor Africanus Episcopus in historia eiusdem Wandalicæ persecutionis. Quam & ipse cum cæteris sustinuit, & fideli atque illustri stylo digessit.

In Alexandria Orionis.

XV. Calend. Septembris.

F Apud ciuitatem Prænestinam miliario ab vrbe trigesimo tertio, natalis sancti Agapiti Martyris sub Aureliano Imperatore, Præside Antiocho: Qui cum esset annorum quindecim, & pro amore Christi martyrio ferueret, iussu Imperatoris tentus, & primo neruis crudis diu cæsus, deinde Præsidi vt impelleretur sacrificare, traditus est. Qui in durissimo atque obscurissimo carcere eum reclusit, & per quatuor dies ei cibum omnem negauit: Inde cum de carcere Præsidi fuisset exhibitus, prunas ardentes super caput eius iussit imponi. Sed cum gratias Deo Martyr ageret, flagellis est cæsus, & nudus suspensus capite deorsum verso, acri subter fumo facto, cum diceret Præsidi: *Sapientia tua & vanitas tua in fumo laboret*: iterum flagellis cæditur, à quatuor sibi inuicem succedentibus: deinde bullientem aquam super ventrem eius ministri diaboli effuderunt. Interea Iudex de tribunali suo cadens, collectus à ministris in lecto reclinatur, & sentiens Dei virtutem in Martyre, post modicum tristem animam amisit. De beato vero Agapito renunciatum est Imperatori, qui beatum virum leonibus iussit proiici, sed mansuefactæ feræ, pedibus Martyris ad lambendum se inclinauerunt. Hoc videntes sceleris ministri, tulerunt de medio sanctum Martyrem, & venerunt contra ciuitatem Prænestinam, vbi sunt duæ columnæ, & ibi eum gladio percusserunt, sub die *

* *Hic iterum desiderantur aliquot pagellæ in manuscripto Codice.*

caput eius sicut mons est ante me, vnde totus contremisco. Traditur ergo aliis, & gaudio repletus, manus suas aqua lauit, genua flexit, ceruicem ad terram humiliauit, orationem ad terram fudit, martyrium suscepit.

Apud

Apud Capuam natiuitas sancti Rufi Martyris, docti & baptizati à beato Apollinare.

Tomis sanctorum Martyrum Marcellini Tribuni, & vxoris eius Manneę, & filij ipsius Ioannis, & Serapionis Clerici, & Petri militis.

In Galliis ciuitate Arelatensi sancti Cæsarij Episcopi & Confessoris.

Apud Augustodunum sancti Syagrij Episcopi & Confessoris.

V. Calend. Septembris.

Beatissimi Hermetis Martyris: Qui cum esset Præfectus, ab Alexandro Pontifice & Martyre baptizatur, filiique eius, & familia cum illo: Deinde ab Aureliano Imperatore trusus in carcerem, Tribunum Quirinum cum omni domo sua ad fidem conuertit. Quod audiens Aurelianus, beatum * Hermen decollari præcepit.

Eodem die in Africa depositio sancti Augustini Episcopi, mirabilis in omni scientia viri. Qui de hæresi Manichæorum ad Christi gratiam Ambrosij Episcopi doctrina conuersus, Hipponensi Ecclesiæ dignissimus præficitur antistes. Huius venerabile corpus prius de sua ciuitate propter barbaros Sardiniam translatum, nuper à Luitbrando Rege Longobardorum Ticinis relatum, atque honorifice conditum est.

Eodem die Emmoniæ, quæ est ciuitas Prouinciæ Carniæ, passio sancti Pelagij Martyris, qui tempore Numeriani Imperatoris, agente * Velasio Iudice, pro fide Christi primò ferri pondere collo manibusque grauatus in carcerem truditur: Eductus virgis verberatur, dein fustibus cæditur, postea equuleo suspensus, vngulis laceratur, oleo bulliente ventrem infunditur, super fragmenta testarum, ligatis manibus ac pedibus protrahitur, postremò capite truncatur.

Eodem die Brillatensi oppido natiuitas sancti Iuliani, qui à persecutoribus ob Christi confessionem, defecto gutture necatus est.

Constantinopoli sancti Alexandri Episcopi & Confessoris: Cuius virtute orationis, Arrius crepuit medius, & diffusa sunt omnia eius viscera in terram.

Eodem die apud Santonas Sancti * Vibiani Episcopi.

* Hermetem. * Euilasio. * Viuiani.

IV. Calend. Septembris.

Romæ Sabinæ Martyris, quæ passa est Adriano Imperante, sub Præ-

Præfecto vrbis Elpidio, omnesque eius facultates dominicis vel publicis titulis insignantur: Sepulta est autem in monumento in quo ipsa composuit fidei suæ magistram beatam Martyrem Seraphiam, ad arcum Faustini, iuxta aream Vinditianam, in oppido Vindinensi.

Eodem die decollatio sancti Ioannis Baptistæ. Qui primo in Samaria conditus est, nunc in Alexandria. Porro caput de Hierosolymis ad Phœnicis vrbem Edissam delatum est.

III. Calend. Septembris.

D Romæ via Ostiensi, Felicis & Adaucti Martyrum: Hic Felix cum ad diuersorum deorum imagines duceretur compellendus sacrificare, Serapis, Mercurij & Dianæ exsufflans statuas deiecit. Pro qua re suspensus est in equuleum, & de patibulo viuens depositus, iussus est decollari. Cumque eo duceretur, obuius est ei quidam Christianus, qui diuino instinctu subito exclamauit: *Et ego: ipsum quem hic sanctus Presbyter confitetur, Dominum Iesum Christum colo.* Mox & ipse comprehensus cum beato Felice decollatus est. Hunc postea Christiani, quia nomen eius ignorabatur, Adauctum appellauerunt, quia Martyri Felici auctus sit ad coronam: ipsique pro fidei confessione corona martyrij sit aucta.

II. Calend. Septembris.

E Treuiris sancti Paulini Episcopi & Confessoris. Qui tempore Arrianę persecutionis à Constantio Imperatore ob Catholicam fidem exilio relegatus, & in eo vsque ad mortem fatigatus, apud Africam beatæ passionis accepit coronam.

Eodem die apud Athenas beati * Aristi, fide sapientiaque clarissimi, qui Adriano Principi de religione Christiana libros obtulit, & quod Iesus Christus verus esset Deus, præsente illo iocundissime perorauit.

* *Aristidis.*

September habet dies XXX. Lun. vero XXIX.

Calendis Septembris.

F Iesu Naue & Gedeon.

Eodem

Eodem die natalis sanctissimæ virginis Verenæ: Thebææ genere, quæ à parentibus suis cuidam Episcopo Chæremoni, qui & postmodum martyrio coronatus est, ad imbuendum commendatur: deinceps ad inferiorem Ægyptum cum aliis fidelibus profecta, beatæ se legioni, id est, Mauritio & sociis suis, qui tunc temporis, quasi Diocletiano & Maximiano militaturi ibidem commanebant, Christi virgo Italiam venire desiderans, coniunxit. Mediolanum ergo perueniens, locaque in quibus sancti Martyres continebantur, inquirens, eis quoque pietatis opera, ipsa etiam martyrium optando subministrans, à quodam sancto viro Maximo ibi detenta subsistit. Audiens denique sanctam Thebæorum legionem, eumq; quem vnice diligebat Victorem, martyrio consumari, per alpina iuga ad * Acaunum rem experitura pertendit. Inde iuxta Ararim fluuium, non longe à castro Solodoro, sub districtione mirabili ieiuniorum, vigiliarum, orationum, dies & noctes continuans, habitauit. In quodam igitur specu arctissimo, tempore se aliquanto carnem maceratura inclusit. Vnde non longe anus quædam Christiana habitabat, & quidquid sacra virgo operari poterat, mulier prædicta vendidit, ac de hoc sanctæ Dei victum exhibuit. Nam sacrilegus adhuc paganorum cultus Alamannos obtinuit. Signa igitur quam plurima Domino per famulam suam operante, Alamanni ad fidem Christi commoueri cœperunt. Virginis itaque fama in tantum miraculis prodentibus excreuit, vt mater virginum effecta, discretione pietatis omni populo venerabilis existeret. Cuius laudabili vitę diabolus inuidens, quendam Tyrannum sub potestate Romani nominis inflammauit, qui virginem Dei multipliciter affectam, publicæ custodiæ mancipauit. In quo ei ergastulo iuuenis quidam eximij splendoris apparuit, quem quis esset interrogat. Ille cum se Mauritium esse responderet, ilico purpuratorum septus multitudine, ab oculis virginis orationem implorantis eximitur, & eadem nocte Tyrannus validissima febre correptus, sed virginem ad se vocans, per eius orationem continuo sanatur, sicque cum laude omnium ad locum virginum remittitur: In quo cum die quodam panis defecisset, querimonia de hoc exoritur: Illa sorores de diuina commonens largitate confidere, in orationem pro imminentis necessitatis causa prosternitur, & ecce inopinato quadraginta sacci, mundissimæ pleni farinæ ad ostium cellulæ reperiuntur, ex quibus per annos aliquot congregatio illa sustentabatur. Cumque iam finis sibi vitæ appropinquaret, infirmata corpore, non autem propositi sui rigorem

* Agaunum.

deponens, lectulo decubuit: Et dum obitus sui terminum præstolatur, adest Dei genitrix virgo Maria, innumerabiles virginum choros præcedens: Quam Verena tota deuotione intendens, & vnde hoc mereretur, interrogans, ab eadem Dei genitrice audiuit: *Veni, inquit, vt ab eo cui fideliter seruisti, remunereris*: Quo dicto, beata illa anima corpus reliquit: Sepulta est autem beata virgo in loco qui Zurzacha vocatur.

Apud Capuam natiuitas Prisci Martyris, qui vnus fuit ex antiquis Christi discipulis.

Eodem die apud Senonas Lupi Episcopi, sanctitate & miraculis illustris.

Item apud Cæsaream Cappadociæ Longini militis & Martyris, qui dicitur lancea latus Domini aperire. Hic cum postea ab Apostolis baptizaretur, ab Octauo Præside comprehensus, lingua abscissa, dentibusque excussis, capite pro Christo truncatur. Simul cum eo coronatus est Aphrodisius Commentariensis, qui etiam post abscissionem linguæ Christum expedite loquebatur.

IV. Non. Septembris.

G Natiuitas sancti Iusti Lugdunensis Episcopi: Qui clam Episcopatum relinquens, ad Ægyptum migrauit, comitante se quodam Lectore, cui nomen erat Viator: Ibidem igitur per aliquot annos Monachis associatus, vitam in sancta conuersatione finiuit. Corpus eius à religiosis ciuibus Lugdunum cum ossibus sancti Viatoris ministri ipsius delatum, in basilica septem fratrum Machabæorum.

Eodem die in præfata vrbe Elpidij eiusdem ciuitatis Episcopi.

Apud Appamiam beati Antonij Martyris.

III. Non. Septembris.

A Romæ Seraphiæ virginis passæ sub Adriano Imperatore, Iudice Berillo: Hæc Antiochena genere, apud sanctam manens Sabinam, rapitur & Præsidi exhibetur. Qui cum ab ea fidei verbis increparetur, iratus Præses, iussit eam duobus tradi iuuenibus, quorum lasciuia virgo corrumperetur. Qui vt eam contingere tentabant, subito terra prostrati ceciderunt exanimes. Iterum virgine adducta, deportati sunt & iuuenes ante Præsidem. Ad quos virgo cum oratione accedens, erexit illos in statu suo. Post hæc iussu Præsidis fustibus cæditur, & excussa

ex his

ta his assella in oculum tyranni insiluit; & protinus eum luscum effecit: Qui data sententia gladio eam percuti iubet: Quæ sepulta est iuxta collegam suam Sabinam.

II. Non. Septembris.

Moysi Prophetæ. Et apud Ancyram Galatiæ sanctorum Martyrum Rufini, Siluani, & Vitalici. B

Cabillone natiuitas sancti Marcelli Martyris: Qui temporibus Antonini ex numero quinquaginta Martyrum, Lugduni in ergastulum proiectorum, patefactis diuinitus claustris exiens, hominem à quo hospitio susceptus est cum omni domo sua conuertit ad Dominum, & postea * Cauillonem veniens, à Prisco Præside multis cruciatus tormentis, erectus, in terram cingulo tenus defossus est, & sic tertia die Deo reddidit animam. * Cabillonum

Nonis Septembris.

Victorini Martyris in suburbano Romæ: Hic cum fratre suo Seuerino, sub mutua charitatis seruitute, qua diutius alterutrum sibi famulabantur, in tanto virtutis prouectu excreuit, vt post erogatam pauperibus substantiam, post longam seruitutem, qua alter alteri nudus ac solus famulabatur, eremi pro Deo solitudinem ingrederetur. Cumque in hac omni se virtutum studio exerceret, ecce dæmon in forma mulieris, ante ostium se viri huiusmodi eiulatus emittens, proiecit. *Heu me*, inquit, *miseram, syluis erroneam, tenebris vagam, bestiis deuorandam: Eripe me, quisquis es huius loci incola, quia si victura sum, tuum erit, si moritura, tuum.* Hæc & alia miserabiliora vociferanti, Victorinus aperit ianuam. Post modicum, inter alios motus corporis, pedem imago protendit, hominem Dei tetigit, noxium calorem incussit, vulnerauit, prostrauit. Exclamat iam victum Victorem, victor diabolus. *Quid agis*, inquit, *perfectissime vir? Cur iungeris alteri, qui à fratre recessisti?* Post multa iactantiæ, irrisionisque improperia, ex oculis decepti, diabolus euanuit. At ille, quia ceciderat, velut exanimis effectus est. Tandem in se reuersus, ad fratrem Seuerinum repedauit, primo pudore conticuit, dein causam aperuit, ipseque sibi pœnam constituit. Findens namque arborem, manusque per fissuras inserens, & cuneis pessulans, cicatricem arboris clausit: De qua pœna, nec Episcopo cui res à fratre suo innotuit, vt eximeretur, consensit, sed in eadem toto triennio perdurauit. Dominica tantum

tum die modicum panis & aquæ, coactus à fratre, percepit, qui etiam ieiunio se simili pro germano macerauit. Vix deinde per Episcopum à supplicio abstractus, sub omni religione sanctitatis vitam duxit, & postmodum Amiterninæ vrbis Episcopus eligitur. Procedente vero tempore imperante Nerua, ab Aureliano Iudice diutius tormentis examinatus, apud locum, qui Cotialis appellatur, in putentes & sulphureas aquas, capite deorsum per tres horas suspensus, teneri iussus est. Quod cum per triduum ageretur, martyrio coronatus migrauit ad Dominum.

Item Romæ sancti Herculani.

Capuæ, Quinti, Acontij & Donati, Eutychetis & Maronis.

VIII. Idus Septembris.

D Natiuitas sancti Magni Confessoris, discipuli & comitis beati Galli, mirabilis atque sanctissimi viri.

Item Zachariæ Prophetæ, & natalis Onesiphori Apostolorum discipuli.

Apud Africam natalis sanctorum Confessorum & Episcoporum Donatiani, Præsidij, Mansueti, Germani, Fusculi: Qui persecutione Wandalica iussu * Hunnici Regis Arriani, crudeliter fustibus cæsi, exilio damnati sunt. Inter quos etiam Episcopus nomine Lætus, incendio consumptus est. Tunc idem Tyrannus vna die vniuersas Africæ clausit Ecclesias, omnemque Episcoporum substantiam suis Episcopis condonauit.

** Hunnerici.*

VII. Idus Septembris.

E Apud Nicomediam natiuitas sancti Ioannis, nobilitate, honore, ac sæculi dignitate illustris: Qui sub Maximiano & Diocletiano, librum impiæ legis eorum, fidei calore succensus, inspectante populo, minutatim discerpsit. Quod cognoscentes Tyranni, omni eum crudelitatis genere iusserunt torqueri: Sed carnifices vsque dum viscera eius defecissent, in sanctum Martyrem furentes, ne tristem quidem eum pœnis efficere potuerunt.

VI. Idus Septembris.

F Natiuitas sanctæ Dei genitricis Mariæ.

Eodem

Eodem die apud Nicomediam sancti Adriani Martyris cum aliis viginti tribus. Quorum passio licet vbique habita lectitetur, aliquid tamen breuitatis mihi causa, de his memorandum videtur. Beatissimus igitur Martyr Adrianus, temporibus Maximiani prior officij erat: Qui cernens quam multa suppliciorum acerba sancti Dei paterentur, inquirit, cuius mercedis gratia talia facerent: Qui cum viginti tres Martyres, ob indefectiuam & inenarrabilem cœlestis regni iocunditatem, martyrium se ferre dixissent, ilico exiliens, stetit in medio eorum, & adnotatus est inter Confessores & athletas Dei. Audiens Maximianus inter nomina sanctorum Adrianum recitari, iussit eum ferro vinctum, cum reliquis sanctis ad carcerem pertrahi: Erat autem ipse annorum viginti nouem: Quod audiens vxor eius nomine Natalia Christianissima gaudio plena cucurrit ad carcerem, & inter multa hortamenta, suadebat ei, ne propter aliquam terrenæ dignitatis gloriam, aut propter pœnæ metum imminentis consortio se Martyrum subtraheret. Producti sunt igitur Martyres, exhibitique in conspectu Maximiani. Qui iratus contra Adrianum, tam crudeliter eum cædi præcepit, vt apertis costis viscera apparerent. Rursum cum aliis in carcerem truditur: Quibus denuo consumptis pene carnibus, eductis, iussum est, vt vecte magno ferreo, tibiæ eorum confringerentur. Confractis ergo cruribus omnium, pedibusque incisis, etiam manus Adriano abscissa est: Quibus ita Christo transmissis, Natalia Byzantium nauigans, quo sanctorum delata sunt corpora, & ipsa post aliquot dies, obdormiuit in Domino.

V. Idus Septembris.

Passio sanctorum Martyrum Dorothei & Gorgonij apud Nicomediam sub Diocletiano Imperatore: Hi officiorum quæ intra palatium exhibebantur, magistri erant, & cubiculi regalis præpositi: Qui Christianæ fidei sectatores, cum die quadam aliquem viderent Martyrem, supplicijs immaniter lacerari. *Cur*, aiunt, *Imperator in hoc persequeris, cuius nos quoque cultores existimus?* Quos ille in medium accersens, iussit appendi, flagris laniari, sale & aceto perfundi, ac deinde craticulæ torquendosque imponi, & ad vltimum laqueo suspensos strangulari. G

In Sabinis miliario ab vrbe trigesimo, natalis sanctorum Hiacynthi, Alexandri, Tyburtij Martyrum.

Eodem die Sergij Papæ, qui sedit Romæ annis tredecim. Hic inuenit miræ magnitudinis de cruce Christi portionem, in beati Petri sacrario: Hic statuit in tempore fractionis Dominici corporis, *Agnus Dei*, cantari; Et vt diebus annunciationis Domini, dormitionis ac natiuitatis S. Mariæ, & S Simeonis, quod Hypapanti Græce dicitur, letaniæ exeant à S. Adriano, & ad sanctam Mariam populus occurrat.

IV. Idus Septembris.

A Apud Africam natalis sanctorum Episcoporum Nemesiani, Felicis, Lucij.

Item Felicis, Littæi, Polyani, Victoris, Iaderis & Datiui. Qui sub * Decio & Valeriano pro fide Christi grauiter fustibus cæsi, compedibus vincti, & ad fodienda metalla deputati, martyrium consummauerunt.

* *Galliena.*

Eodem die in * Calchidona SS. Sosthenis, & Victoris: Qui cum beata Eufemia pro Christi nomine decertaret, trusi sunt in carcerem. Inde producti ad stipitem religantur: deinde vrsi & ferocissimus leo in eos dimittitur, sed cum nullatenus à bestiis læderentur, Priscus Proconsul illos concremari decernit: Interea orationi incumbentes dato sibi pacis osculo, spiritum emiserunt.

* *Chalcedone.*

III. Idus Septemb.

B Natiuitas sanctorum Martyrum Felicis & Regulæ sororis eius: Quorum festiuitas quia solennis apud nos veneratur, passionisq; eorũ conscriptio pluribus nota habetur, scriptis superaddere scripta, non opus mihi esse videtur: Hoc tantum dicere sufficiat, quod prędicti Martyres, de consortio Mauritij & sociorum eius, per vasta eremi, quę Darona vocatur, tendentes, in partes Germaniæ deuenerunt, & in quodã loco iuxta fluuium Lindimacum subsistentes, vigiliis precibusq; cum omni pietatis studio operam dabant. Dum hæc à sanctissimis agerentur germanis, adsunt nuntij ab impiissimo Maximiano directi, vt sanctos Dei vel idolis sacrificare compellerẽt, vel tormentis eos variis punire non differrent. Beati igitur Martyres sacrilegis petitionibus fiducialiter resistentes, sociosq; se sanctorum Mauritij, Exuperij, Candidi ac Victoris confitentes, in ferreas rotas igne candentes alligantur, & ineffabilibus insuper tormentis excruciantur. Ac beatissima Regula super feruentem picem imposita est, cui etiam bulliens plumbum ad potandum à carnifice dari est præceptum. Cumq; nullis suppliciorum

acerbitatibus, à Christo divelli potuissent, iussa sunt eis capita amputari. Quo facto, truncati Martyres abscissa capita suis manibus baiulantes à loco vbi decollati sunt cubitis quinquaginta deportauerunt.

Eodem die via Salaria in cœmiterio Basillæ, Proti & Hyacinthi Martyrum, qui erant Eunuchi beatæ Eugeniæ virginis. Qui aliquanto tẽpore, apud Ægyptum in monasterio seruorum Dei cõuersati, deinde cum beatissima virgine Romam reuersi, sub Gallieno Imperatore pro fide Christi durissime verberantur, ac deinde pariter decollantur. Quomodo vero beata Eugenia propter deum masculum se simulans vitam sanctissimam duxerit, ac à Niceno Præfecto detenta, simulacrum Dianæ in puluerem orando redegerit, qualiter etiam scapulis eius ingenti saxo astricto, in Tyberim præcipitata passionis suæ compleuerit agonem: Liber gestorum eius sufficienter exponit.

II. Idus Septemb.

Apud vrbem Ticinum quæ & Papia: sanctorum Confessorum C Syri & * Hyuentij: Qui à beato Hermagora Aquileiensi Pontifice discipulo beati Marci Euangelistæ illuc directi, post continuas instantissimasque prædicationes, ac plurimorum miraculorum virtutes in pace quieuerunt.

* *Iuuentij.*

Idibus Septembris.

Apud Alexandriam Ægypti, Philippi Episcopi & Martyris: Qui primum Præfectus fuit, sed deinde diuina ascitus gratia, Episcopatum D accepit, & sub Volusiano atq; Gallieno à Perennio Præfecto occisus, martyrij adeptus est palmam.

Eodem die sancti Aniani Presbyteri & Abbatis Monasterij sancti Romarici, qui miræ abstinentiæ & anachoreticæ vitæ sectator, illustrem miraculis & virtutibus duxerat vitam.

XVIII. Calend. Octobris.

Romæ in cœmiterio Callisti natalis sancti Cornelij Episcopi: E Qui sub persecutione Deciana Centumcellis exilio deputatus est. Postea Decio exhibitus, cum nullo à fide Catholica posset deflecti, iussus est decollari: Cumque duceretur, rogatus visitauit vxorem militis Cerealis, quæ quinque annis paralytica iacens, orante sancto Cornelio erecta & sanata est. Quo viso, multi baptizati sunt, & cum beato Cornelio trucidati, numero viginti & vnus: Et Cerealis cum sua vxore Salustia.

Eodem die apud Africam beati Cypriani Episcopi & Martyris: Qui sub Valeriano & Gallieno agente Aspasio Proconsule, in exilium mittitur, & postea de exilio reuocatus, à Maximo Proconsule, qui Aspasio successerat, ob insuperabilem fidei constantiam gladio percussus, migrauit ad Dominum. Passi sunt autem cum eo Crescentianus, * Auctor, Rosula & Generalis: Cuius ossa cum sancto capite sancti Pantaleonis, membrisque Sperati Martyris, legati Caroli magni Imperatoris, ab Aaron Rege Persarum reuersi, secum ex Oriente deportauerunt. Quas beatorum Martyrum reliquias ab Imperatore concessas, Lugdunensis Episcopus in sua collocauit ciuitate.

* *Victor.*

Eodem die exaltatio sanctæ Crucis: Quæ ab Helena inuenta, ita per medium secta est, vt & crux Ierosolymis conseruata, & crux Constantinopolim sit deportata. Post multa temporum curricula, Persarum gens cum Rege suo Chosdroë, multas Romanorum prouincias deuastantes, etiam Ierosolymam inuadunt. De qua plurimis ornamentorum insignibus ablatis, crucem quoque Dominicam abducunt. Quam Chosdroë in turrem argenteam constituit, sibique in eadem turri sedem ex auro parauit, in qua velut collega Dei sedere consueuit. Heraclius igitur Romanus Imperator contra Persas bellum aggressus, occiso Chosdroë, venerabile lignum cum magna veneratione reportauit: Et in eodem die cæcis, paralyticis, leprosis, dæmoniacis pluribus sanatis, etiam mortuus vitam recepit.

XVII. Calend. Octobris.

F Natalis sancti Nicomedis Martyris, quem Flaccus Comes, quia corpus sanctæ Feliculæ Martyris sepeliuit, & quia idolis sacrificare contempsit, eatenus plumbatis cædi iussit, donec vitam finiret, corpusque eius in Tyberim præcipitatum, à Diacono suo collectum & honorifice sepultum est.

Eodem die in territorio * Cauillonensi natalis sancti Valeriani Martyris.

* *Cabillonensi.*

XVI. Calend. Octobris.

G In ciuitate Chalcedone natalis sanctæ Euphemiæ: Hæc sub Diocletiano Imperatore cum aliis quadraginta nouem tradita est Proconsuli Prisco, & post carceres ac tormenta rotarum, post verbera & ignes,

& ignes, lapidumque angularium pondera, post secures & sartagines igneas in theatrum ducitur, ac leonibus & bestiis obiicitur. Tunc beata virgine orante vna bestiarum accessit, morsumque sancto eius corpori infixit, & ita sancta Dei animam emisit.

Eodem die Romæ sanctæ Luciæ & Geminiani: Quæ beata videlicet Lucia cum triginta & sex annis in laudabili virginitate Deo seruiret, accusata est à filio suo Euprepio, & coacta vt idolis sacrificaret, Imperatore Diocletiano, Iudicibus Apofrasio & Megasio. Quod facere contemnens, post carcerem & sæuissima verbera missa est in ollam pice & plumbo feruentem, de qua illæsa egrediens, onerata ferro & plumbo per plateas trahitur ciuitatis, & cum pertransisset domum cuiusdam potentis nomine Geminiani, idem vir cœlesti miraculo instinctus, visa est quippe super caput eius columba residere, peruenit ad locum vbi sancta Dei torquebatur, & petens baptismum, cum illa pariter gladio trucidatus est.

XV. Calend. Octobris.

In Britanniis Socratis & Stephani.

Nouioduno, Valeriani, Macrini & Gordiani. A

Romæ natiuitas sancti Iustini Presbyteri: Qui à beato Sixto ordinatus est, eique beatus Laurentius pedes lauans, suis se orationibus commendauit. Idem Iustinus corpora sanctorum Hippolyti, Concordiæ, Irenæi, Abundij & Cyrillæ filiæ Decij Imperatoris, sepulturæ tradidit, & in persecutione Decij, Galli & Volusiani, confessionis gloria insignissimus fuit.

Item Romæ Narcissi & Crescentionis Martyrum.

Tungrensi diœcesi natalis sancti * Landeberti Episcopi: Qui dum regiam domum zelo religionis accensus, increpasset, intra domũ Ecclesiæ occiditur: Cuius sepulchrum crebris miraculorum ostensionibus illustratur.

* Lamberti.

XIV. Calend. Octobris.

Natiuitas sancti Methodij, Olympi Lyciæ, & postea Tyri Episcopi, qui sub Diocletiano in * Ebacide martyrio coronatus est. B

* Chalcide.

Viennæ sancti Ferreoli, qui cum esset Tribunitiæ potestatis, pro fide Christi crudelissime verberatur, catenis ligatus in carcerem truditur,

ditur, vnde Dei nutu solutis vinculis educitur, & postea ab insequentibus, ad Briuatense territorium perductus, capite detruncatur.

X III. Calend. Octobr.

C In Neapoli Campaniæ ciuitate natalis sancti Ianuarij, Beneuentanæ ciuitatis Episcopi, Sosij Diaconi * Mesenatis ciuitatis, & Diaconi Festi, & Lectoris Desiderij. Qui cum ducerentur ad mortem, viderũt inter alios Proculum Puteolanæ ciuitatis Diaconum, & laicos duos, Eutychen & Acutium: Qui interrogauerunt quare Iusti iuberentur occidi? Quos Iudex Christianos esse intelligens, decollari iussit cũ illis.

* *Misenatis.*

Eodem die in * Palesna, natalis sancti * Marci, * Palei & Nili Episcoporum, qui persecutione Diocletiani cum plurimis Clericis pro Christo igni consumpti sunt.

* *Palæstina.* * *Elia.* * *Pelei.*

Apud * Niceriam sancti Martyris Felicis & Constantiæ, qui sub Nerone passi sunt.

* *Nuceriam.*

In territorio Lingonicæ ciuitatis sancti * Sigonis Presbyteri.

* *Sequani.*

XII. Calend. Octob.

D

In Cyzico natalis sanctæ Faustæ virginis & Euilasij sub Maximiano Imperatore. Quam idem Euilasius primus palatij iussit rasam decaluari, dein suspensam torqueri, loculosq; afferri, immissam etiam illam atque infixam quasi lignum mediam secari. Quod cum carnifices efficere non possent, nec ferris eam lædere, stupens Euilasius Christo credidit. Hoc vbi Imperator comperit, iussit Euilasium suspensum acrius torqueri, Faustam vero nudam de carcere educi, & ei caput terebrari, ac claues infigi, faciem quoque ac totum corpus clauis impleri: Posthæc sartaginem igniri, quæ illa psallente refriguit. Inter hæc cœlesti voce vocati, tradiderunt spiritum.

XI. Calend. Octob.

E Natalis sancti Matthæi Apostoli & Euangelistæ, cuius passionis historia circumquaque frequentatur.

F

X. Calend. Octob.

In * Hispaniis vrbe * Siduno, loco * Acauno, sanctorum Martyrum

* *Galliis.* * *Seduno.* * *Agauno.*

tyrum

tyrum Mauritij & sociorum eius. Qui ab Oriente de Thebis ciuitate profecti, sub Maximiano Imperatore, cum legione sua sex millium & sexcentorum numero virorum pro fide Christi trucidati sunt. Hi in auxilium Maximiano accersiti venerunt, sed cum in sacrilegio illum sequi contempsissent, vt cæteros post se facilius inclinaret, decimum quemque ex eis in oculis eorum iugulari præcepit. Quæ decimatio cum bis ab interfectoribus exerceretur, & reliqui nihilominus in sententia perstarent, vna & simili interfectione, sponte sua colla summittentes omnes trucidantur. Maximianum autem digna perculit pœna. Genero enim suo Constantio insidiari deprehensus, strangulatur, & deterrimo supplicio affectus, impiam vitam morte digna finiuit.

IX. Calend. Octobris.

Sosij Diaconi, de quo decimotertio Calend. Octobris inuenies. G

Eodem die Theclæ virginis apud Seleuciam quiescentis: Quæ de ciuitate Iconio à beato Apostolo Paulo instructa est: Quam mater eius cernens Christianam, & nuptias repudiantem, accusauit apud Iudicem: adducta itaque sancta Thecla in pyram immittitur, & facto crucis signo, pluuia erumpens, flammas extinxit. Postea leonibus & vrsis nudata, iterum iterumque obiicitur: De quibus diuina virtute protecta, in fossam aqua & serpentibus plenam immergitur, de qua nihilominus eam gratia diuina illæsam eduxit. Alligatur deinceps duobus ferocissimis tauris, ferro candente, vt eam decerperent stimulatis. Qui funibus disruptis hinc illucque disiecti, Martyrem relinquunt illæsam. Tunc dimissa virgo, Tryphænam religiosam fœminam, quæ & martyrio eius affuit, cum omni domo eius in fide Christi confortans, venit Seleuciam & ibi in pace quieuit.

VIII. Calend. Octobris.

Conceptio sancti Ioannis Baptistæ.

Augustoduno sancti Andochij Presbyteri, Thyrsi Diaconi & Felicis. Qui à Polycarpo Episcopo ad docendum Galliam directi, Aureliano Imperatore, flagellis cæsi, in ignem missi, versis manibus suspensi, & ad vltimũ vectibus in colla percussi, martyrium cõpleuerunt. A

VII. Calend. Octobris.

Natiuitas beati Cleophæ, cui Dominus post resurrectionem in via apparuit. B

VI. Calend. Octobris.

C Sanctorum Martyrum Cypriani, Episcopi, & Iustinæ virginis. Scholasticus quidam Agladius nomine apud Antiochiam videns beatam Iustinam, exarsit in concupiscentia eius, & promisit Cypriano mago duo talenta auri, si virginem Iustinam in illius amorem excitaret: Cyprianus magus conuocatis dæmoniis cœpit agere, vt per eos sancta Dei seduceretur: cumque id dæmones nullatenus efficere valerent, ac signo crucifixi se ab ea repelli faterentur, Cyprianus diaboli virtutem contemnens, ab Episcopo Anthimo Catholicis se mysteriis imbui rogauit: Nec multo post, Diaconus ordinatur, ac deinde virtutibus & miraculis excrescens, etiam Episcopatus dignitate sublimatur. Procedente tempore Cyprianus Episcopus & virgo Christi Iustina comprehensi, vinculis alligantur, Episcopus suspensus exungulatur, sancta Dei post alapas, crudis neruis immaniter cæditur, dein cum pice, adipe, & cera in sartagine torrentur, postremo etiam gladio iugulantur. Sed & Theognotus quidam simul cum illis punitur sub Diocletiano Imperatore, Iudice * Eutelamio.

* *Euthelmio.*

V. Calend. Octobris.

D Apud Ægeam natiuitas sanctorum Cosmæ & Damiani, persecutione Diocletiani, sub Præside Lysia, qui ex Arabia oriundi, arte Medici fuerunt, quorum fratres * Antimius, Leontius, Euprepius vocabantur. Qui culturam spernentes idolorum, pedibus vincti ac manibus fortiter torquebantur: deinde catenati in mare merguntur, de quo per Angelum Dei liberantur, deinde in ardentem ignem sunt proiecti: Quo sanctis orantibus extincto, iterum suspensi cruciabantur: Quod patienter sufferentes, in crucem leuati lapidabantur, ac deinde sagittis appetuntur: verum cum in nullo læderentur, sed mittentes ac circumstantes non pauci repercuterentur, iussi sunt à Præside gladio trucidari.

* *Anthimus.*

IV. Calend. Octobris.

E In Hispaniis ciuitate Corduba: Fausti, Ianuarij & Martialis: Qui primo equuleis cruciati, deinde rasis superciliis, auribus, naribusque præcisis, dentibus etiam superioribus excussis, deturpati: ad vltimum ignis passione martyrium consumauerunt.

III. Calend. Octobris.

In monte Gargano memoria beati Archangeli Michaëlis: Vbi consecrata ipsius nomine habetur Ecclesia, quæ hoc modo cognita est: Quidam prædiues nomine Garganus, de cuius euentu vocabulum monti inditum est, infinita pecorum multitudine pollebat. Contigit autem taurum, peculio remeante, domum non esse reuersum: Quem dominus per deuia quæque requirens, inuenit tandem in vertice montis, foribus cuiusdam assistere speluncæ: Quem cum sagitta petiisset, illa retrorsum cum impetu retorta, dominum percussit. Quod Episcopus comperiens, indicto ciuibus triduano ieiunio, causam interfecti hominis à Deo monuit inquirendam. Peracto itaque ieiunio, apparuit sanctus Michaël Episcopo, sua hoc insinuans actum esse voluntate: *Locum,* inquiens, *hunc incolere, mihique proprium vindicare decreui.* Nec opus esse, inquit, ab hominibus Ecclesiam ibidem dedicari, sed à se conditam, à se quoq; eandem, inquit, consecratam. Tantum eos præcepit intrare, precibusque deuotis locum frequentare. Qualiter autem ciuibus per sanctum Archangelum cœlestibus ostensis miraculis, victoria de hostibus collata sit, atque de eiusdem loci situ, miraculorumque ibidem ostensorum numerositate, in plerisque codicibus scriptum reperies.

II. Calend. Iunij.

In castro Galliæ Solòdoro passio sanctorum Martyrum Victoris & Vrsi ex legione Thebæorum. Qui iussu Maximiani ab Hirtaco diris suppliciis cruciati, deinde in ignem missi, postremo gladio consumati sunt.

Eodem die apud Bethlehem Iudæ depositio sancti Hieronymi Presbyteri. Hic natus in oppido Stridonis, quod Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit, patre Eusebio, vestem Christi, puer Romæ suscepit, ibique litteris Græcis ac Latinis à primæuo eruditus est, probatissimorum quoque Monachorum habitum, factumque imitatus est: Romanæ etiam Ecclesiæ Presbyter ordinatus cunctorum iudicio, dignissimus summo sacerdotio esse decernitur. Sed postquam æmulorum inuidia Roma effugatus est, Gregorium Nazianzenum Constantinopolitanum Episcopum discendi gratia adiuit. Inde Syriam petiuit, ac deserta loca accedens, in horrida solitudine quadriennium

nium exegit: dein Bethlehem oppidum adiens, in præsepe Domini prudens se animal contulit permansurum. Quantis ibi denuo vigiliis ieiuniisque institerit, quali instantia Hebræorum bibliothecas auribus Latinorum inseruerit, nouit ille cui sudores suos immolauit. Tandem post perfectam placitamque Deo conuersationem nonagesimo octauo ætatis suæ anno, apud Bethlehem oppidum in pace quieuit, secundo Calendas Octobris, duodecimo Honorij Imperatoris anno. Libros suos per quinquaginta & sex annos confecit.

Mensis Octobris habet dies XXXI. Lun. vero XXX.

Calend. Octobris.

A Apud Antisiodorum natalis sancti Germani Episcopi: Qui ob refutandam Pelagianæ hęresis perfidiam, omnium Gallicanorum Põtificum iudicio, Britannias mittitur. In medio igitur pelagi, cum iter beatus Pontifex ageret, inimica vis concitata tempestate magnum nauigantibus periculum exhibuit. At ille consurgens, inuocato nomine Domini, procellarum immanitatem sedauit. Deinde Britanniam perueniens, hæresim exortam compescuit, Tribuni cuiusdam filiam decem annis cæcam illuminauit, in vicina qua manebat casula, furens incendium extinxit: Infirmitatis suæ dolorem, erat quippe læso pede debilis, cœlesti se visitante persona exsuperauit. Saxones & Picti contra Britonnes eo tempore bellum intulerunt, sed Germano Ducis officium assumente, precibusque non armis dimicante, hostes in fugam vertuntur. Post multa virtutum insignia, Rauennam pro pace Armoricanæ gentis supplicaturus aduenit, ibique à Valentiniano honorifice susceptus, post aliquot dies finem vitæ præsenti imposuit, corpusque ipsius ad suam vrbem relatum est.

Tomis ciuitate sanctorum Prisci, * Crescentij, Euagrij.

** Crescentio.*

Remis sancti Remedij Episcopi & Confessoris, viri clarissimæ virtutis & sanctitatis. Hic gentem Francorum idolis deditam, Rege ipsorum primitus initiato, conuertit ad Christum. Hic inter cætera facta, puellam à mortis vinculo suscitauit, septuaginta plus minus annos in Episcopatu compleuit.

VI. Non. Octobris.

B Eusebij Papæ, qui sedit in Episcopatu annos septem, sepultus via Ap-

via Appia in cœmiterio Callisti: Cuius tempore Dominica crux inuenta est. Hic hæreticos inuenit in vrbe, quos ad manus impositionem reconciliauit.

Apud Nicomediam natiuitas sancti Eleutherij Martyris: tempore Diocletiani contigit palatium incendio conflagrare, quod Imperator à Christianis falsa suspicione factum putās, iussit omnes Christianos colligi, & alios quidem gladio detruncari, alios ignibus concremari. Quorum primus, & qui omnes ad martyrium hortaretur, erat * Leudegarius. Tunc quidam flammis iniecti, alij gladio trucidati, in pelagus etiam plurimi sunt demersi. Verum beatus Eleutherius immanissimis diu excruciatus tormentis, ad vltimum flammis immissus, martyrij palmam est adeptus.

Eleutherius.

In * Atratis villa Syrricinio passio sancti Leodegarij, Augustodunensis Episcopi.

Atrebatis.

V. Non. Octobris.

Natiuitas sancti Dionysij Ariopagitæ, qui ab Apostolo Paulo ad fidem deductus, ab ipso etiam primus Athenarum Episcopus est ordinatus, & sub Adriano Principe, post clarissimam fidei confessionem & grauissima tormentorum genera, martyrio coronatus est. C

Apud antiquos Saxones natalis sanctorum * Edili & Eualdorij Presbyterorum: Qui cum Willobrordo Episcopo venientes in Germaniam, transierunt ad Saxones, ibique Dei verbum prædicando à paganis occisi sunt. Ad quorum corpora noctu lux apparens, cuius essent meriti declarauit.

duorum Eualdorum.

IV. Non. Octobris.

Apud Corinthum Crispi & Gai, quorum Apostolus Paulus in epistola ad Corinthios meminit. D

1. Corinth. 1.

In Ægypto sanctorum Martyrum Marci & Marcelliani fratrum, & cum eis aliorum promiscui sexus innumerabilium: Quorum alij flammis traditi, alij in mare demersi, nonnulli inedia consumpti, quidam patibulis affixi, cœlum meruerunt.

III. Non. Octobr.

Apud Siciliam Placidi & Eutychij, aliorumque triginta. E

 In Gal-

In Galliis ciuitate Valentia, Apollinaris Episcopi, virtutibus & martyrio insignis.

Apud Eumeniam Thraseæ Episcopi martyrio consumati, qui vnus ex antiquis, qui quasi ex traditione priorum se accepisse asserit, Saluatorem præcepisse Apostolis, ne ante duodecimum annum discederent ab Ierosolymis.

II. Non. Octobris.

F Apud Capuam sanctorum Marcelli, Casti, Æmylij, Saturnini.

In Galliis ciuitate Agenno, * Fidis virginis & Martyris: Cuius exemplo beatus Caprasius ad martyrium animatus est.

* *Fidei.*

Eodem die Sagaris Martyris & Episcopi Laodicensis, qui vnus fuit de beati Pauli Apostoli discipulis.

Nonis Octobris.

G Romæ via Appia natalis sancti Marci Episcopi & Confessoris: Qui sedens in Episcopatu annos duos, menses nouem, triginta dies, constituit vt Episcopus Hostiæ, qui consecrat Episcopos, pallio vteretur.

Eodem die sanctorum Iuliæ, Sergij & Bacchi sub Maximiano Imperatore: In cuius palatio Sergius Primicerius; Bacchus vero Secundicerius, cum apud eundem Imperatorem accusarentur, imo veracissime deprehenderentur, quod abiecta idolorum cultura, veri Dei cultores existerent, cum nec minis nec blandimentis à fidei firmitate possent auelli, iussu Imperatoris chlamyde exuti, muliebribus sunt induti colobijs, & sic per mediam ciuitatem catenis ceruicibus impositis pertrahuntur. Postremo à Duce Antiocho præcepto Maximiani, ita sunt martyrio coronati, vt Bacchus, dum extensus, crudis flagellis cæderetur, emitteret spiritum. Sergius vero post multa tormenta gladio cæsus est. Quorum corpora tollentes Christiani, honorifice in vno loco sepeliuerunt. Vbi & virgo Iulia, quæ sub Martiano Præside passa est, Martyribus sociata quiescit.

Eodem die sanctorum Martyrum Marcelli & Apulei, qui primo adhæserunt Simoni mago, sed videntes mirabilia, quæ Dominus per Apostolum Petrum operatus est, relicto Simone, Apostolicæ se doctrinæ tradiderunt, & post passionem Apostolorum, ipsi quoque martyrio coronati sunt.

VIII. Idus

VIII. Idus Octobris.

Apud Cretam vrbem Gortynæ, beati Philippi Episcopi, magnis virtutibus viri. A

Thessalonicæ sancti Demetrij Martyris.

Item natiuitas Reparatæ virginis & Martyris, quæ passa est in Cæsarea Palæstinæ sub Decio Imperatore. Quæ post feruens plumbum & mammillas abscissas, in caminum missa est ardentem: Cumq; nihil læderetur ab igne, decollata est, cuius de collo candida visa est euolare columba.

VII. Idus Octobris.

Abrahæ Patriarchæ.

Apud * Parasium passio Dionysij Episcopi, Eleutherij Presbyteri, & Rustici Diaconi. Qui beatus Episcopus à Pontifice Romano causa peregrinationis in Gallias directus, Parisiorum ciuitatem deuenit. Vbi cum per aliquot annos miraculis fidem confirmantibus populos ad viam veritatis conuertere satageret, à Præfecto comprehensus cum Rustico & Eleutherio martyrio coronatus est. B * Parisios.

Coloniam Agrippinam natalis sancti Gereonis cum aliis trecentis nouendecim, quos fertur de legione beati Mauritij fuisse. Qui spernentes funesti Maximiani imperium, pro vera religione gladiis colla subdiderunt.

VI. Idus Octobris.

Loth Prophetæ.

Apud Cretam Pinyti Episcopi, qui memoriam sui in scriptis à se editis viuam reliquit. C

Item apud Agrippinensium vrbem sanctorum Martyrum Mallosi & Victoris.

In Britannia Paulini Eburaci Episcopi: Qui ordinatus Episcopus à beato Iusto, quem sanctus Augustinus primus Anglorum Pontifex consecrauit, gentem Northumbrorum, hoc est, eam nationem Anglorum quæ ad Aquilonem Humbri fluminis habitabat, ad fidem conuertit.

V. Idus Octobris.

Apud Tharsum metropolim Ciliciæ natalis Tharaci * Presby- D * Probi.

teri,& Andronici Martyrum. Qui Diocletiani persecutione sub Maximo Præside carcere puniti, neruis cæsi, testis defricati, ardente papyro adusti, maxillarum fracturam & tibiarum tormenta perpessi, aceti & sinapis in naribus infusione cruciati, post obeliscos ignitos, post confixos clauis acutissimis digitos, post oculorum transpunctionem linguæque abscissionem, vrsis & leonibus proiecti sunt. Sed cum à nulla bestiarum læderentur, gladio iugulati, inter corpora interfectorum proiici iubentur. Vbi noctu velut stellæ splendida de cœlo demissa super corpora sanctorum Christianis reuelati sunt, & eiusdem ducatu stellæ, sepulturæ traduntur.

In ciuitate Turonis depositio Venantij Abbatis & Confessoris.

IV. Idus Octobris.

E

Apud Rauennam sancti Edisthij.

In Africa sanctorum Confessorum & Martyrum quatuor millium nongentorum septuaginta sex, qui persecutione Wandalica iussu Hunnerici Regis Arriani, inter Mauros ferocissimos deputati sunt. Inter quos erant Cyprianus & Felix, præcipui sacerdotes domini: Quorum alij dum hastilium cuspidibus ad currendum [illegible]entur; alij ligatis pedibus per asperrima traherentur, tam diro discerpti supplicio inter manus contrahentium spiritum exhalabant.

* Edisthij.
* Eustachij.

Romæ natalis sancti * Bedisti Martyris.

In Syria * Eustatij Presbyteri, Euchanisti, Burri, Bonati.

In Campania Patriæ, Fortunatæ.

III. Idus Octobris.

F

* Troadem.

Apud * Trohadam Carpi, discipuli Apostoli Pauli.

Antiochiæ Theophili, qui sextus ab Apostolis Ecclesiæ Pontificatum tenuit, vir eruditissimus. Hic cõstituit die Sabbathi, ieiunium ter in anno fieri, secundum prophetiam frumenti, vini & olei.

* Ianuarij & Martialis.

In Hispaniis Fausti, * Marci & Adriæ.

In Chalcedonia Marcelli.

In Alexandria sancti Anastasij Episcopi.

II. Idus Octobris.

G

Natiuitas sancti Callisti Papæ: Qui sub Alexandro Imperatore marty-

martyrium suscepit. Postquam enim Palmachium Proconsulem & Simplicium Senatorem cum omni familia eorum, ac multos alios baptizauit, tentus est ab Alexandro, fame cruciatur, fustibus cæditur, custodiæ mancipatur: In qua custodia Presbyter eius Calepodius dudum martyrizatus, eum visitans consolabatur, vbi etiam militem Priuatum nomine ab vlceribus sanans fidei Catholicæ aggregauit. Vnde iratus Alexander beatum Callistum per fenestram domi præcipitari, & ligato ad collum eius saxo, in puteum iubet demergi, & in eum rudera cumulari. Vnde à suis leuatus, in cœmiterio Calepodij est terræ commendatus.

Corduba sancti Lupi, Aureliæ.

Lugduno translatio Iusti Episcopi & Confessoris, qui eremiticam ducens vitam, prophetico spiritu, quæ post se essent ventura prædixit.

Idibus Octobris.

In Galliis apud Coloniam Agrippinam sanctorum Maurorum de militibus sanctæ legionis Thebæorum. Qui cum essent numero quinquaginta, martyrio consumati, in eadem vrbe sunt conditi. A

In Capua Libuli & sanctæ Fortunatæ.

Eodem die apud Lugdunum Antiochi Episcopi.

XVII. *Calend. Nouembris.*

In Asia Cereæ.

In Africa ducentorum septuaginta pariter coronatorum. B

Item sanctorum Martyrum Martiani, Satyriani cum duobus fratribus eorum, & Maximæ virginis: Qui sub Geiserico Rege Arriano, primum nodosis fustibus vsque ad ossa discerpti, postea in neruo arctati, diuinaque virtute liberati, continuo incolumes efficiuntur. Maxima Christi famula dimissa, multarum virginum mater est effecta. Reliqui iussu impiissimi Tyranni, ligatis pedibus post terga currentium quadrigarum, inter spinosa loca discissi, obierunt in Domino.

Eodem die apud Alemannos qui & Sueui, iuxta alpes Rhetianas, depositio siue transitus vel ad æternã vitam natalis dies, beatissimi Galli Confessoris, festiue celebratur. Qui de Insula Hybernia, quæ inter Britanniam & Hispaniam sita est, diuini amoris instinctu cum Magistro & Abbate suo Colũbano peregrinaturus per Gallias iter agens, Aleman-

Alemanniam ingressus est. Veniens igitur in eremum, quæ sita est inter alpes Rhetiarum & Brigantini marginem lacus, patre Columbano Italiam petente, infirmitate detentus est. Qua diuina medicante manu deuicta, sanitateque recepta, solitariam ducere vitam desiderās, eremi secreta soli Deo vacando, non vacans fouebat. Rex igitur Sigibertus vt audiuit in publicis eum commorari possessionibus, iussit fieri conscriptionem firmitatis, vt vir sanctus locum quem incolebat per auctoritatem obtineret, datis etiam illi auri argentique ponderibus, Cunzoni Duci præcepit, vt si solitudinis incola vellet, solatiorum ei copiam ad ædificandam cellam subministraret. Athleta itaque Dei spirituale constructurus ædificium, parsimoniæ, orationibus, vigiliisq; insistens, populum ab errore idololatriæ reuocauit, simulacra eorum confregit, signorum effectu, prædicationem suam audientibus commendauit. Quarum numerositatem, quia liber vitæ & virtutum eius vbique habetur & legitur, hodieque per miracula quæ prius gesta sunt augmentantur, in præsentiarum supersilimus, hoc solum commemorantes, quod diuina pietas, beatum Gallum genti Alemanniæ Apostolum fecit, qui nationem, quam paganismo inuolutam reperit, fidei veritate imbutam, de tenebris ignorantiæ, ad solem iustitiæ, qui Christus est, ipse callis Dei sollers viator reduxit, ac locum quem eatenus humanæ naturæ inaccessibilem, solisque bestiis, serpentibus & dæmoniis obsessum inuenit, exturbatis hostibus, diuinitati habitaculum exhibuit. Videndum summopere ac timendum est, ne tabernaculum Dei, quod demonstratione diuina, multisque sudoribus, vir sanctus erexit, quodque regali auctoritate in sortem & funiculum hæreditatis Dei sequestratum est, aliqua humanæ præsumptionis temeritate impetatur, ne auaritia occupet hominum, quod à rabie dæmonum & sæuitia expurgatum est beluarum. Postremo, ne quo delati sunt ab equis indomitis artus Galli defuncti, ibi eum molestare præsumat inquietudo qualibet ausus humani.

XVI. Calend. Nouembris.

C Marthæ sororis Lazari, & Aristionis, qui vnus fuit ex septuaginta discipulis.

Item Natalis Heronis, qui post sanctum Ignatium Antiochenam rexit Ecclesiam, quod & ipsi Ignatio ad passionem eunti reuelatum est. Qui & vita & martyrio magistri sui imitator effectus est, erat enim Diaconus Ignatij.

In Gal-

In Galliis ciuitate Arausica Florentij Episcopi: Qui multis virtutibus clarus, in pace quieuit.

In Nicomedia Alexandri.

In Mauritania Nini, Victurij, Nobilitani, Mariani, Lucij, Mittini, Crescentiani.

Item translatio corporis sancti Galli, & dedicatio * Opiparis & decentissimæ basilicæ ipsius, quæ inter duos mõtes Cirrium & Walthrammesberch constructa est, à meridie habens fluuium Steinaha, ab Aquilone fluuium Nigraba. Qui locus ex ipsius beati nomine sancti Galli Monasterium cognominatur. Vbi Domino virtutum eius merita declarante, cæci illuminantur, surdis auditus tribuitur, mancis operari conceditur, multi linguarum laxatione gratulantur, claudis gressus diriguntur, Energumeni à spiritibus nequam liberantur: Clinici atque contracti indepta gratis sanitate eriguntur, dolor dentium, medicina trabis compescitur, reliquarum etiam infirmitatum exinanitio ibidem efficitur.

* Opiparis i. maximis sumptibus extructa.

XV. Calend. Nouembris.

D Sancti Lucæ historiographi & Euangelistæ: Cuius vitæ conuersationem, officij professionem, finis qualitatem, in Epistola Pauli, in actibus Apostolorum, in Euangelij sui proœmio reperies.

Romæ Tryphoniæ vxoris Decij Imperatoris, quæ post interfectionem Callisti & Laurentij, diuinitus punito marito suo aquam baptismatis, cum filia Decij Cyrilla suscepit, & alia die defuncta est.

Eodem die Asclepiadis Antiocheni Episcopi & Martyris sub Decio Imperatore.

XIV. Calend. Nouembris.

E Apud Antiochiam Syriæ natalis sancti Beronici, Pelagiæ & aliorum quinquaginta nouem. Quæ Pelagia primo fuit sub gentilitatis ritu meretrix, postea per gratiam Dei & sancti Dei Nonni Episcopi dogma ad fidem Christi conuersa, & baptizata omnia sua pauperibus erogauit, & in monte Olíueti Antiochiam deserens, in loco vbi Dominus cœlum ascendit, paruulam sibi cellam construxit, & sub virili habitu ac monastica conuersatione, præsentem vitam finiuit.

Eodem die beatorum Martyrum, * Tholomei, & Lucij. Qui Tho-

* Ptolomei.

Tholomeus post vincula & carcerem, quibus à Centurione propter diuini nominis confessionem cruciatus est, Iudici Vrbicio præsentatus, denuo ab illo de cultura examinatus est. Cui Tholomeus: *Qui negat*, inquit, *quod est, sine dubio culpabile iudicat esse quod negat.* Continuo duci ab Vrbicio iubetur: Quod videns Lucius quidam Christianus, dixit ad Iudicem: *Cur*, inquit, *hic homo, nullius criminis accusatus, sed sola professione Christianitatis, duci iubetur ad mortem?* Cui Vrbicius ait: *Vt video & tu Christianus es?* Quo confitente, iussus est & ipse interfici. Sed & tertius quidam eiusdem rei causa simul punitus est. Passi sunt sub Antonino hi Martyres, Alexandriæ sepulti sunt.

** Agenno.*

In Galliis ciuitate * Aginno Caprasij Martyris: Qui persecutionem fugiens in spelunca delituit: audiens autem beatam virginem Fidem pro Christo agonizare, & ipse animatus martyrij indeptus est palmam.

XIII. Calend. Nouembris.

F Apud Nicomediam sanctorum Martyrum Dasij, Zotici, * Gagij cum aliis duodecim millibus.

** Caij.*

Item Simplicij: Cuius vita probabilis fuit multis causa salutis, ita vt tria millia hominum baptizatorum, gremio matris Ecclesiæ susciperentur.

Eodem die patris nostri Hilarionis: Cuius vitam virtutibus plenam scripsit Hieronymus: Qui vitam in omni ducens labore, cum sibi finem appropinquare agnouisset, nec iam præter sensum quicquam in se viui hominis remaneret, apertis oculis dixit: *Egredere, egredere anima, quid times? quid dubitas? septuaginta prope annis seruisti Christo, & mortem formidas?* In hæc verba exhalauit spiritum.

Ipsa die sancti Asterij Presbyteri, sancti Callisti, qui cum corpus patris eleuatum de puteo sepeliuisset, præcepit eum Alexander per pontem præcipitari.

Item translatio beati Viatoris in eremo, comitis sancti Iusti.

XII. Calend. Nouembris.

G Hierosolymis Marci, qui primus ibidem ex gentibus Episcopatum tenuit, & martyrio consumatus est.

Item beatæ Salomæ, quæ cum reliquis mulieribus circa Domini sepulturam erat sollicita.

Apud

Apud Thraciam in Adrianopoli sanctorum Philippi Episcopi, Eusebij, Seueri Presbyteri, Hermetis Diaconi: Qui Ecclesias ab iniquis spoliari contradicentes, martyrio sunt coronati.

XI. Calend. Nouembris.

Apud Antiochiam Syriæ natalis * Theodoriti Presbyteri. Qui persecutione Iuliani impij equuleo & lampadibus dirè cruciatus est: milites autem illum torquentes ab aspectu Angelico territi corruerunt in faciem, & crediderunt in Christum. Quos iussit Tyrannus pelago immergi: quibus beatus * Theodoritus ait: *Præcedite fratres, ego quoque superans inimicum sequar ad Dominum*: Sicque occisus gladio martyrium consumauit. Hic etiam prophetico spiritu interitum Iuliani in Perside prædixit.

A

* *Theodori.*

* *Theodorus.*

In Hispaniis Seruandi & Germani. Qui post verbera & carcerem longissimum iter ferro onusti perfecerunt, & nouissime amputatis capitibus passionem compleuerunt.

X. Calend. Nouembris.

In Venusia ciuitate Apuliæ natalis sancti Felicis Episcopi,* Audactis & Ianuarij Presbyterorum, Fortunati & Septimi Lectorum. Qui temporibus Diocletiani in occisione gladij migrauerunt.

B

* *Audacti.*

Item Venantij Abbatis, de quo scriptum est, quod adhuc in terris constitutus, Missarum solemnia in cœlo consumari agnouerit: Et cum aliquando ad Missas Dominica recitaretur oratio, audierit quendam è tumulo Sacerdoti respondentem: *Sed libera nos à malo.*

IX. Calend. Nouembris.

In Nicomedia natalis dies Seueri & Dorothei.

In Cæsaræa Cappadociæ Longini, de quo postea.

C

VIII. Calend. Nouembris.

Romæ passio Chrysanthi & Dariæ, qui sub specie coniugij castitatem seruauerunt perpetuam: Nam Chrysanthus Dariam à gentilitatis conuertit errore, & sub Numeriano Imperatore cum vxore & filiis

D

 post

poſt multa tormentorum genera in foueam demerſi profundam, Deo animas reddiderunt.

In Galliis ciuitate Sueſſionis Criſpinus & Criſpinianus, ſub Maximiano & Diocletiano extenſi ſunt ad trocleas, fuſtibus cæduntur, ſudes vngulis eorum infiguntur, hyemis tempore molaribus collo eorum ſuſpenſis fluuio immerguntur, plumbo facto liquido, olcoque cum pice & adipe feruenti ingeruntur, ſed de his omnibus diuina liberatione eripiuntur. Quod cum videret tortor eorum * Retiouapus, nullis eos lædi poſſe tormentis, ſe furens præcipitauit in ignem. Maximianus autem audiens ſatellitis ſui perditionem, eos gladio conſumari præcepit.

* *Rictiouarus.*

Eodem die Petragoricis ciuitate, ſancti Frontonis: Qui à beato Petro Apoſtolo Epiſcopus ordinatus, cum Gregorio Presbytero ad prædicationem Euangelij mittitur: Qui magnam ciuitatis gentem ad fidem & profeſſionem Chriſti conuertit, eundemque comitem ſuum Gregorium in itinere defunctum, ſuperpoſito illi baculo Apoſtoli Petri reſuſcitauit à mortuis, & in pace quieuit.

Item Romæ paſſio quadraginta ſex militum: Qui ſimul à Papa Dionyſio baptizati, iubente Claudio Imperatore ſunt decollati, ibi ſunt & alij Martyres cum ipſis poſiti centum & viginti vnus, inter quos ſunt illi quatuor, Theodoſius, Lucius, Marcus, * Parus.

* *Petrus.*

Item Bonifacij Papæ: Qui conſtituit ſeruum, Clericum non fieri, nec obnoxium curiæ.

VII. Calend. Nouembris.

E Apud Africam ſanctorum Martyrum Rogatiani Presbyteri & Feliciſſimi, qui paſſi ſunt ſub Decio & Valeriano.

Eodem die ſanctorum Epiſcoporum Vedaſti & Amandi: Qui Vedaſtus in oppido Tullenſi, officio fungebatur Presbyteri, ſed poſtquam Rex Chlodouæus victor Alamannorum effectus eſt, memor voti, quo ſe in neceſſitate pugnæ conſtrinxit, beatum Vedaſtum de Tull ſecum ducens, baptiſmi gratia ad ſanctum Remigium ciuitatem Remenſium prope-rauit.

Reliqua deſiderantur.

ECKER-

ECKERHARDI DECANI SANCTI GALLI,

De Vita

B. NOTKERI, COGNOMENTO BALBVLI, MONACHI S. GALLI.

ITEM,

ACTVS SIVE PROCESSVS CANONIZATIONIS EIVSDEM Beati Notkeri, permissu & authoritate sanctissimi Domini Leonis Papæ huius nominis Decimi &c. à Notariis iuratis publica fide conscriptus.

EX MS. BIBLIOTHECÆ EIVSDEM CELEBERRIMI Monasterij S. GALLI.

INCIPIT PROLOGVS IN VITAM BEATI NOTKERI COGNOMENTO BALBVLI.

Capitulum primum.

IN primis conqueror, quod maxime ſubolet: perfectos viros ac ſapientiſſimos in Cœnobio beati Galli degentes, multorum patrum ſiue fratrum inibi commorantium, laudabilia geſta non ſcripſiſſe, feciſſe atque dixiſſe. Ideo multo mœrore affectus ſum: demiror valde quid cauſæ exſtiterit, quid tanti viri quibus immeritus eſt mundus frui: Quorum inſtitutione informatur Clerus, per quos omnium artifex, Spiritus ſanctus voluit ornare officium diuinum: In quo iocundantur animæ iuſtorum, quorum doctrina fulget & lætatur Eccleſia Dei, non ſolum per Alamanniam, verumetiam à mari vſq; ad mare, & in vniuerſo mundo vſque ad terminos orbis: In hymnis & ſequentiis, in tropis & letaniis, in diuerſis cantibus & melodiis pluribuſque Eccleſiaſticis diſciplinis. Nam cum ſciamus eorum ſanctiſſimos atque doctiſſimos fuiſſe: & in ſanctorum numero aliquos ipſorum aſcitos, graue nobis & tædioſus eſt, nihil de corū virtutibus ſcriptum reperiſſe: Sed nos eadem quamuis modica geſta quæ maiores in ſcriptis nobis relinquerunt, de Notkero cognomento Balbulo, viro doctrina ſophiæ tunc in tempore famoſiſſimo, meritorumque ſanctitate beatiſſimo, eiuſque ſodalibus, quæque inuenimus in cedulis, in vnum compilare ſtuduimus: licet enim huic operi longe impar ſim: laudabilis vitæ conuerſatio & ſapientia prænominati Notkeri balbuli, valde hoc expoſcit, vt lucerna tam clara non ſub modio, ſed ſuper candelabrum ponatur, vt luceat omnibus qui

bus qui in mundo sunt. Virtutes quoque sancti viri suamque vitam digne scribere non tepentis animi officium est: cum ad hoc opus sufficere non credam quemlibet sapientissimum: Quidam vero in rationis inquisitione aut in ornatu eloquentiæ laborantes, ea quæ simpliciter proferri possent & plane audientibus vel legentibus: fastidium sæpius præbent. Nos itaque nec Donati regulis ad plenum imbuti, vel Grammatica Prisciani, minusue Dialecticis versutiis exercitati, nec Rhetoricis floribus Philosophicæ eloquentiæ exhilarati, non in sublimitate? sermonis: ea quæ collegimus, vera fideli humilitate, dictæ terationis iustitia exequemur: Vnum vero timendum & verendum mihi est cum narrauero magnalia facta sanctorum, ne dicat mihi Deus peccanti Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meũ per os tuum? Ego non de iustitia præsumendo, sed inuocato sancto viro Dei, vt meritis ipsius & precibus adiutorium per Spiritus sancti gratiam mihi conferatur, vt inceptum opus deuote perficiatur, quod quasi libamen aliquod ad degustandum auribus & animo vestro propono. Si quid vero displicuerit, rogo vt emendetur & nobis concedatur.

INCIPIT VITA BEATI NOTKERI BALBVLI MONACHI.

Capitulum secundum.

CHRISTVS Dei virtus & Dei sapientia, qui misericorditer, vt nos à peccatis liberaret, formam carnis sibi assumpserat peccatricis: Sicut nos peccatores per diuersas vocat ætates: Ita etiam propter diuersas meritorum virtutes iustificat & saluat. Quosdam enim adhuc in vtero sanctificat & replet Spiritu sancto. Quosdam autem in lacte matris, licet virtutum qualitates non discernentes, ornatum pudicitiæ superinduit. Alios autem adhuc pueros, vt à lasciuitate quiescant continentiæ

tinentiæ dote roborat: Ipsos vero iuuenes maximam carnis aduersus spiritum pugnam quasi nimis feruentes passos, in victoriæ corona triumphare donat: Senes iam quasi ad mortem declinatos, ad pœnitentiam reuocat: Eos denique qui in decrepita ætate sunt variis affectos tribulationibus: tandem amore cœlestis patriæ ad superna suspirare concedit. Has igitur virtutes licet partim & per diuersas ætates aliquibus det: multos tamen videre licet, quos Ecclesiæ suæ speculum & formam proposuit. Vt eum de quo nobis sermo est, omnibus his virtutibus decorat. De cuius virtutibus ea quæ virorum valde venerabilium veraci relatione didici: vel pro quantitate vt scripta in continenti comperi, ne amore loci aliquid fingere arguar, simpliciter humili caraxatione prosequamur, & singula eius facta vel dicta sanctarum Scripturarum auctoritatibus, eo Spiritu quo vir sanctus abundabat corroborante, confirmantes: ad relationis nostræ propositum redeamus.

Capitvlvm III.

IGitvr beatus Notkerus de pago qui Turgowe dicitur, oriundus fuit. & in vico qui Sacerpagus vocatur Latine, vulgariter vero appellatur Heiligowe/ à nobilissimis progenitoribus procreatus est. Nam de Carolorum genere & sanguine & Saxonum antiquorum: de quibus illo in tempore Imperatores Ottones orti sunt, erat parentum prosapia. Etymologiam vero sui nominis per vices temporum adimplens: cum Apostolo necessarie desiderans esse cum Christo multo melius: Sed tale nomen in tali loco non casu arbitror accidisse, sed Dei dispositione: sine cuius nutu nec plauiæ gutta in terram cadit. Filius enim Dei qui Bethlehem vbi nasceretur, elegerat, Nazareth vbi nutriretur, Ierusalem vbi pateretur, quique loca ipsa nominibus tantis sacramentis conuenientibus voluit appellari: Cuius præfati parentes, cum sæcularis vitæ nobilitate eleganter floridi pollerent, ab ipso matris vtero filium suum Grammaticæ artis flagello subdere deuouerant. Quia vero in Monasterio Sancti Galli septem liberalium artium studium, & regularis vitæ rigorem vel disciplinam florere audierant, Spiritu sancto eis tale desiderium inspirante, vt eundem locum virtutibus tanti viri, ob meritum beati Patroni adornaret, monasticæ eum vitæ ibidem subiicere proposuerant. Processu etiam temporis, postea eorum pene omnis substantia collata est huic Monasterio.

Quem etiam ſub Archimandrita qui tunc loco huic præerat nomine Grimaldo Abbate Canonico, admodum venerabili & ſanctitate honeſto viro, regulariter Domino & Patri Gallo cum oblatione deferentes, atque inibi ſacræ inſtitutionis gratia Spiritus ſancti prælibuto, coma capitis ſub eiuſdem Abbatis regimine depoſita, magiſterio Yſonis omnium artium erudititiſſimo, & maxime diuinarum Scripturarum peritiſſimo imbuendus traditur. Litterali itaque diſciplinæ bonæ indolis puer appoſitus, tanto ingenio quæque docte didicit, vt facile agnoſceretur, non hoc humani ſtudij eſſe capacitatem, ſed diuini Spiritus operationem: Qui ſicut in Regum libro legitur de Dauid, Spiritum ſanctum accipiens infantulus per omne tempus vitæ ſuæ manſit cum eo, & in reliquum. Namque vt eiuſdem Paracliti gratiam in baptiſmate ſuſceperat: Ita à pueritia per omnes ætates in DEI timore immaculatus eonſeruabat. - Præterea ſine quibus homo eſſe non poteſt viuens, nunquam de ſecreto cordis ſui vbi verum Dei templum eſſe debet, eam expulerat. Hic quaſi nouus Daniel, adhuc puer, ſeniorum patrum diſcutiebat facta, ac tanta diſcretione penſabat: Vt quicquid virtutis in eis videret conueniens ætati ſuæ, hoc in abſcondito mentis ſuæ depingens imitaturus recondidit; Si quid aut vitioſum vel reprehenſibile ſenſerat, aut vnde ſibi ſuſpicio naſci poſſet, ſtatim ad ſui ipſius reſpiceret miſeriam. Sciens quia vix eſt homo qui non aliquando excedat, pro rigore magiſterij clauſtralis diſciplinæ, qui ſemper in eodem loco ob cuſtodiam ſanctæ regulæ puerili ætate maximus inerat: Nolens vel audens arguere, ſed cito remouens à ſe, & longe de ſuæ recordationis intentione abiiciens: Erat enim ei in deſiderio magis cœlibem in terris ducere vitam, & fraternam charitatem conſeruare ad omnes, quam oculo ſuſpicionis alere odium nutrimentum detractionis.

CAPITVLVM IV.

SANCTVS vir Dei cum de infantili ſimplicitate proceſſiſſet ad iuuentutis florem, animum tamen ſemper habebat firmum, ad deuotionem propoſiti boni, ſciens ſcriptum: Adoleſcentia & voluptas vana ſunt, plus ſe conuertens in illam ſententiam quæ dicit: *Lætare iuuenis in adoleſcentia tua*: Nunquam eo ſe iocundiorem exhibebat, ſed amplius grauitatis exempla præbebat coæuis: Amoris namque

que flamma sic ardens, & quotidie in oratione mentem afficiens & carnem macerans, per compunctionis lachrymas nihil terrenum nil transitorium quærens, solus sibi vacabat, vt ei qui omnia fecit, mente collecta in vnum adhæreret, & eius desiderio transcendens mundana omnia: Non iam timore pœnarum, non memoria vitiorum, sed dilectionis igne succensus cum odore virtutum. Ita vt merito in sponsæ laude diceretur animæ eius: Quæ est ista quæ ascendit, per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? Itaque iusti viri oratio concepta ex virtutibus intimi amoris: quasi fumus ex aromatibus lachrymas elicere solet, quia dum sola cœlestia postulat, fit plerunque interdum tantæ subtilitatis vis amoris: Vt hanc nec ipse animus comprehendere possit, qui illuminatus haberi meruit: & ideo thuris, myrrhæq; incensum sacrificat: Dum assidue carnis vitia mortificat, & ad Dei visionem, ad quam peruenire medullitus inardescit: seque ipsum in bonis virtutum operibus Deo exhibet, & exercet, ac sic velut pigmentariorum pulueres offertur.

CAPITVLVM V.

HABEBAT vir beatus defectum à pueritia, eo quod tardioris & impeditioris linguæ esset, sed velocissimus erat facundia spiritus. Erant enim in eodem Monasterio tres Notkeri vocabulo nominati viri doctissimi & nobilissimi genere. Sicuti cœnobium sancti Galli ab exordio sui semper habuit nobilissimos filios magnorum terræ Monachos: Horum trium virorum vnus dicebatur Notkerus Physicus, qui & Abbas postea factus, vir multæ scientiæ & prudentiæ magnæ, doctor & pictor valde ingeniosus: cuius gesta habentur in libro casuum Monasterij: In cuius electione cum à senioribus domus præsentaretur Imperatori Ottoni Magno: spreuit nimiam iuuenilem ætatem in homine, timens ruinam domus & disciplinæ, responsum est à Ruperto Decano: Et in hoc errat oppidò discretio Regis: Inter tot vtique Marias optimam partem dudum eligentes, nec vnam quidem Martham quæ sollicita sit, & circa frequens ministerium satagere velit, inuenire potuimus. Ideoq; talibus relictis, ad minorem ætatem descendimus, & optimam mihi crede, si eam digneris suscipere, comperimus. Qui tãdem annuens votis, inue-

 stitum

ſtitum cum ſociis remiſit. Veniens ergo domum ita gratanter & gaudenter receptus eſt: vt cum Tullio meliori quidem ipſe concinnare potuerit metro: O fortunatã Galli me conſule cellam. Erat alter Notkerus qui cognominabatur piperis granum, eo quod fuit valde acris ingenij, homo doctiſſimus, ſtrenuus ac religioſus. Notkerus de quo nobis ſermo eſt, qui cognominabatur Balbulus, voce quidem, ſed ſpiritu eloquentiſſimus. Quod non caſu ei eueniſſe putandum eſt. Sed ſicut beatus Moyſes, ex quo loqui cum eo cœperat Dominus, indoquentem ſe fatebatur: Ita iſte accepta ſancti Spiritus gratia, redditus eſt exterior homo elinguis, vt interior loqueretur plane.

CAPITVLVM VI.

STVDVIT namque vir Deo plenus, vt gratiam collatam ſibi de facili non amitteret, omni cuſtodia muniens cor ſuum: orationi, vigiliis, ieiuniis, abſtinentiæ & patientiæ operam dedit, ac ſubito ſe ipſum tranſcendens, iuxta illud Eſaiæ: *Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit & germinabit Iſraël, & replebunt faciem orbis ſemine.* Omni vero impetu niſus eſt ſternere carnem, ſuperare dæmones, vt perueniret ad eam celſitudinem, qua inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiceret. Ideoque oculum contemplationis per feneſtellam dirigens humilitatis, ad ſupernam ciuitatem Ieruſalem, & ad vniuerſum inibi cœtum filiorum Iſraël: id eſt, videntium Deum, vbi de plenitudine ſedentis in dextra, id eſt, Domini noſtri Ieſu Chriſti acciperet, vnde repleret ſanctam Eccleſiam per latum orbem diffuſam ſemine, id eſt, exemplo, doctrina & laude. Sacros vero ordines, quos adhuc puer ipſe ſuſceperat, ita beatis moribus ornabat, vt ſi ætatis teneritas non repugnaret, altioribus quibuſque ſacramentis coaptari potuiſſet: Cumque puerilem ætatem cum coæuulis ſuis, & earundem virtutum ſuarum æmulis tranſiret, ita ſe eiſdem in omni familiaritate & morum honeſtate coniunxerat, vt in ipſis laudem ſine inuidia, & pares amicos facile inuenias. Ea autem quæ vitioſa iuuenum & lubrica ætas expoſcit, ſicut eſt, diſcurrere, vagari, circuire, laſciuire, ſuperbire, ambire, voluptatibus vti, ſtulta conſortia, inutilia loqui, & alia plura quibus iuuenes aſficiuntur, ita prorſus deteſtatus eſt, vt nunquam extra portas Monaſterij, niſi obedientia coactus pedem poſuiſſet: Et cum firma religio eum id compuliſſet: quaſi fortius pugnaturus, antequam egrederetur, ſigno crucis ſe muniens, veniis per ſingula altaria ſanctorum ſibi cum lachry-

lachrymis expostulans præsidia, prostratus etiam fratrum religiosorum pedibus, ne aliqua sæculari macula, vel delectatione inficeretur, deprecatus est vt orarent: Nam Psalmus vel sancta meditatio foris dum esset, raro aut nunquam defuit: Cætera quæque paruipendit, ista nunquam neglexit: In Monasterio vero nullus eum vnquam de solio surgere vel ambulare, nisi ordinate viderat, nunquam se iuuenum vel sodalium iocis immiscuit, sed ipsis iocantibus, quia extrema gaudij luctus occuparet sæpius preclamauit: Sed nec illius præcepti obliuiosus auditor: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Fuit quidem in omni mansuetudine omnibus subditus: & ad seruiendum promptissimus: etiam Domini sui factus imitator, qui ad filium Regis non iuit, cellæ infirmorum frequentius interesse, quam cum sanis conuersari studuit. Quos blande consolatus, ne ipsam infirmitatem inaniter, sed ad suorum veniam peccatorum prouenisse sperarent, fideliter monuit. Sordes autem & fœtores infirmantium ita familiariter & delectabiliter passus est, quod non fœtoris, sed dulcissimi odoris redolentiam eum sensisse putares.

CAPITVLVM VII.

PRÆPOSITVRAS vero & decanias aut alicuius ordinis officium seu prælationem nunquam concupiuit: Dicens prælationem sæpius superbiam, iactantiam, arrogantiam, discursus & multiloquia comitari, & huic sine crimine interesse, non humanæ virtutis, sed diuinæ donationis fore. Ipsis tamen conpassus, non transgredientes dure aut strenue arguit, sed eos priorem sibi requiem fletibus & precibus exposcere diligentius rogauit. Prælationes enim aliquando ex virtutibus, quandoque etiam ex vitiis ad maiorem ipsorum damnationem occulto Dei iudicio prouenire contestatus est. Mulierum quoque colloquia quasi certos tentatoris laqueos fugit, à forma ipsarum etiam consanguinitatis catena coniunctarum oculos dimouit, dicens cum Psalmista: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.* Castitatis videlicet & cordis mundiciæ tam arduus sectator & amator extitit, prout ipse sæpius ad exemplum cum sociis confabulabatur, vt agni vestigia immaculatus sequi posset: Nunquam præstigiis aliquarum fœminarum dæmonum instinctu imaginationi consensit, vt vllo fornicationis genere se pollueret, sed mentem suam sub tali cautela seruabat, vt iuxta beati Iob exemplum nec quidem cogitaret de vir-

gine: Si quos etiam sermones blesos aut risui aptos proloqui audierat: illis quia de omni verbo otioso reddituri essent rationem, caritatis amator prædixit. Narrando siue laudando viri sanctissimi Notkeri balbuli gesta, laudes sociorum eius minime queo reijcere. Ideoque parcendum est mihi, si necessitate compulsus, plectro linguæ à latere tangam cordam, qua resonent virtutum facta vel dicta dulcissimi viri sodalium laude digna huic operi inserenda.

Capitvlvm VIII.

Cvm beati viri mens micis de magna mensa sanctæ Scripturæ cadentibus saturata, cum sodalibus Raperto & Tütiloneæque Monachis sub Ysone Magistro hoc in tempore litteratissimo, artium liberalium subtilitates, non pro gloria seu fauore sæculari, sed pro vtilitate sanctæ Dei Ecclesiæ admodum satis edocta esset, & in diuinis non mediocriter prælibata adepta fuisset, tamen cupiens amplius imbui, postulans in fide, nihil hæsitans Spiritum sanctum, qui eum ab infantia repleuerat, qui vbi vult spirat, vt eius desiderium compleat. Nam sicut terræ arenti serotinum imbrem, quo infundatur, vt germinet, mittit: Ita mox quendam Episcopum Scottigenam nomine Marcum Dominus misit ad cellam sancti Galli: Qui rediens à Roma repatriare volens, Gallum tanquam compatriotam suum visitat: Cui comitabatur filius sororis Mœngal nomine: postea à nostris Marcellus diminutiue à Marco auunculo eius est vocatus: Hic erat in diuinis & humanis scripturis eruditissimus, cuius doctrinis beati viri Notkeri sitibundum cor infusum refocillatum est. Cumque à fratribus honorifice sicut Episcopum decuit susciperentur, cognita beatus vir Notkerus scientia supradicti Marcelli, cucurrit subito ac preces Domino fudit, obnoxius cum lachrymis orauit, vt eis voluntatem ibi morandi ob meritum sancti Galli daret, petiit: Qui statim exauditus est. Itaque tantum desiderium loci & regularis vitæ, vtrumque Spiritus sancti gratia id operante cœperat, vt si abire etiam cogerentur, ipsi quantum viribus præualerent, stare repugnarent. Quid plura? Rogatur Episcopus cum sociis loco nostro aliquandiu stare allecto nepote, diuque secum deliberantes, tamen tandem consensit remanere Episcopus cum nepote, & paucis suæ linguæ apparitoribus. Cæteris igitur repatriantibus stola indutus abeuntes benedixit, & multis lachrymis vtrinque discessum

ſum eſt. Traduntur poſt breue tempus Marcello ſcholæ clauſtri cum beato Notkero balbulo & cæteris Monachici habitus pueris. Exteriores vero, id eſt Canonicæ Yſoni cum Salomone & eius comparibus: Iſte Salomon quis vel qualis fuerit in ſequentibus dicemus. Marcello vero præſidente, mentes diſcipulorum Notkeri, Raperti, Tütilonis aliorumque, ſeptem liberalium artium ſcientia ad plene imbuit: Muſicæ autem iocundiſſimæ arti, diligentius hi tres præ cæteris animum appoſuerunt, ſed præ omnibus ſanctus Notkerus: Quæ cum cæteris artibus ſit naturalior, & quamuis difficilius apprehenſa, vſu quidem ſit commodior ac ſuauior, tantum in ea demum præualuerāt, quantum in ſingularum operibus quæ iam ante tetigimus aliarum ſex artium, ſcilicet: Tres iſti diſcipuli Marcelli, Notkerus balbulus, Rapertus, Tütilo. Ita vnanimes in omni familiaritate, virtutum honeſtate, & morum conuerſatione erant, vt eſſet eis cor vnum, & anima vna eſſet. Indiuidui in amore fraternæ charitatis, & ſicut mater vnicum filium, ita amabiles in vita ſua dilexerunt ſe, & cum morte ſint ſeparati, in regno tamen Chriſti in vnum ſunt congregati, & quamuis votis eſſent vnicordes in fraterna caritate, natura tamen vt fit, erant diſſimiles: Quantum autem vir Domini Notkerus cum ſociis in arte Muſica profecerit, ſubſequentia declarabunt.

CAPITVLVM IX.

DVM more ſapientiſſimi Salomonis ſecundum inſtitutum Regis Dauid patris eius in domo Domini propter compunctiones Muſicæ dulcedinis beatus Papa Gregorius, vt ſcribit de eo Ioannes ſedis Romanæ Archidiaconus, antiphonarium centonem ſtudioſiſſimus nimis vtiliter compilaſſet, Scholam etiam cantorum, quæ hactenus eiſdem inſtitutionibus in ſancta Romana Eccleſia modulatur conſtituit: Huius ergo modulationis dulcedinem inter alias Europæ gentes, Germani ſeu Galli ſiue Alemanni, diſcere crebroq; rediſcere potuerunt: Incorruptam vero tam leuitate animi, qua nonnulla de proprio Gregorianis cantibus miſcuerunt, quam feritate quoque naturali minime ſeruauêre. Alpina ſiquidem corpora vocum ſuarum tonitruis altiſone perſtrepentia, ſuſceptæ modulationis dulcedinem proprie non reſultant. Quia bibuli gutturis barbara groſſitas, dum inflexionibus & repercuſſionibus & diaphoniarũ diphthongis mitem nititur edere cantilenam, naturali quodā fragore quaſi plau-

plaustra per gradus confuse sonantia rigidas voces iactat: Sicque audientium animos quos mulcere debuerant tales, exasperando magis ac obstrependo conturbant: Eiusmodi gens si forsan desunt bona naturalia, vel si nolunt aut non possunt bonum modum adipisci, statim despiciunt, & incidunt in illam sententiam: Stulti contemnunt sapientiæ doctrinam, & cum sint incompositi moribus, & incompta voce, magistri tamen & rectores propter alicuius quem arrogant sibi religionis intuitum volunt videri, & solummodo ipsi non percipiunt: verum etiam alios impediunt, vt non percipiant modulaminis dulcedinem & intellectus. Hinc est quod huius Gregorij tempore cum Augustino tunc Britanniam adeunte, per Occidentem quoque Romanæ institutionis cantores dispersi, barbaros insigniter docuerunt. Quibus defunctis, Occidentales Ecclesiæ subito susceptum modulationis organum vitiarunt. Iterum Ioannes quidam Romanus cantor cum Theodoro æque Romano, sed Eboraci Archiepiscopo per Gallias in Britannias à Vitaliano Papa destinatur. Qui Ioannes circumquaque positarum Ecclesiarum filios ad pristinam cantilenæ dulcedinem reuocans, tam per se quam per suos discipulos, multis annis Romanæ doctrinæ regulam seruauerunt, sed his defunctis statim deuiauerunt. Hic est ille Vitalianus Præsul, cuius adhuc cantum quando Apostolicus celebrat, quidam qui dicuntur Vitaliani, solent edere in præsentia eius.

CAPITVLVM X.

INTEREA Carolus qui dicebatur Magnus, Rex Francorum, cum esset Romæ, offensus dissonantia Romani & Gallicani cantus, cum Gallorum procacitas à quibusdam nostratibus næniis argumentaretur esse corruptum, nostrique è diuerso authenticum antiphonarium probabiliter ostentarent, interrogasse fertur, quis inter riuum & fontem limpidiorem aquam conseruare solet? Respondentibus fontem, prudenter adiecit: Ergo & nos qui de riuo corruptam lympham hactenus bibimus, ad perennis fontis necesse est fluenta principalia requiramus. Mox itaque duos suorum industrios Clericos Adriano Papæ dereliquit: His quidem satis eleganter eruditis, Metensem Ecclesiam ad suauitatem modulationis pristinæ reuocauit, per quam totam Galliam correxit. Sed cum post aliqua tempora, defunctis his, qui Romæ educati fu rant, cantum Gallicanarum Ecclesiarum a Metensi

ten si discrepare prudentissimus Regum vidisset, ac vnumquenque ab alterutro vitiatum cantum iactantē aduerteret: Iterum inquit redeamus ad fontem. Fuit interim in maximo desiderio Prelatis sancti Galli & beato Notkero aliisq; magistris ibi degentibus, vt cantum secundum authenticum antiphonarium regerent, & melodias Romano more tenerent. Qualiter autem ista prosecuti sunt, intimare curauimus posteris. Mittens ergo denuò Imperator Carolus Romam, ad Adrianum Papam, rogat, vt ei iterum mittat duos Romanos cantuum gnaros in Franciam. Tunc Papa regiis precibus annuens, iuxta petitionem suam secundo duos mittit, cum authenticis antiphonariis, & septem liberalibus artibus: quorum Imperator omnes quidem corripuisse dulcedinem Romani cantus, leuitate quadam cognouit. Vocabatur vnus eorum Petrus, & alter Romanus, cantuum & septem liberalium artium admodum paginis satis imbuti. Metensem Ecclesiam vt priores adibant. Qui cum in septimo lacuque Cumano aëre Romanis contrario quaterentur, Romanus febre correptus, vix ad nos vsq; peruenire potuit. Antiphonarium vero secum Petro renitente, vellet nollet, cum duos haberent, vnum sancto Gallo attulit. In breui autem tempore, Domino se iuuante, conualuit Romanus de febre. Petrus quidem pergit ad Imperatorem, qui comperto de Romano, mittit celerem nuncium, qui eum si conualesceret, nobiscum stare nosque instruere iuberet. Quod ille quidem patrum hospitalitati regratiando libentissime fecit. Deinde nuntius subintulit verba Caroli ad congregationem. Quatuor, inquiens, mercedes vos sancti domini in me vno acquisistis. Hospes erat, & in me eum collegistis. Infirmus, & visitastis. Esuriuit, & dedistis mihi in eo manducare. Sitiuit, & dedistis mihi in eo bibere. Deinde vterque fama volante studium alter alterius cum audisset, æmulabantur, pro laude & gloria, naturali gentis suæ more, vter alterum transcenderet. Memoria dignum est quantum hac æmulatione vterque locus profecerit, & non solum in cantu, sed & in cæteris doctrinis excreuerit. Fecerat quidem Petrus ibi iubilos ad sequentias, quas Metenses vocant. Romanus vero econtra Romanè & amænè de suo nobis iubilos modulaueraț: Quos vtique post, sanctus vir Notkerus quibus videmus verbis ligabat, frigdore videlicet & occidentane, quas sic nominabat, quibus animatus etiam ipse de suo cogitauit. Romanus autem quasi nostra præ Metensibus extollere, fas fuerit, Romanæ sedis honorem sancti Galli cœnobio, siquidem ita inferre curauit. Erat Romæ instrumen-

tum quoddam, & theca ad antiphonarij authentici publicam omnibus aduentantibus inſpectionem repoſituram, quod à cantu dicebatur cantarium. Tale namque ipſe apud nos ad inſtar illius, circa aram Apoſtolorum cum authentico locari fecit, quem ipſe attulit exemplato antiphonario: In quo vſque hodie in cantu ſi quid diſſentitur, quaſi in ſpeculo error eiuſmodi vniuerſus peruidetur atque corrigitur. In ipſo quoque primus ille literas Alphabeti ſignificatiuas notulis quibus viſum eſt, ſurſum aut deorſum, ante aut retro aſſignare excogitauit. Quas poſtea cuidam Lamperto amicè quærenti beatus Notkerus balbulus dilucidauit: Cum & Martianus quem de nuptiis miramur, virtutes earum ſcribere molitus ſit: Abinde ſumpſit exordium tota fere Europa, & maxime Germania ſiue Teutonia ſecundum modum & formam, ſicut in Monaſterio ſancti Galli viri peritiſſimi ediderunt, beatus Notkerus balbulus & Romanus, cæterique magiſtri correxerunt iuxta exemplum authentici antiphonarij Gregorij, elegit cantare, & hunc ritum modulandi ſeruare, quem etiam omnes vſum appellauerunt. Hos itaque ſupradictos viros ſecutus Berno Monachus ſancti Galli, poſtea Abbas Augenſis, ſuper hunc vſum ſummam valde ſubtilem ſcribit ad Epiſcopum Peregrinũ Colonienſem.

CAPITVLVM XI.

QVANTVM cella ſancti Galli in hoc tempore virtutum auſpiciis ob merita inhabitantium ſpiritualibuſque diſciplinis augeri cœperit, tandemque floruerit, memorari iocundum eſt. Erat enim Senatus reipublicæ loci illius tunc quidem ſanctiſſimus, vt Adelbero Auguſtenſis Eccleſię Antiſtes teſtatur. Qui beatus Præſul ſigna & virtutes ſancti Galli à pluribus audiens: locum in die feſtiuitatis eius orandi gratia adiit, & præſens plura conſpiciens: Maior eſt, inquit, gratia loci huius, quam rumor quem audiui. Igitur domum rediens, interrogatus inter cætera aliquando à ſuis, eſſet ne nobiſcum vt fama vulgauit religio cum doctrina, ſeueritas cum diſciplina? Cæteri (inquit) quid ſentiant neſcio, quid mihi animo eſt pronuncio. Vnum ego ſanctum & hunc defunctum quæſiui: viuos autem vt vere fratres fatear ſanctiſſimos inueni. Doctrinam vero illorum & diſciplinam, in virtutum eorum operibus videre eſt. Delectat me enim talium memorari, quoſquidem vt iterum videam vix exſpecto: Oportet vt omnibus modis meis me iuuantibus præparem, quatenus ad pro-

proximum sancti Galli diem viros DEI visitem, frater illorum conscriptus fiam, & quantum mihi gratiæ est, charitatem illorum regratier: Venerat Dei electus vt spoponderat, & magnis donis fratres & familias exhilarauit.

CAPITVLVM XII.

EODEM modo accidit etiam Petrum Veronensem Episcopum inopinatum venire: Hunc ergo fratres suscipientes, quod melius quidem habebant Euangelium ei offerebant. At ille arbitratus se despici, quoniam famam loci magnam audierat, de vilitate secum fluctuabat libri: Ad Missas argenti calix proponitur, quo etiam melior habetur: de quo etiam .... sinistrum trutinat. Cumque prandio sumptuoso pasceretur, surgens à mensa fratrum petit alloquium: Quibus collectis: bene, ait, domini mecum egistis, & vt audiuimus sic vidimus, sed pro Euangelio & calice vilibus propositis manet scrupulum: Quamuis sim indignus ac vilis: non tamen vilis loci dicor Episcopus: Constanter nobis protestantibus meliora non esse sancto Gallo, spiritus hominis quieuit. Sumens tandem quosdam fratrum in partem secreto, locutus est eis: Mittite (inquit) post me Veronam, sex quos habetis fidissimos viatores, qui bini & bini per tres vias quæ hinc illo ducunt, mihi adueniant, singillatim tamen se mihi bini & bini ostendant, ac pollice in manum recuruo eleemosynam petant. Quos ego vt alios soleo in penetral meum: solus solos coram meis inducam & vestiam, aurum autem cuius æquipondium vobis do, cruribus eorum fasciolis circumligabo, & dimittam eos, vt ad vos eodem artificio quo venerant, fortuna comite redeant: Factum est, vt largitor acutus docuit: allatum est sancto Gallo & fratribus eius graue pondus auri Veronensis, & concordat pondus æquipondio. Quid ergo? De auro Petri fit calix, fit capsa, fit cauea Euangelij, omnia pretiosissimis gemmis ornata.

CAPITVLVM XIII.

SIMILI modo Landeolus vir sanctus Daruiensis Episcopus: hic Sueuus & nobilis erat, & apud sanctum Gallum educatus & doctus: Qui etiam multa dona contulit cœnobio eius & fratribus. Igitur Episcopus factus: Romam sæpius adire solebat, sed tandem aliquando

rediens à Roma, Gallum ſuum & fratres viſitare cupiens: Italici aëris vitio febre correptus, vix ad nos vſque peruenire præualens: Qui ſciens ſuperueniſſe ſibi vitæ præſentis finem, vocatis ad ſe Abbate ac fratribus coram eis diem vltimum clauſit, ac nobili obitu tranſiit, & cum omni honore in Eccleſia ſancti Petri corpus eius humatum. Ad cuius tumbam ſæpe infirmi, meritis ipſius ſanitatem adepti ſunt. Hæc ſint pro gloria domus ſcripta, in qua tales ſancti habitabant, quos venerint ab Oriente & Occidente æmulari Pontifices regionum & principes terrarum, ſed ad propoſitum reuertamur.

Capitvlvm XIV.

Scriptvm eſt. Theſaurus occultus & ſapientia abſcondita, quæ vtilitas in vtriſque? Sanctitas viri perfecti ignota ſic eſt, quaſi Sol in nocte ſub nube, nulli lucet. Ideo veritatis voce docemur, vt lumen ſanctitatis non ſub modio, ſed ſuper candelabrum ſiſtamus, vt omnibus qui in domo ſunt, rutilet, & ciuitas ſupra montem poſita non obnubiletur latebris ignorantiæ. Licet ſigna nõ ſint fidelium, ſed infidelium, tamen Chriſtus Dei filius dilectum famulum ſuum Notkerum, prophetiæ ſpiritu coronauit, per quem ſignis quam plurimis, vt ſancti viri bonitas innoteſceret mirabiliter donauit. Enimuero in Spiritu Dei, multa bonis & malis aut fortunia prædixit aut infortunia: Nam his qui vt Apoſtolus Paulus ait Spiritu Dei aguntur, data eſt poteſtas filios Dei fieri, ſicut Ioannes aſſerit: Tales etiam aliquando ſigna ex poteſtate faciunt, velut Petrus qui Tabitam ſuſcitans orando mortuam: Ananiam vero & Saphyram increpando morti tradidit: Ita beatus iſte, vnum ſuperbe diſquirendo puniens deiecit: Alterum per fatuam ſtultitiam in mortem lapſum, à pœnis inferni, precibus ad perpetuam vitam reuocauit, de quo in ſequentibus dicemus. Carolus magnus Imperator qui multis bonis ditauerat locum ſancti Galli. Ipſe Rex per ſe hebdomada ſancti Othmari propoſitor & pincerna fuit. Eo ergo tempore vt more ſolito ſæpius ibi conmanebat, fratres lætificaturus ad prædictum Monaſterium venit, & per triduum ibidem caritatiue moratus, profundiſſimis Scripturarum quæſtionibus apud ſanctum virum Notkerum nepotem ſuum ſe exercitauit. Quem quidam Cappellanus ſuus elatæ mentis comitatus eſt. Sed Deus qui arrogantes deponit, mitibus autem dat gratiam, in hoc oſtendit quantum ſit iuſtos deſpicere, eos odiſſe, quod proprie eſt ſancti Spiritus blaſphe-

blaſphemia quæ nec hic remittitur neque in futuro, virtutibus eorum detrahere. Is ergo cum audiſſet Regem ſe interrogando & quærendo exercere: ipſumque dulciſſimis ſancti patris Notkeri reſponſionibus certificatum, inſufflauit Sathanas in cor eius, vt ſapientiæ, iuſtitiæ, & humilitati ſancti viri inuidens, ſicut ſemper ſuperbi humilibus aduerſantur, cœperit alludere, torquere & contemnere. Et cum per Eccleſiam ſecum hæc omnia cogitando vellet tranſire, virum Dei pſalterio vt ſolebat aſſidentem præteriens conſpexit: Agnitoque quod is eſſet, qui Imperatori Carolo plura quærenti pridie, quæſita reſolueret, comitantibus ait: Ecce inquam iſte eſt quo neminem in regno Caroli aiunt eſſe doctiorem: Sed ſi vultis ego illum tam præcellentiſſime doctum ad irriſionem vobis tentabo, & quod tantæ famæ vir ſoluere omnino neſciat, interrogabo. Illis vero vt hoc faceret curioſe rogantibus, accedunt pariter & ſalutant eum. Humilis ille aſſurgens ipſorum aduentum miratus, quid petant an quid velint requirit: At hic infelix, de quo præfati ſumus: Scimus, inquit, homo doctiſſime omnium artium profunditates te ex ſtudio ſcire, cœleſtia vero ſecreta ex ſanctæ vitæ contemplatione omnia noſſe. Quid autem nunc iam Deus in cœlis faciat ſi noſti, à te cupimus audire: Tunc ſanctus promiſſionibus Domini certus dicentis: Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: Spiritu ſancto per os eius reſpondente. Scio, inquit, ſcio & optime ſcio. Nunc enim facit, quod ſemper facit, vtique & tibi quam mox in breui facturus eſt: exaltat humiles, & humiliat ſuperbos: Quod ſanctum virum non voto maledicentis aut vindictæ dixiſſe, ſed officio prophetantis, ipſe propheticus ſpiritus, qui maliuolam animam non ingreditur probat: Abibat tentator ille & irriſor, à ſuis magis irriſus, paruipendens quid ſibi futurum prædixiſſet. Quid plura? Sonant continue campanæ ad concurſum & laudes Cæſaris receſſuri: Arripit ille infelix futurus labarum ſuum: eo die ordines ſui dominum antecedendi, & equo ſuperbe inuectus, ante portam ciuitatis offendens cecidit, & miſere in facie colliſus, crus confregit, committitur nouo Abbati nomine Bernhardo procurandus: Mox accurrunt fratres, proſtratum ſubleuant, clauſtro inferunt, diuerſis fomentis, vt crus eius coaguletur, atq; vt vniretur laborant. Sed cum nihil ſuas artes profeciſſe viderent, comperto tandem fratres beati viri Notkeri præſagium: hortantur vt viri Dei ſe inuiſere dignetur abſolutionem, & tanti patris benedictionem ſibi petere non negligat: Quod cum ille vt ſemper peruerſæ mentis fuit, deſpectiue de Notkero audiens, nihil ſibi mali eiuſ-

eiusdem patris vaticinio contigisse proclamaret, coagulari illa fractura nullis fomentis, nullis adunari valuit ligamentis. Cum ergo continuo dolore diu cruciaretur, tandem in se reuersus, recogitabat, qualiter tentauerit virum Dei, media quadam nocte supplicat fratres, vt famulum Dei ad se venire, & benedictionem ei impositurum deprecarentur: Qui statim iussa complentes, concite sanctum Dei accersierunt, miserati suam passionem & clamores. At ille veniens, quid velit inquirit: Tunc ille, pater sancte peccaui in Deum & in te, tentando te: Rogo ergo ignosce mihi, & tange crus meum, & spero sanari. Qui cum crus contrectasset, confestim conbullire sensit illud, ac subito coagulatum & vnitum est, ita vt ipse infirmus paucis diebus pristinæ sanitati restitueretur meritis sancti viri: & verbis eius correptus, ne amplius superbiret, quomodo Deus superbos humiliaret: humiliatus autem mente & corpore, seuere didicit de cætero humilia sentire, sanatus ad sua cum gaudio remeauit.

CAPITVLVM XV.

TEMPORIBVS prædicti Grimaldi Canonici Abbatis, & Harmoti eius Conabbatis, Salomonis parentes cum essent clari & illustres, ipsum Ysoni sancti Galli Monacho tunc temporis doctori nominatissimo tradunt erudiendum, & Clericatui initiandum. Quem adprime, vt aiunt, ipse erudierat, sed & Notkeri balbuli, Raperti, Tütilonis & Hartmanni Commonachorum statui prætulerat, & delicatius quasi Canonicum educauerat. Creuerant inde clandestinæ inter summæ indolis condiscipulos inuidiæ, & cum conliberales essent genere & ingenio, vt ea ætas solet, æquanimiter non ferebant alienum sibi qui fratres forent præferri: & qui natalibus essent pares, doctrinarum profectibus ab illo præiri. Defunguntur Salomonis adhuc parentes pueri, & ipse hæres effectus, scholisque ablatus iam adolescens petiit frater fieri cōscriptus, quod & consecutus est. Grimaldus Abbas qui erat Archicapellanus cum sibi suffecerat, & eo iuuante fit Archicapellanus Ludouici pij Imperatoris: cuius singulari gratia potitus in breui, vt adhuc Canonicus primo Eleuwangis, post etiam Campidonensibus præficeretur. Tandem Hattone Archiepiscopo Maguntino fauente pluribus locis Abbas præponitur: Locum vero S. Galli præ omnibus diligebat, vnde tradidit de prædiis suis, vt mansio ei fieret, dum crebro ab aula veniens Abbati & familiæ

militiæ non esset onerosus. Claustrum enim quia potens erat absque duce, & quod magis confusionis tunc erat & est, lineus diatim introiit, propter quod ab æmulis suis murmura surgunt ipso ignaro. Nam cum vni pellitium vellet dare, pellitium (ait ille) tuum optime appretiabor, duas cucullas habeo, quarum tibi vnam, vt claustrum eo decentius nobiscum in ea introëas, induendam contrado. Et ille: Eya (inquit) hæc vtique Tütilo & Rapertus, vel alij inuidi mei in ore tuo posuerant: Recessit homo artificiosus ratione simplicis quasi deuictus, reputans hominem tanti meriti non nisi in Spiritu Dei sibi talia prolocutum, & deinceps abstinuit absque aliquo patrum, vt moris est præduce, claustrum introire manifeste. Itaque ingreditur clam penetralia claustri nostri bonus fur noctibus nudipes, cappa quidem vti fratrum vnus putaretur indutus. Senserant illum prædicti sex sodales, Notkerus, Rapertus & Tutilo, sed sanctam fraudem texerant. Nimis (aiunt) insolens est præter Monachi habitum quemquam intrare intima nostra, maxime noctibus. Initur consilium, & constituuntur duo vigiles, qui obseruent incessum eius. Ingreditur iterum ille sicut fur in nocte. Senserat hunc Rutkerus senior qui præuenerat vigilias matutinas, stans in oratione: Cumq; vidisset hominem in tenebris nesciens quis esset, sed agnitus est cum vigiles approperant cum lumine. Rursum pater ille: Per S. Galli (inquit) meritum, sic enim Patres iurabant: Hunc in claustro eius, his horis non patimur habitum. Tremefactus autem ille ab non ignari hominis verbis, nam eum semper præ oculis habebat, & sibi in his, quæ ad Deum fuerant, ducem & custodem elegerat. Patere me, ait, Pater reuerende oratorium sancti Petri ingredi, ibi postquam orauero, numquam nisi vt lex loci habet claustrum intrabo. Te vero iuuante & fratribus, cras precari Abbatem est animo, vt Monachico habitu mihi liceat claustrum egredi & ingredi, deforis autem coram militibus meis & cæteris Canonico, vt soleo, indumento versari; Imo (ait) senior: Sanctus Gallus in cor mittat, vt si semel eo induaris, nunquam quoad vixeris, nisi solito more Monachis tempore exuaris. Panditur animus hominis & petitio Abbati, Rudkero astipulante. Erant tunc in re publica nostra senatores sancti viri & prudentes, qui consuluntur: Hartmannus consilio magnus, qui letaniam Sanctus humili prece texuit, & melodiam fecerat, Notkerus balbulus qui Sequentias, Ratpertus qui letaniam, Ardua spes mundi: Tutilo qui tropos, hodie cantãdos, & pluraq; alia dictauerat, Fuerunt & alij Cœnobitæ S. Galli viri doctissimi & sanctæ religionis: Hart-

Iuramentum antiquorum Patrum sancti Galli.

Hartmannus iunior & Waltrannus aliique quam plures sancti viri, quorum melodiæ ipsi quales fuerint non celant: opera enim illorum multa per Ecclesiam clara extant. Qui omnes ab Abbate loqui iussi sunt. Regula nostra (ait Hartmannus,) non similitudinem Monachi, sed Monachum quærit. Notkerus (ait) prætexta hæc qua super indui desiderat, si togam præcederet, non vtique displiceret. Ratpertus (dixit) aut hæc in nostros fabricata est machina muros, aut aliquis hic latet error. Tūtilo (inquit) fraternam societatem ei plene concessimus, hanc ei quantum in me est, mi Abba, non denego. Si autem lupum ouino vellere quærit induere, per alios quam mei consensum perficiet: Audiens Bernhardus Abbas quid suspicarentur in homine: Scio (inquit) filij quid ab illo vereamini, sed existimo melius actum fore nobiscum, si apud nos initiatus Monachum se aliquando nostrum faciat, & habitum à sancto Gallo sumat, ne si arte acciderit quod veremur, vt iterum Canonico subdamur, noster tamen sit frater & Monachus. Mittitur ad illum Rudkerus cum aliis quibusdam rem suasurus: In processu temporis, Deo dante, pollicetur facere quod consulitur, tamen interim propter claustri reuerentiam, talis sibi habitus rogat sit licitus. Variis hinc inde fratrum tractatibus vix tandem conceditur: Designatur ei locus, vbi intrans habitum indueret, exiens exueret: Aliquando postea veniens ab aula: Inter cætera de muneribus Regis Arnolphi, quæ sancto Gallo se daturum ait: Etiam munus valde gloriosum attulit: capsam solide auream, gemmis regaliter inclitam, reliquiis summis refertam, in modum Capellæ formatam, cui simile quidem nihil vnquam vidimus, cuius superscriptio sic est:

En crucis atque piæ cum sanctis capsa Mariæ.
Hanc Carolus summam delegit habere capellam.

Suadet iterum Rudkerus homini non aurum, sed ipsum Gallo suo offerre, & se Monachum eius verum tandem perficere. Factum est, vt magni consilij Angelus hortatus est. Regi datori Arnolpho postquam votum aperuit suum, capsam illam suspendens collo, tunica Monachi & cuculla indutus, aram sancti Galli Bernhardo Abbate annuente nudipes adiit, peccata deflens, sæculo renūcians, sancti Galli Monachum se profitetur. Quem etiam Abbas tanquam de palatio Monachum delicatius tractauit, ac præ cæteris habuit. Post modicum tempus consiliis hominis carere non posse, re publica tota personante: Abbatis sui permisso, Rex eundem Salomonem iterum in aulam assumpsit, & priorum honore statuit: tandem quoque & auxit. Nam

Verbum aureum.

Augen-

Augensem Abbatiam ei tradidit, Bernhardo per consilium Hattonis Abbatia resignata, idem Salomon substituitur, & locum sancti Galli suscepit regendum, quem præ omnibus locis postea apud Deum & homines amplificare curauit, in thesauris, in ornamentis ex auro & argento, gemmisque pretiosis, & sanctorum reliquiis, & substantia magna. Cum vero annum & dimidium loco sancti Galli præfuisset, tandem Constantiæ est prælatus, & Dei factus pastor & Episcopus: Erat enim homo fortunatus, prudens consilio, & eloquens valdeque liberalis. Aiunt enim cum præsulatu duodecim Abbatias rexisse. Sic quoque ipse & Hatto Magontinus Archiepiscopus Monachus & Abbas Fuldensis, vterque duodecim Abbatiis præfuit. Insuper prouisores regni erant, post Regem imperium tenuerant. Idem Salomon à Roma Constantiæ attulit, Pelagium Martyrem, & vt putatur à Perusio, & Constantium Episcopum & Martyrem, quibus sarcophagus miro artificio auro & gemmis & ebore: aliaq; plura in honore sanctæ Mariæ, nec non & Galli vnici sui, cruces, vasaq; diuersa, vestes varias, omnia per manus Tütilonis comparauit: sic scribere iubens in aliquibus æuo longiori duraturis: Versus,

Tertius hic hagiæ, Salomon dat dona Mariæ:
Tertius hic almo, Salomon dat munera Gallo.

Qui plura eius gesta desiderat nosse, librum qui de casibus Monasterij scriptus est, legat.

Capitvlvm XVI.

EO tempore Cunradus tunc Romanorum Rex natale Domini Constantiæ egit: Ipsa die post mensam cum Episcopus ei processiones vespertinas tridui apud sanctum Gallum laudaret, Rex ait: O vtinam ibi essemus: Et quare illuc, anime mi, matutini non ibimus? Parantur continuo naues, quibus mane conscensis cum Episcopis, & cætero comitatu, Rex littus nostrum attigit meridianus, & sancto Gallo appropians nouis laudibus dictatis, in loco gloriosus susceptus est, tribusque noctibus cum omni hilaritate, loco immoratus, quarto die abscessit: Longum est dicere quibus iocunditatibus dies exegerit & noctes, admirans senes cum iunioribus, qualiter sicut Angeli in choro, in omnibus gestis & disciplinis incederent: & maxime in processione infantum, quibus poma in medio Ecclesiæ pauimento antesterni iubens, cum neque vnum paruissimorum moueri nec ad ea attendere

iestatis præsentiam. Finito conuiuio Rex discedit, vespertinus, fratrum suorum lachrymosis laudibus prosecutus, quibus si viuere liceret, benefacturum promiserat: Valedicens ergo fratribus, abiit & commendans se orationibus eorum, venit cum Episcopo Constantiam.

CAPITVLVM XVII.

AGENTE eodem Imperatore Cunrado pascha apud Maguntinam ciuitatem: Sancti Galli Monacho scholas inibi regente & procurante, etiam cantoris officium est, vt solitum est, in medio chori imponens, crebro coronatus, & infulatus, adornatusq; pretiosissimis indumentis: Cumq; manum ille ad modulos sequentię pangendos rite leuasset, tres Episcopi hominis quondam discipuli, Imperatori suo in throno proximi: Ibimus (aiunt) domine Rex, & magistrũ in eo quod ipse nos docuit iuuabimus: Illo hoc gratum fore dicente: Descendentes vestiti pontificalibus sociantur sancti Galli Monacho, inclinantes inclinato, opus Dei quod docuit, reuerenter cum eo perficiunt: Flebat homo cum gaudio, gratias referens sancto Gallo: Post Missas peractas vix ille coactus pedes imperij, vt moris est petere, auri vncias in eis positas sustulit. Ad Imperatricem vero ridente Imperatore per vim tractus, & ibi aurum eius sumpsit è pedibus. Mathilda quoq; soror eius annulum ei in digitum vellet nollet inseruit: Hæç idirco enarraui, vt honorem doctrinæ & disciplinæ, sicut à Spiritu S. beatus vir Notkerus in secreto cordis sui contemplando didicerat, ad efficationem audientium proponerem. Nam eãdem disciplinam Angelicam Deus dedit viro sancto & sociis suis per Spiritum S. suum docere Ecclesiam suam, in iubilis sequentiarum agendam. Ideo vt reor, vt per intuitum Angelicarum disciplinarum oriatur hominibus mentis deuotio, & dilatato corde, mens seipsam transcendat & spiritalior fiat. Heliseus Propheta, sicut liber Regum narrat, requisitus de verbo Domini, cum se sensisset Spiritum prophetiæ tunc temporis non habere, fecit sibi psalten adducere, quo psallente statim Spiritum propheticum hausit. Solet namque vt plures nouimus, dulcis harmonia cor exhilarare, & ei sua gaudia ad memoriam reuocare, & quo vniuscuiusque animum suus amor arctius afficit, eo profundius audita harmonia exteriori affectu tangit, & interiorem illam spiritalem harmoniam ad memoriam reducit, vt audita melodia, audientis animum ad assueta gaudia suffulciat atque leuet. Psallente itaque seu laudando viam Domino paramus, qua ad nos miris quibusdam mysteriorum

suorum reuelationibus venire desiderat, quando ex magno cordis tripudio in diuina præconia iubilamus, & in gratiarum actionem assurgentes ex intimis visceribus medullitus in Dei laudes sincero mentis amore, cum magno cordis clamore reboamus. In tali igitur psalmodia, spiritalique harmonia, anima contemplatiua, spiritalibus theoriis assueta, incipit tripudiari & præ gaudij nimietate suo quodam modo gestire, ac spiritales quosdam, & sui generis saltus dare, & se à terra terrenisque omnibus suspendere, & ad cœlestium contemplationem, tota mentis alienatione transcendere. Tali etenim doctrina repleuerat Spiritus sanctus, vas sibi electum beatum Notkerum. Sequentias quas idem pater sanctus fecerat, destinauit per baiulum vrbis Romæ Papæ Nicolao & Luitwardo Vercellensi Episcopo, tunc temporis Caroli magni Imperatoris Archicancellario. Qui venerandus Apostolicæ sedis Pontifex, ea quæ vir sanctus Spiritu sancto annuente dictauerat, sanciuit: atque sanctæ Ecclesiæ Christi per mundi climata in laudem Dei colenda instituit, & non solum ea quæ beatus vir Notkerus dictauerat, verum etiam ea quæ socij & fratres eius, in eodem Monasterio sancti Galli composuerant, omnia canonizauit, videlicet hymnos, sequentias, tropos, letanias omnesque cantilenas, rythmatice, metrice, vel prosaice quas fecerant, & disciplinas quas docuerunt, totum authenticauit, ac diuulgauit in laudem sanctæ Trinitatis & beatæ Mariæ omniumque sanctorum sanctæ matri Ecclesiæ: Quoties in oratione verba superant affectum, fit multiloquium, in quo peccatum non deerit. Neque prece tali exaudiuntur homines à Deo, quasi cum pluribus verbis conentur inflectere. Neque conciliat eum multiplex sermo orantis, sed pura sinceraque orationis intentio. Si autem tristitiæ fuerit oratio, vlulatus dicitur, si vero gaudij, iubilus, tunc neque verbis quidem exprimi, neque prorsus valet sileri. Ideoq; vir sanctus, quia habuit defectum linguæ, nitebatur semper corde orare. Insuper sciebat etiam bonum esse & sono vocis Deum hymnis & canticis spiritualibus glorificare. Modicum aiebat prodesse sono vocis canere sine cordis deuota intentione. Sed sicut ait Apostolus: Cantantes in cordibus vestris Deo: hoc est, non solum voce, verum etiam corde psallentes, vnde & alibi dicit: Psallam spiritu, psallam & mente. Sicut ergo orationibus regimur & docemur, vt deuoti simus Deo, & stabiles in virtutibus: Ita Psalmorum studiis delectamur ineffabilia æterna. Psallendi enim vtilitas tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, studiosos oblectat, mentes exuscitat, peccatores ad lamenta

menta inuitat, mundiora reddit hominis interiora, & promptiorem ad pietatis opera. Nam quamuis dura sint carnalium corda, statim vt dulcedo insonuerit ad effectum clementiæ animum eorum inflectit. Itaque dum Christianum non vocis modulatio, sed tantum verba diuina debeant commouere, nescio quo tamen pacto, quandoque modulatione canentis, maior nascitur compunctio cordis. Multi enim reperiuntur, qui cantus suauitate commoti, sua crimina plangunt, atq; ex ea parte magis flectuntur ad spiritum contritionis, & lachrymarum vbertatem ac beniuolam emendationem, ex qua non verborum, sed psallentium dulcedo vocum & discretio insonuerit iocundissima. Oratio in præsenti vita tantum pro remedio peccatorum effunditur. Psalmorum autem decantatio perpetuam Dei laudem dememorat, sicut scriptum est: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Sequentiæ etenim canticum victoriæ designant, quo iustorum animæ in Deo pro sua liberatione exultant. Sicut filij Israël pro sua ereptione, canticum victoriæ canebãt, & quondam Romani. Iubilus autem, id est neuma, quem quidam in organis iubilant, plausum victorum lætantium commendat.

CAPITVLVM XVIII.

FERTVR de beato viro cum quadam die dormitorium transiret, auscultans, erat enim molendinum iuxta vicinum, cuius rota tarde voluebatur, propter penuriam aquæ garriens, quosdam dabat quodammodo vocum sonos. Quod audiens homo Deo dignus, statim fuit in spiritu, & illud elegans dictum edidit, de possessore suo nectareum modulamen eructauit, scilicet eodem almo spiritu, ac toti mundo ad salutem propinauit, sequentiam dico quæ est de Spiritu sancto: Sancti Spiritus assit nobis gratia. Cum ergo eam complesset, misit eam pro Xenio magno Imperatori Carolo, qui forte tunc morabatur Aquisgrani: Idem verus Christicola Imperator misit ei per eundem baiulum, quod sibi idem Spiritus inspirauerat: Hymnum, Veni creator, talibus alis solent pennata animalia se mutuo ferire, id est, perfecti viri & docti spiritali scientia eruditi, solent se diuersitate adhortationum exercitare, sicut sanctus Augustinus beato Hieronymo, & sanctus Hieronymus beato Augustino per internuncium Paulum Orosium fecerunt. Græci etiam simili modo Pythagoram Philosophum affirmant transisse secus fabricam aliquam, & audiens malleatorum ictus

super incudem, discreuit sex voces musicales. Bene hic ponendum est, quod nostris temporibus euenit colloquium de beato viro Notkero apud sedem Romanam. Venerabilis Abbas sancti Galli Vldalricus, piæ memoriæ, huius nominis sextus, in legatione Regis Friderici secundi postea Cæsaris, venit Romam ad Innocētium Papam tertium missus. Cumq; de multis esset sermo eorum & plura conferrent ad inuicem: accidit Missam celebrari ante Apostolicum, de S. Spiritu cum sequentia, sancti Spiritus assit nobis gratia, præsente Abbate. Fecerat & ipse idem Papa sequentiam de S. Spiritu, videlicet, veni sancte Spiritus. Peractis Missis & orationibus conuenerunt iterum ad fabulandum, & inter cætera requisiuit Papa Abbatē dicens: Quis fuit Notkerus tuus? quomodo agis diem anniuersarij eius? Erant enim Romæ aliqua scripta de eo in libris sequentiarum, quæ ipse Papa legerat. Respondens Abbas: Simplicem Monachum eum fuisse in domo sua, de nobilissimis terræ ortum, valde sciolum & sanctum. Ad quem Papa: Agis ne festiuitatem eius? Cui ille: Non Domine: Scimus quia sanctus est, priuatim tantum agitur de eo, sicut pro alio defuncto. His verbis Papa commotus: O nequissimi (inquit) malo vestro, tanti tamque sanctissimi viri, qui erat plenissimus Spiritu sancto, non facitis memoriam? Quod huius festiuitatem non celebratis, infelices eritis.

Capitvlvm XIX.

Nvnc ergo quales tres isti prædicti Senatores extiterint, scriptis dememoremus. Otio nunquam vacabant, & quod semper doctorum est & vtilium, in lenitate spiritus & in quiete cordis ambulantes, raro aut nunquam sine opere aut meditatione vel exercitio virtutis præteribat eis tempus: vnde assiduas ab aliquibus detractiones & dorsiloquia, vt vitiose solet fieri in conuētibus, patiebantur. Sed maxime, quia minus refellere solebat, sanctus, vt vere asserā, dominus Notkerus. Tütilo quidem & Rapertus, acriores talibus, minusq; ad contumelias habiles, rarius ab eis lædebantur. Notkerus autē hominum mitissimus, quid iniuriæ essent in semetipso didicit. De quibus pluribus vnum aliquem, vt quantum Satanas in talibus præsumat, ab vno discas omnes, introducere volumus. Erat hic quidem refectorarius nomine Sindolphus, fictis autē postremo obsequialibus, cū alias in nullo esset vtilis, accusans fratres criminibus cōiectis, per quę agnitus est ipse proditor, & proditi perfecti inuenti sunt: Nam cū esset refectorarius, pro commodis incōmoda sæpius quibus ausus erat exhibebat, præ cæteris

autem S. viro Notkero. Quod ille æquanimiter ferens compatiebatur inferenti,& orabat pro eo. Salomone vero in multis occupato, neq; ad singula attendere sufficienti, alimonia interdum cum ei detraheretur, vel deprauaretur, clamabant plures pro iniustitia. Inter quos etiam aliquãdo isti tres quos dicimus, aliqua locuti sunt. At Sindolphus discordiæ semper fomes, sciens antiquam condiscipulorũ odij facem & causam, accõmodat se auribus Salomonis, quasi pro suo honore rem sibi sit dicturus: Ille vero & si nihil nociuius sciret Prælatis ab subditis, quã susurros & detractores audire, quid noui afferret quæsiuit: Cui subdit: Tres (inquit) illos semper super se verba iacere solitos, hesterno q̃ Deo importab.lia sunt, mentitur locutos. Credidit ille sermoni quem dixit, & contra se nil mali opinantes rancorem portauit, tandem & ostendit. At illi cum nihil ab eo reatus sui exsculpere possent: Sindolphi se technis ariolantur fuisse circumuentos. Rẽ tandẽ coram fratribus discussa, cum ipsi testãtibus nihil se omnino erga Episcopum dixisse, & eum cũ cęteris conuincerent, falsidicum vt iudicet, & vindictam super eum faciat, quisq; sibi rogant: Quod cum ille dissimulasset, taciti quieuerunt.

CAPITVLVM XX.

ERAT tribus illis inseparabilibus consuetudo, permisso quidem Prioris, in interuallo laudum nocturno conuenire in scriptorio, collationesq; tali horæ aptissimas de scripturis facere. At Sindolphus sciens horam & colloquia, quadã nocte fenestræ vitreæ cui Tũtilo assederat clãdestinus foris appropiat, aureq; vitro affixa, sed quid rapere posset ꝙ deprauatum Episcopo traderet, auscultabat. Senserat illũ Tutilo homo peruicax, lacertisq; confisus, latialiterq; quo illum qui nihil intelligeret lateret, compares alloquitur: Adest ille (inquit) & aurẽ fenestræ affixit: Sed tu Notkere, quia timidulus es, cede in Ecclesiã: Ratperte autẽ anime mi, rapto flagello fratrum quod pendet in pyrali, deforis accurre, ego enim illum cum appropinquare te sensero, vitrio citissime readaperto, captum capillis, & ad me pertractum violenter tenebo. Tu autem cor meum confortare & esto robustus, flagelloque in illum totis viribus increpita, & Deum in illo vlciscere. Ille vero vt semper erat ad disciplinas acutissimus, modeste exiens, rapto flagello cucurrit celerrime, hominemque intro capite tractum totis viribus à dorso ingrandinat. Et ecce ille manibus pedibusque renisus: flagellum quo vapulabat capiens tenuit. At Rapertus è vicino virgam eius propius aspectam rapiens, ictus ei validissimos infregit. Cum autem parci sibi male iam mulctatus incassum petiisset, apud se submur-

submurmurans voce opus esse, exclamans vociferauit: Statim fratrum pars voce audita, tali tempore insolita, stupens accurrit luminibus, & quidnam esset quæsiuit. Tutilo vero Diabolum se cœpisse creber ingeminans, lumen adhiberi rogat, vt in cuius imagine teneret, territus inspiceret. Capite autem minuti hac illacque versato, adinspicientes, si Sindolphus esset, quasi nescius interrogat. Omnibus enim vere ipsum esse clamantibus, & vt illum dimitteret rogantibus, relicto eo, me miserum ait, in auricularem & intimum Episcopi manus misisse: Rapertus quidem accurrentibus in partem cedens, clam se subduxit. Neque enim ipse qui passus est, à quo cæderetur scire poterat. Quærentibus autem aliquibus, vbi nam dominus Notkerus, Rapertusque abissent. Ambo (inquit) ad opus Dei diabolum sentientes abierunt, meque cum illo in negotio perambulante in tenebris dimiserunt. Vere ait scitote omnes, Angelum Dei ictus ei manu sua incussisse. Demum discedentibus fratribus, à partium sectatoribus, surgunt, vt fit, multiloquia: Alij Dei iudicio vt auscultatores clandestini publicarentur, factum dicebant: Alij vero, tali viro, nisi quod Angelum Domini prætendit: simile opus non decuisse. Occultabat ergo se ille confractus corporis pariter & mentis dolore: Interrogat denique Episcopus post aliquot dies: vbi nam tam diu moraretur suus famidicus: sic enim hominem nominare solebat & solitus erat, noua semper sibi aliqua clam apportantem. A quo re vt erat veraciter comperta, quomodo tantæ auctoritati pro tam turpiter reo nihil imputare volebat, consolatus accitum sic dicens: Quoniam (inquit illi) à pueritia mei semper æmuli male tibi fecerant, ego si aduixero, melius tibi facere habebo: Nam operariorum factus est ab ipso Decanus, contradicentibus cunctis, ne rem tam præclari loci, in tali homine deiiceret. Deinde amplius non destitit aduersari tribus illis, de decore sibi illato, & officio collato animatus. Quadam igitur die quod erat refectorarij, Notkero, & Raperto coquinæ ordinariis, mensuram potus vt officij sui erat, cum in vase suo non dico poneret beato viro: sed maledicta mussitans eo absente, ad huc quasi proiiceret, vas illud casu accidente de mensa lapsum in terram cecidit, operculoque procul rotante, vas in latus iacuit, vinumque velut si subrectum esset solide continuit: Quod ille videns, huc atque illuc circuiens: tandem morose reuersus, cum leuasset, accurrentibus qui astantes viderant: & si quicquam de vino effusum sit, terram contuentibus: neque vsque ad vnam guttam comperierunt exisse: Ne miremini (inquit Sindolphus) si diabolus, a quo nigros libros ipse & socij

socij eius discunt, fascinatorum suorum calices ne effunderetur continuit. Quod Hartmannus Proabbas, post à dicentibus cum audisset, proteruoque illi cum occurrisset: Vide (inquit) bone vir, ne in tales viros iniurias tuas tam patienter ferentes, nimium tandem desipias. Cur ad inuidiam in tantum concupiscat spiritus tuus? An nescis quia susurrones & detrectatores, & qui irritant fratres, ac serunt in eos discordias, Deo sunt odibiles? Cui ille, cum sibi solita vsque ad conuitia respondisset proterua: Waltrannus tunc Decanus in proximo capitulo, regulari eum vindictæ subiecit, sed tamen adhuc eius non quieuit nequam spiritus. Itaq; tandem malum per eum viro sancto, quo dolore intrinsecus cordis tactus est, accidit: Epistolas Canonicas Græcas à Luitwardo Vercellensi Episcopo sibi præstitas, multis sudoribus beatus vir exemplauerat, & ecce Sindolphus eundem codicem delicate scriptum casu incurrens furatus est, & singulas quaternionum, sicut hodie videre est, cultro excisas discerpit & deprauauit, ac postea iterum complicatas, occulte in locum vbi eas fuerat furatus reposuit. Transtulit idem sanctus vir psalterium de Latina lingua in barbaricam linguam, sicut hodie est in armario.

CAPITVLVM XXI.

RATPERTVS inter ambos Notkerum videlicet & Tütilonem medius incedebat, Scholarum ab adolescentia magister, doctor planus & beneuolus, disciplinis asperior, raro præter fratres pedem claustro promouens, duos calceos annum habens, excursus mortem nominans: & ideo sæpe Tütilonem itinerarium vt se caueret amplexibus monens. In scholis sedulus, plerunq; Cursus & Missas negligebat, bonas (inquiens) Missas audimus cum eas agi docemus. Qui cum labem maximam claustri impunitatem nominasset, ad capitulum tamen nonnisi vocatus venit, cum sibi officium capitulandi & puniendi grauissimum, vt ait, sit traditum: Cum vero & ipse sanctus circa claustrum sancti Galli diu languidus iret, nec tamen docere desineret: quadraginta discipulis quondam suis Canonicis: tunc quidem Presbyteris, loco propter festum aduentantibus, animam singulis in manibus commisit, quoque quisque ei triginta Missas obituro promiserat. Sicque ille lætissimus factus, Deum vti se diutius morbo coqueret, rogans, & panis nitidus effectus, inter discipulorum manus in paradisum, vt credimus, transiit: Pro quo beatus Notkerus & Tütilo

 præter

præter cæteros fratres dolentes,qui post eũ relicti sunt multa fecerunt: Scripserat idem homo beatus librum de casibus Monasterij, incipiens à temporibus beati Columbani vsque ad Salomonem Episcopum & Abbatem nostrum. Dictauerat etiam letanias quas Ecclesia canit per totum orbem in diebus Rogationum, præter alia plura quæ fecerat.

Capitvlvm XXII.

LOnge aliter Tütilo,bonus erat & vtilis quam socij,homo lacertis & omnibus membris, sicut Fabius athletas eligere docet. Erat enim valde eloquens, voce clara & dulci,celaturæ elegans, picturæ artifex ac mirificus aurifex,Musicus sicut & socij, sed in omnium genere fidium & instrumentorum & fistularum præ omnibus. Nam & filios nobilium in loco ab Abbate destinato fidibus edocuit. Nuncius procul & prope solers, in structuris & cæteris artibus suis efficax, concinnandi in vtraque lingua promptulus & potens natura, serio & ioco festiuus: adeo vt Carolus noster aliquando ei maledixerit,qui talis naturæ hominem Monachum fecerit. Sed inter hæc omnia quod præ aliis est, in choro strenuus, in latebris erat lachrymosus,versus & melodias facere præpotens,castus vt Marcelli discipulus, qui fœmiuis oculos clausit. Ea autem quæ dictauerat, singularis & agnoscibilis melodiæ sunt, quia per psalterium seu per rotam in qua potentior ipse erat,neumata inuenta dulciora sunt, vt apparet in tropis,Hodie cantãdus:& omnium virtutum geminis: Quos quidem tropos Carolo obtulit canendos,ad offerendam scilicet, Viri Galliläi,quam ipse fecerat. Hanc etiam Rex offerendam cum dictasset, Tutiloni misit, versus addere iniũxit. At ille apposuit: Quoniam Dominus Iesus Christus cum esset omnipotens genitor fons & origo,cum sequentibus: Gaudete & cantate:& ad inuicem conscripserunt. Sed ista proposuimus, vt quia dispar eius melodia sit cæteris,si musicus es noris. Abbatum vero sub quibus militauerat permissis, plerumque & præceptis,multas propter artificia simul & doctrinas peragrauerat terras: picturas & aurificia etiam & anaglyphas, carminibus & epigrammatis decorabat singulariter preciosis: Tantæq; auctoritatis vbicunq; moraretur apparuit, vt nemo illum qui vidisset, sancti Galli Monachum dubitasset: Erat enim in diuinis & humanis æque ad responsa paratissimus.& si quid indecens vel inordinatum maxime in Monachis vsquam vidisset, pro loco,tempore & persona: Zelator erectus, vt in vno de pluribus dicere habebimus.

Capitvlvm XXIII.

GNarvs namque homo, quoniam erat itinerarius longe lateque terrarum & vrbium, missus aliquando est pro communi causa Maguntiam, vtique pro pannis laneis emendis, quos fericales vocant, & tunicas. In ingressu ergo ciuitatis circa sancti Albani Monasterium hospitium petens, hominibus suis statim propter pabula & victualia mercatum missis, ipse super sedile se lassus, vt paulisper requiesceret locauerat. Erant autem dies vindemiæ, quibus fratres ad obedientias dimissi sunt per vineas. & ecce primo signo ad vesperas pulsato, circator fratres collecturus, asino pro religione insidens, ostio domus hospitij iam dicti, quasi ibi aliquem quæsiturus appropiat, latenter quoque si commatrina sua domi sit, sciscitando domum inquietat. At illa de camera egressa, salutans compatrem, hospitem illum dormire putans, obtulit viro mustum. Quo ille impigre hausto vasque reddito, mammam fœminæ titillat assentientis: Hospes vero viso facinore exilit, ne vlterius procederet in facto, illum scelestum inclamitans, comis apprehensum in terram deiecit, flagelloque quoad equum vsus est ad huc manu habito, acriter hominem cecidit adiiciens: Hoc (inquit) tibi sanctus Gallus frater sancti Albani dedit: Ille quidem quamuis pro reatu sit tristis & passus, timidus tamen sui, venia petita vti se celatum habere vellet, hominem rogat: Hospes illi, ne modo adiicias peccatum peccato, quantum in me est bene celaberis: Intimatur Abbati fratrem de sancto Gallo ante portam hospitari, qui statim per nuncium vocat eum in claustrum, nomen sciscitati, agnoscunt hominem diu fama vulgatum, charitatiueque tractato ipsi exhibebant ei Martham. Ille autem capacibus porrigebat Mariam: Rogaturque ibi morari vsque dum thronum Dei in bractea altaris aurea celaret: Cui similem anaglypham, raro vsque hodie videre est alteram, in circulo scribens hunc versum. Ecce polo potior solio terraque scabello. Cum autem aliquantum tardasset, non celatum opus ex parte relinquens, rediensque à nostris quid deforis egerit rogatus est dicere. Fratrem (inquit) ibi indisciplinatum vidi, quem vt ferirem, flagellum leuans intentaui: Quod illi & mihi quidem vt indulgeatur rogo. Sic ille fidei memor, veritati parcens, non tamen mentitus est.

Capitvlvm XXIV.

Missvs aliquando ad Metensium vrbem celaturus thronum, & imaginem beatæ Mariæ desuper, quod quamuis Monachi nõ fuerit, propter naturam tamen hominis dicere volo. Cum ergo iter ageret, ibat per syluam latronibus aptam, duobus suis comitatus, vno scutato cum lancea, altero sine: Et ecce à duobus audacissimis inuasus, ambos suos vterque isti suum equo deiecerat. Interea illo vtroque in spolio occupato, robur quoddam validum circumspectum arripuit, & terrore magno minax super illos venit. At illi videntes hominem forti assimilem, spolia omittunt, scuta dorso reiecta contra illum vergunt. Lanceasque ille latronum præ securitate procul abiectas, suos citissime rapere iussit, & vt se defenderent acer verbis emonuit. Quas cum deiectas celeres raperent, tanti ducis violentiam minime se perpeti posse videntes, hostes ab eo exarmati diuertunt. Sic isti etiam lancea sua leuata, vt si illi reuerterentur, domino suo eam darent, & ita imperterriti syluam pertranseunt. Ergo Tütilo cum venisset ad vrbem, & operi celaturus astans satageret, ecce duo viri astiterunt iuxta illum sanctæ Mariæ imaginem celanti in habitu peregrini eleemosynamque petebant. Quibus cum nummos clam tribueret, diuertentes ab eo Clerico cuidam à longe astanti aiebant: Benedictus vir iste Domino, qui nos hodie bene consolatus est. Sed est ne soror eius (inquiunt) domina illa præclara, quæ ei tam commode radios ad manum dat, & docet quid faciet? Ille vero miratus quid dicerent, cum nuperrime ab eo digressus nil tale vidisset. Reuertitur ergo cum peregrinis, & quod dixerant velut admomentum & in ictu oculi contemplatur. Aiunt autem illi Clericus & Peregrini. Benedictus tu Domino pater, qui tali magistra vteris ad opera. Qui cum ipsos quid dicerent nescire assereret: Vehementer in illos inuectus, ne cui tale aliquid dicerent, interminatur. Statim peregrini transeuntes disparuerunt, nec amplius ab aliquo sunt visi: In crastinum autem cum gloriam talem de se plures audiret dictitare, occulte subtrahens se, cessit è medio, neque iam vltra in vrbe illa operari volebat: In bractea autem ipsa aurea cum reliquisset circuli planitiem vacuam, nescio cuius arte tales celati sunt apices: Versus,

Hoc panthema pia celauerat ipsa Maria:

Sed & imago sedens quasi viua, cunctis inspectantibus adhuc hodie est veneranda. Dicebant autem nobis patres, quod ipse vir

Dei in

Dei in reditu iter agendo, in quandam villam vbi ad Missas sonatum est properans, Dæmonem ab homine in Ecclesia bacchantem inuocatione sancti Galli eiecerit: Sunt & alia quæ de illo audiuimus multa, de quibus nobis nihil certum constat, tacere quam scribere maluimus. De obitu autem eius, quia nihil constans comperimus, hoc solum astruimus, quod eum ad gaudia æterna transisse confidimus, indubitanter asserimus.

Capitvlvm XXV.

Beati igitur viri Notkeri quæ reliqua sunt de eo audenter narrabimus, quoniam illum sancti Spiritus vas electum nequaquam dubitamus. Erat enim corpore non animo gracilis, voce non spiritu balbulus: In diuinis erectus, in aduersis patiens, ad omnia mitis, in nostratium acer erat exactor disciplinis, ad repentina & inopinata timidulus erat, præter dæmones infestantes, quibus quidem se audenter opponere solebat, in orando, legendo, meditando, dictando, celeberrimus. Et vt omnes sanctitatis eius sub compendio complectar dotes: Sancti Spiritus erat vasculum, quo suo tempore abundantius nullum. Nam vt prælibauimus, dies noctesque semper idem nouus, quod Rapertus in scholis, hoc ipse in claustro præter verbera, omni charitatis egit censura. Priorum itaque permisso, magis autem & hortatu, iuueniores ad hoc idonei, noctes diesque quando ab orationibus quiescere velut cum in insidiis dæmonum erant, ipse propter regulæ tenorem sibilis eos interdum etiam strepitu absturbarat: Hoc idem cum refutaret, tamen ab Abbatibus per obedientiam ei iniunctum est. Docebat enim eos bonitatem & disciplinam & scientiam, & mandata Dei sollicite credere & seruare, dicens, vitæ mundiciam & puritatem non inueniri in terra suauiter viuentium: Sed oportet hominem excolere terram cordis sui, sicut rusticus agrum vt vberes fructus exinde habeat. Qui vero incipiunt & non perseuerant, comparantur perdici, de qua Ieremias ait: Fouit perdix quæ peperit, in dimidio dierum suorum derelinquet ea, & in nouissimo erit insipiens: non attendentes quia extrema gaudij luctus occupat. Permisso Abbatum sub quibus militabat, secundum voluntatem suam viuebat ad libitum suum, quia videbant verbo Domini firmatum, & vbi Spiritus Domini, ibi libertas, & quoniam spiritalis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Ardua enim eius continens vita quiddam diuinæ excellentiæ in vultu præ-

tu prætendebat. Oculus intuens in eum iocundabatur, & auris audiens eum gratulabatur: Tamen omnem gratiam quam se senserat percepisse sub tutela humilitatis studebat occultare, dicens cum beato Iob. Si fuero lotus aquis niuis, & fulserint mundissimæ manus meæ: tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea. Propter humilitatis igitur custodiam, cum esset homo scientissimus, semper magis assidebat psalterio, quam cæteris libris. Porro non erat hora, neque incompetens dicebatur, si codicem in manibus non habuit, quando quis cum eo aliquid conferebat: Inter omnes confratres suos sic ambulabat: maiores & minores ita venerabatur, vt nulli se præponens, sed quantum in ipso esset, omnibus amabilis, affabilisque: quam autem mellifluus in responsis fuerit & alloquiis, lachrymæ eorum qui hominem viderant, & post ipsum supererant, requirentibus eum liquido manifestabant.

CAPITVLVM XXVI.

POSTQVAM vero Presbyterij gradum vir Domini Notkerus multa obedientia coactus humillime conscendisset, tunc demum sic quasi nil prius virtuose aliquid egisset, illas quatuor virtutes cardinales & earum appendices, id est, iustitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, tanquam animæ naturales, tanta diligentia obseruauit, discussit, atque in his se exercuit, vt cunctis pateret, quia fortis Christi miles, omnia arma spiritalia contra diaboli nequitias pugnaturus sibi induisset. Spiritaliter quoque vt diximus fortis erat sicut Propheta ait: Qui appropinquant Deo accipient de doctrina illius: & qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, & assument sibi pennas sicut aquilæ: current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient, sed volabunt vt requiescant sicut columba in foraminibus petræ, id est, Christi, & ideo elongantes se à consortio mundanæ offensionis; fugient & manent in solitudine internæ iocunditatis: Quantum autem Tutilo robustus fuit in homines, tantum vir sanctus & plus valuit ipse in dæmones. Alias autem corpore attenuatus vt ieiunans & vigilans, debilis, tener & macer. Contigit ergo quadam nocte eum vt in Ecclesia præueniens in maturitate, altariaque circuiens, vt solebat in oratione flendo eiularet. Cumque veniens in cryptam duodecim Apostolorum sanctique Columbani, vberrime, acriores de post aram oculi eius deducerent lachrymas, quasi ca-

rem ad lierat muſſitantem. Interdum etiam mixtam vocem ſicut ſuis grunnientis cum ſentiret, intellexit tentatorem: Es ne tu (inquit) iterum ibi? Bene conſtat virum DEI plures pugnas & conflictus cum eo habuiſſe, de quibus triumphos victoriæ reportarat. Quam bene (inquit) tibi miſer contigit nunc muſſitanti & grunnienti, poſt glorioſas voces illas quas in cœlis habueras? Accenſoque lumine, quo angulo lateret quæſiuit. Ille vero ſiniſtro angulo appropianti, tanquam canis rabidus veſtes lacerat: Eya (inquit ille) ſeruitium tuum foris cryptam ſatagere habeo: neque enim pœnæ illæ, quas, vt aiunt, iam pateris ſufficiunt, acrius tibi aliquid paraturus ſum. Præcipio autem tibi in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti & iſtorum Sanctorum, vt me in eodem quo nunc indutus es canino corpore exſpectes. Et ille: Faciam, (inquit) ſi volo. At Notkerus velocius abiens: Confido (ait) in Domino, quod velis nolis me exſpectabis. Feſtinato autem aram ſancti Galli adiens, cambotam quam ſanctus magiſter Columbanus per Magnoaldum Diaconum miſerat cum epiſtola abſolutionis, felici diſcipulo ſuo Gallo, multarum virtutum operatricem, cum ſphæra illa ſanctæ crucis notiſſima rapuit, & in introitu cryptæ dextro ſphæra poſita, cum baculo vero à ſiniſtro introiit, & caninum illum aggreſſus eſt diabolum: Cum autem illum baculo ſancto cædere cœpiſſet, voces ſuas anteriores altius gannitu edidit, latratu & grunnitu. Tandem vero cum ad ſphæram ſanctiſſimam Zabulus cædentem fugiens veniſſet, vltra iam progredi non valens conſtitit, & tot iam ictus & incuſſiones ferre non ſuſtinens: Barbarice clamans: O weh mir/ weh / vociferauit. Interea æditiuus cum baſilicam intraſſet, voceſque horridas audiſſet: lumen velox in manibus ſumpſit, & ad cryptam accelerauit. At pater ſanctus cum dæmoni ictum vltimum feciſſet, baculum ſanctum in locis cõfregit. Et niſi æditiuus ſphæram vidẽs alleuaſſet, ſicq; diabolum more canis abire permiſiſſet, adhuc cædere eum habuiſſet. Æditiuus vero baculo inſpecto attonitus, & baculum ne ſanctum Domine mi in cane fedaſti? Illo conticente addidit: Quis nam erat ille (inquit) qui me, O weh mir/weh/ vociferauit? Putans ergo æditiuus, illum pro pietate furem aliquem celare velle, iuit pedes per totam Eccleſiam, furem comprehendere cupiens, ſed cum neque furem inueniret, neque canem, graditur ſecum tractando fluctuans, quia Eccleſiam poſt ſe introiens clauſerat, quidnam eſſe poſſet quid contigerat ſatis admirans. Virum denique regularem iam ſemel ſibi tacitum, amplius alloqui

non

non ausus est præsumere. Secundum autem quod vir sanctus Domini Notkerus humilis erat & prudens, æditup foras ire significans, in partem cum sumpsit, benedictioneque prælata, quomodo baculum fili mi fregi, nisi tu iuueris secreta mea habebunt efferri: Sed quia meũ non est ambulare in magnis, neque in mirabilibus super me, silentio fidei tuæ committo quod factum est: sicque ei rem quamuis inuitus vt facta est enucleauit. At ille baculo per fabrum latenter reparato, quod factum fuerat, ad tempus occultauit. In temporis autem processu, res vt erat in medium venit. Paucosque sanctorum legimus diabolum sic coërcitum struxisse, vt vapulatus plagas cædentis non potuerit effugere: Vnde canis ille infernalis aliquid tale machinabatur intra se: qualiter viro sancto rependeret confusionem digne sibi illatam.

CAPITVLVM XXVII.

ERAT eodem in tempore, in loco adolescens quidam Monachus admodum litteratus, Comitis de Kiburg filius, beati viri Notkeri de sorore nepos, nomine Wolo, inquietus & vagus: Cui propter auersionem, cum Decanus ipse nec Domnus nec sanctus vir Notkerus seu cæteri imperare potuissent, crebroque esset verbis & verberibus coërcitus, nihilque exinde proficeret, omnes pro talis ingenij viro dolebant. Nam quadam die aduenerant in Monasterium parentes eius pro eo soliciti, per quorum monita cum parumper proficeret, iterum post abitum eorum idem erat. Diabolus autem vna die sancto apparuit Notkero diluculo: Mala tibi (inquit) & fratribus tuis facturus sum nocte. Vt probatius coniici potest, datur intelligi dæmoni huic permissum futura præscire. Respõdit beatus vir spiritui nequam: Mala auis frequenter malam famam prodere solet. Mox itaque ille bonus Notkerus, sic enim à vulgo nominabatur, fratribus quæ audierat à Sathana intimauit, vti die illo se præcauerent innotuit: Wolo vero cum hoc & ipse à dicentibus audisset: Senes (inquit) semper vana somniant. Erat autem dies ipse quo sibi à Decano ne quoquam, vt solebat, claustro progrederetur, interdictum esse omnes nouerant. Cum ergo sederet ad scribendum, vltima eius scriptura erat, Incipiebat enim mori, vti habetur Iohannis quarto. Igitur illicò à loco exiliens cæteris illum inclamantibus: Quo nunc Wolo quo nunc? In campanarium sancti Galli, per gradus ad hoc quidem nobis paratos ascendere incipit: Vt

pit: Vt oculis quia gressu non licuit, montes camposque circumspiciens, vel sic animo suo vago satisfaceret: Ascendens namque cum super altare virginum venisset, impulsu vt creditur diaboli, per laquear cecidit, omni corpore concussus collum confregit: Plurimis autem qui forte viderant vel audierant accurrentibus cum viaticum ei properanter afferrent, confessione dicta communicauit. Illi vero cum eum efferre voluissent, & ad domum infirmorum portare: Sinite me (inquit) sanctas virgines prius inclamare: ipsæ enim sciunt quamuis alias nefandissimus: mulierem tamen nunquam noui. Interea cum alte eiulasset beato Notkero accurrente, manus illi porrexit: Tibi (inquit) domine mi & sanctis virginibus, quas semper amabas, animam peccatricem commendo. Qui statim spiritu conturbatus gemendo circa eum se iactans: Sanctæ (ait) virgines in vobis confisus fratris istius crimina super me tollo, & ambos nos vobis committo: & hæc dicens, flebat & eiulabat ex intimo cordis affectu. Cumque ille efferretur de oratorio, pro foribus Ecclesię quiete petita, Notkerum manu arctissime stringens, omnibus preces pro eo effundentibus emisit spiritum: Inter exequias sanctus Notkerus eum lauit, more solito in feretrum collocauit, obsequium ipse faciens, totam eius sepulturam procurauit, semper quoad vixit, & quamdiu potuit, duo in se Monachi officia assumpsit, atque persoluenda sibi lege statuit: Completorium vero ipso obitus viri die dum finiretur: Patrum quidam simplicior, precem in qua scriptum legitur, vt sicut læti duximus diem: ita noctem quoque transigamus, dum recitasset, vir Dei mœrens surgebat: Quid petis (inquit) frater admirabilis quid petis? Sufficeret hodie diei malitia sua, & superabundaret: tu autem nocti eadem precaris. Septima autem obitus hominis die, cum sanctus Dei pernoctans in Ecclesia mansisset, circa tempus laudis nocturnæ, parumper super genua pausans, videt quasi Rapertum suum se excitantē & dicentem sibi. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Euigilans ergo (ait) vnde anime mi? vnde hoc nosti? Hæc igitur cum subiunxisset, quasi modesto gradu ille exiit. At ipse putans eum Ecclesiam, vt ibi licentius loqueretur exisse, & dum eum extra velum prosequitur, neq; ipsum neque gressus eius vllum sentire poterat sonum, cereoque accenso quæsiuit illum in lecto. Quem etiam cum inuenisset de lecto iam surgentem, vt & ipse sicut solebat præuenire in maturitate, & anticipare vigilias, vir Dei cereo exstincto in Ecclesiam rediit, æstimabat se visum vidisse, & intelligens sciebat, quod factum fuerat, quia per

G Ange-

Angelum fiebat. Mox igitur hilaris factus, gratulabundus, Te Deum laudamus incipiens, præ gaudio flens, silenter cantauit. Die autem clare dato, quærente Raperto vtrum ne ad excitandum se nocte venisset: Sanctus Dei quid viderat, amabili suo aperuit: tandem quoque & cæteros fratres spes tanta non latuit: Gauisi sunt ergo fratres magno tripudio de saluatione fratris, laudantes & glorificantes DEVM in omnibus, quæ audierant & viderant sicut dixit illis vir beatus.

CAPITVLVM XXVIII.

VT datur perspici adhuc loci religionem considerantibus & intuentibus, etiam in psalmodiis tredecim sedilia cum psalteriis, aut auro impictis aut alias nobilibus picturis ornatis, & secundum ...., valde correctis habebat. Præterea & alias habet illa sancti Galli basilica Capellas, in quarum vno angulari foribus proximo beatus vir Notkerus psallere erat solitus: Nempe hic locus est ille vbi assidue sanctus Domini humilis ac tremulus videns paupertatem suam: Præstolabatur psallens spiritu & mente, vt intelligeret in via immaculata, quando adueniret ad se, & in meditatione sua exardesceret diuinus ille ignis, & eloquium suum igniret, quem Dominus misit in terram, cuius habitatio est in Sion & caminus in Hierusalem, id est, in speculatiuis mentibus quarum desideria velut scintillæ tendunt ad alta, & in carne degentes, supra modum vitæ carnalis ambulantes. O quam sæpe in eodem loco vir sanctus lachrymarum imbre infusus, roreque cœlesti irrigatus, ita vt ignea eius oratio quasi fumus aromatum, & sicut vapor thuris cum suaui thymiamate redolens ascenderet penetrans cœlos, thurificans altare DEI, vt ipse psallere posset: Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, & Habacuc, & super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentem: vbi agmina Angelorum ineffabili iubilo collaudant Deum maiestatis trinum & vnum: Accidit autem, vt quadam die huic occupationi ita instaret, vt spiritum non relaxaret à continua contemplatione, in tantum, vt ad nonæ synaxim non veniret, neque eam per se caneret: In illo namque solio, cum post completorium clara adhuc die precibus insisteret: Videt super se in laqueari interruptis trabibus diabolum consedisse, & stylo in tabula scribere. Eruperat enim tabulam de laqueari in qua scribebat. Quem cum

cum quid scelus scriberet interrogasset? Nonam (inquit) quam tu scelus hodie supersederas scribo. At ille dicto citius, Deus in adiutorium &c. prosecutusque cætera, videt iterum diabolum manu celerrima, quod scripserat planasse: Cumque ad preces synaxis se vir deinde prosterneret, tabulam laquearis disrupti, in qua diabolus scribebat, super eum deiecit: At vir sanctus videns, vt ictum declinaret citius, à loco resiliit. Cachinnans ergo Sathanas: Hoc tantum (inquit) vt mihi assurgeres effeci. Enimuero (ait & Notkerus) si tu caninus vel porcinus fueris, iterum tecum habeo operari: Statim cum euanuisset fugiens, fratres aliqui in extremis templi orantes, sonum tabulæ vocesque audientes, mirati quid esset, cito aderant. Videntes igitur eum, vt solebat prostratum, nolebant illum, eo etiam quod incompetens erat hora impedire: Tamen Tutilo vnus ex ipsis signo dato, amicè eum euocans foras, silenter in aurem: Magnas (inquit) inquietudines tu & dæmones tui fratribus facere soletis. Cui ille: Audierant ne anime mi fratres omnia? Non omnia (inquit) sed mihi velim quæ hæc turba fuerit, per singula pandas. Itaque cum id vir Dei abnueret, & ab eo concitus tabulam, quæ ibi ceciderit subtraheret, alij qui viderant in latebris orantes, totum vt factum fuerat, non celabant: Vere locus iste venerabilior cæteris, & sanctior angulis vniuersis, in quo tantus comtemplator, in tantis se cœlestium virtutum gymnasiis exercuit. Quam occulte autem ac subtiliter hoc egerit, breue indicium subiunctum declarabit.

Capitvlvm XXIX.

Carolvs Magnus Imperator in tantum dilexit locum sancti Galli, & ita familiaris erat fratribus, vt eum non aliter nominarent, quam noster Carolus. Plus tamen & ampliori dilectionis priuilegio nepotem suum amabat, quia scientia, intelligentiaque & spiritalium disciplinarum virtutumque cœlestium religiositas, abundantius inuentę sunt in eo, hoc est in sancto viro Notkero. Nam & auxit locum prædiis vehementer, & firmauit eum regalibus testamentis & honoribus. Erat enim ei vir Domini in spiritalibus semper consiliarius, & vbicunque eum apprehendere quibat: aut ipsemet accessit ad eum, aut si non, per internuncium de consiliis eum cōueniebat. Contigit vero eum aliquando B. viro litteras dirigere per aliquem, forte ab eo exigēs de virtutibus & vitiis aliquas q̄stiones enodare, & solutiones

earum enucleatius exprimere. Cumque nuncius ad locum venisset, mansit in loco aliquot diebus. Quadam die tædio victus ibi morandi, adiit virum sanctum, inuenitque eum in horto eradicantem, euellentem & eiicientem herbas inutiles. Radicantem autem transponentem, plantantem & irrigantem herbas vtiles: Intulit nuncius dicens: Sancte pater quid mandas domino meo? Ad quem ille: Ea quæ me vides facere: Hæc dic ei & nihil aliud. Reuersus ergo nuntius ad dominum suum: nunciauit ei quæ vir beatus dixerat. Deinde subinfert quia inuenerit eum in horto eradicantem & eiicientem herbas inutiles, & radicantem & statuentem & irrigantem herbas vtiles: Ad quem Imperator respondit: Satis mihi dixisti, prudenti viro sufficeret: Puto quod felix Rex senserit, quia vir Domini admonuerit, vt vitia spiritalia siue carnalia de horto cordis sui eradicaret, & eiiceret, vt per incrementa gratiarum spiritus virtutes succrescerent, aut forte de Ecclesia Dei super quam imperium susceperat, erroneos & impios euelleret & extirparet, vt iustorum lucis semita cresceret & dilataretur vsque ad perfectum diem: Nec mirum si vir beatus horti officium libenter agebat. Irrigando, plantando, eradicando & eiiciendo imitans Dominum per Prophetam dicentem: Rigabo hortum meum. Et Oseæ: Ero quasi ros: Israël germinabit sicut lilium. Proinde facta est anima iusti quasi hortus irriguus. Et sponsus in canticis: Descendit in hortum ad areolas aromatum vt pascatur in hortis & lilia colligat. Itaque & à Maria in horto visus idem sponsus, æstimatur esse hortulanus. Sic sic vir sanctus tendens ad fastigium speculatiuæ vitæ, sicut aquila intuens & renitens contra claritatem Solis: ita oculis interni hominis speculator spiritalis: humilitate eximia semetipsum transcendens, supra modum excellens diuinæ gloriæ pondus, contemplans arcanum cœleste: Tali enim lucta laborabat in Dei horto, vt merito cum Iacob Israël, id est, vir videns Deum possit appellari: Huiusmodi vero eruditus vir exercitiis, discernebat virtutes à vitiis.

Capitvlvm XXX.

Orbatvs igitur sociis clarissimus vir Domini Notkerus, quoniam illum Spiritus sancti vas electissimum nequaquam dubitamus: Superstes ipse remansit sanctissimus veterinus in eodem spiritu viduus & orbus: Iam enim processerat in dies plurimos, nec tamen relaxabat spiritum ab optimo incepto, propter annorũ nimiam grauedinem.

dinem. Sed magis ac magis adhortationibus seipsum roborans: Spiritu extendens se in anteriora, cogitans illud quod scriptum est: Quid est homo aut quæ gratia illius? numerus dierum eius, vt multum centum anni, quasi gutta maris & sicut calculus arenæ: sic exigui in die æui deputati sunt: Sedebat namque in loculo suo solus quietus, velut sapiens in omnibus metuebat: Et ideo media nocte præanticipans vigilias semper, præparabat se ad orationem dicens cum Propheta: Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilauero ad te. Quamuis nemo sciat, vtrum amore an odio dignus sit, tamen super custodiam vir sanctus stans iugiter, confidenter præsumens de spiritu, qui eum ab infantia suis charismatibus illibauerat. Et si vinum & musica lætificant cor, & tibia & psalterium suauem faciunt melodiam, quanto magis amor sapientiæ, cuius eloquia, id est, Christi quem dilexit homo sanctus & iustus, & dulciora faucibus suis super mel & fauum, & custodiuit ea ab vtero matris suæ? Non enim priuabit eum Dominus virtutum, qui sic in innocentia ambulat sperando in eum. Contulit vero illi Dominus gratiam ad merita, vt mereretur in sua conuersatione adipisci gloriam, & consortium sanctorum quorum ampliauit laudem in sancta Ecclesia in conspectu filiorum hominum, vt omnis Christianus properaret & caderet in faciem suam adorare Dominum Christum: Propterea vir spiritalis sine intermissione fudit preces excelso Deo omnipotenti, & iterauit orationem suam, vt Dominus multiplicaret psallentes vocibus suis, vt in cœlum resonaret sonus, Spiritus sancti gratia auctus, omni dulcedinis suauitate plenus. Ideoq; digne memoria eius in compositione odoris sanctæ Ecclesiæ facti opus pigmentarij, id est, vt non fraudetur virtutum eius meritis & precibus, sed more omnium laudetur nomen Notkeri in eo qui fecit eum, & quasi mel indulcetur eius recordatio, & vt musica in conuiuio vini, quod germinat virgines, id est, vt eius castitatis exemplo ardueque continentis vitæ plures erudiantur. Nunc de transitu eius quia modica scimus, scita cito explicabimus.

CAPITVLVM XXXI.

ZELO nimio zelatus est magnus Imperator Otto primus propter disciplinam Monasterium sui imperij: maxime autem cœnobium sancti Galli quod præ omnibus diligebat. Venerant aliqui spiritu ne-

quam inflati, æmulati non bene, fratribus ſancti Galli detrahentes, accuſabant eos apud Imperatorem, dicunt hoc feciſſe Abbatem Augenſem nomine Ruthmannum ob inuidiam, ſicut in libro caſuũ Monaſterij plenius ſcriptũ habetur: Qui valde turbatus & commotus miſit ſedecim Principes viſitare locum, octo Epiſcopos & octo Abbates: Accedentes vero ad locum nihil tale repererunt, qualis fuit accuſatio. Tot ergo magni conſilij Angeli cum nihil emendabile ibi inueniſſent, orationibus fratrum ſe commendantes, reuerſi ſunt ad Regem dicentes: Quoniam ſi iuſtus ipſe ſibi eſt lex, magis regulares in veſtro regno Monachos non habetis. Nam ipſorum aliqui educati ibi erant, & nutriti in ſcientia & diſciplina. Quibus adhuc incredulus Cæſar miſit alium quendam hypocritam Monachum de Colonia nomine Sandratum, qui crapuloſus, bibulus ac lubricus ſe ipſum confundens, furtiue à loco fugiens abſceſſit: Tunc Abbas militem ſuum mittit, ad curiam, cum literis ſic ſcriptis: Moueat Maieſtatis veſtræ pietatem, tam indiſcreta varietas moleſtiarum ac diuerſorum hominum inepta molimina, quæ perpeſſus ſum cum fratribus per aliquod tempus: Audiens ergo Imperator, pœnitentia ductus, accitoque Reginæ conſilio Eckhardo, qui ſemper in curia erat, Monachus ſancti Galli: Scribe Notkero Abbati tuo (ait) & ſuis: non meam tantum illis, ſed illorum mihi, quia commoti ſunt, gratiam. Et ſi eos contriſtaui inſcius, propter inuictam illorum mei cauſa patientiam, eos ſi vixero ſciens lętificabo, aduentumque noſtrum in Maio, Deo donante, ad eos futurum, & vulnera quibus à peruerſis ſeductus eos læſi ſanaturum. Diſpoſuerant enim ire Romam ambo pater & filius. Miles vero Abbatis hilariter dimiſſus, boni nuncij gerulus, omnes ſancti Galli viros lætificans, aduentum Regum denuncians, eorumq; verbis edixerat, quomodo ipſi iam experti ſunt, quod bene quidem vellent, poſthac viuerent, quocunque modo mallent. Neq; enim iam vltra vllum eis detrahentem audituros, aut hypocritam ſpondent immiſſuros. Parantur in aduentum illorum multimodæ laudum dictatarum melodiæ, cæterarum rerum copioſa impendia. Veniunt autem ad locum in vigilia aſcenſionis, & ſuſcipiuntur honore quo decuit. Otto itaque Magnus à fratre Brunone Coloniæ Archiepiſcopo ſiniſtra ductus, dextra baculo fultus: Filio autem matrem ducente, longe ipſe præ aliis, quaſi leo præ beſtiis, fratre manu oſculata decedente, ſolus in medio ſtans. Fratribus hinc inde ad laudes in lateribus Eccleſiæ directim ſtatutis, quaſi ſtatua conſtitit, oculiſque grandibus in fratres hinc inde circumuerſa-

tis,

tis, quam antea nouerat, si adhuc maneat disciplinam probans, baculum sibi decidere siuit: Cunone vero Duce Meranio genero eius accurrente, baculum ei timorate restituente, stare illum iubens ait. Ecce ego disciplinam horum quam & tu forsitan auditu nosti tentans, baculum mihi decidere siui, nulliusque illorum caput aut oculos ad hoc motos vidi. Dic ergo Adilheidæ meæ & filio versutiam quam feci: Filius namque sæpe facete loqui solitus erat Cunoni referenti: Miramur (ait) cum tam firmiter imperium teneat, quod baculus ei deciderit. Enimuero quasi leo regna, quæ adhuc cœpit, firmissime tenuit, neque mihi quamuis filio, partem vel vnam dedit. Deinde post laudes finitas, Otto rex magnus, neminem nisi quem Notkerus Abbas velit, secum claustrum ingredi edixit, sciens disciplinæ constitutum. Postea Decano & aliis primoribus ad oscula vocatis, ille dulcis nepos suus Notkerus balbulus, vbi esset, an adhuc viueret interrogat. Nam ille tunc ætate grandæuus, & caligabant oculi eius & videre non poterat, loco autem suo in sedili sedens solitarius & tacens, monstratus est Regi. Iubet ergo filio, vt ipse sibi adduceret illum: Qui mox iussa hilariter complens, osculatus eum, ad patrem manu duxerat benignum: At pater apprehensum virum sanctum & ipse gaudens osculatus est eum: & sub chlamyde astrictum multum cōsolatus est illum, dansque ei manum secum duxit in claustrum: O me (ait Notkerus) felicissimum orbum, qui tantos quantos nullus vnquam cæcus meruit, hodie habeo ductores. In claustro autem residens, Imperator iuxta se locauerat virum beatum: Ibi eum etiam Episcopi & Abbates, laici quoque & alij maiores, quibus sæpe profuit salutabant: Cum multa ædificationum verba haberent ad inuicem: Benedixit vir sanctus Imperatorem, iussitque eum deduci Rex in locum suum. Die autem crastina Otto magnus & filius & regina habentes colloquium, de disciplina & vtilitate domus cum Abbate & fratribus, commendantes se orationibus eorum, abierunt Romam, viam multam valde. Romæ igitur relicto, consecrato filio, Otto magnus à Roma rediens, in ciuitatem suam Magdburgensem, quam ipse ædificauerat: Ibique defunctus, regio more, vt decuit, honorifice est sepultus.

CAPITVLVM XXXII.

VIR itaque sanctus ac spiritalis nimia ætate ingrauescente visu luminis carens, in loculo suo, id est, in angulo sedens tem-

guens. Cumque sentiret diem vocationis suæ adesse,& crescente dolore infirmior existeret, conuocatis fratribus, coram eis munitus est viatico sacro,sanctis mysteriis corporis & sanguinis Christi, atque vnctione diuini liquaminis illinitus, valedicens omnibus benedixit eis, & commendans eos Deo & sanctis patronis Gallo & Othmaro,seque orationibus eorum commendans,multis clarus meritis, virtutumque odoribus redimitus, in senecta bona plenus dierum, beato fine deficiens, sanctum tradit spiritum: Non æstimo dubitare de tam beati viri anima,tot pigmentis laborum suorum insignitam, totiens flamine sancto ignitam, quæ Angelorum iubilos docuit Ecclesiam Dei, quin in Angelicis carminibus sit euecta ad cœlica regna,inter psallentium choros, & inter cateruas electorum Monachorum siderea sede considens, coronatus effulgeat, & maiestatem omnipotentis Dei videat Notkerus vas signatum Spiritus sancti, sexto idus Aprilis: & appositus est ad patres suos, capite basilicæ sancti Ioannis Baptistæ, & beati Petri principis Apostolorum, sepultusq; est in plaga Orientali.

CAPITVLVM XXXIII.

HYMNO dicto in obsequio viri Dei super sepulchrum eius aduoluentes lapidem, signantes monumentum, regressi sunt, fratres gemebundi & tristes in oratorium, lachrymarum imbribus irrorati: dolentes quod viri sancti corporalem præsentiam amplius habere non oportebat: Heu me proh dolor & nefas nefas: O negligentia: O ignauia: O torpor quod tam plurium annorum circuli reuoluti sunt, quod tanta ac talis tam elegans, tam lucida, tam prælecta, ac præclara margarita latuit in retro, & non in ante: In diademade reginæ, id est, in fronte sanctæ Ecclesiæ locata,vt omnibus luceret, qui in ea sunt? Aut cur homo eximiæ gratiæ non plura fecerit miracula? Cui ordinate respondendum est: Verum est quia pater sanctus pauca scripsit, præter sequentias & alia modica, cantumque etiam correxit secundum vsum, iuxta exemplaria beati Gregorij,in scholis docuit atq; instituit,sicut præfati sumus. Sciebat enim homo Dei quod plures opera plura fecerant, quos doctiores & sanctiores humiliter sibi prætulit:& quia scientia inflat,sapientia ædificat, caritas illuminat. Ideoque se nullo implicabat negotio,vt largius Deo & sibi vacaret, & arrogantiam siue iactantiam liberius declinaret. Erat namque tantæ humilitatis vir ac sibi despectus, vt solummodo laudem non quærens ab ho-

H minibus,

minibus, verum etiam quantum in ipſo eſſet, nomen ſuum vellet neſciri in terris: propter gloriam quam adeptus, pro qua multo feruoris deſiderio inardeſcens ſæpius flagrabat. Alio modo de ſignis. Sciendum itaque eſt, quod multi ſunt qui ſigna faciunt, & virtutem ſignorum non habent. Et ſunt alij qui virtutem ſignorum habent, ſigna tamen non faciunt. Sicut legitur in quadam Homilia beati Gregorij: Et ſunt alij plures ſanctorum, qui ſigna valenter & abunde faciunt, quibus tamen maiores ſunt hi qui ſigna non faciunt. Nam in ipſis Apoſtolis plus erat mirabilis virtus operum, quam ſignorum: Ita nũc eſt in Eccleſia: Plus eſt bene viuere, quam ſigna facere: Fere nulla ſigna fecerunt Patriarchæ & Prophetæ: Exceptis Moyſe, Ioſue, Helia, & Heliſæo. Aut quæ ſigna fecit ſanctiſſima ac præcelſa Dei genitrix virgo æterna? Vel ille cui inter natos mulierum nemo maior? Nulla leguntur ſigna feciſſe quamdiu erant in hac vita. Nec ipſe Dominus dinoſcitur ſigna feciſſe in his triginta annis. Nulla igitur ſigna leguntur agmina Angelica feciſſe, vt dicatur hoc ſignum fecit ille chorus, vel ille, aut Cherubin quoque & Seraphin, nec aliquis Angelus de ordine alicuius agminis in propria perſona, niſi forte Michaël vel Raphaël ſoli aliquid fecerint: Sed tamen eorum miniſterio credimus pene omnia miracula patrari. Sunt etiam nonnulli ſanctorum, quorum feſta ſancta Eccleſia valde ſolemniter ſolet celebrare, & commemorationem eorum agere, quibus tamen aliqui maiores ſunt, quorum nulla fit mentio: Vnus vero illorum erat iſte ſanctus ac beatus Notkerus, quia Chriſto confixus cruci, carnem ſuam crucifigebat cum vitiis & concupiſcentiis. Propterea idem Dominus Ieſus Chriſtus ſummus Pontifex factus cum baculo, id eſt, cruce introiit ſemel in ſancta, vt per ſanguinem ſuum ſanctificaret templum, ac dedicaret Eccleſiæ tripudianti in cœlis. In quo canonizauit feſta ſanctorum prædictorum celebranda ab Angelicis ſpiritibus, beati Notkeri & aliorum ſimilium, ibi videlicet in ſui præſentia. In quo templo ſedens cathedra, ſede ſplendet fulgida, & cum eo ſanctorum milia. In dextera eius ignea lex, & quoniam dilexit eos, in æternum conſeruabuntur, & delectabuntur in multitudine pacis: Et quia in pace factus locus eorum, ideo fulgebunt Sole ſplendidius in terra viuentium, & regnabunt cum eo in æuum & vltra.

CAPI-

Capitvlvm XXXIV.

SI quiſquam forte inuidiæ vel odij face accenſus, arguet nos de peccato & de iniuſtitia, ſuo iudicio derogans nobis Domini verbo dicentis de Heliu ad beatum Iob: Quis eſt iſte inuoluens ſententias ſermonibus imperitis? eo quod tantas ac tales auctoritates operi inſeruerim: Quicunque ergo ille eſt. Scire debet quod rationis eſt, quia myſtica ſanctorum merita, vita & geſta, myſticis ſunt auctoritatibus exemplanda, & ſpiritalia ſpiritalibus ſunt comparanda. Idcirco magis me reprehendo & ago pœnitentiam, quod minus dixerim, quam exegerint merita & geſta hominis iuſti: Si quis autem impoſuerit nobis falſa finxiſſe: Deum conteſtor, credat qui velit, nulla me ſcripſiſſe, niſi quæ audiui, vidi, vel legi, alioquin mallem tacuiſſe: Vnum tamen dico, & ideo parcendum eſt mihi, licet ſim illitteratus & indoctus, quoniam non cognoui litteraturam, eo tamen ſpiritu quo vir Domini abundabat donante, introiens in potentias Dei, de dextra ſedentis in throno, & de plenitudine eiuſdem Spiritus accepi quæ ſcripſi: Et cum non ſim rhetor, rhetoricæ tamen artis regulam imitatus, verarum rerum aut veriſimilium atteſtatione cauſam probabilem reddidi, quia auctoritates quas poſui, qui oculo rationis diſcernit & conſiderat, peroptime agnoſcet quam apte textui conueniant & Dei viro congruant.

Capitvlvm XXXV.

DE miraculis beati viri Notkeri, quæ poſt tranſitum ſuum ad tumbam eius, meritis ipſius ſuffragantibus contigerunt, longum eſſet enarrare quanta vel qualia. Nam à die depoſitionis ſuæ quo gleba ſancta latuit, & theſaurus pretioſus eſt abſconditus in terra, plura ſigna eius interceſſione patrata ſunt, per ducentorum circiter & eo amplius annorum ſpatium ante quos pater ſanctus migrauit ad Dominum: Sed ſicut audiuimus, ita & vidimus, vtriuſque ſexus homines, ſenes cum iunioribus & infantulis diuerſarum ægritudinum infortunio laborantes, circa ſepulchrum ſancti viri degentes, orationi inſtantes, oblationes ſuper ſepulchrum offerentes, lumina accendentes, gratiam curationum præſtolantes: diuinum auxilium flagitantes. Deniq; mox meritis ſerui ſui, miſit Deus verbũ ſuum & ſanauit eos, & eripuit eos de interitu eorum: Multi etenim eorũ tandem

dem sospitate potiti, liberati à malis omnibus, pristinam sanitatem adepti, cum gaudio remearunt ad sua, glorificantes & laudantes Deũ, & seruum eius sanctum Notkerum: Qui vero omnia eius miracula vellet scribere, maius volumen fieret quam vita. Etenim plura ab hominibus loci sunt neglecta, ac processu temporis obliuioni tradita. Cum ergo signa non sint fidelium, sed propter infideles fiant, & aliis odor vitæ in vitam, aliis sint odor mortis in mortem, maxime incredulis, & derisoribus, ne arguamur celare gloriam Dei & viri sancti, & dicatur nobis hoc Apostolicum: canes muti non valentes latrare, laudes Domini & virtutes sanctorum eius, & ne silentio redarguti: postea vnusquisque nostrum mœrens & dolens cum Propheta dicat: Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis, ego sum, quanta audiuimus & cognouimus miracula facta, & patres nostri narrauerunt nobis, & adhuc aliqui narrabunt, in scripto posteris demandamus, quia occultata adhuc sunt à nobis.

ACTVS

ACTVS SIVE PROCESSVS CANONIZATIONIS EIVSDEM B. NOTKERI, PERMISSV ET AVctoritate sanctissimi Domini Leonis Papæ X. à Notariis iuratis publica fide conscriptus.

REVERENDISSIMI IN CHRISTO Patris ac Domini, Domini HVGONIS diuina prouidentia Episcopi Constantiensis, subdelegatio & commißio, Domino Iohanni Zwick in decretis Licentiato Canonico & Custodi Ecclesiæ Constantiensis, vna cum suo publico Notario cæterisque Notariis, vt diligentiam adhibeant, omnesque citent sub excommunicatione maioris latæ sententiæ, vt omnia & singula, quæ de sancto Notkero sanctitatis testimonia & signa, sciant, dent, & publicent: deinde per Notarios annotata & inscripta.

HVGO EPISCOPVS CONSTANTIENSIS manu propria subscripsit.

HVGO Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Constantiensis, venerabili nobis in CHRISTO sincere dilecto Domino Ioanni Zwick in decretis Licentiato Canonico & Custodi Ecclesię nostrę Constantiensis, Consiliarioque nostro fideli, salutem in Domino, & in commissis diligentiam adhibere fidelem. Literas sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Iulij felicis recordationis Papæ secundi, in forma breuis sub annulo piscatoris clausas emanatas, & nobis pro par-

te venerabilium & religioſorum nobis in Chriſto ſincere dilectorum Franciſci Abbatis & Conuentus Monaſterij ſancti Galli ordinis ſancti Benedicti noſtræ diœceſis principalium & in eiſdem litteris principaliter nominatorum obſignatas, ea qua decuit reuerentia recepiſſe, aperuiſſe & legiſſe noueris huiuſmodi ſub tenore.

VENERABILI FRATRI EPISCOPO CONSTANTienſi, Iulius Papa ſecundus. Venerabilis frater ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

EXPONI nobis nuper fecerunt, dilecti filij, Franciſcus Abbas & Conuentus Monaſterij ſancti Galli ordinis ſancti Benedicti, veſtræ diœceſis. Quod cum corpus beati Notkeri olim Monachi dicti Monaſterij, in Capella ſanctorum Petri & Pauli ſita infra ſepta eiuſdem Monaſterij, debito cum honore conſeruetur: Qui adhuc catalogo ſanctorum annotatus & canonizatus non fuit, & multis claret miraculis, & frequens fidelium concurſus habetur, cum eius interceſſione plures ex dictis fidelibus ſentiant, & cognoſcant ſuas petitiones apud Dominum exaudiri: Summopere cupiunt eis & quibuslibet aliis perſonis, & vna die cuiuslibet anni per eos eligenda, vel die quo dictus Notkerus ab hoc ſæculo migrauit, feſtum Confeſſoris minoris ac Miſſam & Officium eiuſdem beati Notkeri à primis veſperis vſque ad ſecundas veſperas eiuſdem diei in dicta Capella ac eiuſdem Monaſterij, nec non aliis Eccleſiis & Capellis dicto Monaſterio ſubiectis & ſolemniter cuiuſuis licentia minime requiſita, licentiam concedi. Quare pro parte Abbatis & Conuentus prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt in præmiſſis oportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaq; huiuſmodi ſupplicationi inclinati, de præmiſſis certam notitiam non habentes, fraternitati tuæ, de qua in Domino præcipuam fiduciam obtinemus, per præſentes committimus & mandamus, vt in præmiſſis, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, facias, ordines, atque decernas, prout videbitur tibi faciendum: Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis cæteriſq; contrariis quibuſcunque. Volumus tamen, quod ex his quæ circa præmiſſa feceris, decreueris atq; ordinaueris: dictus Notkerus propterea canonizatus aut alias approbatus non cenſeatur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris, die 20. Decemb. 1512. pontificatus noſtri anno 10. *Balthaſar Tuerdus.*

Poſt

Post quarum quidem litterarum præinsertarum præsentationem, receptionem, aperturam, & diligentem inspectionem nobis & per nos vti præmittitur factas, fuimus pro parte dicti domini Abbatis & Conuentus principalium, & in litteris præinsertis, vt præfertur principaliter nominatorum, quatenus ad executionem dictarum litterarum, & contentorum in eisdem, iuxta earundem vim, formam, continentiam & tenorem procedere dignaremur, debita cum instantia requisiti. Nos itaque de præmissis certam notitiam non habentes, & nihilominus superioris mādata & præsertim Apostolica reuerentia exequi cupientes vt tenemur: Tibi, de cuius fidelitate & circumspectione, in Domino præcipuam spem obtinemus, præsentibus auctoritate Apostolica nobis commissa, & qua fungimur, committimus & mandamus, quatenus nedum in dicto Monasterio, sed & in aliis parochialibus Ecclesiis dicti oppidi S. Galli publicum proponi facias edictum, admonendo & requirendo auctoritate Apostolica prædicta, ac si tibi visum fuerit, sub excommunicationis pœna latæ sententiæ: Omnes & singulos vtriusque sexus homines, quibus de vita vel miraculis beati Notkeri olim Monachi dicti Monasterij vel ex certa scientia vel veridico relatu seniorum, seu authenticis scripturis constiterit, quatenus coram te in dicto Monasterio sancti Galli, & illic in stuba, Auff der Hell/vulgata, propria in persona compareant, agnitam de præmissis deposituri veritatem. Quos siquidem sic comparentes, coassumpto discreto nobis in Christo dilecto Leonhardo Altweger nostræ ac in officio Vicariatus curiæ nostræ Constantiensis Notario & Scriba iurato, de veritate dicenda in forma iuris, iuratos solenniter recipias, & super narratis in litteris præinsertis diligenter examines eosdem quærendo de veritate narratorum in eisdem litteris, & de vita ac miraculis beati Notkeri, an pro nomine Christi labores sustinuit, de humilitate eiusdem, an in vita persequentes passus fuerit, & de causa persecutionis. Item de miraculis per eum in vita & post mortem factis, & quæ, seu qualia fecerit miracula, & quomodo euenerint, an ex vi verborum vel merito istius sancti viri, an illa miracula tendant in corroborationem fidei, & quæ vel qualis sit de his fama viciniæ, & de aliis circumstantiis. Et dicta, & depositiones testium huiusmodi per dictum Notarium in scriptis fideliter redactas, & sigillo tuo ab extra clausas nobis quantocyus remittas. Testes autem qui tibi nominati fuerint, si se gratia, odio, amore, timore, prece, pretio, aut fauore subtraxerint, vice & auctoritate nostra, imo verius Apostolica, Ecclesiasti-

siasticam per censuram veritati testimonium perhibere compellas, tuam in præmissis conscientiam oneramus. Datum in aula nostra Constantiensi sub officij Vicariatus curiæ nostræ Constantiensis appressione, Anno Domini millesimo quingentesimo tredecimo, mensis Aprilis, die prima, indictione prima.

Leonhardus Altweger Notarius subscripsit.

IN BEATI NOTKERI VITAM, *Oratio.*

INSTITVENTI mihi apud dominationes vestras Orationem facere, postea quamdiu multumque tacitus mecum deliberaui, quam allaturus essem materiam quæ ad pietatem animos vestros efficacius prouocaret, à nonnullis venerabilibus huius Conuentus viris fuit tandem persuasum: Quatenus de beati Notkeri vita & conuersatione, altissimi dono perorarem. Pro cuius defensione & honore in hanc sanctam congregationem conuenistis, sanctum & salubre est, de tam eximio viro & sancta & religiosa loqui. Sed docto & erudito (qualem me nescio,) quippe cum ingenio sim pauper, merito nudus, sermone impolitus, quare cogitanti mihi de tanti patris occasu tam lugubri & dulcissima in suos quasi paterna amicitia, flere magis libet quam aliquid aliud loqui. Qui cum dilexisset suos qui erant in hoc mundo, non destitit, sed in finem dilexit eosdem. Ad cuius transitum Hesperus de cœlo cecidisse visus est. Cum tam magnificus è carnis migrauit ergastulo, quippe quo mundus non erat dignus. Tanta enim erat ei innata quædam humanitas, clementia, tum comitas, quæ me indignissimum homuncionem amare, & amorem lucubratione solenni cogit aperire. Qui cum esset magnorum parentum filius, spretis mundialibus pompis, ad diui Galli reclusorium secessit, vbi mundo renuncians Monachum sese professus est. In quo mirabiliter excrescens, multis claris virtutibus insignis atque coruscus refulsit. Nam de Carolorum genere, & sanguine, & antiquorum Saxonum, de quo illo in tempore Ottones Imperatores orti sunt, erat prosapia. Vir quidem corpore, sed non animo gracilis. In diuinis erectus, voce non spiritu balbulus. In aduersis patiens, ad omnia mitis. In diuinis scripturis eruditissimus. In secularium quoque litterarum disciplinis omnium sui temporis facile

cilc doctiſſimus, Philoſophus, Poëta, Muſicus, Aſtronomus, Theologus celeberrimus, diſciplinarum exactor acerrimus, ad repentina & inopinata timidulus, præter infeſtantes dæmones, quibus quidem ſe audenter opponere ſolebat. In dictando, legendo, orando celeberrimus. Sophiæ doctrina famoſiſſimus meritorumque ſanctitate beatiſſimus. Et vt in breui omnes ſanctitatis eius complectar dotes, vas erat Spiritus ſancti, quo ſuo tempore abundantius nullum. Hunc quamquam magnum ediderit carnis generoſitas: longe tamen clariorem ac magis inclytum Spiritus efficit generoſitas. Quæ autem carnis ſunt relinquentes, ad ea quæ ſunt Spiritus prouehamur. Is venerabilis pater adhuc in tenera ætate conſtitutus, fortaſſis meditandi & colligendi gratia, ſeſe in ſolitudinem recepit ſui, vbi inuenit quietem magnam & conſcientiam bonam. Studuit namque à pueritia ſua gratiam ſibi datam de facili non amittere. Omni cuſtodia muniens cor ſuum, abſtinentiæ, vigiliis, orationi & patientiæ operam dans, omni vero impetu conatus eſt ſternere carnem, ſuperare dæmones, & inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt viſibilia intellecta conſpicere. Sacros etiam ordines quos adhuc puer ipſe ſuſceperat, ita beatis moribus ornabat, vt ſi ætatis teneritas non repugnaſſet, altioribus quibuſque ſacramentis coaptari potuiſſet. Cumque puerilem ætatem eum corriuulis, & earundem virtutum ſuarum æmulis tranſiret: Ita ſe eiſdem in omni familiaritate & morum honeſtate coniunxerat, vt in eis laudes ſine inuidia & pares amicos facile inuenias. Ea autem quæ vitioſa iuuenum & lubrica ætas expoſcit, vt eſt diſcurrere, circuire, vagari, laſciuire, ſuperbire, ambire, voluptatibus vti, ſtulta conſortia, inutilia loqui, atque alia circa quæ iuuenes afficiuntur: Ita prorſus deteſtatus eſt, vt extra portas Monaſterij nonniſi obedientia coactus pedem mouiſſet. Et cum firma religio eum ad id compuliſſet, quaſi fortius pugnaturus, antequam egrederetur ſigno crucis ſe muniens, veniens circa ſingula altaria ſanctorum ſibi poſtulabat præſidia, prouolutus etiam fratrum religioſorum pedibus, ne aliqua ſorde vel tabe inficeretur, deprecatus eſt, vt Dominum orarent. Cætera quoque paruipendit, iſta nunquam neglexit. Mulierum quoque conſortia quaſi certos tentatoris laqueos fugit, & ab ipſarum forma, quauis etiam conſanguinitatis catena coniunctarum oculos demouebat, dicens: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Caſtitatis videlicet, & cordis munditiæ amator erat eximius, vt agni veſtigia immaculatus ſequi potuiſſet, nunquam præſtigiis aliquarum fœminarum inſtinctu diaboli imaginatio-

I ni con-

ni consensit, vt vllo fornicationis genere se pollueret, sed sub tali cautela mentem suam custodiebat, vt nec quidem cogitaret de virgine, sermones blesos, risui aptos, verba turpia, scurrilia, æterna clausura in omnibus locis dānabat, & ad talia eloquia, nec ipse os nec alios aperire permittebat. Fuit etiam in omni mansuetudine deuotissimus & ad seruiendum promptissimus. Cellæ infirmorum frequentius interesse, quam cum sanis conuersari studuit. Quos bene consolatus, ne ipsam infirmitatem suam inaniter, sed ad suorum absolutionem criminum prouenisse sperarent admonuit. Sordes & fœtores adeò familiariter & delectabiliter passus est, vt non quod fœtoris, sed miri odoris fragrantiam eum sensisse putares. Erat enim omni vilitate & extremitate contentus, & ad omnia quæ sibi adiungebantur, velut operarium malum & indignum se iudicabat. Denique omnibus se inferiorem & viliorem non tātum lingua sua pronunciabat, verum intimo cordis credebat affectu. nunquam vacabat otio. Sed quod sanctorū est, in quiete cordis & lenitate spiritus ambulabat. Nunquam sine opere, sine meditatione aut exercitio virtutis pręteribat ei tempus, vnde à multis dorsiloquia, & detractiones, vt vitiose in Conuentibus solet fieri, patiebatur, sed quia mitissimus hominum erat, in se ipso expers quid iniuriæ essent, habilisque ad contumelias, rarius ab eis lædebatur, probatus etiam in duris & contrariis, & quibuslibet irrogatis iniuriis, tacita conscientia patientiam amplectebatur, non lacessebat, non diffidebat, sed confortabatur cor eius in Domino, ductu siquidem virtutis, omnia huius sęculi blandimenta eius conspectui offerebantur amara, eiusdem enim virtutis annisu, à voluptate tanquam à flagitio, auocabatur, inhærendoque vestigiis Christi, inconcussa mente, saluberrima docebat. Neque vllis aut laboribus aut periculis parcebat, & non modo non vllas intolerabiles ærumnas, sed nec mortem pro Christo detrectabat. Iis vero disciplinis solerter operam dabat, in quibus discebat sapere nihil abiectum, nihil humile, nihil non admirandum. Atque ita ingenti, inuictoque animo, ingenio vero splendidissimo nihil cogitabat, nil agebat & loquebatur, quod erat excelsum aut vulgare nimis, quod vt commodius assequeretur, eorum præsentia, & familiaritate delectabatur, qui vitam eius possent meliorem reddere & ostendere. Is vir Dei aliis quam diligentissime commentatus, plus maluit sequi rationem quam corporis lasciuiam. Quo factum est, vt sicut viuus cunctis celebris, mortuus quoque ab vniuersa gentilitate fratrum diuinos honores meruerit: Tanta enim dona, ne dum in

vi.o

viro isto, sed in cunctis fratribus sancti Galli videre erat, vt ne dicam illas me, sed neque Pythagoram de Samo, ægrè sciam, has eloqui posse. Alius enim alio humilior & patientior decertabat inueniri, nec zelos amarus, nec inuidiæ liuor inter eos dominabatur. Sed charitas principaliter & iustitia regnabat. Et si charitas mater est virtutum, & concordia filia eius, & simplicitas sancta earum pedissequa: Illic sine dubio domicilium habebat. Quæ & si pro tempore aliquanto, in aliis locis commorata fuerit, & particulatim se ibi ostenderit, tamen hic semper cum filia tota consistebat. Ab his videlicet vberibus charitatis beatus Notkerus suxit benignitatem, obedientiam, largitatem, modestiam & cæteras item animi virtutes, ex quo tam DEO quàm hominibus dignissimus omnipotentique DEO per omnia charissimus, ceu aureum candelabrum lucet in domo, sic ille refulsit in templo Domini. Ipse est qui de possessore suo primus omnium nectarium illud modulamen eructabat, totique mundo ad salutem propinabat, sequentiam dico: Sancti Spiritus assit nobis gratia, &c. Ipse est qui victoriam æterni Regis per martyrium crucis sub triumpho huius cantici deprompsit, dicens: Cum Rex gloriæ CHRISTVS &c. Ipse est qui malignum diabolum suadentem sibi aliqua, cum ipsis suasionibus suis à conspectu cordis sui redegit in nihilum, & paruulos cogitatus suos allisit ad Christum. Ipse est cuius sequentias & hymnos Nicolaus Papa confirmauit, & in officio Missæ publicè cantari instituit. Quare Vdalricus huius nominis quintus Abbas Monasterij sancti Galli in legatione Friderici III. Regis Romanorum, coram Innocentio III. cum in præsentia Papæ Missa de Spiritu S. celebraretur, & illa sequētia Sancti Spiritus &c. cantaretur, requisiuit eundem Abbatem: Quis est ille Notkerus tuus? Cui ille: Simplex cœnobita Conuentus sancti Galli erat, sed beatus. Ad quem Papa: Agis ne festiuitatem eius? Et ille: non (inquit) tantum agitur de eo sicut pro alio defuncto fratre. Et Papa: O infelicissimi, obnoxij tanti sceleris, quod huius viri, qui plenissimus erat Spiritu sancto, festiuitatis diem non agitis, infelices eritis. Ipse est qui sancta & admirabilia opera de laudibus sanctorum sine cuiuspiam imitatione conscripsit, testimonium præbent illi ornatissima, vetustissima, in diuersis locis epigrammata, quæ apud sanctum Gallum in veteri bibliotheca, in Moguntia, Cœnobiisque aliis quam plurimis Rheno finitimis, ego ipse cum summa iocunditate vidi & lectitaui. Itaque quocunq; cogitatione & animo me conuertam: Inuenio hunc

virum in quacunque facultate non mediocrem, sed prope maximarum artium. Et si forte res sanctas & vtiles humili stylo scripsit, an ideo floccipendendus sit? absit: non sunt abiiciendi veteres etiam Iurisconsulti, non Theologi, quia res sanctas & honestas solidissimasque sententias non verborum succo & ventositate, sed quieto genere dicendi & mediocri Latinitate sparserunt. An reiiciendus est Notkerus, qui cupiditate discendi adeo flagrans erat, quod nullum disciplinarum genus ferme sibi incognitum pati voluit? An reiiciendus est qui gregem fratrum (vitiorum contagiones penitus abdicatas) in viridia locabat pascua gratiarum? An nō est censendus doctus, nisi qui more Tulliano elegantissime scribit? An vniuersi qui lenas, lubricas, inutiles & obscœnas sententias phalerato stylo, lasciua verborum licentia compositione exornare student, doctissimi sunt iudicandi? Falsum est vtrumque: Quamquam is perfectior est, qui profundis ac grauibus sententiis melliti sermonis dulcedinem intermiscet. Sed non possumus omnes esse Scipiones, non omnes Nestori similes, ex cuius (licet vetuli & decrepiti) lingua lacte dulcior fluebat oratio. Quare ad magnificentiam titulorum huius beati viri, lingua eius rutilabat argenteis eloquij margaritis. Quæ decoctum mentis aurum forinsecus euocabat in verbi fortitudine. Corda mollire saxea, & in vias planas aspera nouit commutare. Mitto nunc eius patientiam, fidem, spem, charitatem, transiret prius dies si cuncta vellem perstringere. Cum autem vir Dei, diem vocationis suæ sensisset aduenisse, conuocatis fratribus coram eis munitus est viatico sacro, videlicet mysteriis corporis & sanguinis CHRISTI, atque vnctione diuini liquaminis illinitus, valedicens omnibus, benedixit eis, commendans eos DEO & sanctis patronis Gallo & Othmaro. Seque orationibus eorum recommendans, multis clarus virtutibus virtutumque odoribus redimitus, in senecta bona, plenus Spiritu sancto, beato fine deficiens, sanctum tradidit spiritum. Non æstimo dubitandum, de tam beati viri anima tot pigmentis laborum suorum insignita, totiens flamine sancto ignita, qui Angelorum iubilos docuit Ecclesiam Dei, quin Angelicis manibus euecta sit ad perennia regna, inter cateruas Monachorum, vbi faciem Domini contemplatur semper in gloria. Locus autem sepulturæ hominis DEI ab incolis & aduenis terræ plurimum frequentatur, vbi quanti meriti apud Deum sit, miraculorum gloria eius testatur. Plerique etiam nonnullis pressurarum calamitatibus quassati, liberationem & absolutionem corporalem circa memoriam

moriam eius se assecutos cum lachrymis profitentur, ex quibus hic multa subiecta.

Dixi.

Hugo Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Constantiensis, Commissarius & executor vnicus ad infra scripta, auctoritate Apostolica, specialiter deputatus, vniuersis & singulis Christi fidelibus præsentibus & posteris, notitiam subscriptorum cum salute & sincera charitate. Litteras Apostolicas felicis recordationis Domini nostri Iulij diuina prouidentia Papæ secundi, in forma breuis emanatas, & nobis pro parte reuerendi & religiosorum Domini Francisci Abbatis & Conuentus Monasterij sancti Galli ordinis sancti Benedicti nostræ diœcesis, annulo quidem piscatoris sigillatas & clausas sanasque integras & illæsas, ac omni prorsus vitio & suspicione carentes obsignatas: Nos qua decuit reuerentia recepisse & legisse noueritis, huiusmodi sub tenore:

Ivlivs Papa Secvndvs Venerabili Fratri Episcopo Constantiensi. Venerabilis frater salutem & Apostolicam benedictionem.

Exponi nobis nuper fecerunt, dilecti filij, Franciscus Abbas & Conuentus Monasterij sancti Galli tuæ diœcesis. Quod cum corpus beati Notkeri olim Monachi dicti Monasterij, in Capella sanctorum Petri & Pauli infra septa eiusdem Monasterij, debito cum honore conseruetur: Qui adhuc catalogo sanctorum annotatus & canonizatus non fuit, & multis claret miraculis, & frequens fidelium concursus habetur, cum eius intercessione plures ex dictis fidelibus sentiant, & cognoscant suas petitiones apud Dominum exaudiri: Summopere cupiunt eis & quibuslibet aliis personis, vt vna die cuiuslibet anni per eos eligenda, vel die quo dictus Notkerus ab hoc sæculo migrauit, festum Confessoris minoris ac Missam & Officium eiusdem beati Notkeri à primis vesperis vsque ad secundas vesperas eiusdem diei in dicta Capella ac eiusdem Monasterij, nec non aliis Ecclesiis & Capellis dicto Monasterio subiectis, & solenniter celebrandi cuiusuis licentia nullatenus requisita, licentiam concedi. Quare pro parte Abbatis & Conuentus prædictorum nobis fuit humiliter sup-

plicatum, vt in præmissis oportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaq; huiusmodi supplicationi inclinati, de præmissis certam notitiam non habentes, fraternitati tuæ, de qua in Domino præcipuam fiduciam obtinemus, per præsentes committimus & mandamus, vt in præmissis, super quo tuam conscientiam oneramus, facias, ordines, atque decernas, prout videbitur faciendum: Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus tamen, quod ex his quæ circa præmissa feceris, decreueris atq; ordinaueris: dictus Notkerus propterea canonizatus aut alias approbatus non censeatur. Datis Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die 20. Decemb. 1512. Pontificatus nostri anno 10.

Post quarum quidem litterarum præinsertarum præsentationem, receptionem, & diligentem inspectionem nobis & per nos vti præmittitur factas, fuimus pro parte domini Abbatis & Conuentus prædictorum in litteris præinsertis, vt præfertur nominatorum, quatenus ad executionem earundem litterarum, licentiæ concessionem, & alia nobis commissa procedere dignaremur, debitè requisiti. Nos itaque cupientes superiorum nostrorum & maxime Apostolicis mandatis reuerenter obedire vt tenemur, de veritate inibi expositorum aliisque facti huiusmodi qualitatibus & circumstantiis inquisiuimus diligenter. Et quia huiusmodi diligenti inquisitione auctoritate Apostolica per nos præhabita, centum quinquaginta quatuor vtriusque sexus fide dignorum testium: nec non duorum vetustorum librorum euidenti testimonio de vitæ sanctimonia, & quamplurimis miraculis quæ Deus omnipotens meritis ac precibus beati Notkeri olim dum vixit Monachi Monasterij sancti Galli ordinis sancti Benedicti, cuius corpus in sanctorum Petri & Pauli principum Apostolorum Capella infra septa eiusdem Monasterij sita reconditum honorifice conseruatur, operatus est, & indies operatur, & quod multi Christi fideles ad eandem Capellam feruore deuotionis, quam erga ipsum beatum Notkerum gerunt, accensi, sedulo confluere, ac vota sua altissimo persoluere consueuerunt, ac petitiones suas exaudiri, & aduersis infirmitatibus, periculis & necessitatibus se curari, eripi & subleuari senserunt & cognouerunt: Et quod propterea idem beatus Notkerus à longo tempore citra in magna veneratione haberi consueuit, prout habetur, nobis legitime constitit & constat. Idcirco attendentes petitionem præfatorum Dominorum Abbatum & Conuentus fore iustam & rationi cōsonam:

ſonam: Ac volentes mandatum Apoſtolicum nobis in hac parte directum reuerenter exequi, vt tenemur, auctoritate Apoſtolica, ſupradicta, qua fungimur in hac parte, præfatis Dominis moderno & pro tempore Abbati & Conuentui, & quibuslibet aliis perſonis, vt vna die cuiuslibet anni per eos eligenda, vel die qua beatus Notkerus prefatus ab hoc ſæculo migrauit, feſtum Confeſſoris minoris ac Miſſam & officium eiuſdem beati Notkeri à primis veſperis vſque ad ſecundas veſperas eiuſdem diei, in dicta Capella ſanctorum Petri & Pauli, ac eiuſdem Monaſterij, nec non aliis Eccleſiis & Capellis eidem Monaſterio ſubiectis, cuiuſuis licentia minimè requiſita, ſolenniter celebrare & facere celebrari, poſſint & licite valeant, licentiam & facultatem liberam concedendum decernimus, prout auctoritate prædicta concedimus, per præſentes, non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis cæteriſq; contrariis quibuſcunq;. Volumus autem prout præfatus Iulius Papa ſecundus in litteris ſuis præinſertis voluit, quod idem beatus Notkerus propterea canonizatus aut alias approbatus non cenſeatur. In quorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, litteras præſentes inde fieri & ſigilli officij noſtri pontificalis iuſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum Conſtantiæ prouinciæ Maguntinæ, in aula noſtra, anno Domini milleſimo quingenteſimo tredecimo, die quarta menſis Octobris, Indictione prima, Pontificatus vero ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri Leonis diuina prouidentia Papæ decimi, anno primo, &c.

HVGO *Epiſcopus Conſtantienſis manu propria ſubſcripſit.*

Leonhardus Altweger Notarius ſubſcripſit.

SANCTI Spiritus aſſit nobis gratia, AMEN. Cum inter claras ſapientiæ laudes Principis puriore luce tanquam aliquod ſidus irradiet quod amore fidei ac Chriſtianæ religionis feruore ſanctæque Romanæ ſedis reuerentia veneratur, & ſicuti ſacratiſſimæ leges teſtantur, conuerſationis Monachalis vita ſic eſt honeſta, ſic commendat hominem, vt omnem quidem humanam eius maculam detergat: purum autem declaret ac rationabili natura decentem, & plurima ſecundum mentem operantem, & humanis cogitationibus celſiorem. Si quis igitur futurus eſt Monachus, eſſe perfectus indiget, & diuinorum eruditione eloquiorum conſeruationis integritate, vt tanta dignus ſit mu-

sit mutatione. Hæc & similia, reuerendissimus in Christo pater & Princeps Dominus Franciscus DEI & Apostolicæ sedis gratia Archimandrita & Præsul Monasterij sancti Galli, sanctæ sedi Apostolicæ immediatè subiecti, de beato Notkero ad aures sanctissimi Domini nostri Domini Iulij diuina prouidentia Papæ secundi, deduxit: Qui quidem præfatus Dominus noster Iulius, vt supremus Princeps, & vt verus Vicarius Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, nutu diuino motus tanquam piissimus & vigilans pastor erga gregem diuinitus sibi commissum, perspicaci animo ac mentis suæ acumine considerans, oculisque suæ pietatis intuens benignus in beatum Notkerum, ac harum conditionum olim Monachum cœnobij diui Galli, aduertens extitisse, & talem inuenit, vt bene de eo dici possit, excelsior omnibus factus, ac talentum sibi creditum duplicatum, fideliter omnipotenti restituit. Nihilominus tamen iuxta Canonicas sanctiones patrum & Apostolicam doctrinam, videlicet nemini cito manum imponas, vitæ suæ sanctimoniam & doctrinam, discutiendam ac debito ordine & maturo processu inquirendam, Reuerendissimo in Christo patri & Domino, Domino Hugoni Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopo Constantiensi tanquam suæ sanctitatis in hac parte delegato commisit, prout in suæ sanctitatis Apostolicis litteris, in forma breuis, sub annulo piscatoris plene continetur. Qui quidem delegatus mentem sanctitatis præfati Domini nostri perpendens, huiusmodi mandatum venerabiliter ac legaliter expedire cupiens: Atque eundem Notkerum doctrina & miraculis plurimis coruscantem, dictis & attestationibus centum & quadraginta quatuor testium vtriusque sexus inuenit, prout processus registri desuper facti & manu discreti viri Magistri Leonhardi Altweger Notarij publici & huiusmodi causæ Scribæ subscripti clarius edocet, ita vt etiam non petita venia in persona Notkeri ritè dicere possimus, Domine probasti me & cognouisti me: Idcirco dignus inuentus est. Quin ita quoque Reuerendissimus Dominus delegatus Apostolicus decreuit, ob sanctimoniam vitæ & doctrinam præfati Notkeri eundem fore & debere debito modo venerari: Ita vt aliquo statuto die anni per præfatum Reuerendissimum Principem & Abbatem eligendo, in Ecclesia præfati Monasterij, Capellis & Ecclesiis sibi vnitis & subiectis, tanquam de simplici Confessore legi & cantari possit, prout in suæ reuerendissimæ paternitatis processu, latius continetur. Sed cum nunc ad actum rite procedendum sit, diuino numine inuocato, incipiamus tali exordio, videlicet:

NVNC

NVNC AD ACTVM PROCEDAMVS, SVB TENORE huius Instrumenti, coram Notariis & testibus peractum.

IN nomine Domini nostri IESV CHRISTI Amen. Anno à natiuitate eiusdē millesimo quingentesimo quartodecimo, Indictione secunda, die Sabbathi, sexta mensis Maij, cuius sequens Dominica in Dei Ecclesia erat Dominica Iubilate, hora vespertina vel quasi, Pontificatus sanctissimi in Christo patris & Domini nostri Domini Leonis diuina prouidentia Papæ decimi anno secundo, in nostrorum infrascriptorum trium Notariorum publicorum ac testium præsentia, Reuerēdissimus in Christo pater & Dominus Dominus Franciscus Dei & Apostolicæ sedis gratia Abbas præfati Monasterij sancti Galli, sedi Apostolicę immediatè subiecti, Constantiensis diœcesis: In animo suo reuoluens dictum sacræ fore paginæ: Os iusti meditabitur sapientiam: talia præmeditatus, id, tam pium, tam sanctum, tam præclarum, & vt singula breuibus præstringantur, toti patriæ tam necessarium patronum & Aduocatum apud cunctipotentem extollere, non fore negligendum seu floccifaciendum, iuxta id: Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena. Volens versare vtique iuxta Apostolicam admissionem fimbrias glorię laudis, & sanctimoniæ olim venerabilis ac beati Notkeri cœnobitæ præfati Monasterij sancti Galli dilatare atque extollere, iuxta illud sacri eloquij dictum: Viuent mortui tui Domine, & interfecti mei resurgent: Cum magna solennitate ac pontificalium celebritate, concomitante toto suæ reuerendissimæ paternitatis Conuentu ac toto Clero, in & extra oppidum sancti Galli cum magna caterua populi vtriusque sexus, adstantibus & ministrantibus suæ reuerendissimæ paternitati religiosis & venerabilibus viris Dominis Alberto Miles, Ludouico Blarer, cœnobitis ibidem, Heinrio Buman, ac Lazaro Talman, Capellanis officij gloriosæ virginis & genitricis Dei Mariæ: Cum processione ac solenni cantu Ecclesiam præfati Monasterij egressus, & ad Capellam beatorum Petri & Pauli: In qua corpus beati Notkeri requiescit, cum magna deuotione se trāstulit: Ibique litteras Apostolicas, ad extollendum & glorificandum beatum Notkerum cum earum processu sibi præsentatas venerabiliter suscepit: Cum cantu, responsoriis, antiphonis, versiculis & collectis ad hoc deseruientibus, & huiusmodi actum concernentibus, cum

K conclu-

conclusione, lætabundus cantus, Te Deum laudamus. His itaque peractis, in vi Apostolicæ admissionis diem prædicti Notkeri singulis annis celebrandum ad Dominicam Iubilate instituit. Et desuper per organum honorabilis viri Vdalrici Bati Cancellarij præfati Monasterij protestatus est solenniter & expresse, suam reuerendissimam paternitatem, cum omni humilitate Apostolicas litteras cum earum processu recepisse, & iuxta earum tenorē ad contenta in eis processisse, neq; plus minusuè quā in litteris Apostolicis continetur, se velle fecisse aut facere, offerendoque se semper ad Apostolica mandata filium obedientiæ. De quibus omnibus præfatus Cancellarius de mandato prælibati reuerendissimi Domini Principis viuæ vocis oraculo sibi facto, instanter: Nos tres infrascriptos Notarios requisiuit & petiit, super his omnibus suæ reuerendissimæ paternitati vnum vel plura publicum seu publica instrumētum seu instrumenta fieri & tradi, sicq; processionaliter recessum. Et vesperæ inibi solennes de beato Notkero per præfatum reuerēdissimum Abbatem & chorum decantatæ. Et sequenti die videlicet Dominica Iubilate mane circa horam nonam ante meridiem festum beati Notkeri iuxta prænominatam institutionem cum Missa solenni in pontificalibus suis cum deuotione solenniter decantauit, astante toto Clero & populi vtriusque sexus multitudine copiosa. Fuerunt autem ex venerabili Conuentu Monasterij sancti Galli, in illo actu præsentes reuerendi ac deuoti Domini:

Pater Ioannes Sayler Decanus.
Pater Gallus Kopff Subdecanus.
Pater Ioannes Trutmann.
Pater Iacobus Schurpff.
Pater Albertus Miles.
Pater Ludouicus Blarer.
Pater Ioannes Cünß.
Pater Cunradus Haller.
Pater Antonius Vogt.
Pater Kilianus Germann/dictus Köffi.
Pater Iodocus Notkers Egger.
Pater Heinricus Sayler.
Pater Sebastianus Rügger.
Frater Martinus Stör.
Frater Ioachim Brander dictus Pfister.
Frater Dionysius Landolt.

Frater

Frater Othmarus Wildt.
Frater Laurentius Zapff.
Frater Benedictus Schartolt.
Frater Ioannes Schnapperli.

Acta sunt hæc Anno, Indictione, diebus, horis, mense & Pontificatu, quibus supra.

Præsentibus ibidem religiosis, deuotis ac venerabilibus, validis & prouidentibus viris Patre Laurentio Schab/ Licentiato in Theologia, Ordinis sancti Benedicti, ex Monasterio Selgistatt/ Maguntinensis diœcesis, tunc Prædicatore Monasterij eiusdem.

Patre Ioanne Fabri, Ordinis Prædicatorum.
Patre Matthia Stelße Ordinis Minorum.
Patre Sigismundo Sang Ordinis B. Augustini.
Dominis, Magistro Hermanno Miles parochialis Ecclesiæ S. Magni in oppido sancti Galli Pastore & Decano Capituli Ruralis in Rorschach.
Domino Nicolao Schnapperli.
Domino Gallo Knobloch.
Domino Wolffgango Wetter.
Capellanis præfatæ Ecclesiæ sancti Magni.
Dominis Caspare Ransperg Vicario Ecclesiæ S. Laurentij oppidi sancti Galli.
Domino Ioanne Weniger Adiutore eiusdem Ecclesiæ.
Domino Clemente Hör.
Domino Bartholomæo Wygermann.
Domino Othmaro Lieb.
Domino Vdalrico Girtanner Capellanis eiusdem Ecclesiæ sancti Laurentij.
Dominis Heinrico Baumann.
Magistro Ioanne de Hub.
Adam Weckerli.
Petro Kayser. Ioanne Schub.
Lazaro Talmann.
Ioanne Röll / Capellanis officij gloriosæ virginis Mariæ in Ecclesia Monasterij sancti Galli.
Dominis Iacobo Forster ad sanctum Georgium.
Ioanne Vdalrico Rosch ad sanctum Iacobum.

Cunrado Högger.
Iacobo Gebhart ad S. Leonhardum.
Ioanne Wettach ad sanctam Mariam Magdalenam in Lynsenbull domus leprosorum.
Matthæo Ab der Rüti ad S. Fidem Capellanis.
Cunrado Pachoffen de Turrego Capitaneo Monasterij sancti Galli.
Caspare von Wiler Magistro ciuium præfati oppidi sancti Galli.
Caspare Schlumpff antiquo Magistro ciuium.
Iacobo Krum.
Leonardo Sytz.
Ioanne von Wiler ciuibus ibidem.
Michaële Rösch de Rohrschach Camerario præfati reuerendissimi Domini Principis & Abbatis.
Michaële im Riedt, Præcone iurato prædicti Monasterij, & aliis quam plurimis fide dignis vtriusque sexus hominibus ad huiusmodi actus vocatis specialiter atque rogatis.

ET ego Christophorus Winckler Rector parochialis Ecclesiæ oppidi Altstettensis vallis Rheni Constantiensis diœcesis prouinciæ Maguntinensis, sacra Imperiali auctoritate Notarius, quia huiusmodi solenni processioni litterarum Apostolicarum, cum earum processui, præsentationi & exhibitioni & acceptationi, laudis & gloriæ beati Notkeri amplificationi, festiuitatis eius institutioni, protestationi, diuinorum successiue officiorum celebrationi, pontificaliumque celebrationi, omnibusque aliis & singulis, dum sic vt præmittitur fierent & agerentur, vna cum infra scriptis meis in hac parte collegis & legalibus Notariis ac prænominatis testibus præsens interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi & audiui: ideo hoc præsens publicum Instrumentum manu mea propria scriptum exinde confeci, subscripsi, publicaui, & in hanc publicam formam redegi, signoque & nomine solitis & consuetis signaui, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus, &c.

ET ego Wolfgangus Reuter de Imperiali oppido Buchorn, laicus, Cōstantiensis diœcesis, auctoritate Apostolica Notarius publicus,

blicus, quia huiusmodi processioni, &c. vt superius. Omnibusque & aliis & singulis, dum sic vt præmittitur fierent & agerentur, vna cum supra & infra scriptis meis in hac parte collegis & legalibus Notariis ac prænominatis testibus præsens interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi & audiui: Ideo hoc præsens publicum Instrumentum manu præfati suprascripti Notarij scriptum exinde confeci & subscripsi, &c.

ET ego Caspar Grůb de oppido Baden Ergowe Clericus coniugatus, sacris Apostolica & Imperiali auctoritatibus Notarius publicus, quia huiusmodi solenni processioni litterarum Apostolicarum cum earum processu, præsentationi & exhibitioni, &c. vt superius.

Hæc Copia est per me suprascriptum Wolffgangum Reuter *Notarium ab originali Instrumento descripta, & concordat huic, quod ego protestor manu mea propria* 1514. *Et denuo per me Fridolinum* Sicher *Organistam vti ipse rescripta, Anno* 1526.

NVNC QVOMODO COMMISSARIVS, VIDELIcet reuerendissimus Pater & Dominus DEI & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus Constantiensis, dummodo venerabilis & circumspectus vir & Dominus Ioannes Zwick/ob corporalem infirmitatem examini huiusmodi intendere & vacare non poterat, Leonardo Altvveger Notario præscripto, examen testium huiusmodi in partibus fideliter faciendum committendum duxit & commisit, & litteras commissionis desuper decernendo huiusmodi sub tenore:

HVGO Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Constantiensis, discreto nobis sincere in Christo dilecto, Leonardo Altweger nostro & in officio Vicariatus curiæ nostræ Constantiensis Notario & Scribæ iurato: Salutem in Domino & diligentissimam in commissis adhibere fidem. Quamquam nos pridem examen & receptionem testium super narratis quarundam litterarum Apostolicarum in forma breuis, occasione beati Notkeri olim Monachi Monasterij

sancti Galli, Ordinis sancti Benedicti nostræ diœcesis emanatarum, producendorum siue virtute Edicti desuper emissi comparentium venerabili nobis in Christo dilecto Ioanni Zwick in decretis Licentiato, Canonico & Custodi Ecclesiæ nostræ Constantiensis & Consiliario nostro fideli, per alias nostras certi tenoris litteras commiserimus: Tamen quia idem Dominus Custos ob infirmitatem corporalem examini huiusmodi intendere non potest: Nos tibi, de cuius industria & fidelitate in Domino singularem obtinemus fiduciam, examen & receptionem testium huiusmodi sub modo equidem & forma prioris commissionis dicto Domino Custodi factæ auctoritate Apostolica committimus, & te in eiusdem locum harum serie litterarum surrogamus. Datum in aula nostra Constantiensi anno Domini millesimo quingentesimo tredecimo, die 2. mensis Aprilis, Indictione prima, sub sigillo officij Vicariatus dictæ Curiæ nostræ Constantiensis, à tergo præsentium impressione.

Ex speciali commissione dicti Domini Hugonis Episcopi, Cunradus Rainer subscripsit.

Cuius quidem Commissionis præinsertæ vigore Ego præfatus Leonardus Altweger Notarius causæ huiusmodi Edictum publicum iuxta continentiam prioris Commissionis in oppido sancti Galli, & quidem in Monasterio, ac sanctorum Laurentij & Magni parochialibus Ecclesiis præponi feci, & de eius executione fideli ratione mihi facta: Ego idem Leonardus Altweger testes infrascriptos coram me tempore & loco subnotatis, virtute Edicti huiusmodi comparentes, in forma iuris iuratos solenniter recepi, & iuxta mentem & formam dictæ prioris Commissionis diligenter examinaui, vt sequitur deponentes.

NVNC TESTIVM IVRAMENTVM sequitur:

Hæc forma in teste primo, &c.

PROVIDVS Othmarus Blum Sub-Burgermeister oppidi sancti Galli, ætatis annorum quadraginta vnius. Sibi vt ferat testimonium, nil est datum, promissum vel remissum. Nec ex sua depositio-

fitione sperat consequi lucrum, commodum vel emolumentum. Non est quid, quomodo, aut qualiter deponere debeat informatus. Sed metu censurarum & virtute Edicti comparet, agnitam sibi depositurus veritatem, odio, amore, timore, fauore, prece, pretio & omni humana gratia penitus postpositis & semotis.

Sub hac forma omnes & singuli testes agnitam sanctitatis S. Notkeri veritatem deposuerunt, & per Notarium examinati, iuramento prius præstito sunt descripti.

Primus deposuit & dixit: OTHMARVS BLVM.

QVOD ipse natus sit in oppido sancti Galli, & ab ineunte ætate sua, à suis parentibus & maioribus audiuerit: Qualiter ille sanctus Notkerus, cuius corpus in Ecclesia sancti Petri eiusdem oppidi sancti Galli tumulatum existat, vir fuerit sanctus & canonizatione ac veneratione dignissimus: Et quamdiu omitteretur eius canonizatio, semper in centum annis oppidum sancti Galli ignis voraginem passurum sit, prout audiuerit ter absumptum sic fuisse, ipse tamen non recordetur. Sicque audiuerit, quod eo non canonizato nullus Abbas Monasterij sancti Galli bonam valetudinem corporisque sanitatem habiturus esset, prout ipse tres recordetur videlicet Dominos Abbatem Vlricum, Abbatem Gotthardum, & nunc Modernum dominum Abbatem, qui certe omnes postquam Abbatialem dignitatem adepti, infirmi fuerint, prout & Modernus Abbas hodierno die sit infirmus, pallore faciei id testante. Et propterea idem sanctus Notkerus veneratus sit, quamdiu testis recordetur, vt sanctus & potens in conspectu Dei omnipotentis, &c.

HÆC DE ÆSTIMATIONE, QVA HABEBATUR à hominibus & incolis. Nunc de Miraculis.

ADVERTIT etiam idem Othmarus prædictus annis duodecim seu quatuordecim elapsis, à quondam Conrado Sacher de Constantia lapicida ciue oppidi S. Galli, qualiter ipse interfuerit, quando sepulchrum sancti Notkeri altius eleuatum fuerit, & nouus lapis desuper positus, & quod ibi inuentus fuerit Sarcophagus plumbeus, vnde odor suauissimus exierit, adeò quod ipse & cæteri de eo mirati

rati sunt, & ad Monasterium cucurrerunt illa fratribus nunciantes. Qui letaniam ibi decantauerunt. Hæc sic vt præfertur à dicto Cunrado viro equidem fide digno audiuerit.

Ipse denique testis habuerit filium vnius anni, qui epilepsia, vulgariter Kindliwe laborauerit, vt vero ipsa vxor testis cum puerulo cereo votum fecerit ad sanctum Notkerum, continuo reconualuerit. Et sint inde anni elapsi tredecim aut quatuordecim.

Ipse etiam testis circa duodecim annos valde periculosa laborauerit ægritudine per sex aut septem septimanas, vbi ipse beneficio & intercessione huius sancti Notkeri continue curatus fuerit, vxore pro eo votum faciente, aliud non dicit.

Miracvlvm Alivd.

Lavrentivs Hochrütiner ciuis oppidi sancti Galli annos natus triginta octo, sibi vt ferat testimonium, vt supra &c.

Super narratis in litteris breuis diligenter medic[illegible] suo præstito iuramento examinatus, dicit, quod ipse ab ineunte sua ætate beatum Notkerum pro viro sancto & veneratione dignissimo singularique auxiliatore omnium cum in necessitate inuocantium haberi audiuerit. Vnde ipse ante aut circa quatuordecim annos crus doluerit, & multa foramina habuerit, valde periculosa, & vt ipse à nullo curari potuerit, vouerit Deo & sancto Notkero, quod ipse singulis diebus Dominicis velit visitare sepulchrum eius, & ibi orare tria Pater noster, & totidem Aue Maria, cum quartali ceræ, & statim emisso voto in sex diebus reconualuit. Et audiuerit quod nullus Abbatum Monasterij sancti Galli supradicti sanitate haberet gaudere, illo sancto viro non canonizato.

Miracvlvm.

Gallvs Stucheler de oppido sancti Galli ætatis annorum vltra triginta, sibi vt ferat testimonium, vt supra &c.

Super narratis in litteris breuis diligenter quod &c. Beatus Notke-

Notkerus veneratus fuerit, vt ſanctus, audiuerit: Vnde annis elapſis decem, ipſe in ſiniſtra manu quandam tumefactionem habuerit per quatuordecim dies valde periculoſam & adeo grauem, quod cum eadem operari plane nihil potuit. Sed vt votum fecerit ad beatum Notkerum in tribus diebus reconualuerit.

Dicit etiam quod ipſe habuerit duorum annorum puerum, qui etiam tumefactionem circa genitalia habuerit tantam quod ruptus credebatur, ſed beneficio & interceſſione beati Notkeri continue reconualuerit voto ad eundem beatum Notkerum emiſſo.

MIRACVLVM.

Egli Ebinter in ſuburbio ſancti Galli ætatis annorum vltra quinquaginta, ſibi vt teſtimonium ferat, &c.

Super narratis in litteris breuis &c. Quod beatus Notkerus fuerit vir ſanctus, prout & vt ſanctus fuerit veneratus. Ipſe etiam teſtis habuerit vxorem & duas proles, quæ febribus laborauerint vehementer & ipſe pro eis fecerit votum ad ſanctum Notkerum, quo ſoluto ſtatim reconualuerint, vt credit ex interceſſione beati Notkeri &c.

MIRACVLVM.

MAGDALENA Ebinterin vxor Ioannis Eblin de Getzenweil, Parochiæ ſancti Laurentij ætatis annorum viginti ſex, nil ſibi vt teſtimonium ferat, vt ſupra &c.

Hinc teſtis ſuper literis breuis diligenter medio ſuo præſtito ſacramento, dicit quod ipſa audiuerit ſemper, quod beatus Notkerus, vir ſanctus & veneratione dignus & ſingularis auxiliator omnium inuocantium eum in neceſſitatibus ſuis: Vnde ipſa adhuc ſoluta & quidem ante vel circa decem annos in crure dextro & tumefactionem & vlcera peſſima habuit, adeo quod plerique dixerunt eã habere plagam ſancti Quirini: Ipſa vouerit & promiſerit ſancto Notkero ſe viſitaturam eius ſepulchrum cum certis orationibus, continue vt votum huiuſmodi ſoluerit & antequam domum redierit, reconualuerit, vt credit, ex inuocatione, &c.

MIRACVLVM.

ELSA Holderschwenderin de Schowigen Parochiæ ſancti Laurentij, ætatis annorum viginti ſeptem, nil ſibi, vt ſupra.

De hac ſuper narratis litteris breuis diligenter. Deponit ſe à maioribus & parẽtibus ſuis ſemper audiuiſſe, quod ſanctus Notkerus, &c. Vnde ipſa circa annos ſex aut quinque ſubita & vehementi capitis infirmitate correpta fuerit. Et vt ad ſepulchrum ſancti Notkeri votum fecerit, cum vno luminari cereo vnius obuli: Ita quidem quod quamdiu idem luminare arderet, tamdiu ipſa nudis & flexis genibus orare vellet. Et ſtatim voto emiſſo cœperit ſe melius habere & reconualuerit plene meritis & intereeſſione, vt credit, dicti Notkeri adiuta.

Similiter & matri ſuæ auxiliatus fuerit in brachio quodam dolores habenti, & reuera pro viro ſancto habeatur.

MIRACVLVM.

ANNA Tannerin de Strubenzell Parochiæ ſancti Laurentij, habens annos ſuæ ætatis quinquaginta vnum, nil ſibi vt teſtimonium ferat, vt ſupra, &c.

Hæc medio ſuo iuramento requiſita dicit, ſe de vita eius amplius deponere non poſſe, quam quod audiuerit à maioribus quod etiam in vita claruerit: Dici namque audiuerit, quod fuerit tempore ſancti Notkeri quidam mercator, qui eidem omnibus in rebus aduerſus fuerit, & tandem de equo ceciderit & fregerit crus. Et idem quod poſtquam à nemine curari potuit, beneficio iſtius ſancti viri priſtinæ reſtitutus fuerit ſanitati.

Ipſa etiam triginta annos fuerit in hoc..... & etiam habuerit puſtulas, & ex eis quaſi contracta fuerit in omnibus membris, & beneficio ac interceſſione eiuſdem ſenſerit, ſe non parum leuatam, & ex doloribus & infirmitatibus huiuſmodi liberatam.

MIRACVLVM.

VLRICVS Vogt prope oppidum ſancti Galli reſidens Parochiæ S. Laurentij, ætatis annorum triginta quatuor, ſibi vt teſtimonium ferat nil, vt ſupra, &c.

Hic

Hic testis medio suo iuramento ad mentem Commissionis examinatus: Dicit, quod ipse in septimana proxime transacta circa genitalia quandam tumefactionem nescit vnde causatam habuerit, adeo quod pleriq; crediderint, & certe ipsemet testis, quod ruptus esset. Sed vt votum fecerit ad beatam Mariam virginem in Monasterio sancti Galli: Ac beatum Notkerum, statim pristinam adeptus fuerit sanitatem: Ita quod nihil prorsus sentiat doloris: Et audiuerit eum semper fuisse & esse virum sanctum, &c.

MIRACVLVM ALIVD.

PAVLVS Stäbiner Parochiæ S Laurentij oppidi S. Galli, habens annos suæ ætatis 40. nil sibi vt testimonium ferat, vt supra, &c.

Hic testis medio suo iuramento ad mentem Commissionis examinatus: Dicit, quod ipse ab ineunte ætate sua audiuerit semper de sanctitate & miraculis sancti viri Notkeri: Vnde ipse circa annos decem in grauem inciderit infirmitatem, ita quidem quod tumefactus fuerit circa cor, sic quod nemo sibi spem vitæ promiserit. In qua infirmitate vxor testis pro se teste votum fecerit ad sanctum Notkerum, quo voto emisso & nondum soluto statim testis meliorationem senserit, & pristinam, vt credit ex intercessione beati Notkeri adeptus sit sanitatem: A quo tempore erga eundem singularem gesserit deuotionem, crediderit q; & hodie credat eum esse potentem auxiliatorem.

MIRACVLVM.

PETRVS Wyß ciuis oppidi sancti Galli, ætatis annorum sexaginta & circa, nil sibi vt testimonium, vt supra, &c.

Deinde testis interrogatus iuxta mentem Commissionis factæ, dicit, sibi aliter de vita eiusdem sancti Notkeri non constare, quam quod ipse semel à quodam Conuentuali Bernardo Prædicatore Monasterij sancti Galli, nescit specificare tempus, publice in cancellis audiuerit de sancto Notkero, vbi multa dixerit de eius sanctitate, & inter alia retulit, qualiter Carolus Romanorū Imperator magnam in eundem Notkerum fidem posuit, & pleraq; de eius consilio disposuerit: Vnde cum semel in oppido S. Galli fuerit, quidam eiusdem Capellanus

forsitan moleste ferens, quod eundem Notkerum Monachum sibi præferret, dixerit se libenter eundem Notkerum videre velle. Qui cum sibi ostensus fuerit. Et dictum quod oculos semper in cœlum intentos haberet. Idem Capellanus volens eum tentare ex superbia quæsiuerit ab eodem: Quid modo Deus faceret in cœlo: Ad quæ idem Notkerus responderit: Deus modo facit, quod ab æterno fecit, & illo latius, quid tamen faceret, interrogante responderit idem Notkerus: Exaltat humiles & superbos humiliat.

Præterea dicit ipse testis quod in Ecclesia sancti Petri viderit quandam tabellam: In qua in vulgari Alamannico scriptum erat, quod anteactis annis quidam Abbas Monasterij sancti Galli ad Romanam curiam equitauerit pro confirmatione. Quem tunc Papa interrogauerit de illo sancto viro, & quomodo diem eius celebraret. Cui cum idem Abbas responderit, quod non aliter celebraret eius diem quam alterius Monachi defuncti: Ipse Papa indignatus contra eum, maledixerit ei: Quod in eius profesto ieiunium non indiceret, & eius diem non faceret feriatũ. Hæc testis ex eadem tabella plus semel legerit: Nescit tamen an eadem tabella adhuc in dicta Ecclesia pendeat vel ne, aliud non dicit.

Hæc ex vita beatißimi Notkeri cap. 14. clarius habes, si placuerit inuestigare de his quæ Imperatoris Caroli Caplano contigere, & de Papa ac Abbate de eius canonizatione digna, ad inuicem colloquentes quoque habebis legenda Cap. 18.

MIRACVLVM.

ANNA Stäbelerin am Martis Tobel parochiæ sancti Laurentij, habens suæ ætatis annos triginta vnum & circa, vxor legitima Bernhardi Cüntzer. Sibi vt testimonium ferat nil &c.

Postea testis medio suo præstito iuramento, ad mentem Commissionis examinata, dicit quod audiuerit semper de eius sanctitate & miraculis, vnde ipsa circa vndecim annos puerulum quendam habuerit, cui vmbilicus tumefactus fuerit ad magnitudinem oui auca. Sed vt eundem puerulum ad S. Notkerum deuouerit, senserit continue meliorationem de die in diem, ita quod tandem plene & omnino conualuerit, & ab eo tempore in eundem S. Notkerum singularem spem habuerit & deuotionis affectum &c.

MIRA-

MIRACVLVM.

HEINRICVS Kummer ciuis oppidi sancti Galli ætatis annorum triginta quatuor & circa, sibi vt testimonium &c.

Hic testis super litteris breuis medio suo præstito iuramento examinatus, dicit quod ipse in oppido sancti Galli sit natus, & ab ineunte ætate sua audiuerit de sancti Notkeri sanctitate. Vnde ipse qui etiam ad eundem singularem habuerit deuotionis affectum quendam habuerit puerum, tunc tres annos habentem, qui dysenteriam passus fuerit. Ex qua forsan vel alio accidente circa genitalia adeo tumefactus fuerit, quod omnes homines qui eum viderint, crediderint eum ruptum fuisse. Quem testis deuouerit cum quartali ceræ ad sanctum Notkerum: Et ecce statim voto soluto in triduo proximo reconualuerit plene, & tam à dysenteria quam tumefactione prædictis, vt testis credit, intercessione & precibus beati Notkeri liberatus fuerit.

Habuerit etiam quandam puellulam, quæ etiam puncturas habuerit, & sustinuerit intrinsecus adeo vehementes dolores, quod è naribus & ore sanguinis fluxum causauerint. Quæ etiam vt deducta fuerit ad sancti Notkeri sepulchrum, liberata fuerit, aliud non dicit.

MIRACVLVM.

ANNA Mertzin vidua & relicta quondam Iacobi Mertz de sancto Gallo ætatis annorum quadraginta octo, sibi vt testimonium ferat, vt supra.

Hæc testis dicit, quod ante vel circa tredecim annos peperit filium, qui in collo siue gutture habuit quid obstaculi. Ita quod aliquando nec loqui potuit, nec inspirare, nec respirare: Quem etiam deuouerit ad sanctum Notkerum, & ad eius sepulchrum, qui statim posthac, vt credit testis, ex intercessione istius sancti viri reconualuerit, nec huiusmodi infirmitatem postea senserit vnquam. Vnde ipsa in cunctis suis necessitatibus ad eum tanquam singularem auxiliatorem speciale habuerit refugium. Aliud non dicit.

MIRACVLVM.

FIDA Gemünderin vxor legitima Vlrici Rochlin, ciuis oppidi S. Galli, annos nata 45. sibi vt testimonium ferat, vt supra.

Hæc teſtis medio ſuo præſtito iuramento, dicit examinata, quod in bello Suuitenſi proximo in noſtris finibus habito, ipſa habuerit quandam puellulam nomine Veronicam, nunc quinque annos habentem, quæ quadam nocte per totum corpus eius vlceribus conſperſa fuerit, quod nec acu quis locum apprehendere potuiſſet, in toto corpore quo ſanie & vlceribus non fuiſſet plena, vnde teſtis territa deſuper conſuluerit Chirurgos, vt vero neminem inuenerit, qui ſe de cura eius intromittere vellet: Duxerit ipſa exſpectandum eſſe quid natura operari vellet. Itaque poſt certos dies abeuntibus vlceribus vnum horrendiſſimum vlcus ſiue foramen remanſerit, & de die in diem in profunditatem & latitudinem creuerit. Adeoque omnes videntes in commiſerationem mouebantur. Erat namque cruribus obſitum & aſpectu admodum tetrum & horridum, & vt varios deſuper conſuluerit Chirurgos, & nemo ſpem ſalutis promittere vellet, ipſa ſic in anguſtiis conſtituta neſciens quo ſe verteret, cum puella totam noctem duceret inſomnem, & præ vehementia nec ſomnum nec cibum capere poſſet, venerit in mentem, qualiter ille ſanctus Notkerus multis in diuerſis neceſſitatibus ſubueniſſet: Et ſic eandem puellulam deuouerit ad ſancti Notkeri ſepulchrum, cum crure cereo, & certis orationibus, promiſerit denique ſe deinceps eius diem ad dies vitæ ſuæ feriari, & proximum filium quem eam gignere contingeret, nomine ſancti Notkeri vocare velle: Et ecce ſtatim emiſſo voto puella à clamoribus ceſſauerit & dolor eius mitigatus fuerit, de die in diem melius habere cœperit, & tandem reconualuerit plene, vnde poſtea ad eundem ſingularem geſſerit deuotionis affectum. Aliud non dicit.

MIRACVLVM.

HEINRICVS Maurer ein Scherer Parochiæ ſancti Laurentij, ætatis annorum ſeptuaginta, ſibi vt teſtimonium ferat nil eſt datum, promiſſum, vt ſupra.

Super narratis vero in litteris teſtis iuxta formam Commiſſionis medio ſuo iuramento præſtito examinatus, dicit quod circa viginti quinque annos quidam vicinus ſuus videlicet Ioannes Koler quendam habuerit iuuenem quinq; forſan annorum, qui & claudus fuerit & in manibus & pedibus ita contractus, quod ire non potuerit: Qui &

per

per eius matrem ad persuasionem vxoris sui testis ad sepulchrum B. Notkeri deuotus fuerit & delatus: Statim & quidem ipsa die reconualuerit & ire potuerit ac ambulauerit. Hæc testis viderit, & maius miraculum non conspexerit vnquam. Aliud non dicit.

MIRACVLVM.

GRETHA Sangulrichin ciuis oppidi sancti Galli, annos nata sexaginta tres, sibi vt testimonium, &c.

Dicit quod ipsa ante vel circa decem annos in sinistro femore tantos habuit dolores, quod nec cibum nec somnum capere, nec vllam requiem habere potuerit: Vnde ipsa ad persuasionem cuiusdam vicinæ suæ se deuouerit cum certis luminaribus & orationibus ad sepulchrum eiusdem Sancti, & statim vt soluerit votum, melius se habere inceperit & reconualuerit, vt credit, ex intercessione beati Notkeri. Aliter non deponit.

MIRACVLVM.

BARBARA Siegerin de Niederholtz, Parochiæ sancti Laurentij, ætatis annorum quadraginta duorum & circa, sibi vt testimonium, &c.

Hæc ad formam examinata dicit, quod annis elapsis nouem vel circa, testis iuuenem quendam masculum habuerit, qui ceciderit in horreo quodam, von einer Büne in das Tenn / certe alte & periculose, adeo quod caput in nouem septimanis erigere, nec circum aut suspicere potuerit: Et sic testis eundem deuouerit ad sanctum Notkerum, qui statim vt ad Capellam siue Ecclesiam eiusdem deuenerit, iuuenis clamauerit, Mater, ego possum suspicere. Et sic mater præ gaudio flens accurrerit, & ita esse viderit, sicq; reconualuerit, & hodie viuat, nil sentiens inde quicquam.

Postea testis pepererit infantulum, quem per viginti vnam septimanas duntaxat gestauerit, qui vt natus fuerit, creditus ab omnibus mortuus, vnde ipsa deuouerit eundem ad sanctum Notkerum cum holocausto viuo. Idem infantulus vitalia insignia ostenderit, & baptismi lauacro renatus fuerit. Aliud non dicit.

MIRA-

MIRACVLVM.

GENOVEVA Sprollin de sancto Gallo annos nata quadraginta vel circa, sibi vt testimonium ferat &c.

Hæc testis dicit & deposuit quod circa vel ante tredecim annos quendam habuit puerulum tunc quatuor annos habentem, quem testis sanum equidem in lectum posuit, sed lucescente die vt eum è lecto receperit, viderit quod totum corpus eius non aliter fuit, quam si vrticis cæsum fuisset: Et territa valde diuersa secum putauit. Altero vero mane totum corpus pueri plenum vlceribus nigris & pessimis non sine horrenda tumefactione: Quod vt mater ipsius testis viderit, suaserit testi, quod eum ad S. Notkerum deuouerit. Quod vt testis vna cum matre fecerit, & votum exsoluerit: Altero & sic tertio mane puer ipse omnino reconualuerit, & profecto miraculose. Quia secundum naturam credat id fieri non potuisse: Et ob hoc firmiter credat sine omni hæsitatione, quod id precibus & intercessionibus sancti Notkeri obtinuerit, & ab eodem tempore in eum specialem confidentiam habeat in omnibus necessitatibus suis. Aliter non deposuit.

MIRACVLVM.

HEINRICVS Geißbürer de Beßnow ciuis oppidi sancti Galli, habens annos suæ ætatis sexaginta quatuor & circa, sibi vt testimonium ferat, &c.

Post testis iuxta formam in litteris breuis diligenter examinatus, deposuit, quod ipse circa vel ante septennium de plaustro quodam fœni ceciderit. Itaque humerus ex iuncturis dissolutus fuerit. Et statim emisso voto absque vllo chirurgico & sine medicamento reconualuerit, vt credit, ex intercessione beati Notkeri. Aliud non dicit.

MIRACVLVM.

BARBARA Studerin de sancto Gallo habens annos suæ ætatis quinquaginta & circa, sibi vt ferat testimonium, &c.

Hæc testis examinata medio suo iuramento præstito, dicit se de sancto

sancto Notkero ab ineunte ætate sua multa audiuisse, vnde ipsa circa decem annorum spatium puerum quendam habuerit trium annorum, quem vt ad lectum posuerit exclamauerit puer: O mater, mulier quædam mecum fuit, & mane, vt susceperit puerum, compererit quod puer in vno brachio mutilatus fuerit, vnde territa pro eo, vouerit duo brachia cærea, vnum beatæ Mariæ virgini in Monasterio, & aliud beato Notkero, sicque in tribus siue quatuor diebus postquam votum exsoluerit, reconualuerit, vt credit, ex intercessione beatæ Mariæ virginis & beati Notkeri. Nec aliud dicit.

MIRACVLVM.

IDEM Gebhardus Holtzmann Præco oppidi sancti Galli, ætatis annorum quadraginta octo, sibi vt testimonium, &c.

Dicit quod ipse annis triginta vel circa nouissimis in oppido sancti Galli moram duxerit, à quibus semper audiuerit de eius sanctitate dici multa quidem & varia in cancellis & alibi, sed postquam eius sepulchrum altius eleuatum fuerit, maior cœperit ad eum haberi recursus, vnde testis etiam ad eum singularem adhibere cœperit deuotionem: Decimus namque annus iam agatur, quando Heluetij quoddam castrum in Lombardia, Lucatum nominatum obsederint, vbi testis pariter expeditioni interfuerit, sicque è castro quadam emissa bombarda lapidem quendam tetigerit non longe à teste iacentem, eundem in minutissimas partes confregerit, quæ resilierint in testem: Sicque in ambobus cruribus admodum læsus fuerit, & hoc facto cum ipse testis cedere vellet, vnus alius sagittarius cum per crus eum emenda penetrarit. Et licet testis tunc per Chirurgicos curatus fuerit, tamen postquam ad patriam redierit, idem crus tumescere cœperit, & vt se deuouerit ad sanctum Notkerum, ea ipsa die reliquiæ quæ in crure remanserint, eruperint, & sic de die in diem cœperit melius habere, & tandem omnino reconualuerit ex intercessione, vt credit, beati Notkeri.

MIRACVLVM.

VLRICVS Schlumpff ciuis oppidi S. Galli habens annos suæ ætatis quadraginta tres, sibi vt testimonium ferat, &c.

Super narratis in litteris breuis & iuxta Commissionis formam diligenter medio suo iuramento præstito examinatus testis dicit, quod ipse in oppido sancti Galli natus, alitus & in hunc vsque diem conuersatus fuerit, & semper ab ineunte ætate sua, & maxime postquam ad annos discretionis peruenerit, audiuerit multa de sanctitate beati Notkeri, & signanter legerit in eius vita, quod ipse auctor fuerit illius sequentiæ, Sancti Spiritus assit nobis gratia, & quod miraculis in vita clarus fuit & sanctitate: Vnde annis elapsis sedecim, testis & certi alij sui conciues ob sanctitatem illius sancti viri & miracula quæ in dies fiebant, ad eum singularem gerentes deuotionis affectum, moleste quidem tulerint, quod eius lapis tumularis non renouaretur. Vnde ipsi inter se concordauerint de faciendo nouo lapide ad sepulchrum illius, & vt antiquum lapidem amouere voluerint, & nouum superponere, repertæ fuerint reliquiæ istius viri sancti in lapide concauato, quem lapis antiquus superpositus concluserat, & vt testis è fratre suo Caspare Schlumpff nunc Burgermagistro dicti oppidi audiuerit, ossa eius ita candida fuerint & alba, quod candidiora & albiora nunquam vidisset, fuissent collocata ordine ad instar corporis, nec in aliqua parte læsa siue consumpta, vnde odor suauissimus exierit.

Addens quod annis elapsis octo vel circa, testi natus fuerit infantulus in vtroque latere ruptus, & postquam quatuordecim hebdomadas natus fuerit, alius superuenerit morbus, videlicet comitialis, vnde testis videns & intuens illum miserabilem puerum, cogitauerit intra se, quod implorare velit beatam Mariam virginem in Monasterio, & statim vt ad imaginem eius peruenerit, venerit sibi in mentem, quod eundem puerum deuouere velit ad beatum Notkerum: Vnde ipse continuo iuerit ad sepulchrum beati Notkeri inuocando eundem beatum Notkerum, & promittendo eidem puerulum cereum tres libras habentem, & quod singulis diebus per anni spatium visitare velit eius sepulchrum, & ibi orare quinque Pater noster & totidem Aue Maria. Et ecce statim vt domum redierit, inuenerit puerum vbera matris sugentem, qui mox se ab vberibus verterit ad patrem & riserit, & ea ipsa die liberatus fuerit à morbo comitiali, & rupturæ eius ea ipsa hora ita alleuiatæ fuerint, quod eundem nil aut parum impediuerit. Vnde breuiter concludit, quod sanctus Notkerus eum nunquam dereliquerit, propterea ipse in eum specia-

specialem habeat deuotionem, & in omnibus suis necessitatibus ad eum tanquam specialem auxiliatorem refugium habeat, & recursum.

MIRACVLVM.

MICHAEL Haltmayer ciuis oppidi sancti Galli habens annos suæ ætatis quadraginta, sibi vt testimonium ferat nil est datum, promissum vel remissum, &c.

Super narratis itaque in litteris breuis iuxta formam Commissionis diligenter medio suo præstito iuramento examinatus testis dicit se ab annis viginti & citra, multa de vita & miraculis beati Notkeri audiuisse, & ob hoc eundem sibi in patronum elegisse. Annis namque duodecim vel circa elapsis testis quendam habuerit debitorem in oppido Feldtirch & ibidem alium creditorem, cui videlicet ipse testis debebat. Fueritque idem creditor contentus de debitore summam recipere, in qua testis sibi remanserit obligatus, debitore vero debitum diffidente, & iuramento per eum quod sibi testi in nullo teneretur præstito: Dictus creditor rursum conuenit se testem, vnde testis conuenire habuit suum debitorem. Et cum iterum decretum fuisset iuramentum, testis inuocauit beatum Notkerum, vt sibi adiumento esset, ne sic iniuste damnificaretur: Et ecce, lecto dicto debitori iuramento, idem ambabus manibus in cœlum leuatis, publice coram iusticiariis oppidi Feldtirch dixerit & exclamauerit: O quid ego volui fecisse? ego fateor debitum, vt sic debitum fatendo, quod antea diffessus fuerat per iuramentum.

Postea & quidem ante vel circa biennium testis dolere cœperit in brachio dextro, adeo quod laborare amplius non potuerit. Et cum huiusmodi dolores per dimidium annum quasi sustinuerit, ipseque curari non potuerit, deuouerit se ad sanctum Notkerum, mox in triduo reconualuerit.

Post hæc habuerit quendam puerum qui latentem habuit infirmitatem, ita quod nec ambulare potuerit nec stare. Quamuis trium

annorum iam fuerit: Sed ſtatim vt ad ſepulchrum beati Notkeri eum deuouerit, cœperit ambulare & totaliter reconualuerit, vt credit, ex intercesſione beati Notkeri, quem credit eſſe ſanctum virum ǒ potentem apud Deum, ſingularemque auxiliatorem omnium inuocantium eum. Fama denique ſit quod eo non canonizato nullus Abbas Monaſterij ſancti Galli ſanitatem corporalem habiturus ſit. Quod & ita fuiſſe quamdiu teſtis recordetur experientia docuerit, & quod etiam oppidum ſancti Galli in centum annis ſemper ſit ignis voragine abſumendum, & multa alia ſimilia de eodem audiuit, aliter non deponit.

MIRACVLVM.

GALLVS Schlösser ciuis oppidi ſancti Galli ætatis annorum vltra ſeptuaginta quatuor, ſibi vt teſtimonium ferat, &c.

Hic teſtis iuxta formam Commiſſionis medio ſuo præſtito iuramento examinatus deponit & verum eſſe dicit: Quod quanquam ipſe ante vel circa viginti annos proxime lapſos multa de ſancto Notkero audiuerit, & quod idem canonizandus eſſet: Tamen ipſe teſtis de eo non multum curauerit: Nec ad eum aliquam geſſerit deuotionem, quouſque ad anni forſan proxime tranſacti ſpatium, vbi teſtis in crure quodam dolores habuerit tam vehementes & vrgentes ac intolerabiles, quod pene deſperauerit: Vnde inductu vxoris ſuæ ſe ad beatum Notkerum deuouerit, & ſtatim voto emiſſo & quidem in quartali vnius horæ cœperit melius habere, & ab eodem tempore tam vehementes dolores nunquam ſenſerit, vt credit, ex intercesſione beati Notkeri. Aliud non dicit.

MIRACVLVM.

NICOLAVS Schnäpperli Capellanus Altaris ſanctæ Wiboradis oppidi ſancti Galli, ætatis annorum triginta quinque, ſibi vt teſtimonium ferat nil eſt datum, promiſſum vel remiſſum, &c.

Examinatus inſuper teſtis ſuper litteris breuis & eiſdem narratis iuxta Commiſſionis formam, medio ſuo præſtito iuramento dicit: Quod ipſe anno 1512. proxime tranſacto tantos in cruribus & genibus perpeſ-

perpessus fuerit dolores, quod præ nimio doloris grauamine nec dormire nec acquiescere voluerit, his intrinsecus punctionibus existentibus: Diebus quoque certis claudicando perambulauerit. Tandem venerit in mentem sancti viri Notkeri Sanctimonia, vitæque integritas, cui se quadam sumpta fiducia deuouerit vna cum vna libra ceræ, quibusdam superadditis orationibus ad eiusdem sacrosanctum sepulchrũ in sacello sancti Petri Apostolorum Principis constitutum, de eiusdem vt præmissum est, meritis & suffragiis confidens, quibus rite peractis notabiliter eius senserit auxilia: Ita quod de cætero dormire ac ambulare, vt antea cõsueuerit, potuerit. Idcirco eundem suo iudicio & testimonio licet inerti haud minimum, sed inter potissimos Dei electos esse censeat. Cuius quidem vitæ series Teuthonica & vulgari narretur historia.

Quem etiam Magister Guilhelmus in rationali diuinorum libro quarto: Nec non Lombardica historia de sancto Pelagio primo summo Pontifice Abbatem S. Galli auctoremque plurimarum sequẽtiarum esse commemorent. Qui vt eius sacra referat historia, vita comite, perplures dæmonum pertulerit insidias, quas prorsus fidei virtute & sanctitatis merito deuicerit, vitamque suam litterarum studio & moribus optimis adornauerit, vitæ quoque temporalis terminum faustissimo fine concluserit anno incarnationis Dominicæ nongentesimo decimo quarto, VI. Idus Aprilis, &c.

MIRACVLVM.

ENNALINA Gräfin de sancto Gallo virgo ætatis annorum viginti duorum, sibi vt testimonium, &c.

Hæc dicit se S. Notkerum in necessitatibus omnium eum inuocantium auxiliatorem singularem esse expertam. Vnde anni spatium Sebastiano fratre suo duobus vlceribus grauissimis adeo laborante, quod is nec die nec noctu requiem habere potuerit: Ipsa miserata fratrem eundem deuouerit ad B. Notkerum cum luminari cereo ad corpus eius menso. Et statim vt id fecerit, frater melius habere inceperit: & deinde successiue totaliter reconualuerit, vt credit, ex intercessione B. Notkeri, aliter non dicit, diligenter quæsita.

MIRACVLVM.

DOROTHEA Schlatterin de sancto Gallo ætatis annorum viginti quinque, sibi vt testimonium ferat, &c.

Dicit quod sanctus Notkerus in se teste miraculum fecerit tale. Quia ipsa ab ineunte ætate sua debile caput habuerit, & multos dolores capitis sustinuerit, adeo quod sæpe & sæpius in lecto decumbere habuerit, & vt ante octo annos vel circa tot miracula de sancto Notkero audiuerit, se quoque ad eius sepulchrum deuouerit, & statim melius habere cœperit, vt credit, ex intercessione beati Notkeri. Aliud non dicit.

MIRACVLVM.

DOMINVS Ioannes Weniger perpetuus Vicarius Ecclesiæ sancti Laurentij oppidi sancti Galli, agens annum quadragesimum & circa, sibi vt, &c.

Interrogatus dicit, se de eius vita nil certi deponere posse, quia idem sanctus Notkerus nos longe præcesserit, & ante multos annos de hoc medio sublatus sit. Ipse autem testis qui natus sit in oppido sancti Galli, ab eo tempore quo vsum rationis habuerit, se à senioribus & maioribus ac patribus Conuentus Monasterij sancti Galli audiuerit eundem in vita sua sanctitate claruisse, quod & verisimile sit, quod certo sciatur, quod ipse sit auctor multarum sequentiarum, quæ hodierno die in laudibus altissimi decantentur, quas vtique nisi Spiritus sancti gratia illuminatus edere non potuisset, hinc credat, prout à tempore prætacto crediderit, eum virum fuisse & esse sanctum.

Hinc Dominus testis interrogatus an pro Christi nomine labores sustinuerit, de humilitate & persecutione. Respondet, ex sua historia, quam testis sæpe legerit liquido constare, eum pie vixisse, multas persecutiones à diabolo sustinuisse, & in humilitate profundum fuisse, & his scriptis testis indubiam fidem adhibuerit, quia & fama seniorum fide dignorum virorum his adminiculum præbuit & præbeat.

De mi-

De miraculis eius interrogatus, dicit, in vita sua contineri, eum etiam in vita sua miraculis claruisse, post mortem vero & præsertim nostris temporibus multis coruscasse miraculis, & se specialem auxiliatorem ostenderit, eum in suis necessitatibus inuocantium. Hinc est quod magnus populi ad eum habeatur recursus, & nedum populi, sed ipse testis etiam ad eum specialem gesserit & gerat deuotionis affectum. Ita quidem quod in suis infirmitatibus eum non dubitet inuocare tanquam sanctum virum & potentem apud Deum, & senserit se aliquando eius intercessione non ex vi verborum vel aliquo alio sinistro modo, in suis infirmitatibus obtinuisse alleuiamen. Aliter non deponit.

MIRACVLVM.

GEORGIVS Tischmacher ciuis oppidi sancti Galli habens annos suæ ætatis quadraginta & circa, sibi, &c.

Dicit quod annis duodecim elapsis vel circa, testis ipse in dextro brachio ita debilitatus fuerit, quod eodem vti non potuerit ad artificium suum, nec quidem cochlear leuare per sedecim septimanas, & statim vt se deuouerit ad beatum Notkerum, reconualuerit, & quidem intra duos dies soluto voto, vt credit, ex intercessione beati Notkeri. Aliud non dicit.

MIRACVLVM.

CASPAR Giller ciuis oppidi sancti Galli & sutor ibidem, habens annos suæ ætatis quinquaginta & circa, sibi &c.

Dicit quod quamdiu ipse recordetur, beatus Notkerus pro viro sancto reputatus fuerit, vnde cum testis ante vel circa octo vel duodecim annos in crure vlcus habuerit valde periculosum, & vt se deuouerit ad beatum Notkerum, cœpit melius se habere, ita quod ex vlcere quoddam paruum os exierit, & deinde reconualuerit, vt credit ex intercessione beati Notkeri. Aliud non deponit.

Septima vero die eiusdem mensis Aprilis, & quidem hora 6. vel circa meridiem, venerabilis frater Laurentius Schab sacræ Theologiæ Licentiatus

tiatus Conuentualis Monasterij Seligenstatensis Maguntinæ diœcesis Ordinis sancti Benedicti ad præsens Prædicator Monasterij sancti Galli Ordinis eiusdem, coram venerabili viro Domino Heinrico Sadler Iuris vtriusque Doctore, Aduocato Consistoriali Curiæ Constantiensis, & mihi præfato huius causæ Notario siue Commissario per reuerendissimum Dominum nostrum Constantiensem adiuncto: Meque eodem Notario, orationem vt dicebat ex antiquissimis libris conceptam fecit, & in hunc, qui sequitur, recitauit modum.

Oratio De Vita Beati Notkeri.

INSTITVENTI mihi apud dominationes vestras orationem facere: Postea quam diu multumque tacitus mecum deliberaui, quam allaturus essem materiam. *Vt supra proxime post vitam suprascriptam habetur. Si libet legas, & folia reuertas.*

DIXI.

Qua quidem oratione finita comparuerunt coram dicto Domino Doctore meque Commissario, virtute Edicti, vti præfertur, emissi testes subscripti, quos similiter in vim dictæ Commissionis meæ in præsentia præfati Domini Doctoris iuratos recepi & examinaui, vt sequitur deponentes.

Miracvlvm.

DOMINVS frater Vlricus Her: Monachus professus & conuentualis Monasterij beati Galli, annos natus triginta sex, Custos, sibi vt testimonium, &c.

In primis iuxta Commissionis formam medio suo præstito iuramento examinatus & interrogatus de vita beati Notkeri dicit, se de vita eius de certa scientia deponere non posse: Præsertim his exceptis, quæ ex eius vita quam sæpe legerit, didicerit, ad quam se refert: Ex qua necnon ex aliis libris de antiquissima scriptura appareat eundem fuisse auctorem multarum sequentiarum signanter infra notatarum, videlicet natiuitatis Christi, Natus ante sæcula, Epiphaniæ, Festa Christi, de sancto Spiritu siue Pentecostes, Sancti Spiritus, & multarum aliarum.

rum. Et hæc pateant ex libro, vbi imago eiusdem sit depicta. Scripserit etiam carmina de beato Notkero in libello quodam Eckerhardus frater Monachus Monasterij sancti Galli. Et audiuerit semper quamdiu in Monasterio fuerit, quod in veneratione fratrum fuerit, quamdiu ipse testis recordetur, & quidem in maiori veneratione præsertim Conuentus, quam nunc sit, &c.

Idem etiam testis baculum valde antiquum habentem fracturam, de quo in 26. capitulo vitæ beati Notkeri fit mentio, attulit, qui dicitur baculus sancti Columbani, cum quo idem beatus Notkerus dæmonem verberasse asseritur.

MIRACVLVM.

DOMINVS Vlricus Stoß Monachus professus Ordinis sancti Benedicti & Conuentualis Monasterij beati Galli, Plebanus in Salmsach, habens annos suæ ætatis sexaginta & circa, sibi vt testimonium, &c.

Postea testis medio suo præstito iuramento dicit, quod ab annis quinquaginta vel circa, Conuentualis fuerit Monasterij sancti Galli, à quo tempore & per quod tempus, Legendam siue historiam beati Notkeri sæpe ad mensam legi audiuerit & legerit, vbi & in qua tota vita beati Notkeri contineatur.

De miraculis eius interrogatus dicit, quod ipse audiuerit à se senioribus adhuc iuuenis, & præcipue iam annis triginta vel circa, Quidam Ioannes Studli de sancto Gallo testi narrauerit, quod ipse alias Augustæ telo quodam sagittatus fuerit, adeo quod telum fractum fuerit, & certa pars in eo remanserit, quæ vt se ad beatum Notkerum deuouerit, absque vlla chirurgicorum ope exiuerit, ipseque reconualuerit, vnde ipse eum tenuerit pro viro sancto. Nec aliud dicit.

MIRACVLVM.

DOMINVS frater Iacobus Schurpff Conuentualis Monasterij sancti Galli, habens annos suæ ætatis quinquaginta vnum, sibi vt testimonium, &c.

Requisitus itaque testis iuxta formam Commissionis, medio suo præstito iuramento dicit, quod ipse annis quadraginta seu circa in Monasterio beati Galli fuerit, à quo tempore & per quod tempus testis ipse legendam siue historiam beati Notkeri sæpe legerit & legi audiuerit, pluraque alia à Simone Gelfrandt & à fratre dicto der lange Hans, Patribus & Senioribus eiusdem Monasterij de sanctitate sancti Notkeri audiuerit, qualiter beatus Notkerus semper vir sanctus fuerit, & vt vir sanctus veneratus & tentus fuerit, & pro tertio patrono veneretur, & orationes speciales de eo habeantur.

De miraculis eiusdem beati Notkeri interrogatus, dicit eundem in vita sua miraculis claruisse, prout ex legenda siue historia sua non obscure appareat. Post mortem quoque multa miracula fecerit, & hodierno die faciat, hinc ad eum magnus multis annis Christi fidelium fuerit concursus, qui & se eius intercessione à diuersis morbis senserint liberatos, quorum testes plures viderit, & de hoc fama sit tanta per oppidum & circa: Quod idem sanctus Notkerus admodum notus & pro sancto viro habitus & tentus, prout teneatur & habeatur.

MIRACVLVM.

HONORABILIS Dominus Heinricus Baumann Presbyter, Capellanus Capellæ sancti Petri oppidi sancti Galli habens annos suæ ætatis sexaginta septem & circa, sibi vt testimonium &c.

Super narratis iuramento præstito examinatus dicit, quod ipse in oppido sancti Galli natus, alitus & educatus fuerit & sit, & per triginta quatuor annos fuerit Capellanus dictæ Capellæ, à quo tempore & per quod tempus etiam ad beatum Notkerum magnus fuerit populi concursus, & multi se precibus eiusdem sancti crediderint aduersis morbis liberatos. Ad seque testem venerint multi, & innumeræ personæ vtriusque sexus, narrantes varia diuersaque miracula istius beati Notkeri, requirentesque se testem desuper, vt ea inscribere velit, prout & testis multa miracula inscripserit, sibi à personis sic ad eum confluentibus delata & demanifestata. Ipse etiam testis ad eundem sanctum in suis necessitatibus singulare refugium habuerit & hodie habeat, vnde anno proxime præterito circa festum omnium

omnium Sanctorum: Quædam neptis ex ipsius testis sorore, in vehementem inciderit passionem, adeo quod testis cæterique de incendio timuerunt & maiori malo: Sicque testis ad beatum Notkerum confugerit eundem inuocando pro dicta nepte sua vna cum beato Francisco, sub cuius regula militet, & cœperit statim melius habere, vt credit ex intercessione beati Notkeri. Nec aliud dicit.

MIRACVLVM.

DOMINVS Ioannes Sayler Decanus Monasterij sancti Galli, Ordinis sancti Benedicti habens annos suæ ætatis quinquaginta sex & circa, sibi vt testimonium &c.

Dicit quod ipse firmissime credat ita esse, prout in legenda seu historia eiusdem beati Notkeri contineatur, ad quam se testis refert. similiter deposuit, à parentibus carnalibus, & à senioribus & patribus dicti Conuentus, qui eum præcesserint semper audiuerit beatum Notkerum fuisse & esse virum sanctum, prout pro tali habitus & reputatus fuerit quamdiu testis recordetur. Ipse etiam testis de eo speciales habeat orationes, & eum veneretur vt tertium patronum huius Monasterij.

De post Dominus testis de miraculis interrogatus dicit, quod nil certius de ipsius factis queat deponere, quam ipsa doceat legenda vita, ad quam se referat, & quod magnus concursus ad eius sepulchrũ habitus. Insuper adiunxit, quod annis elapsis duodecim vel circa, quidam ciues ob singularem deuotionem quam ad eundem gesserint, eidem nouum lapidem tumularem facere instituerint, & vt antiquum lapidem amouere voluerint, testis, vt tunc custos, interfuerit, & viderit amoto lapide ossa beati Notkeri in quodam lapide concauato iacere, vnde odor exierit suauissimus, de quo testis territus, statim sepulchrum iterum antiquo lapide claudi iusserit: vnde certè testis speciale sumpserit sanctitatis argumentum, & sic clausum in hodiernum diem remanserit. Aliud non dicit.

Prouidus Caspar Schlumpff, Burgimagister oppidi S. Galli, ætatis 59. & circa, similiter dicit, qualiter cũ antiquũ lapidẽ amouere voluerint, inuẽtus fuerit sarcophagus lapideus, qui pſente teste, ac Vlrico Sayler ciue, & Cõrado Hiller lapicida apert⁹ fuerit. In quo viderit ossa omnino illæsa simul iacentia, non ad instar corporis humani, vnde exi-

uerit odor suauissimus, & talis qualem antea olfecit nunquam: propterea eum credit esse sanctum, & omni veneratione dignum.

LEONHARDVS ALTVVEGER Notarius.

ET præter dictos testes adhuc nonnulli alij coram me Commissario comparuerunt, vtriusque sexus homines, offerentes se de sanctitate & miraculis beati Notkeri deponere velle ac scire: Tamen etiam dicti Domini Doctoris consilio fretus, & eius accedente consensu, examini huiusmodi demum in Dei nomine finem imposui.

In quorum etiam omnium ac singulorum fidem & testimonium præmissorum, supradictus Reuerendissimus Pater hoc præsens Registrum, siue præsentem Processum exinde fieri, & per me Notarium præ & infra scriptum subscribi, sigillique sui Pontificalis per singulorum foliorum transfixionem iussit & fecit appensione muniri. Quæ acta & facta sunt Anno Domini, Indictione, Mense, Die, & Locis, & Præsentibus, quibus supra.

MONV-

MONVMENTA SALISBVRGENSIA,

I. Historia de miraculis S. Vitalis primi Abbatis Monasterij S. Petri Salisburgi, & secundi Episcopi ibidem.
II. Historia S. Rudberti Episcopi Salisburgensis.
III. Vita S. Erentrudis virginis.
IV. Vita S. Rudberti primi Episcopi Salisburgẽsis.
V. Notitia donationum factarum Ecclesiæ Salisburgensi & S. Petro.
VI. Vita S. Virgilij Episcopi Salisburgensis.
VII. Vita S. Eberhardi Episcopi Salisburgensis.
VIII. De S. Hartvvico Episcopo Salisburgensi.
IX. Catalogus Episcoporum & Archiepiscoporum Salisburgensium.
X. Vita S. Gebehardi Archiepiscopi fundatoris Ecclesiæ Admuntensis.

OMNIA

NVNC PRIMVM EX ANTIQVIS CODD. EXSCRIPTA.

A

NOBILI ET CLARISSIMO DOMINO IOANNE STEINHAVSERO Senatore Salisburgensi.

ACCESSIT

Chronicon Salisburgense.

EX BIBLIOTHECA

REVERENDI ET MAGNIFICI DN. DOCTORIS ALBERTI HVNGERI Academiæ Ingolstadiensis Procancellarij.

N 3 LECTO-

LECTORI.

QVI monumentum hoc debeatur, agnoſcis, puto, Lector, ex ipſa inſcriptione. Nimirum nobilis Dominus Joannes Stainhauſer ſatis non habet in Republica præclarè verſari: partem quoque temporis ad Bibliothecas transfert, & in illis excutiendis inſumit: & inde nobis profert hæc aurea Sanctorum dicta & facta: Aurea, perpetua ſuper digniſſima vita: quorum nonnulla iam antea in ſecundo Tomo Antiquæ lectionis ediderarmus, ſed hic omnia pleniora & integriora damus, ſtudio & opera prædicti Domini STAINHAVSERI & diligentia admodum Reuerendi in CHRISTO Patris, Domini MARTINI Monaſterij ſancti Petri Salisburgi Abbatis vigilantiſſimi, qui editionem noſtram cum manuſcriptis Codicibus Bibliothecæ ſuæ ſtudioſè conferens, variantem Scripturam enotauit, enotatamque perbenigne ad nos miſit. Reperimus quoque in Bibliotheca Magnifici Domini Doctoris ALBERTI HVNGERI, Academiæ noſtræ Procancellarij, qui hoc anno mortalitatem explens ad immortalitatem migrauit, Chronicon quoddam Salisburgenſe, quod his adiungere viſum, vt Salisburgenſia iſta monumenta, abſolutiora redderentur. Teſtimonia porro, quæ ſingulis præfixa cernes, collegit accuratè ex variis Auctoribus Dominus STAINHAVSER: quod te, mi Lector, neſcire noluimus, vt vnicuique ſua conſtet gratia.

IN PRO-

IN PRODVCTIONEM MIRACVLORVM SANCTI VITALIS ABBATIS PRIMI MONASTERII SANCTI PETRI Salisburgi, & secundi Episcopi ibidem.

HANC B. Vitalis miraculorum productionem ex manuscripto Codice Anno 1462. collecto, describendam curaui, quæ in Monasterio sancti Petri asseruatur. Causa vero quod iste Beatus in Sanctorum numerum non fuerit cooptatus, ipsa Pontificis mors extitit, quem secutus etiam est exiguo temporis interuallo Cardinalis & Salisburgensis Archiepiscopus Burckhardus de Weispriach, quo defuncto, tâquam auctore, res effectum non amplius habuit.

Demum, ob insignem miraculorum huius Beati coruscationem, fratres Monasterij sancti Petri, pro cultu & veneratione eiusdem à Leone decimo Breue siue Priuilegium subsequens, quod ipse descripsi, impetrârunt.

LEO PAPA DECIMVS,

DILECTIS FILIIS ABBATI ET CONVENTVI AC MOnachis, & Religiosis Monasterij sancti Petri Salisburgensis, Ordinis sancti Benedicti.

DILECTI Filij, salutem & Apostolicam benedictionem. Licet dum militans in terris Ecclesia triumphantem in cœlis, filioli, & deuoto veneratur affectu, ac virtutes, laudes, præconiaque Sanctorum DEI dignissimis attollit titulis & illustrat: deuotis quoque precibus, & solenni ritu sacrificia laudum offert & decus & venerationem ciuium

uium supernorum, nihil eis accrescat nouæ perfectionis & gloriæ: Nihilominus felicis recordationis Pius Papa secundus, prædecessor noster, prouide considerans, & attenta meditatione perspiciens, quod Rex cœlestis Dominus noster Iesus Christus, vt corda fidelium in sui amorem accenderet, & incredulos conuerteret ad fidem, sanctos suos miraculis magnificauerat gloriosis, volens de meritorum excellentia & miraculorum coruscatione felicis memoriæ Vitalis olim Monasterij vestri Abbatis, & in Ecclesia Salisburgensi, quæ insignis Metropolitana existit, post B. Rupertum immediate successoris, cum piè vixisset in sæculo, viam salutis docendo, ac moribus & exemplo proficiendo, plurimisque miraculis coruscare passim assereretur, veridico, (prout tantæ rei moles exigebat) informari, certis tunc Episcopis per suas litteras dedit in mandatis, quatenus si super hoc publica fama in partibus illis inualuisset, quod de ipsius Vitalis, (cuius corpus in Ecclesia vestri Monasterij requiescit) vita & miraculis requirendum videretur, de virtute morum & veritate signorum, operibus scilicet & miraculis diligentius inquirentes, quod super præmissis inuenirent conscriptum, fideliter sub eorum sigillis, & cum suarum litterarum serie & testimonio remitterent, prout in iisdem litteris plenius continetur.

Hæ litteræ extant in Actis.

Cum autem nuper pro parte vestra expositum nobis fuisset, quod propter dicti Papæ prædecessoris nostri obitum, licet quamplures testes super vita, signis & miraculis ipsius Vitalis, qui ab hinc ferme millesimo anno iam elapso, mortalitatis nostræ reliquit exuuias, religiosissime sanctissimeque antea in humanis agens, gratia diuina sibi assistente viuens, ac Deo gratas & acceptas operationes peragens, ita vt cœlituum numero piè existimetur esse relatus, ad vlteriora processum non fuerit: cupitis tamen ob singularem deuotionem, quam ad eum geritis, tum ob crebra, quæ suis intercessionibus Deus noster operatur miracula, & vt deuotionis feruor augeatur, & bonorum operum sectatores efficiamini, pro vestra & populi deuotione in Ecclesia vestra Missas de vno Confessore & Pontifice ad honorem præfati Vitalis, quoties deuotio vestra ad id vos mouerit, celebrare, ac in die depositionis suæ, quæ est vigesima Octobris, ad ipsius similiter honorem, & laudem, horas Canonicas in vestra Ecclesia de vno Confessore & Pontifice (non tamen omissis horis per eundem diem occurrentibus) libere & licite decantare posse, vobis indulgeri. Quare nobis humiliter supplicari fecistis, vt tam pio tamque feruenti desiderio vestro in hac parte annuere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur,

tur, qui fideles singulos & præsertim sub suaui religionis iugo Domino famulantes, ad deuotionem & venerationem Sanctorum Dei, quantum possumus, libenter excitamus, & vt imitatores illorum existere valeant, eorum piis desideriis ex magno deuotionis feruore prodeuntibus libenter annuimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, intellectaque relatione nobis per dilectos filios nostros Achillem sanctæ Mariæ trans Tiberim, & Dominicum S. Clementis, titulorum S.E.R. Presbyteros & Cardinales nobis super examinatione vitæ, miraculorum & operum eiusdem Vitalis, olim per certos subdelegatos à dictis Episcopis vigore litterarum Pij Prædecessoris huiusmodi facta, vobis & pro tempore existentibus dicti Monasterij Religiosis, quod pro vestra & populi spirituali consolatione & deuotione in Ecclesia dicti vestri Monasterij, Missas de vno Confessore & Pontifice ad honorem dicti Vitalis, quoties vos aut vestrum aliquem ad id deuotio mouerit, atque in die dictæ depositionis ad honorem eius, horas Canonicas in Ecclesia vestri Monasterij, similiter de vno Confessore atq; Pontifice (non tamen omissis horis per eundem diem occurrentibus) cum Orationibus, Responsoriis & Antiphonis ad id congruentibus decantare, donec dictus Vitalis per nos aut successores nostros Romanos Pontifices, aliorum Sanctorum catalogo asscriptus fuerit, liberè & licitè possitis & valeatis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, ex nostra certa scientia perpetuò concedimus, pariterque indulgemus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, dictique Monasterij vestri iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 4. Nouemb. Anno M.D XIX. Pontificatus nostri anno septimo.

Testimonia De B. Vitale.

Ex Chronicis Salisburgensium Antistitum manuscriptis Monasterij sancti Petri ibidem.

Divo Ruperto successit B. Vitalis, primus cœnobij S. Petri Abbas, qui ceu amborum vitæ consuetudinisque commertio coniectari potest, à pueritiæ prætexta sanctissimi Pontificis Rudberti, non tantum itineris socius fuit sed alumnus, & laborum atque vigiliarum æmulus, quin imo primarius ex discipulis & Iesu Christi dignissimis

O Præco-

Præconibus. Qui sane charissimi & eruditissimi præceptoris Rudberti doctrinæ prædicationis & sanctitatis vestigiis innixus, non minimam operam conuersioni & illuminationi Pinsgaudiensium & nonnullorum aliorum generum hominum, prouide, solerter & hilariter impendit. Vnde propter insignem eius vitæ sanctitatem, honestatem, modestiam, temperantiam, sapientiam, exactissimum quoque religionis acumen, vita nondum functo pientissimo Pontifice Rudberto, ab eodem in suum successorem suffectus est. Fuit sane erga omnes mortales adeo pius benignus & mansuetus, vt hoc regij Psalmographi eulogium in eius mansuetudine continuo compleri potuerit: *Mansueti hæreditabunt terram & delectabuntur in multitudine pacis*: adeo in egenos & inopes misericors, ac etiam liberalis, vt petentium eleemosynam sine munere è conspectu beati Præsulis abscesserit penitus nemo: Totus, inquam, bonus, beneuolus, affabilis, incorrupta fide. Quicquid aliena largitione in testamentis collatum habuit, in animarum perpetuam salutem expendens, inopum viduarum angustiam, afflictorum orphanorum oppressiones publicè & priuatim alicuius largitionis subsidio subleuauit: cæteris quibuscunque calamitatibus laborantibus patrocinia semper accommodauit, vt eæ sententiæ de eius liberalitate proclamari possent: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Et iterum: *Cornu eius exaltabitur in gloria:* quia iureiurando Consiliariis Principum adactis, quicquid inter illos dissensionis, factionis, discordiæ aut simultatis comperit, idipsum sedula ratione composuit: sed prouidus etiam Pontifex diffidentes & discordes in plebe animos tumultuariosque motus pro virili semper sedare studuit: tanta enim affluxit sermonis facilitate, lenitate, libertate & elegantia, tanta affabilitatis dulcedine, vt nedum publica concione populos, sed priuatim ferocissimas beluas ad humanitatis officium concitare potuerit. Vnde ab omnibus tanquam alter Boiariorum Apostolus cultus, & summis laudum, reuerentiæ, & obseruantiæ præconiis cumulatissime affectus est. Quare nihil tunc temporis incompositum, nihil aduersum, in omnibus prope Noricorum tractibus accidit: sed omnia recta, honesta, religiosa & iusta in pretio fuere. Quis igitur tam rudis virtutum & morum censor esse potuisset, qui non summo laudis concentu virum tam admirabilem ad sidera vsque attolleret? cuius sobrietatem, castitatem, iustitiam & omnes ingenuas virtutes, non solum homines mortales admirabantur, dæmones contremiscebant, sed stellæ & elementa vltra omnes cœlos efferebant

Psal. 36.

Psal. 111. Ibidem.

rebant maximo laudum cumulo? Ab æterno equidem creaturæ laudant Deum in ſanctis ſuis, quia gladij in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus & increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus,& nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conſcriptum, quæ gloria eſt omnibus ſanctis Dei. Et huic beató Vitali tanto maior, ſplendidior & vberior ab immortali Deo ſiderea in ſede præparata,quanto formæ dignitate,animi nobilitate,ſapientiæ vbertate,doctrinæ excellentia, fidei firmitudine, & generis amplitudine inter mortales plus claruit. Quis,inquam,ambigere poterit, quin illuſtri proſapia aut Regum aut Principum beatiſſimus Vitalis progenitus ſit,cum à S.Rudberto, tantopere excultus, veneratus, dilectus, prælatus, & in ſecundum Epiſcopum Salisburgi electus fuerit? Quantis certè miraculis in vita floruerit, ex hoc quilibet animaduertere poteſt, quod prouolutis in terram cæcis viſum ſolo cœli intuitu, claudis greſſum vno ſolo ſuſpirio, paralyticis membrorum ſanitatem vnica familiari ſalutatione reddidit. Sed & quantus apud æternum Patrem poſt mortem extiterit, miraculorum iſta portenta clariſſimè indicant, quæ per inuocationem ſui ſancti nominis patrata, cunctorum mortalium animos præſentem vſque in diem ingenti & admiratione & ſtupore concutiunt. Inter quæ hoc memoratu digniſſimum exiſtit, quod lilium ſanctiſſimi ex Confeſſoris corde per marmoris ſummam duritiem ita exercuit, vt nec æſtatis,nec hyemis, nec æſtus,nec frigiditatis vi à viriditatis flore deiici potuerit. Volens autem feliciſſimus Pater diuina vocatione ad æterna ex hac lachrymarum colluuione commigrare, fratres conuocatos longa orationis ſerie ad DEI altiſſimi cultum, nouæ ſedis conſeruationem atque mutuam charitatem, concordiæ, pacis & vnitatis vincula ſedulò adhortatus eſt: atque inde poſtquam Euchariſtiæ ſacramento religioſe perfungitur, inter fratrum lucubrantes manus ſpiritum remittit in cœlum, Anno regiminis ſui ſecundo ſuper vigeſimum.

Miraculum hoc de lilio extſtat pulchre in Actis ipſius canonizationis.

Inſcriptio ſepulchrali marmori inciſa hæc eſt:

Præſul Vitalis cubat hic ægriſque medetur. Anno 646.

DE EODEM.

Arnold. Wion *in ligno vitæ lib. 2. cap 53. pag. 352.*

S. Vitalis Monachus & Abbas Monaſterij S. Petri de Salisburgo

vitæ sanctitate ac doctrina clarus, S. Ruperto magistro suo in regimine Episcopatus succedit, præfuit annis 23. & obiit anno 646. Belforestius in catalogo Episcoporum Salisburgensium in Cosmogr. sua, & Demochares de sacrificio Missæ tom. 2. c. 40.

Nobiliss. M. Vel. Hvir. Aug. rerum Boicar. lib. 4. pag. 219.

SAnctus Rupertus erecto Christi fiducia animo, Salisburgensem sedem & vniuersam Boicam Deo precibus commendat, simul ostendit, quem ex Sacerdotum numero sibi successorem substitui cupiat, Vitalem videlicet, notæ sanctitatis, & apud omnes ordines gratiosum hominem.

Auent. lib. 3. fol 276.

Beatum Vitalem inter Episcopos Bauariæ ponit hoc elogio: *Vitalis vir eruditus, admodum populo acceptus.*

Caspar. Brusch. in Monast. Germ. fol. 131.

BEatus Vitalis successit S. Ruperto in vtraque gubernatione, Episcopatus videlicet & Abbatiæ: vir vitæ innocentia & sanctimonia eximiè clarus. Præfuit annos 23. Obiit anno Domini 646. Sepelitur in cœnobio S. Petri.

Wigul. Hund. in metropol. Salisburg. in principio.

BEatus Vitalis vnus ex sociis S. Ruperti, eiusq; successor, quem sibi moriens ille suffecerat, primus Abbas cœnobij S. Petri, factus est Episcopus Iuuauiensis. Nam legitima sedes Episcopalis diu permansit apud Monasterium S. Petri. Fuit Vitalis homo sanctissimus, qui multis claruit miraculis, & Episcopatui magna cum laude præfuit annos 22. sepultus apud S. Petrum. Ex huius corde dicunt excreuisse lilium per lapidem marmoreum tumulo impositum, per quod cordis ipsius puritas, ab omni terrena pollutione libera, proculdubio fuit significata.

Prodiit in lucem anno elapso libellus Germanice conscriptus de vita & miraculis S. Vitalis, ex productione miraculorum eius vt plurimum congestus, Salisburgi excusus.

SAN-

SANCTI VITALIS MIRACVLORVM PRODVCTIO.

SANCTISSIMO in Christo Patri & Domino nostro Domino Pio, diuina prouidentia Sacrosanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici Domino nostro clementissimo. Vlricus Chiemensis, & Georgius Seccouiensis Ecclesiarum Episcopi, eiusdem vestræ sanctitatis humiles creaturæ: Executores ad infrascripta à vestra sanctitate delegati. Petrus permissione diuina sancti Petri Salisburgi, Georgius sancti Michaëlis in Peürn Monasteriorum, Ordinis sancti Benedicti, Salzburgensis diœcesis Abbates: & Benedictus Præpositus in Heglwert, Ordinis sancti Augustini Canonicorum regularium eiusdem diœcesis, per Reuerendum in Christo Patrem & Dominum Dominum Ioannem Episcopum Frisingensem vna cum dictis Dominis Episcopis per beatitudinem vestram ad subscripta delegatum. Subdelegati eiusdem vestræ sanctitatis oratores humiles & deuoti, obedientiam & deuotissima pedum oscula beatorum.

Beatissime Pater, nos Vlricus & Georgius Episcopi delegati prædicti, binas vestræ sanctitatis literas, nos vero Abbates & Præpositus subdelegati litteras subdelegationis præfati Domini Episcopi Frisingensis, vna cum litteris Apostolicis prædictis nobis pro parte Reuerendissimi in Christo Patris & Domini, D. Burchardi sanctæ Salzburgensis Ecclesiæ electi & confirmati Apostolicæ Sedis Legati, per prouidum virum Magistrum Caspar Westndorffer eiusdem Domini electi & confirmati procuratorem legitimum, prout de huiusmodi suæ procurationis mandato nobis facta est plena fides coram Notariis publicis & testibus infrascriptis præsentatas, nos cum ea qua decuit reuerentia recepimus, huiusmodi sub tenore.

PIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Frisingensi, & Seccouiensi, ac Chiemensi Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Vt corda fidelium in sui amorem Rex cœlestis accendat & incredulos conuertat ad fidem, sanctos suos miraculis magnificat gloriosis. Deuotiores enim fideles ipsi redduntur Altissimo, dum vident electos ipsius post exitum huius vitæ fœlicem virtutibus coruscare, ac reliqui eum sequi desiderant, cum se sequentibus æterna præmia largiatur. Sane de meritorum excellentia quibus sanctus Rudbertus, quondam Salzeburgensis Antistes & Confessor Domini gloriosus, sub nostræ mortalitatis habitu, vitam duxit sanctissimam, processit quod ipsum post obitum suum crebris coruscantem miraculis, Apostolica sedes catalogo fescripsit beatorum, & sicut dilectus filius Burchardus Præpositus & Archidiaconus Salzburgensis nobis exposuit, fœlicis memoriæ, Vitalis quem Deus, qui Ecclesiam suam semper noua prole fœcundat, in Ecclesia Salzburgensi prædicta, fecit immediate succedere, cum pie vixisset in hoc sæculo, viam salutis docendo verbis pariter & exemplo, tandem præsentis vitæ cursu fœliciter consummato, multis ab eo tempore miraculis Deus decorauit, ac in præmium sanctitatis eius Episcopi fidelibus vsque in præsentem diem monstrare dignatus est. Ita quod remanentibus etiam adhuc tam scriptis suis, quam operum suorum vestigiis, CHRISTI fideles ipsi reliquias suas deuota & assidua visitatione frequentant, ac si catalogo prædicto iam haberetur descriptus.

Cum itaque non deceat eum apud homines sine veneratione relinqui, quem merita sanctum ostendunt & miracula: Nos quos prouidentia docet, festinos in certis, & lentos in dubiis inueniri, dicti Burchardi deuotis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ, de qua gerimus in Domino fiduciam pleniorem, præsentium auctoritate committimus, quatenus si adeo super hoc publica fama in partibus illis inualuit, quod de ipsius Vitalis, cuius corpus in Ecclesia Monasterij sancti Petri Salisburgi requiescit, vita & miraculis inquirendum videatur, de virtute morum & veritate signorum, operibus scilicet & miraculis secundum interrogatoria, quæ vobis sub bulla nostra interclusa mittimus diligenter inquirentes, quod super præmissis inuenietis conscriptis fideliter, sub vestris sigillis, & cum vestrarum litterarum serie testimonio remittatis. Da-

tum

tum Senis: Anno incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, duodecimo Calend. Maij, Pontificatus nostri, anno primo.

PIVS Episcopus, seruus seruorum DEI, Venerabilibus fratribus N. Frisingensi, & N. Seccouiensi, ac N. Chiemensi Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Hodie per vos accepto, quod fœlicis recordationis Vitalis quondam Salzburgensis Antistes, cuius corpus in Ecclesia Monasterij sancti Petri Salisburgæ requiescit, tot & tanta miracula iugiter operaretur, quod Episcopi fideles illarum partium eiusdem Vitalis inuocarent suffragia, ac deuota veneratione ipsius visitarent reliquias, ac si de catalogo Sanctorum haberetur asseriptus. Nos tunc volentes super hoc ad plenum certiorari, vobis per alias nostras litteras commisimus & dedimus in mandatis, quatenus de vita & meritis Vitalis, ac miraculis huiusmodi, & cæteris circumstantiis iuxta interrogatoria vobis sub bulla nostra transmittenda, veritate per vos diligentius inquisita, nobis quæ inueneritis, per litteras vestras fideliter intimare studeretis.

Testes igitur legitimos quos super præmissis debetis recipere, prius ab eis præstito iuramento diligenter examinare procuretis, & de omnibus quæ dixerint interrogetis eos, quomodo sciunt, quo die, quibus præsentibus, quo loco, ad cuius inuocationem, & quibus verbis interpositis, & de nominibus illorum circa quos miracula facta dicuntur, & si eos antea cognoscebat, & quot diebus ante viderunt eos infirmos, & quot diebus fuerint infirmi, & quanto tempore visi sunt sani, & de quo loco sunt oriundi, & interrogentur de omnibus circumstantiis diligenter & circa singula capitula fiant vt expedit, præmissæ quæstiones & series testimonij, & verba testium fideliter redigantur in scriptis. Datum Senis, Anno incarnationis Dominicæ millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo nono, duodecimo Calendas Maij, Pontificatus nostri anno primo.

IOANNES Dei gratia, Episcopus Frisingensis, Iudex & Commissarius causæ infrascriptæ à Sede Apostolica vna cum collegis nostris specialiter

specialiter delegatus. Venerabilibus & religiosis N. sancti Petri Salisburgæ, & N. in Peürn Ordinis S. Benedicti Abbatibus, nec non in Hegelwert Ordinis S. Augustini Præposito, Salzburgensis diœcesis, salutem & sinceram in Domino charitatem.

Litteras sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Pij, diuina prouidentia Papæ secundi, eius vero bulla plumbea in cordula Canapi, more Romanæ curiæ, impendens, bullatas, sanas & integras non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carentes, nobis præsentatas, nos cum ea qua decuit reuerentia noueritis recepisse, huiusmodi sub tenore:

Pius Episcopus seruus seruorum DEI, venerabilibus fratribus N Frisingensi, & N. Seccouiensi, ac N. Chiemensi Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Vt corda fidelium in sui amorem Rex cœlestis accendat, & incredulos conuertat ad fidem, sanctos suos miraculis magnificat gloriosis, deuotiores enim fideles ipsi reddimur altissimo, &c. *Tota hæc bulla prius scripta est de verbo ad verbum.* Sed quia nos tam nostris quam Ecclesiæ nostræ negotiis causisque variis legitime impediti cognitioni huiusmodi causæ & negotij ad præsens vacare & vtiliter intendere commode non valemus: Idcirco de omnium vestrum legalitate ac religiositate plene confisi, vobis in hac parte plenariè committimus vices nostras, volentes nihilominus, vt in negotio huiusmodi secundum traditam à Sede Apostolica formã, ac alias vt de iure fuerit procedendum, procedatis. In cuius rei testimonium pręsentes litteras nostri sigilli iussimus & fecimus à tergo impressione communiri. Datum in castro nostro Frisingensi, die octaua Mensis Martij, Anno Domini M.CCCCLXII.

POST quarum quidem litterarum præsentationem & receptionem, fuimus per supradictum Magistrum Caspar procuratorem nomine quo supra procuratorio, debita cum instantia requisiti, quatenus ad executionem earundem litterarum procedere dignaremur.

Nos itaque Vlricus & Georgius Episcopi delegati, Petrus & Georgius Abbates, & Benedictus Præpositus subdelegati supradicti, adiunctis nobis viris doctis & iurisperitis, super præpeditis mature deliberauimus, & quia requisitionem antedicti procuratoris iustam & rationi consonam cognouimus: Idcirco ad procedendum ad executionem prædictam, quantum in sufficientia nostra, pro tam grandi & sancto opere suppeteret, nos obtulimus gratis animis paratos. Quo

facto,

facto, Magister Caspar procurator supradictus, quosdam articulos & petitiones negotium inquisitionis præscriptum tangentes, coram nobis exhibuit atque produxit, quorum articulorum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis.

CORAM vobis Reuerendis ac venerabilibus in Christo patribus & Dominis, Domino Vlrico Chiemensi, & Domino Georgio Seccouiensi Ecclesiarum Episcopis, per sanctissimum Dominum nostrum D. Pium diuina prouidentia Papam secundum, vna cum Reuerendo in Christo Patre & Domino, Domino Ioanne Episcopo Ecclesiæ Frisingensis delegato, nec non Domino Petro sancti Petri Salzeburgæ, Domino Georgio in Peürn Ordinis S. Benedicti Abbatibus, & Benedicto in Hegelwert Canonicorum regularium Ordinis S. Augustini, ciuitatis & diœcesis Salzburgensis Præposito, per præfatum Dominum Ioannem Episcopum Frisingensem subdelegatis & deputatis, procurator & procuratorio nomine Reuerendissimi in Christo Patris & Domini, Domini Burchardi Dei & Apostolicæ sedis gratia electi & confirmati sanctæ Ecclesiæ Salzeburgensis, pro inquisitione famæ & veritatis, sanctitatis & miraculorum beati Confessoris Christi Vitalis olim eiusdem Salzburgensis Ecclesiæ Antistitis, dat, exhibet, & in medium proponit capitula & articulos infrascriptos, ad quorum probationem necessariam non superfluam se offert & admitti petit.

Et priusquam submittantur articuli famæ sanctitatis & miraculorum huiusmodi, protestatur procurator nomine procuratorio quo supra, quod præfatus Reuerendissimus Dominus Electus & Confirmatus, in ea re canonizationis, dicti quondam Salzburgensis Ecclesiæ Præsulis beati Vitalis, quam sua Reuerendissima paternitas admodum cordi habet atq; prosequitur, nulla vnquam auaritiæ atque temporalis commodi siue ambitionis, honoris aut quauis alia fuerit vel sit motus sinistra intentione. Quinimo prout etiam, si opus foret, iureiurando confirmare posset, hæc omnia duntaxat pro Dei sanctorumq; eius laude, gloria & honore, populorum deuotione, animarum salute, meritorum quoque cumulatione, atque instantium aduersitatum, & ineffabilium vndique persecutionum, eiusdem beati Vitalis meritis, diminutione & propulsione, & non aliter, quam vt præmissum est, fieri, facere, ac prosequi vult atque cupit.

Hac igitur protestatione præmissa ponit primo, & probare, vt supra, intendit dictus procurator: Quod Ecclesia Salzburgensis à sui

primordio & fundatione, multos & diuersos pro tempore Antistites sanctosque Patres habuit & pastores. Quorum aliqui iam dudum, vtpote Rudpertus primus & Virgilius octauus catalogo Sanctorum adscripti habentur & canonizati, quorum etiam præcellentia sanctitatum floruit atq; floret hodie, atq; etiam Salzburgensis Ecclesia pre aliis Ecclesiis dicta est & hodie acclamatur sancta.

Item quod hi sanctissimi duo Patres Rudbertus & Virgilius inter alia sua magnalia, etiam Bauariam & Carinthiam prædicatione sua & doctrina ad fidem reduxerunt. Gentes primum baptizarunt, primas earundem partium Ecclesias fundarunt, ac Clericos instituerunt, vnde etiam à cunctis Apostoli earundem partium nominantur & existunt. Item quod de præmissis fuit & est tanta fama, quod nec puer, nec alterius ætatis homo rationis vtens hæc ignoret.

PRIMVM igitur sanctitatis beati Vitalis constat & sumitur ex præficientis sanctitate. SECVNDO ex vitæ & meritorum puritate. TERTIO ex proximorum fructu & ædificatione. QVARTO ex diuina tam in vita, quam post mortem per multorum operationem miraculorum approbatione. QVINTO ex continua sine intermissione populi adoratione, ipsiusque tumuli visitatione, nec non cereorum aliarumque rerum ac munerum insigniorumque oblatione, imo & certissima fide nullis vnquam temporibus à fidelium cordibus euellenda.

Dicitur primo quod ex præficientis sanctitate. Testantur namque libri antiqui, & veteres scripturæ. Estque de hoc vox & fama, quod imminente sanctissimi Patris Rudberti de hoc sæculo emigratione, in die videlicet sancto Paschæ, diuinis prius ab ipso peractis, dum spiritus eius fœlicissimus iam cœlos penetrare deberet, inter plures suæ congregationis perfectos, singulariter beatum Vitalem sibi statuit successorem iuxta continentiam vitæ eius sic dicentis: *Vrbem Iuuauensem & populum Noricorum omnipotenti Deo commendauit, & Vitalem virum sanctum & omni populo acceptum, sibi fieri Successorem elegit.*

Secundo & tertio sanctitas beati Vitalis dicitur constare ex meritorum & vitæ puritate, nec non proximorum fructu & ædificatione. Certum namque habetur, beatum Vitalem coætaneum atque discipulum sanctissimi Rudberti extitisse. Et quid inde certius concludi valet, nisi quod Patris inclyta merita præclaraque vita ac saluta-

lutaris doctrina redundauerit atque effulserit in tam capaci discipulo. Tanta enim magistri sanctitas sola stare sine redundantia nullis modis credi debet, dum enim fidem Christi vsque ad metas Vngariæ discurrendo sanctissimus vir Rudbertus disseminaret, nulla admittit veri similitudo, quod hunc suum dilectum discipulum reliquerit absentem, sed magis sodalem & fidelem creditur inter cæteros habuisse coadiutorem.

Quarto sanctitas beati Vitalis reluxit & relucet diuina approbatione, ex miraculorum scilicet tam in vita quam post mortem ostensione. Tradit enim antiquitas & idem veteribus libris, codicibus, multis etiam variis registris, tabulis, figuris, & picturis descriptum habetur, quod post transitum beati Pontificis Vitalis, multi & varij arrepticij, cæci, claudi, contracti, variis etiam aliis languoribus dentium & aliorum membrorum depressi, etiam delonge aduenientes per inuocationem eiusdem, & apud tumbam suam prouoluti, subito sunt & ad integrum atque perfectum restituti. Et quod hæc in specie per singula describere nimis protelosum foret & extensum, idcirco ad libros veteresque & approbatas scripturas producens ipse se remisit, vnicum tamen præsentibus designans.

Miracvlvm De Lilio Albo.

Qvod cum quidam post eiusdem Patris obitum de miraculis suis diffisus, atque dixisset, se hæc non crediturum, nisi lilium ex tumba eiusdem crescere conspiceret. Quadam vice, dum proximus tumbæ accederet, oculis suis lilium vnum album de corde sancti viri ascendere respexit & credidit.

Item quod in huius spectaculi memoriam à vetustissimis temporibus vsque modo sanctus Vitalis, cum diademate ad instar aliorum Sanctorum, & cum lilio albo ex corde suo crescenti depictus reperitur, & hodie depingitur forma sub eadem. Quod autem S. Vitalis ex continua adoratione & populorum confluxu atq; indubitata fide eorundem, quinto modo præscripto, sanctus habeatur, nemo ciuitatis Salzburgensis & omnium vicinarum ciuitatũ & partium ratione vtẽs, ignorat, atq; conspicientium oculis subiicitur, sine intermissione prouoluuntur passim ibidem, cum & super tumba eius, viri & mulieres, iuuenes & senes, omnisq; ętatis & cõditionis homines, imo procũbentes deosculãtur tumbam: Nunc cereos offerunt & accendunt, iam imagines ferreas, iam cereas, iam ligneas, pedes, manus seu aliorũ membro-

rum figuras ibi offerunt & relinquunt. Trunco quoque suæ tumbæ contiguo pecunias imponunt, atque ipsius nomine humiliter inuocato consolati discedunt, prout hæc & alia magis conspicientium testimonio, quam quouis scripto apparent.

Ad idem quoque exteri pro certis anni temporibus ibi pro veneratione sancti Vitalis accedunt, processiones faciunt, Missas & Officia in ipsius honorem atque suffragij impetrationem, legi & cantari disponunt, atque votis suis persolutis & finitis, ad propria sua redeunt consolati.

Item quod à vetustissimis temporibus omnium hominum memoriam longe excedentibus atque à sæculo in sæculum, nec non generatione in generationem, de beato Vitale à Clero & populo ciuitatis Salzburgensis imo & à circumiacentium partium plebibus hoc semper dictum, creditum, relatum, habitum, prædicatum & recognitum fuit, erat & est dictum, beatum Vitalem fore sanctum atque canonisandum & catalogo sanctorum ascribendum. Fuitque de ipsius sanctitate publica vox & fama.

Item ad tumbam beati Vitalis passim ab hominibus vtriusque sexus fiunt adorationes, candelarumque & luminum aliarumque rerum oblationes.

Proponitur præterea coram paternitatibus vestris, quod quia prælibati beati Vitalis veneratio sine intermissione vsque ad præsentia tempora durauit & hodie non cessat: Quod etiam non solum vetera & dudum descripta miracula effecerit, quinimo sine intermissione hodie pro meritis & dispositione petentium operetur. Licet ex negligentia modernorum non aduertantur, neque de his inquisitio fiat, neque scripto memoriæ commendetur. Nisi enim sancti huiusmodi suffragia & succursus à diuersis sentiretur, nulla veri similitudo, aut causa subesset venerationis & adorationis eiusdem, pro quorum etiam veritate producens testes, petit examinari iuratos.

Item quod de omnibus & singulis præscriptum est, & est hodie commune & vulgare verbum veraque reputatio, ac credulitas firma, etiam fides atque vbilibet publica vox & fama. Petit igitur producens præscriptus, vice & nomine Reuerendissimi in Christo Patris & Domini, Domini Burchardi Electi & Confirmati Salzburgensis, &c. memorati, per vos Reuerendos ac venerabiles in Christo Patres & Dominos, à Sede Apostolica delegatos & subdelegatos seu commissarios, de omnibus & singulis præscriptis eorumq; connexis emergendis, incidē-

eidendis & dependendis fieri diligentem & exactam inquisitionem, nec non libros & codices veteres atq; quascunq; desuper confectas scripturas, registra & tabulas, picturas veteres, vniuersaque adhæc deseruientia diligenter conspici & lustrari. Testes quoque nominandos, citari, examinari, & ad exhibendum libros ac quæuis monimenta deseruientia, personas similiter nominandas compelli, omnia quoque alia fieri in bullis & litteris Apostolicis transmissis contenta, atque post plenam omnium cognitionem inquisita & dedicita in forma authentica clausa, sub vestris litteris & sigillis, memorato Domino nostro Pio, diuina prouidentia Papæ secundo, delegati transmitti, vt sanctissimum opus salubriter inchoatum, pro gloria & laude Dei ac Sanctorum saluteque populorum felicissime terminetur. De & super quibus omnibus & singulis præmissis, dictus producens, vos & quemlibet vestrum requirit cum protestatione de addendo, supplendo, & extendendo, si necesse fuerit, præmissa nec non corrigendo, immutando seu minuendo, prout fuit & est moris atque styli & obseruantiæ communis.

Quibus articulis ad supra memorati procuratoris instantiam per nos receptis, idem procurator coram nobis proposuit, quomodo in potestate venerabilium in Christo Patrum & Dominorum, Decani, & Capituli Ecclesiæ Metropoliticæ, nec non Prioris & Conuentus Monasterij S. Petri Salzburgi, ac Domini Bernhardi de Krayburg decretorum Doctoris, Curiæ Salzburgensis Cancellarij, nonnulli libri seu Codices & scripturæ authenticæ pro verificatione & probatione articulorum præinsertorum facientes & deseruientes cōsisterent, petens debita cum instantia, quatenus eosdem, Capitulum & Conuentum, ac Cancellarium, ad exhibendum & tradendum libros ac scripturas huiusmodi, quo ad effectum præmissum auctoritate Apostolica, nobis in hac parte concessa, per censuram Ecclesiasticam compellere dignaremur. Nos igitur huiusmodi petitioni tanquam iustæ & rationi consonæ annuentes, prænominatos Dominos, Capitulum & Conuentum ac Cancellarium, per certum nostrum cursorem, in forma iuris ad hoc deputatum, super exhibitione librorum & scripturarum prædictarum, in certo termino eis per nos assignato, requiri fecimus & moneri. Qui sic moniti & requisiti, statim quosdam libros & scripturas inferius specificandos coram nobis exhiberi fecerunt, quos prælibatus procurator in vim probationis & verificationis articulorum præscriptorum produxit.

Primo siquidem super articulis de sanctitate beati Vitalis, memoratus procurator produxit certos libros notabiles & preciosos, & vti asserebat, authenticos, de antiquis & optimis litteris, prout nostris apparebat oculis, conscriptis, in quibus multorum continentur legendæ vitæ Sanctorum, inter quas S. Rudberti patroni, & primi Episcopi Ecclesiæ Salzburgensis concorditer habetur huiusmodi tenoris.

DESCRIBITVR VITA SANCTI RVDBERTI EPISCOPI.

HODIERNA festiuitas sanctissimi ac beatissimi Patris nostri Rudberti, quæ eius in paradisum transitum nobis exultabilem reddidit piis mentibus mistica gaudia exhibet, quæ dum annorum cursu in se voluitur, in nostris cordibus semper recenti iocunditate innouatur. Cum enim dicat scriptura: In memoria æterna erit iustus. Digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transiit Angelorum. Cum dicat: Gloria patris est filius sapiens. Quantæ huius sunt gloriæ, qui tot barbaricas nationes ad agnitionem DEI in Christo Iesu per Euangelium generauit.

Namque tempore Hildeberti Regis Francorum, anno scilicet regni eius secundo, sanctus Confessor Christi Rudbertus in Wormatia habebatur Episcopus, qui ex regali prosapia Francorum nobilitate ortus, nobilior fide & pietate fuit. Erat enim mansuetus & castus, simplex & prudens, in laude DEI deuotus, plenus Spiritu S. prouidus in cõsilio, iustus in iudicio, à dextris & à sinistris virtutum armis munitus, gregi suo forma bene agendi factus, quodque verbis monuit, hoc operum prærogatiua confirmauit, hinc enim se frequentibus exercebat vigiliis, inde continuatis macerabat inediis, opus suum misericordia ornabat, quia thesauros dispersit, vt sese egente pauperes ditescerent,

rét, qui suum solum hoc esse credidit, quod nudus aut inops accepisset.

Cum igitur praecellentissima fama huius sancti viri in fines terrarum exisset, quamplurimi illustres viri non solum à vicinis, sed etiam ab exteris nationibus ad eius sanctissimam confluxerunt doctrinam, vt vel illius sanctissimo alloquio in tristitia cuiuslibet anxietatis consolationem reciperent, vel Ecclesiasticae religionis ab eo puram veritatem audirent, vnde & multi illius benigna deuotione à laqueis hostis antiqui liberati sunt, & vias perpetuae vitae ingrediebantur. Sed infideles qui plurimi erant in regione Wormacensi, illius sanctitatem non ferentes, multis eum suppliciis affectum, & virgis caesum à ciuitate cum magna eiecerunt iniuria.

Igitur eodem tempore Theodo Dux Bauarorum audiens beati viri sanctitatem & miracula quae faciebat, desiderauit illum videre: & missis optimatibus suis obnixe eum postulabat, quatenus regiones Bauarorum visitare dignaretur, & eis salutiferae credulitatis viam insinuaret. Sanctus vero Episcopus, vbi tantae legationis postulationem percepit, sciens huiusmodi causam ex diuina dispensatione procedere, gratias coelesti clementiae agebat, quod sedentes in tenebris & vmbra mortis, auctorem vitae, lumen verum Iesum Christum agnoscere optarent.

Itaque cum eisdem legatis Sacerdotes suos, quasi radios fidei, ad eundem Ducem praemisit, & ipse non longo temporis spatio interposito, post eos in Bauariam ire aggreditur.

Quod dum praefatus Dux audisset, magno perfusus gaudio, sibi cum procinctu procerum suorum obuiam properauit, & in vrbe Ratispona cum summa alacritate illum excepit.

Tunc idem sanctus Rudpertus, indicto ieiunio coelestibus mysteriis Ducem informauit, & in fide vera roborauit, & idolorum cultibus abrenunciare fecit, & in nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis baptizauit. Baptizati sunt cum eo optimates sui & populus non modicus nobilium & ignobilium, redemptorem mundi laudantium, qui eos de tenebris in admirabile lumen vocare dignatus est. O beatum Confessorem Christi Apostolis supparem, per eius verba irradiata sunt corda tenebrosa, & infidelium arentia pectora fontem vitae sitiebant.

Baptizato itaque Duce & populo, qui diuina illustrante gratia, sacramentum salutaris lauacri susceperat, obsecratus à Theodone sanctus Rudbertus naui ascensa per alueum Danubij descendendo, vi-

do, vicis & castellis libera voce Euangelium Christi prædicauit, & per terminos Noricorum vsque in inferiorem Pannoniam, ipse clara lucerna super candelabrum posita lumen fidei ministrando peruenit. Indeque per terram reuersus Laureacensem vrbem intrauit, in qua multos aqua baptismatis regenerando ab idolorum cultura conuertit, & plures variis languoribus oppressos in nomine Domini sanauit. Laureaco itaque digressus, in quocunque loco amplius feruere gentilitatis errorem cognouit, illuc intrepidus accessit, destruens idola, diminuens simulachra, commendans vbique Domini nostri Iesu Christi diuinitatem pariter & sacram eius incarnationem, vt vnus idemq; Deus esse crederetur & homo. ante luciferum à Patre Deo, verus Deus genitus, in fine temporum pro humana salute ex virgine matre, Verbum Dei, verus homo natus, qui illuminat & saluat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sed cum iam vir Domini secundum postulationem ducis & populi, sibi locum ad Episcopij sedem eligere aptum meditaretur, secus stagnum Walarij laci venit, vbi etiam in honore principis Apostolorum S. Petri Ecclesiam construxit & dedicauit. Exiit inde ad Iuuarum fluuium, vbi olim Iuuauia ciuitas fuit, quæ antiquis mirabiliter extructa temporibus, inter Bauaricas vrbes eminebat nobilissima, sed tunc raro incola inhabitante pene dilapsa & virgultis erat cooperta. Quem locum seruus Dei ad cathedram Episcopalem considerans esse idoneum, quippe inter montana à populari tumultu semotum, proprietate huius à duce sibi tradita cum summo studio renouauit, construens ibi basilicam, quam in honore Petri principis Apostolorum dedicauit, & Clericorum officiis rebusq; necessariis munificentia Theodonis magnifice ditauit. Postea vero delegato Sacerdotum officio, omnem ibidem quotidie cursum congruo ordine fecit celebrari.

Sanctus itaque Domini vir cupiens augmentare loca à præfato Duce aliquem fiscum, suum vocabulum dictum ad Pidingim, inter aurum & argentum cum millenis comparauit. Et sic deinceps Deo auxiliante ex donatione Regum siue Ducum siue fidelium virorum loci res accrescere cœperunt.

Porro his diebus quidam probabiles viri beato Pontifici cum magna admiratione narrauerunt, quod ipsi in eremo, quæ tunc temporis appellationis nota caruit, nunc Bongow dicitur, cœlestia prodigia ardentium lucernarum, ter quaterque vidissent, & mirificæ suauitatis odorem ibi redolere sensissent. Mirantibus autem cunctis qui

adorant

aderant, super talibus prodigiis, sanctus Episcopus Domningum venerabilem Presbyterum suum ad eundem locum misit, præcipiens vt veritatem huius signi diligenter approbaret, ponendo in eodem loco crucem ligneam, quam ipse Sanctus sua alma benedixit manu, & illuc direxit. Domningus vero illic cum peruenisset, statim primo noctis exordio cum religiosis qui secum aderant cœlitus emissas aspiciebat claras lucernas descendere, & totam illam regionem loci ad instar solaris radij irradiare, & hanc visionem per tres noctes cum suauitate mirifici odoris ibi viderant radiare. Tunc ipse in eodem loco benedictam crucem erexit & superfabricato tugurio, ad S. Rudbertum regressus est, priorem assertionem certa relatione confirmans. Sanctus Rudbertus quoque communicato consilio cum Theodone, per semetipsum tandem eremum adiit, & videns locum humanis habitationibus posse fieri aptum, annosa robora extirpare, syluarumq; condensa in planitiem campi redigere, ac Ecclesiam cum habitaculis seruorum Dei ædificare cœpit.

Iisdem vero temporibus Theodo aduersam incidit valetudinem, cumque vitæ terminum sibi appropinquare sentiret, vocauit ad se Theodobertum filium suum, & Ducem Noricorum illum constituit, præcipiens ei, obedire S. Rudberto ad Christianitatem suam, & ad opus diuinum diligenter illum adiuuaret, sanctumque locum Iuuauensis Ecclesiæ amare & honoribus & dignitatibus iugiter sublimare. Cumque huiuscemodi mandatis & omnibus quibus voluerat, filium instruxisset, vltimum diem clausit, migrans ad Dominum.

Post hæc vero Theodobertus cum optimatibus suis ad S. Rudbertum visendi gratia perrexit, & veniens ad illum in dicta eremo, & illum & locum pio venerabatur affectu, dans ad Ecclesiam quam S. Rudbertus ibi construxit, ac ipso Duce præsente, in honore S. Maximiliani dedicauit, tria miliaria vndique de eadem sylua, & villam Albinam cum cæteris donariis in alimoniam Monachorum, quos S. Pontifex ibi Deo seruiendum posuerat. His ita gestis, videns vir Dei Bauaricæ dignitatis culmen iugo Christi sese subdidisse, sed gentilitatis errore plures inuolutos superesse, ad patriam suam repedauit, & inde cum duodecim ad prædicandum sibi sociis electis, inter quos erant eximij beatus Kunialdus & S. Gisilarius, ambo Presbyteri, ambo viri sancti, & secum virginem Christi S. Erndrudem neptem suam adducens, quasi cum tot luminaribus ad vrbem Iuuauensem regreditur.

Tunc in superiori castro eiusdem ciuitatis construxit in honore

Domini nostri Iesu Christi & suæ sanctæ genitricis, perpetuæ virginis Mariæ, Monasterium, & ibidem cum congregatione sanctimonialium posuit sanctam Erndrudem, ad seruitium cœlestis Regis, atque cum Theodoberti Ducis astipulatione, qui possessiones ad illud cœnobium tradidit infinitas, earum conuersationem per omnia rationabiliter disposuit.

Iis autem expletis, iste vir beatus inceptum opus prædicationis cum summi Pontificis adiutorio studens, ad perfectionem perducere, Norica regna, discipulorum suorum comitante caterua circuire destinauit, & ab vrbe egrediens Iuuauensi, gentes quibus nondum fidei lumen resplenduit, visitauit, & eis triticum credulitatis, lolio pereunte, seminauit. Nam à cordibus eorum barbaricis hospitibus diabolicæ deceptionis perturbatis, illuc intromisit fidem, castitatem, misericordiam, humilitatem, per quos pacificos habitatores, Christus omnium bonorum largitor & origo, humanæ mentis domicilium intrare solet.

Cumque sic Baqarorum terminos circuiret, ac omnes ad fidem conuertisset, eos vt in fide stabiles permanerent ammonuit, & dimissis Presbyteris, qui populum ad diuina mysteria consuescerent, ipse ad vrbem Iuuauensem remeare studuit, quia spiritu prophetico repletus diem vocationis suæ instare præsciuit, quem discipulis suis prænunciauit. Illi tali & tam tristi indicio consternati, cur eos & tam nouellæ Christianitatis plebem desereret lachrymati sunt. Ille spe erecta ad Christum, Iuuauensem Ecclesiam & populum Noricorum omnipotenti Deo commendauit, & Vitalem virum sanctum & omni populo acceptum sibi fieri successorem elegit.

Cum ergo dies quadragesimalis obseruantiæ agerentur, febrium ardore vir Dei fatigari cœpit, cumque sanctissima dies resurrectionis Christi illuxisset, solennia Missarum celebrauit, & munitus sacrosancto corporis & sanguinis Christi viatico, post dulces paternæ pietatis admonitiones, & post extrema charitatis verba confratres confirmantia, inter sanctas manus lachrymantium voces, inter pios plangentium singultus cœtus Angelici à quibusdam religiosis viris, in cœlo audiebantur, qui voce canora animam sanctam ferebant ad æterna gaudia. Cuius autem sacrum corpus, cum ad humandum portaretur, visi sunt adesse splendidissimi viri, candidis stolis amicti, & eius sepulturam religiosissime complentes, disparuerunt, quos nemo Angelos Dei fuisse dubitauit, & ideo apparuisse, vt omnes agnoscerent,

scerent, quanta illius esset beatitudo in cœlis, cuius sepulchrum Angeli Dei visitarent in terris.

O fœlix equidem ciuitas Iuuauensis, tam excellenti munita patrono, quæ si murorum ruinis vilescat, illius tamen meritorum lumine clarescit: Sed totus pro eius intercessione sanctitatis gaudeat populus Noricorum, & omnipotenti Deo laudes deferat perpetuas, qui tam præclarum illis concessit Doctorem, cuius prædicatione viam veritatis agnoscentes erepti sunt de tenebris ad lumen verum, Iesum Christum Dominum nostrum, qui viuit & regnat per infinita sæcula sæculorum, AMEN.

ITEM super veritate articulorum, miracula beati Vitalis Episcopi commemorantium, dictus Procurator produxit quendam librum notabilem & preciosum de veteri scriptura minime suspecta, sed omni prorsus vitio & suspicione carente: In cuius principio subscripta per ordinem continentur miracula sic incipientia:

SANCTVS Rudbertus primus Iuuauensis Doctor, venerabilem Christi Confessorem Vitalem, ob eximiam castitatis & sanctæ conuersationis gratiam migraturus ad Christum, successorem sibi designauit. Qui susceptum regimen, vt in vita prænominati Patris sancti Rudberti legitur, & prudenter administrauit & fœliciter complens requieuit in Christo XIII. Cal. Nouemb. Cuius merita Deus reuelare dignatus est ad sepulchrum ipsius, quod in Salzburgensi Monasterio sancti Petri habetur, ad honorem nominis eius multa miseris mortalibus ad ipsum clamantibus, beneficia præstat.

ANNO igitur incarnationis Domini M. CLXXXI. subscripta signa tale habuerunt exordium & principium.

MIRACVLA SANCTI VITALIS.

QVÆDAM mulier, vxor cuiusdam ciuis Salzburgensis, tumida nimis erat, & habebat ventrem ita inflatum, tanquam, vt ipsa fatebatur, imprægnata esset geminis. Dolore itaque se mordente, mortemque instanter minitante, venit ad sepulchrum beati Vitalis, & cum magna fide pro salute sua postulans, totum corpus strauit super sepulchrum sancti, plenamque per orationes recepit sanitatem.

Adolescens quidam non longe manens à ciuitate arrepticius, à

parentibus illuc adductus est, positusque super sepulchrum præfati Confessoris, per multas circumstantium orationes & lachrymas, à dæmone cum eiectione sanguinis liberatus est.

Item cuiusdam pistoris vxor de ciuitate, tantam ægritudinem inciderat, vt à Sacerdote viaticum peteret & acciperet. Quo accepto manibus & pedibus contrahi & obmutescere cœpit, vouensque animo candelam ad sepulchrum beati Vitalis, eadem hora, tam vocem quam vires recepit.

Quidam de familia Ecclesiæ sancti Petri, mente captus, cum post crebram sanctorum visitationem minime sanatus esset, tandem à patre ductus est ad tumbam eiusdem Confessoris, pristinamq; ipsius interuenientibus meritis recepit sanitatem.

Quidam puer oriundus de loco qui dicitur Putlingen / sinistro pede ac dextera manu curuus illuc peruenit, fusisque ibi paulisper orationibus, in vtroque perfecte curatus est.

Item quidam puer de Kraynborff / cum ab immundo spiritu vexaretur, ad sepulchrum beati Virgilij adductus curatus est, dehinc ad domum reuersus, ea qua & prius infestatione spiritus maligni agitabatur, dum demum ad beati Vitalis tumbam à matre delatus est, perfectam omnino recepit sanitatem.

Non longo post tempore, puella quædam energumena, de sancto Floriano illuc adducta fuit, quæ multis tam religiosis quam laicalibus personis coram positis, miseratione Dei curata est.

Quædam vidua honesta de foro Creynburck / infantem fere quinquennem habebat, qui à natiuitate omnino gressu caruerat, & super sepulchrum prænominati Confessoris positus, matrem quæ orationis causa parum secesserat, gressu per merita beati Vitalis accepto, subsecutus adiuit.

Item vir quidam cæcus de Eringen / ex Episcopatu Patauiensi, cum deuote illic pro sui illuminatione orasset, lumen accepit.

Alius item puer de Taghartingen grauiter à dæmone vexatus, ad beatum Vitalem cum adductus fuisset, meritis ipsius interuenientibus plene liberatus est.

Quædam etiam puella, filia cuiusdam mulieris de Eckstätt / muta & debilis pedibus facta fuerat, & dum mater pro ea imploraret gratiam Dei & orationes beati Vitalis, domi adhuc manens loqui cœpit, adductaque ad sepulchrum eius, etiam gressum recepit.

Quædam fœmina de Vilspruch / pede debilis, curuamque habens

bens manum, orationes illuc effudit, dehinc cum paululum secessisset, non longe à sepulchro curata est.

Alia quædam mulier paupercula de Mendilßkirchen, orationis gratia cum venisset illuc, tantum vnum habens nummum, dubitabat, vtrum illum beato Vitali offerret, an pro sua indigentia expenderet, sic vero in dubio posita, tandem deliberauit sancto Dei illum offerre, quo facto, rursus oram pepli sui, vnde illum resoluerat attingens, alium quod est mirabile dictu, ibidem nummum inuenit.

Item mulier de ciuitate Salzburgensi tanta ægritudine laborabat, vt cruribus contracta, omnino esset desperata, quæ cum ad sepulchrum beati Vitalis portata, candelam iuxta mensuram corporis sui factam obtulisset, domum inter manus reducta, paulisper in lecto quieuit, & à labore dimissa, recurrens ad Ecclesiam cum magna fidelium turba, Deo & beato Vitali pro recepta sanitate gratias egit.

Item alio tempore puella quæ muta fuerat à natiuitate, adducta ad sepulchrum viri sancti, post obsecrationem parentum & oblationem, dum recederet à sepulchro loqui cœpit in Ecclesiæ vestibulo.

Præterea puer quidam cæcus de Osterhoffen / allatus illuc à parentibus visum recepit, cui miraculo Plebani venerabiles intererant.

Mulier quædam de Leibnitz / quæ Plebano ipsius aliisque vicinis testantibus triennio cæca fuerat, veniens ad sepulchrum beati Vitalis, post orationes illic fusas, exaudiri & illuminari meruit.

Item mulier quædam de Pruckkirchen cæca, domi manens in somnis admonita est, vt sepulchrum beati Vitalis inuiseret, & orationes illic ad Dominum pro salute sui funderet, dehinc candelam ad mensuram capitis sui faciens, priusquam illuc peruenisset, visum recepit.

Alia itidem fœmina de Erdendorff / arrepta à dæmone fuit. Crebrescentibus autem signis Salzeburgæ ad sepulchra sanctorum, amici eius illuc eam adduxerunt. Cumque gratia obtinendæ sanitatis tumbam beati Vitalis frequentaret, & eius auxilium continuis orationibus imploraret, meritis ipsius, orationum suarum effectum consecuta est.

Vir quidam de Purckhausen / paralysi toto corpore adeo dissolutus fuit, vt inter manus amicorum ad limina sanctorum deferretur. Ad vltimum vero, cum ad beatum Vitalem delatus fuisset, Deo ac præfato Confessori intimis se commendauit precibus, domumque reuersus optatæ sanitati restitutus est.

Erant quidam tres viri, qui communi voto Sanctos Salzeburgæ visitare statuerant. Cum vero in ipso itinere Danubium necesse haberent transire, in medio fluminis naui cum rebus eorum & negotiatorum mercibus quas vehebant submersis, periclitati sunt. Nutu autem Dei, cum in ipso mortis discrimine, vnus beati Rudberti, secundus beati Vitalis, ac tertius beati Virgilij auxilium implorasset, quilibet ipsorum Sanctorum se inclamanti subuenit, sicque naufragium euaserunt, vt nihil eorum quæ portabant, præter negotiatorum merces amiserint.

Plebanus quidam de Marchia, de loco qui dicitur Stubenberg/ Plebanis suis comitatus, ad beatum Vitalem venerat, vbi cum inter reliquorum oblationes, quidam denarium obtulisset, de vase quo illum posuerat, Sacerdote aliisque videntibus atque stupentibus exiluit. Mulier autem quædam, quæ proxima illi in oratione accumbebat, manu extenta oblationem ipsam apprehendit, fusisque ad Dominum precibus, vt à se illam dignaretur recipere, in locum suum eam reposuit.

Alius quidam de Parochia Stulfelden oblaturus illuc dextra manu candelam, sinistra autem myrrham gestabat. Inter oblationem autem candelæ subito myrrham labiis ac dentibus adhærentem inuenit: Quo facto fidelis ille in admirationem versus, de ore illam tulit, suppliciterque super tumulum beati Vitalis locauit.

Quidam de Volckenmarckt/ filiam cæcam ad beatum Vitalem adduxit, per triduum pro illa cum in orationibus perseuerasset, domum redire statuit, sperans à Deo se pro illuminatione filiæ, per merita B. Vitalis exaudiri. Nec spe frustratus, in ipso reditu, domi suæ appropinquans, quod pro filia petierat assecutus est.

Carantanus etiam quidam, brachium omnino ariditate inualidum habebat. Is comperta virtute signorum beati Vitalis memoriam illius pro sui sanitate precibus & oblationibus inuisere statuit, meritisque præfati Confessoris, domi adhuc manens, optatam consecutus est sanitatem.

Mendicus quidam de Helingersperge, ad memorati Confessoris sepulchrum venit, qui aliquanto iam tempore oculorum officio caruerat. Is cum illic triduum in orationibus continuasset, visum quem fideliter petiit, efficaciter est consecutus.

Mulier quædam de ciuibus Salzburgensium diutino affecta languore, lecto tandem decubuit, omnique membrorum compage con-

tracti

trahi cœpit. Inuocato igitur beati Vitalis auxilio, subitam curationem meritis eiusdem interuenientibus adepta est.

Item fœmina quædam infirma de villa Hallensi, sanitatis obtinendæ gratia, sanctum Vitalem visitauerat. Sed post orationes domum reuersa, nihilominus ea qua prius tenebatur infirmitate, pridie vero quam esset anniuersarius eiusdem memorabilis Patris, diuinitus in somnis admonita fuit, eundem anniuersarij diem debere eam deuoto venerari ieiunio, quod dum euigilans pro sui debilitate adimplere se posse diffidebat, Dei vero adiutorio matrisque suæ, cui visum somnium retulit, exhortationibus roborata, indictum in pane & aqua exsoluit ieiunium, ac dehinc nocte subsequenti, perfectæ sanitati, patroni sui meritis est reddita.

Abbas venerabilis Monasterij cuiusdam, quod dicitur Mosnize, aduersam inciderat valetudinem, multamque in Medicos cum erogasset expensam, tandem ab eis desperatus est, qui solum illi superesse dicebant sepulchrum. Suggerentibus autem ei quibusdam de fratribus, vt Sanctorum, quorum memoriæ Salzburgæ habentur, opem imploraret, causatus est ille, quod prius adhuc sano corpore nihil venerationis eis impenderit. Fratres contra hortati sunt eum, non ideo illi fore desperandum, sed Dei adiutorium per merita eorundem sanctorum, in tanto discrimine implorandum. Acquieuit ergo fraterne consulentibus, & nutu Dei præ aliis sanctum eligens Vitalem, ipsius se patrocinio commendauit sanandum, quem Deus mira celeritate interuentu sui Confessoris optatæ restituit sospitati.

Matrona quædam de Salz-burgensi ciuitate, infantulum habebat graui ægritudine laborantem, quem cum ad beati Vitalis memoriam fidelibus votis in anniuersaria eius die attulisset, Domino illic pro eo preces & oblationes exoluit, deinde domo se cum ipso infante recepit, consignansque illum sub tuitione præfati Confessoris, se in lecto, puerumque in cunis cubitum locauit. Omnibus igitur sopore depressis candela accensa, quæ incautius iuxta relicta fuerat, pannos infantis corripuit, flammisque tam eum quam vestes inuoluit. Mater vero crepitante incendio euigilans, iam circumquaque vestibus exustis, infantem, quem mira Dei potentia, sicut tres pueros in camino ignis seruauit, meritis beati Vitalis nihil læsum eripuit.

Item de ipsa ciuitate mulier quædam cruribus paralysi contracta lecto decubuerat, quæ diutino dolore affecta, candelam ad men-

suram

ſuram ſui corporis beato Vitali deferendam pro ſanitate conſequenda fieri fecit,& ea conſumata optatæ ſanitati eſt reſtituta.

Coniunx cuiuſdam ciuis Salzeburgenſis, quæ cæca fuerat, beatum Vitalem pro ſui illuminatione aſſiduè implorabat, nocte igitur quadam, idem Dei Confeſſor per viſum ei apparuit, ferens in manu puluerem medicinalem, quem & oculis eius aſpergens, omnem viſus eſt abegiſſe cæcitatem. Somno itaque excitata, ita plenarie oculorum ſe inuenit officio reſtitutam,ac ſi nunquam aliquid ſiniſtri in his pertuliſſet.

Alia item probabilis vitæ fœmina, dolore quem phyſico nomine vocant phthiſin, grauiſſime tenebatur, in tantũ, vt ſæpe quaſi ſuffocata expiratura crederetur. Cuius animo cum occurriſſet, vt opem beati Vitalis pro ipſa debilitate imploraret, venit ad ſepulchrum eius, oranſq; ad Dominum ibidem,ab ipſo incommodo omnino erepta eſt.

Mulier quædam de Auſtria, ciuis Viennenſis miſerabiliter dæmone arrepta vexabatur. Quæ cum ad memoriam præfati Confeſſoris adducta fuiſſet,meritis eius & precibus liberata eſt.

Infantulus cuiuſdam pauperis fœminæ, iam ferè quinquennis, ab vtero matris & claudus & mutus fuerat, qui dum ad tumbam beati viri à matre crebris orationum votis delatus fuiſſet, diuina clementia ab vtriuſque debilitatis moleſtia ſaluatus eſt.

Simili etiam modo,cum alia quædam mulier filiam cæcam haberet,ſepulchrum illius ſancti Confeſſoris cum ipſa viſitauit, vbi cum preces & oblationes Domino obtuliſſet, domum rediit, & optatæ illuminationis gratiam in filia conſecuta eſt.

Item fœmina quædam de Fleſſingen/ habens filium genuum contractione claudum, pia animi deuotione diſpoſuit, vt ad velum quod beato conficiendum audierat, ipſa etiam aliquantam filorum particulam de labore manuum ſuarum pro filij ſanitate tranſmitteret. Eiſdem igitur filis ſpe meritorum ſancti Vitalis puerum inuoluit, moxque interuentione beati Confeſſoris & fide Martyris puer ſaluatus, greſſum accepit.

Cuius nimirum fama miraculi ad aures matronæ cuiuſdam peruenit,quæ dolore capitis quo nimium vexabatur, oculi vnius viſu priuata fuerat.Similem igitur & ipſa filorum portionẽ,quam deuote beato Vitali offerendum venerat, ad tumbam eius tranſmittere diſponebat, & eadem fila ſimiliter capiti ſuo circumuoluens, ſanitatis remedium adepta eſt.

Poſthæc

POst hæc ad effectum præexpressum procurator supramemoratus produxit quatuor Chronicas, de litteris antiquis etiam minime suspectis, sed elegantibus & preciosis, quarum vna inter cætera sic canit: Anno Domini M. CLXXXI. Alexander Papa obiit, Lucius succedit, Vitalis, Virgilius, Hartwicus, Eberhardus Episcopi, signis claruerunt.

ALia vero Chronica inter cætera hæc continet verba: Anno Domini M. CLXXXI. Alexander Papa obiit, pro quo Lucius constituitur: Manuel Imperator Græcorum obiit: Hermannus Dux Karinthiæ obiit, cui filius suus Ludouicus successit: Ludouicus Rex Franciæ obiit, cui filius suus Philippus successit: Aquilegiensis Patriarcha obiit: Heinricus Dux Bauariæ de summis honoribus, agente Friderico Imperatore, non immerito corruit, cui Otto de Witelinespach Palatinus Comes successit: Salzburck crebris miraculorum virtutibus sanctorum eiusdem vrbis Pontificum corpora reuelata sunt, videlicet Virgilij, Vitalis, Eberhardi, Cunradi: In Patauia sepulchrum beati Pilgrini miraculis clarescere cœpit.

TErtia vero Chronica sic canit: Anno Domini M. CLXXXI. Alexander Papa obiit, Lucius successit: Vitalis, Virgilius, Hartwicus, Eberhardus Episcopi, signis claruerunt.

QVarta Chronica sic dicit: Vitalis, Virgilius, Hartwicus Salzburgenses, & Pilgrinus Patauiensis, Episcopi, claruerunt miraculis.

POst hæc Magister Caspar procurator sæpenominatus se in vim & effectum probationis articulorum præscriptorum, ad tumbam seu sepulturam beati Vitalis, quam esse dicebat in Monasterio S. Petri Salzburgæ, in dextra parte Chori versus plagam meridionalem, nec non ad tabulas & ad scripturas beati Vitalis miracula continentes: Effigies quoque, picturas & imagines, diuersorum quoq; membrorum figuras ex cera, ferro & ligno, ac aliis materiis confectas, ibidem oblatas, & quæcunque alia tumbam eandem concernentia & eidem imposita, appensa, annexa, seu quouis modo applicata referebat, ac ea omnia & singula in finem & effectum præscriptum produxit, quæ vt nobis clarius & euidentius constarent, dictus procurator nobis de-

bita cum instantia supplicauit, quatenus tumbam prædictam accedere, ac situm eiusdem cum omnibus & singulis ad eam, vt præfertur, requisitis, conspicere & perlustrare dignaremur.

NOs itaque Delegati & Subdelegati supradicti, ad memorati Procuratoris instantiam, dictam sancti Petri Ecclesiam, cum Notariis publicis & testibus infrascriptis intrantes, locum tumbæ prædictæ accessimus, ac ipsam vna cum picturis, figuris, atque tabulis, suffragiis quoque & orationibus sancti Vitalis inibi descriptis ac aliis præmissis ipsam tumbam respicientibus, ac beati Vitalis miracula demonstrantibus vna cum cereis ibi oblatis & accensis, ad oculum vidimus, lustrauimus, legimus atque conspeximus, quæ talia habentur.

IN Ecclesia sancti Petri Monasterij ciuitatis Salzburgensis, Ordinis sancti Benedicti, quam vetustissimam & à sancto Rudberto primo Salzeburgensi Episcopo erectam fore constat: Extra chorum eiusdem in parte dextra, versus plagam Meridionalem, sepultura beati Vitalis habetur sic formata:

In angulo quidem dictæ partis chori, iuxta Altare sancti Andreæ, Orientem respiciens, in modum lapidis monumentalis, est murus in superficie planus, ex minutis lapidibus more veterum constructus, ad altitudinem medij cubiti à terra erectus, duabus partibus murum Ecclesiæ prædictæ contingens. Munit autē eundem monumentalem murum seu sepulchrum illud quædam concellatura ferrea altitudinis cubitorum trium semi-quadrata, duabus etiam partibus muro Ecclesiæ infixa, per quam quidem concellaturam ostiolum pro ingressu & egressu habetur. Inter eandem concellaturam dependet lampas vna iugiter ardens, & super tumbam posita sunt candelabra, in quibus cerei & candelæ per Christi fideles oblatæ ponuntur & accenduntur. Apparent etiam ibi cineres in multa quantitate, qui ex candelis combustis super remanserunt. Concellaturæ vero per ordinem infixi sunt clauuli acuti, in quibus cerei figuntur & accenduntur. Item in muro Ecclesiæ intra tumbam est quædam pictura vetustissima pulchra tamen & artificialis, qua ostenditur, quod funus beati Vitalis ibi deponitur coram circumstantibus Sacerdotibus, quorum aliqui funus deponunt, aliqui thurificant, aliqui aquam benedictam aspergunt, cæteri vero orationi insistunt. Item intra concellatu-

ram prædictam positus est aceruus baculorum & lorarum, in quibus claudi & infirmi ad tumbam venerunt, & sanitate accepta, illas ibi reliquerunt. Sunt & illic in magno numero circuli ferrei, & equorum ferramenta & compedes ferrei, quibus captiui vincti fuisse dicuntur. Item intra concellaturam ac supra & extra eandem circumquaque, in magna copia imagines hominum de cera & ferro confectæ, quarum aliquæ in infulis & pontificalibus, aliquæ vero in armis, cæteræ in vtriusque sexus hominum vestitu apparent. Assunt etiam diuersorum, puta capitum, oculorum, dentium, mandibularum, brachiorum, manuum, crurium, pedum & aliorum membrorum figuræ quasi innumerabiles, de cera, ferro & ligno confectæ, per Christi fideles, quibus Dominus per meritum beati Vitalis, languentium membrorum sanitatem restituit, oblatæ & ibidem relictæ. Item supra tumbam in muro plagæ Meridionalis, est vna tabula bipartita, lata & preciosa, opereque artificiali confecta, in cuius parte superiori pictum cernitur, quomodo sanctus Rudbertus primus sanctæ Ecclesiæ Salzeburgensis Episcopus, beatum Vitalem sibi successorem elegit & constituit, & quomodo Ecclesia Salzeburgẽsis coram Clero & populo volente atq; petente, beato Vitali committitur. Inferius autem miracula beati Vitalis videntur depicta, inter quæ illa sunt præcipua.

Primo claudos & aridos reformat: Secundo dæmoniacos & arrepticios liberat: Tertio cæcis lumen & surdis auditum restituit: Quarto naufragantem in mari saluat. Et pro qualibet vice imago beati Vitalis, ad instar sancti, sub infula & diademate cernitur depicta.

Simili modo eadem imago picta videtur in quadam antiquissima tabula Altari beati Andreæ, prædictæ tumbæ contiguo, apposita, vbi sub pedibus imaginis de antiqua littera scriptum est: Sanctus Vitalis. In vitro vero circa tumbam eandem versus Orientem imago beati Vitalis sub infula & diademate, & cum lilio albo, de corde eius crescente picta videtur.

Item extra concellaturam tumbæ memoratæ est truncus magnus, in quo Christi fideles in venerationem eiusdem beati Vitalis pecunias offerre solent. Similiter extra tumbam prædictam sub vitro præmemorato dependet vna tabula, certam de beato Vitale orationem continens huiusmodi tenoris:

LETARE ciuitas Iuuauensis, quæ tali patrono muniris corporaliter tuis retento lattibus. O fœlix viri sancti anima, plena deliciis per

omnia, cuius in terris claritas, floris refulget gloria. O corpus mirificum, cuius antiqua miracula, Dei renouantur gratia. Auster sancti Spiritus tuum perflat hortum, vt fluant aromata, quæ valentibus sufficiant & debiles reficiant. VERS. Iustus germinabit sicut lilium: Et florebit in æternum ante Dominum.

COLLECTA.

DEVS qui Ecclesiam tuam beati Vitalis gloriosi Pontificis, floridis lætificas miraculis: Da quæsumus: eius suffragiis, vt per vitam placidam, flori Christo Iesu immarcessibili perenniter valeamus inhærere: Qui tecum viuit, &c.

Item in muro Ecclesiæ iuxta tumbam beati Vitalis, versus meridiem, est quædam tabula magna, quæ in modum valuarum aperitur & clauditur, in qua de sancto Rudberto & exordio Ecclesiæ Salzburgensis multa continentur, quibus subiunguntur illa triginta nouem beati Vitalis miracula, in præsenti processu superius de verbo ad verbum inserta. Post vero miracula huiusmodi in eadem tabula orationes seu suffragia, atque Epitaphium de beato Vitale, continentur in hunc modum:

SANCTE Vitalis Confessor Domini electe, qui Spiritu sancto plenus, vita temporali, vitam & misericordiam æternam promeruisti. qui sanctitate & virtute castitatis Deo placuisti, qui doctrina & exemplo vitæ populo digne præfuisti: Da nobis, quæsumus, ita sanctitatis tuæ merita venerari, & castitatem imitari, vt per gratiam sancti Spiritus & tuis precibus ab ardentis libidinis æstu liberati, ad amorem continentiæ, obedientiæ, aliarumque virtutum, tuo exemplo possimus informari, AMEN.

TV Præsul insignis & dispēsator prudens, qui doctrina & miraculis viam veritatis demonstrasti, & multos ab errore viæ suæ reuocasti: fac nos peccatores mala nostra derelinquere, & viam mandatorum Dei læto corde currentes, diuino timori & amori semper adhærere, AMEN.

TV, ô dilecte Dei, qui cæcos illuminasti, debiles & claudos curasti, dæmonibus imperasti, & alias virtutes præclaras patrasti: illumina quæsumus oculos cordis nostri, ne vnquam per impotentiam, ignoran-

norantiam vel malitiam obdormiamus in morte, greſſus noſtros dirige in viam iuſtitiæ, dæmonum allide conſilia, & nos in omni bono, ac ſancta voluntate confirma.

SANCTE Vitalis ſerue Dei bone & fidelis, auge nobis fidem, ſpem & charitatem cum perſeuerantia bonorum operum, & præſta nobis fœliciter præſentium neceſſaria cum religionis augmento, beatoque fine fac nos tranſire de hoc ſæculo ad cœleſtem patriam, vbi videamus & glorificemus regnantem in ſæcula ſæculorum, Amen. Kyrieeleyſon, Chriſteeleyſon, Kyrieeleyſon. VERS. Amauit eum Dominus & ornauit eum: Stola gloriæ induit eum. VERS. Domine exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui in meritis ſancti Vitalis Confeſſoris tui atque Pontificis ſemper & vbique es mirabilis, quæſumus clementiam tuam, vt ſicut ei eminentem gratiam contuliſti, ita ad promerendam miſericordiam tuam, eius nos tribuas precibus adiuuari: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

EPITAPHIVM SANCTI VITALIS.

NVNC non eſt talis, qualis fuit ille Vitalis,
In toto mundo, qui vixit corpore mundo.
Hic Pater inſignis, meritis fulget quoque ſignis.
Ægrotos ſanat, virtus de marmore manat,
Quo tegitur tumba, vir ſimplicitate columba,
Et ſerpens aſtu, tibi conſulo quod venias tu,
Huc ſi ſanari cupis, & membris ſolidari.
Surdus hic auditum recipit, mutus quoque ritum,
Vt lingua fetur, cæcus petit vt ſibi detur,
Lumen, quod reſtat Præſul populo quoque præſtat.
Vrbe ſalis clarus, Chriſto ſuper omnia charus.
Quamuis translatus non ſit Pater iſte beatus.

CONSEQVENTER vero Magiſter Caſpar procurator, nomine quo ſupra procuratorio, coram nobis Delegatis & Subdelegatis prædictis comparens propoſuit: Quomodo ipſe ad præinſertorum

articulorum probationem legitimam, vltra prius producta, nonnullos testes idoneos producere intenderet. Inter quos Reuerendus Pater, Dominus Petrus Abbas Monasterij sancti Petri, prædictus existeret. Quem idem procurator, tanquam testem, per nos citari ac recipi & admitti, necnon ad iurandum, de perhibendo testimonium veritati, super articulis & interrogatoriis præscriptis compelli, examinarique & interrogari postulauit.

NOs itaque Vlricus & Georgius Episcopi Delegati: Georgius Abbas, & Benedictus Præpositus Subdelegati prædicti: Sperantes, quod idem Dominus Abbas de sanctitate & miraculis beati Vitalis, cuius sepultura in suo Monasterio habetur, scientiam nō modicam haberet. Et propterea dignum & rationi consonum censuimus, vt ipse in negotio præsenti, saltem pro vestræ sanctitatis informatione, testimonium perhiberet veritati. Præterea eundem Dominum Abbatem, vt & tanquam testem, auctoritate prædicta verbo citamus, corporaleque iuramentum ad sancta Dei Euangelia præstitum, recepimus ab eodem. Quo quidem iuramento medio, idem Dominus Abbas examinatus & interrogatus, primo de ætate sua respondit, se esse sexaginta annorum vel circa, & quod ab adolescentia conuersatus sit in religione Monasterij sancti Petri supradicti, cuius Abbas & Prælatus fuerit per annos viginti octo.

Ad primum articulum interrogatus dicit: Articulum esse verum & notorium.

Secundum articulum dicit similiter esse verum, pro causa scientiæ allegans, quod de contentis in eo, sit publica vox & fama, dicensque hæc legisse in diuersis libris & legendis antiquis & authenticis.

Tertium articulum dicit esse verum & notorium.

Ad quartum articulum dicit vt ex sequentibus patebit.

Quintum articulum dicit esse verum, referens se de veritate huiusmodi ad legendam S. Rudberti, quæ in suo Monasterio, & diuersis aliis locis habetur solennis & authentica.

Sextum articulum dicit verisimiliter esse verum. Si enim sanctus Rudbertus beatum Vitalem in Episcopio voluit habere successorem, verisimile existit, quod ipsum in actibus huiusmodi & rebus fortibus habuerit adiutorem.

Septimum articulum incipientem: *Quarto, Sanctitas &c.* dicit esse articulum verum, quia legenda supradicta, quæ pro authentica

habe-

habetur: Item tabulæ & orationes, quæ circa tumbam beati Vitalis habentur, hæc expresse continent. Refert se etiam ad ceras, ligneas, ferreas & aliarum materiarum imagines, membrorumque diuersorum figuras, iuxta eandem tumbam à Christi fidelibus, in quibus beati Vitalis miracula reluxerunt, oblatas, prout cuilibet intuenti hodie apparet euidenter, & credit omnia ista miracula, quæ in libris antiquis ac tabulis & picturis de beato Vitale reperiuntur, esse vera. Nam de veritate illorum publica est vox & fama. Pro speciali vero scientiæ causa, memoratus Dominus Abbas dixit, quod ante annos quadraginta quinque, cum in dicto Monasterio Nouicius esset, inuaserit eum quidam dolor dentium, grauis valde & acutus, quo causante facies eius intumuit sic, quod à notis vix nosceretur. Cumque illud per vnum mensem vel quasi, pertulisset, vnus ex connouitiis suis sibi consuluit, quatenus suos & eiusdem connouicij cereos, qui ipsis ex more Monasterij pro nocte dabantur, tolleret, & tumbam beati Vitalis accederet, & accensis cereis, beatum Vitalem inuocaret, quatenus apud Deum intercederet, vt à dolore hoc misericorditer liberaretur. Quod ipse testis sic faciens, apud tumbam prædictam se prostrauit. Et facta oratione mox alleuiamen persensit, & expost paucissimis diebus ad plenum reconualuit, & ab eo tempore dentium dolores ipsum nunquam occupauêre.

Interrogatus quibus præsentibus, dicit se de his ignorare, dempto connouicio suo prædicto, iam defuncto.

Interrogatus de anno & die, dicit de his se propter temporis diuturnitatem non recordari. Sed dicit quod ex istis & aliis causis beatum Vitalem suis priuatis orationibus per singulos dies veneraretur, & credit sibi eundem beatum Vitalem in multis suis tribulationibus efficaciter subuenisse.

Octauum articulum dicit esse verum, pro causa scientiæ, allegans quod illud oculis subiiciatur circa tumbam beati Vitalis, & in vitro eidem tumbæ in parte Orientali propinquo, & quibusdam antiquis tabulis, vetustis Altaribus, causa ornatus appositis.

Nonum articulum per omnia sua puncta dicit esse verum, causam scientiæ reddens, quia notorie omni die cuilibet intuenti ad oculum id apparet. Estque à multis annis omnium hominum memoriam excedentibus, ita factum & obseruatum, dicit etiam quod vltra illum articulum, linum, & gallinarum pulli, & quam plura alia inibi offerantur.

Deci-

Decimum articulum dicit esse verum, quod vidit & audiuit à pueritia sua, saluo quod de processionibus non constat.

Vndecimum articulum dicit esse verum, quod de hoc est vox & fama per ciuitatem Salzburgensem, & patriam vicinam, apud Archiepiscopos & alios Prælatos, apud Clerum & populum, nobiles & ignobiles, & testis pro conscientia sua dicit & firmiter credit, beatum Vitalem ob sui sanctitatem miraculorumque operationem esse canonizandum, & catalogo Sanctorum asscribendum.

Ad tredecimum articulum testis interrogatus respondit, quod sine dubio multa miracula, annis dudum lapsis facta sint, ac modernis temporibus quotidie fiunt per beatum Vitalem, licet modernis temporibus de his specialiter inquirere, & ea conscribere seu aduertere pauci curauerint.

Quartumdecimum articulum de fama, dicit testis, esse verum, prout supra circa vndecimum dixit articulum.

INSVPER memoratus Magister Caspar procurator, nomine quo supra procuratorio, coram nobis Vlrico & Georgio Episcopis Delegatis: Petro & Georgio Abbatibus: ac Benedicto Præposito, Subdelegatis, omnes & singulos, vtriusque sexus homines infra nominatos, in nostri præsentia constitutos, tanquam testes, modo & forma præmissa, produxit, eosque & ipsorum quemlibet per nos citari & admitti, ipsorumque & cuiuslibet ipsorum, solitum iuramentum recipi, atque eos, & quemlibet ex eis, super articulis & interrogatoriis præscriptis examinari & interrogari debita cum instantia postulauit.

NOs tunc Delegati & Subdelegati infrascriptos vtriusque sexus homines, coram nobis personaliter constitutos, ad dicti Magistri Caspari procuratoris instantiam, tanquam testes, verbo citauimus, eosque & ipsorum quemlibet ad iurandum de perhibendo in præsenti negotio, testimonium veritati in forma iuris compulimus & admisimus. Qui sic compulsi & admissi, statim & in continenti ad mandatum nostrum, ac in manibus nostris, tactis per eos & quemlibet ex eis corporaliter scripturis sacrosanctis, ad sancta Dei Euangelia iurauerunt, & quilibet eorum iurauit, se velle dicere & depromere puram & meram, quam sciuerint, & ipsorum quilibet sciuerit in præmissis, veritatem, prece, pretio, odio, amore, fauore, timore, & qualibet alia sinistra machinatione postpositis penitus & semotis.

Nos ia-

NOs insuper Delegati, & Subdelegati coniunctim ad examen testium huiusmodi procedentes: Reuerendum in Christo Patrem, Dominum Hadmarum, Decanum Ecclesiæ Salzeburgensis, testem superius productum & iuratum ad partem, prout moris est, coram Notariis & testibus publicis infrascriptis, examinauimus & interrogauimus.

Primo de ætate, dicit medio iuramento superius præstito, se esse ætatis quinquaginta annorum vel circa. Deinde ad similem interrogationem dicit, quod ab adolescentia professus fuerit in Ecclesia Salzburgensi, Ordini S. Augustini Canonicorum regularium prædicta, & quod in præsenti negotio meram quam sciuerit veritatem depromere velit, postposita omni machinatione sinistra: Deinde ad articulos interrogatus: Primum, secundum & tertium articulos dicit esse notorie veros, referens se nihilominus ad legendas sanctorum Rudberti & Virgilij, quæ pro authenticis habentur. Quartum & quintum articulos dicit esse veros, referens se, vt prius, ad legendas authenticas & alios libros, ac ad scripturas veteres, in quibus hæc describuntur.

Sextum articulum dicit esse similiter verum, quod ratio sic dictat.

Septimum articulum dicit esse verum, quia à iuuentute sua à senioribus suis hæc dici audiuit, remittit se nihilominus ad scripturas & tabulas hæc continentes.

Pro speciali causa scientiæ subiungens, quod beatus Vitalis quadam vice per eum inuocatus, in grauissimo capitis dolore sibi subuenerit, & ipsum sanitati restituerit, pro quo eundem beatum Vitalem in suis priuatis orationibus hodie venerari non cessat.

Ad octauum articulum dicit, esse verum quod beatus Vitalis cum diademate & Lilio depingitur, quod vidit imaginem suam in certis veteribus tabulis, præsertim in vitro, circa tumbam suam, eo modo depictam.

Nonum articulum dicit esse verum, pro causa scientiæ assignans, quia vidit sæpius hæc fieri, & hodie cuiuslibet intuentis oculo subiiciuntur.

Ad decimum articulum respondit, se hæc audiuisse ab aliis. Vndecimum articulum dicit esse verum, quod hæc sæpius audiuit, imo ipsemet tenet & reputat eundem beatum Vitalem pro sancto canonizando. Duodecimum articulum dicit esse notorie verum, quod cuilibet inspicienti manifeste apparet. Ad tredecimum articulum dicit

S testis,

testis, se credere, imo audiuisse sæpius beatum Vitalem, in operatione miraculorum sedulum esse, licet negligentia modernorum id non aduertat. Quartumdecimum articulum de fama dicit esse verũ, & quod illa fama apud doctos & indoctos, nobiles & ignobiles, per ciuitatem Salzburgensem, ac aliis locis discurrat.

FRATER Petrus Prior Monasterij S. Petri Salzburgensis supradicti, ætatis quinquaginta duorum annorum, à viginti tribus annis in eodem Monasterio Professus, vir doctus & sensatus, testis superius receptus & iuratus, medio suo iuramento interrogatus, dicit: Primum articulum esse verum, quia in eo contenta sunt notoria. Secundum articulum dicit esse verum, referens se ad legendas, in quibus hæc continentur, quæ pro authenticis habentur. Tertium articulum dicit esse verum, quia notorius est Quartum articulum generalem dicit esse verum, quantum ex infrascriptis habetur. Quintum articulum dicit esse verum, quia ita legit in legenda sancti Rudberti, quæ authentica existit, & sæpius lecta in refectorio dicti Monasterij sancti Petri. Sextum articulum dicit testis, esse communem & verum ex dictamine rationis. Septimum articulum dicit esse verum, quia à senioribus suis dici audiuit, ac in diuersis libris antiquis beati Vitalis miracula legendo didicit, de eo vero quod de lilio albo articulariter dicit testis, esse commune dictum, publicamq; vocem & famam. Octauum articulum dicit testis esse verum, quia imaginem beati Vitalis cum diademate, more sanctorum depictam, in vitro antiquo apud tumbam eiusdem Vitalis versus Orientem, & quibusdam tabulis, vetustis Altaribus impositis sæpius vidit, & hodie conspicienti oculo subiicitur. Nonum articulum dicit esse verum, quo ad oblationes, quia à multis annis ita vidit, & singulis diebus ad oculum videtur. De miraculis vero certitudinaliter non depromit, nisi quod audiuit à quibusdam hominibus, quod ipsi ex certis infirmitatibus ad inuocationem beati Vitalis conualuerunt: Sed qui sint illi homines ignorat.

Ad decimum articulum dicit, quod viderit sæpius exteros homines apud tumbam beati Vitalis prouolui, oblationes atque orationes inibi facientes.

Ad vndecimum articulum dicit esse verum articulum, quia à multis annis à personis grauibus vtriusque status audiuerit beatum Vitalem pro sancto miraculorum effectore, ac merito canonizando communiter reputari & haberi.

Duo-

Duodecimum articulum dicit esse verum, pro causa scientiæ allegans, quia per totum tempus, quo in dicto Monasterio moram duxit, ita vidit, & cuilibet intuenti ad oculum apparet. Ad tredecimum articulum dicit, se audiuisse beatum Vitalem, modernis temporibus aliquotiens miraculis claruisse, sed quibus vel qualibus ignorat.

Ad quartumdecimum articulum de fama repetit dictum suum superius circa vndecimum articulum descriptum.

FRATER Stephanus Pretschlepfer, Professus & Custos Monasterij sancti Petri Salzburgensis supradicti, ætatis quinquaginta sex annorum, à quadraginta quinq; annis in eodem Monasterio Professus, testis vt supra productus & iuratus.

Primum articulum dicit esse notorie verum. Secundum articulum dicit esse verum, referens se ad libros authenticos & legendas, in quibus illa continentur. Tertium articulum dicit esse notorium. Ad quartum articulum generalẽ dicit vt infra ad articulos specificatiuos. Quintum articulum incipientem: *Dicitur primo, &c.* dicit verum esse, referens se ad legendam S. Rudberti, quæ authentica est, quæ etiam in refectorio Monasterij prędicti, similiter in lectionibus matutinalibus, bis in anno, legi consueuit. Sextum articulum dicit esse verisimiliter verum, prout etiam partim ex legenda elici potest. Septimum articulum dicit esse verum, pro causa scientiæ, assignans, quia ita reperitur in libris authenticis, videtur etiam apud tumbam beati Vitalis sic depictum, & quibusdam tabulis descriptum, dicit etiam quod ipse aliquotiens fuerit, prout ad præsens existat, præfati Monasterij Custos, vbi certe vtriusque sexus personæ ad ipsum venientes retulerunt, qualiter à suis languoribus ad inuocationem beati Vitalis & circa tumbam eiusdem fuerint liberatæ, sed quæ fuerint seu sint personæ prædictæ, memoriæ non occurrit. Dicit etiam quod hodie communis sit concursus ægrorum & sanorum, exterorum & incolarũ, ad tumbam eandem. De miraculo vero lilij albi, dicit se audiuisse à senioribus suis ita esse actum, prout articulariter dictum.

Octauum articulum dicit esse verum, quia in vitro quodam antiquo circa tumbam beati Vitalis, & certis aliis veteribus picturis sic vidit, & cuilibet intuenti patet.

Nonum articulum dicit esse verum, atque notorium, quia ita longissimis temporibus factum & obseruatum existit, & hodie ita seruatur, prout cuilibet intuenti ad oculum apparet. Ad decimum articulum di-

lum dicit, sibi de processionibus non constare, sed sit verum quod etiam exteri homines circa tumbam prouoluantur, ac Missas in beati Vitalis venerationem celebrari disponunt. Vndecimum articulum dicit esse verum, quod de contentis in eo est firma credulitas, dictum commune, publica vox & fama, apud senes & iuuenes, Clerum & populum in ciuitate Salzburgensi & extra eandem.

Duodecimum articulum dicit esse verum, quia sic fieri vidit & audiuit. Tredecimum articulum dicit esse verum, quia diuersi homines, vt supra deprompsit, sibi hæc retulerunt, licet nec ipse, nec aliquis alius miracula modernis temporibus, per beatum Vitalem facta conscribere curauerit.

Ad quartumdecimum articulum, de fama, dicit esse verum articulum, depromptionem superius circa vndecimum articulum descriptam, hic repetendo.

FRATER Heinricus Hefelder, professus & librarius Monasterij S.Petri supradicti, ætatis quadraginta octo annorum vel quasi, à viginti octo annis in eodem Monasterio professus, testis vt supra iuratus. Ad primum articulum interrogatus dicit esse verum articulum & notorium.

Secundum articulum dicit similiter esse verum & notorium, referens se nihilominus ad legendam S.Rudberti, quæ est authentica, & in lectionibus matutinalibus atque pro tabula refectorij antedicti Monasterij legi solet.

Tertium articulum esse verum, quantum ex infrascriptis constabit ex fama publica.

Quartum articulum dicit esse verum, quantum ex infrascriptis constabit.

Quintum articulum dicit esse verum, referens se de hoc ad legendam, prout supra circa secundum articulum, quæ quidem legenda notabilis & authentica habetur.

Sextum articulum dicit verisimiliter esse verum.

Septimum articulum dicit esse verum, pro causa scientiæ assignans, quod à multis vtriusque sexus hominibus hæc audiuit, ac in libris & tabulis desuper confectis legit, ad quas se refert, & quod lilium album ex tumba beati Vitalis creuerit, dicit constare ex picturis antiquis ac communi hominum dicto.

Octauum articulum incipientem, *Item quod in huius spectaculi memo-*

memoriam, &c. dicit esse verum, quod antiquissimæ picturæ in vitro versus Orientem circa tumbam beati Vitalis, & certæ tabulæ Altaribus impositæ aperte demonstrant.

Nonum articulum dicit esse verum, quod à tempore quo in dicto Monasterio moram traxit, singulis quasi diebus ea quæ articulus canit, vidit & audiuit, oblata etiam quæ ibi commemorantur, cuilibet intuenti ad oculum apparent.

Ad decimum articulum dicit, sibi bene constare, quod exteri homines ad beati Vitalis tumbam veniunt, & orationes faciunt, votaq; sua complēdo, iam cereos, iam imagines ferreas, cereas, & ligneas, diuersorumque membrorum figuras ex huiusmodi materiis confectas ibi offerunt & relinquunt.

Vndecimum articulum dicit esse verum & notorium.

Duodecimum articulum dicit esse verum, quod à multis annis vidit & quasi singulis diebus conspicit sine intermissione.

Ad tredecimum articulum dicit esse verisimile, quod frequenter fiunt miracula per beatum Vitalem, quæ memoriæ non commendantur, prout etiam cæterorum hominum, in quibus huiusmodi miracula operata fuerint, didicit relatione.

Quartumdecimum articulum generalem de fama dicit esse verum, quod sic famari audiuit à multis grauibus personis, doctis & indoctis, Prælatis & subditis per ciuitatem Salzburgensem.

DOMINVS Fridericus Prancker, Canonicus & Plebanus Ecclesiæ Salzburgensis, ætatis quinquaginta annorum vel circa, à triginta annis in Ecclesia Salzburgensi, Ordinis S. Augustini professus, testis vt supra iuratus.

Primum articulum dicit esse notorie verum. Secundum articulum dicit similiter esse verum, referens se nihilominus ad legendam S. Rudberti, quæ pro authentica habetur, quam sæpius vidit & legit. Tertium articulum dicit esse notorium. Ad quartum articulum dicit tantum quantum ex subscriptis patebit. Quintum articulum dicit esse verum, remittens ad legendam supradictam, quæ authentica habetur. Ad sextum articulum dicit, quod ratio sic dictet, prout articulatur. Septimum articulum dicit esse verum, quod à multis annis præteritis dici audiuit de his quæ in articulo continentur, per graues & honestas personas. Estque de his publica vox & fama. Octauum articulum dicit esse verum, quod effigiem beati Vitalis sic, vt articulatur, depictam vidit in

dit in vitro circa tumbam beati Vitalis in Monasterio S. Petri prædicto. Ad nonum articulum dicit se vidisse quod homines vtriusque sexus, pusilli & magni, circa tumbam B. Vitalis sunt prouoluti, & cereos ibidem succenderunt, vidit quoque alia quæ inibi articulantur & cuilibet intuenti ad oculum apparent. Ad decimum articulum dicit vt ad nonum, videlicet quod viderit homines circa tumbam prouolutos, orationes & oblationes facientes. Vndecimum articulum dicit esse verum, quia de in eo contentis in ciuitate Salzburgensi & extra eandem est publica vox & fama, non solum apud populares, sed & Prælatos & doctos, nobiles & ignobiles. Duodecimum articulum dicit esse verum, quia sæpius vidit & audiuit. Ad tredecimum articulum dicit, se aliquotiens audiisse, quod beatus Vitalis etiam modernis temporibus claret miraculis. Sed an scriptis commendentur ignorat. Ad quartumdecimum articulum, de fama, dicit esse verum, eo modo prout supra circa vndecimum dixit articulum.

DOMINVS Bernhardus de Rohr / Canonicus & Hospitalarius Ecclesiæ Salzburgensis, ætatis quadraginta quatuor annorum vel circa, testis vt supra productus & iuratus, ad articulos, interrogatoria præscripta, interrogatus respondit vt infra; primum, secundum, & tertium articulos, dicit esse veros, quia in eis contenta per multas partes terrarum, longe lateque sunt publica & notoria. Ad quartum articulum dicit vt infra ad articulos sequentes. Quintum articulum dicit esse verum, referens se ad legendam sancti Rudberti, quæ pro authentica habetur. Sextum articulum dicit esse verisimilitudinis & rationis. Septimum articulum dicit esse verum, quia de contentis in eo, est commune dictum ac publica vox & fama. Refert se tamen ad libros & tabulas in quibus illa continentur. Octauum articulum dicit esse verum, quia in vitro circa tumbam beati Vitalis, imaginem ipsam cum diademate & lilio vidit depictam, prout hodie cuilibet intuenti apparet. Nonum articulum dicit esse verum, quia à multis annis vidit & audiuit, & per seipsum circa tumbam nonnunquam prouolutus in veneratione beati Vitalis certas orationes dixit. Ad decimum articulum dicit, quod suis expensis procurauerit legi certas Missas, pro beati Vitalis veneratione. Vndecimum articulum dicit esse verum, quia toto tempore quo Salzeburgæ moram fecit, hæc ita audiuit à magnis & paruis vtriusque sexus hominibus. Sitque de hoc per ciuitatem Salzburgensem & multas terra-

rum partes, publica vox & fama. Duodecimum articulum dicit esse verum, quia vidit & per seipsum fecit. Ad tredecimum articulum dicit se, de in eo contentis, sæpius audisse, & sit indubie verum, quod beatus Vitalis modernis temporibus miracula operetur. Ad quartumdecimum articulum de fama, dicit esse verum articulum, repetens depositionem suam circa articulum vndecimum superius descriptam.

DOMINVS Meinhardus Glimpff/Primissarius & Pœnitentiarius officij Vicariatus Ecclesiæ Salzeburgensis, ætatis sexaginta annorum vel circa, vir doctus atque sensatus, testis vt supra iuratus & examinatus. Primum articulum dicit esse verum atq; notorium, quia festa illorum sanctorum multipliciter celebrantur in anno. Secundum articulum dicit esse verum, quia sanctus Rudbertus dicitur communiter Apostolus Bauarorũ, Virgilius Apostolus Karinthianorum. Tertium articulum dicit esse notorium verum. Ad quartum articulum deponit vt infra ad articulos sequentes. Quintum articulum dicit esse verum, quia in eo contenta sæpius dici audiuit, atq; in legenda S. Rudberti, quæ pro authentica habetur, sæpissime legit. Sextum articulum dicit esse verum, iuxta dictamen rationis. Septimum articulum dicit esse verum, quia ita legit in libris authenticis & aliis scripturis, dicique audiuit, & in picturis vidit, de eo vero, quod de lilio albo articulatur, dicit esse publicam vocem & famam. Ad octauum articulum dicit, quod in vitro quodam antiquo, circa tumbam beati Vitalis, versus Orientem, & in quadam antiqua tabula vidit imaginem eiusdem beati, cum diademate & lilio albo depictam. Nonum articulum dicit esse notorie verum, quia à puericia sua in ciuitate Salzburgensi nutritus est, & semper ita vidit & audiuit, & hodie quo ad imagines & figuras oblatas articuli veritatem quisquis intueri potest. Ad decimum articulum dicit, quod exteri & aduenæ & peregrini circa tumbam illam prouolui, & orationes facere consueuerunt, prout testis sæpius vidit. Et quia pœnitentiarius est, in confessionibus audiuit quod homines beato Vitali ad certa vota sunt astricti, iam tumbam eius visitare, iam ieiunare, iam orare, iam cereos & similia offerre tenerentur propter beneficia & miracula, quæ ipsis B. Vitalis in laboribus & anxietatibus suis, vti asserebant, ostendit. Vndecimum articulum dicit esse notorium verum, quia vtriusque status homines, Prælati & subditi, nobiles & ignobiles, & populares, per ciuitatem Salzburgensem, & patrias vicinas hæc dicunt, prædicant & affirmant.

Duodecimum articulum dicit esse verum, quod à multis annis vidit, & cuiuslibet inspicientis oculo subiicitur quotidie. Ad tredecimum articulum dicit vt supra ad decimum. Decimumquartum articulum de fama, dicit esse verum, inducens depositionem suam circa vndecimum articulum factam.

THOMAS Matseer/ Vicecustos Ecclesiæ Metropoliticæ Salzburgensis, Presbyter, ætatis sexaginta annorum, in ciuitate Salzeburgensi à pueritia nutritus, testis vt supra iuratus. Primos tres articulos dicit esse notorie veros, quia festa illorum sanctorum publice celebrantur, referens se nihilominus ad legendas ipsorum, quæ authenticæ existunt. Ad quartum articulum dicit, quemadmodum ex infrascriptis patebit. Quintum articulum dicit esse verum, quia de contentis in eo est publica vox & fama. Refert se etiam ad legendam sancti Rudberti, quæ solennis & authentica. Sextum articulum dicit testis, ex verisimilitudine esse verum. Septimum articulum dicit esse verum, quod in antiquis libris & tabulis ea quæ ibi articulantur legendo didicit, à senioribus suis etiam audiuit, & in picturis circa tumbam beati Vitalis ita aduertit. Octauum articulum dicit esse verum, quia imaginem beati Vitalis cum diademate & lilio albo de corde crescenti depictam, sæpius vidit. Nonum articulum dicit esse verum, quia hæc sæpius vidit & audiuit, & cuiuslibet conspicientis oculo hodie subiicitur. Ad decimum articulum dicit testis, sibi constare, quod tam incolæ ciuitatis Salzburgensis, quam exteri homines circa tumbam beati Vitalis prouoluuntur, & inuocationes faciunt, quod vidit & audiuit. Vndecimum articulum dicit esse verum, quia a senioribus suis ita audiuit: Estque de his vox & fama apud personas graues & simplices. Ipse quoque testis firmiter credit atque tenet, beatum Vitalem esse canonizandum. Duodecimum articulum dicit esse verum, quia sæpius vidit. Tredecimum articulum dicit esse verum, de auditu sic, quod beatus Vitalis etiam istis tēporibus miracula operari non cessat, quamuis desidia modernorum negligat commemorari. Quartumdecimum articulum de fama, dicit esse verum, prout supra dixit circa articulum vndecimum.

STRENVVS miles Dominus Wolffhardus Vberácker/ Ministerialis Ecclesiæ Salzburgensis, ætatis quadraginta annorum vel circa, à pueritia sua in ciuitate Salzburgensi nutritus, testis vt supra iuratus. Pri-

tus. Primum articulum sibi vulgarizatum dicit esse verum, quia in eo contenta notoria existunt. Secundum articulum dicit esse verum, quia sic audiuit in prædicationibus publicis. Ad tertium articulum dicit, quod de contentis in primis duobus articulis sit vox & fama atque notorietas amplissima. Ad quartum articulum dicit quemadmodum ad articulos specificatiuos subscriptos. Ad quintum articulum dicit, se à senioribus suis audiuisse, quod S. Rudbertus beatum Vitalem, vti articulatur, elegerit successorem. Ad sextum articulum dicit, quod verisimile sit sanctum Rudbertum beatum Vitalem in suis prædicationibus & actibus sacris habuisse adiutorem. Ad septimum articulum testis vulgarizatum, dicit, verum esse quod beatus Vitalis multis claruerit miraculis, quia id à senioribus suis persæpe audiuit atque in tabulis circa tumbam beati Vitalis, quam esse dicit in Monasterio S. Petri Salisburgi, per seipsum legit, & in picturis veteribus ibidem vidit, & præsertim hoc, quod de lilio albo articulatur, sæpissime audiuit tanquam vulgare & notorium. Octauum articulum dicit esse verum, quia ita vidit in vitro antiquo & aliis picturis circa tumbam beati Vitalis. Nonum articulum dicit esse verum, quia à iuuentute sua sic obseruari vidit, & per seipsum fecit. Pro clariori vero causa scientiæ dicit, quod quondam vxor sua pro pueris suis infirmis imagines cereas ibi obtulit & reliquit, vidit etiam sæpius, & per se fecit impositiones pecuniarum ad truncum, vti articulatur, & hodie cuilibet intuenti manifeste apparet. Ad decimum articulum dicit, se sæpius vidisse exteros & peregrinos circa tumbam beati Vitalis prouolutos, præsertim circa maiores anni festiuitates. Vndecimum articulum dicit esse verum, quia de in eo contentis est fama apud nobiles & ignobiles, viros & mulieres in ciuitate Salzburgensi & extra eandem longe lateque. Duodecimum articulum dicit esse verum, quia à multis annis ita vidit & hodie sic obseruatur. Tredecimum articulum dicit esse verum, quia ita audiuit & credit, quod propterea veneretur beatus Vitalis, nam si miracula nulla faceret, veneratio eius ita frequens non esset. Quartumdecimum articulum de fama, dicit esse verum, eo modo, vt supra circa vndecimum dixit articulum.

NOBILIS vir, Wilhelmus Turner de Newpeürn / Ministerialis Ecclesiæ Salzburgensis, laicus, sexaginta annorum vel circa, vir eloquens & prudens, in ciuitate Salzburgensi & patria vicina à iuuentute nutritus, testis vt supra iuratus. Primum articulum vulgarizatum

dicit esse verum, quia festa illorum sanctorum in anno multipliciter celebrantur. Secundum articulum dicit esse verum & notorium, quia in publicis prædicationibus à multis annis audiuit. Tertium articulũ dicit esse notorium. Ad quartum articulum generalem dicit vt infra ad articulos specificatiuos. Ad quintum articulum testis non est examinatus. Ad sextum articulum non est examinatus. Ad septimum articulum dicit, se sæpius vidisse, quod circa tumbam beati Vitalis, quam testis esse dicit in Monasterio sancti Petri, cerei & imagines ligneæ, ferreæ & cereæ offeruntur & ibi reponuntur, de aliis vero quæ articulus canit, dicit se testis ignorare. Octauum articulum dicit esse verum, quia imaginem beati Vitalis depictam vidit cum diademate & lilio albo in vitro circa tumbam beati Vitalis, versus Orientem. Nonum articulum dicit esse notorie verum, quia sæpenumero hæc vidit,& per seipsum apud tumbam beati Vitalis, in eius venerationem sæpius orauit, & trunco pecunias imposuit. Ad decimum articulum testi non constat de processionibus, vidit tamen diuersos homines exteros & peregrinos circa tumbam prouolui. Ad vndecimum articulum dicit,de in eo contentis esse publicam vocem & famam apud Prælatos & subditos, nobiles & plebeios in ciuitate Salzburgensi & extra eandem. Ipse quoque testis indubitanter tenet beatum Vitalem fore canonizandum. Duodecimum articulum dicit esse notorium, quia cuiuslibet intuentis oculo cottidie subiicitur. Ad tredecimum articulum dicit, se de miraculis beati Vitalis audisse, vt supra dixit circa articulum septimum. Ad quartumdecimum articulum de fama, dicit vt supra ad vndecimum articulum.

NOBILIS Vlricus Panichner / Ministerialis Ecclesiæ Salzeburgensis, laicus, ætatis septuaginta annorum vel circa, in ciuitate Salzeburgensi & vicinio eiusdem, à iuuentute nutritus, vir probus & Deo timoratus, testis vt supra iuratus, medio suo iuramento examinatus: Primum, secundum, & tertium articulum dicit esse notorie veros. Ad quartum generalem dicit, vt infra ad eius specificatiuos. Quintum articulum dicit esse verum, quia ita audiuit ab annis iuuentutis suæ in prædicationibus publicis. ac à senioribus suis. Sextum articulum dicit verisimiliter esse verum. Ad septimum articulum interrogatus, dicit se à senioribus suis sæpius audiuisse quod beatus Vitalis multis claruerit miraculis, sed quibus & qualibus, testis ignorat, & quod de huiusmodi miraculorum operatione sit publica vox & fama, adiiciens quod

ante vnum mensem proximum lapsum, teste in foro ciuitatis stante Salzburgensis, incesserit quidam villanus, cuius notitiam testis nō habet, portans duorum pedum figuras, ligneam videlicet & ferream, qui per testē quo iturus esset, interrogatus respondit: Quomodo in vtroq; pede per multa tempora claudus fuisset. Postquam vero se ad tumbam beati Vitalis cum dictis figuris deuouisset, statim sine medicamine naturali, reformatus esset: quamobrem nunc veniret, hæc circa tumbam eandem oblaturus. Dicit etiam testis, quod de his quidam Burchardus Astronomus interfuerit, dicit se etiam prædictas pedum figuras inter cætera apud tumbam ipsam expost vidisse. Octauum articulum dicit esse verum, quia imaginem beati Vitalis cum diademate & lilio albo depictam in vitro circa tumbam eiusdem, quam esse nouit in Ecclesia sancti Petri, vidit. Ad decimum articulum dicit esse verum, quod homines exteri & peregrini circa tumbam orationes faciūt, quia vidit. De processionibus autem ignorat. Ad vndecimum articulū dicit esse verum, quia de inibi articulatis apud Prælatos & doctos & indoctos, iuuenes & senes, in ciuitate Salzburgensi & extra eandem, est publica vox & fama, communeque dictum & firma credulitas, quod beatus Vitalis ob suam sanctitatem sit merito canonizandus. Duodecimum articulum dicit esse verum & notorium, prout cuilibet conspicere volenti, singulis quasi diebus apparet. Ad tredecimum articulum dicit, quod à tempore suæ iuuentutis ita dici audiuit cōmuniter & publicè. Decimumquartum articulum de fama dicit esse verum, referens se ad depositionem suam circa vndecimum articulum superius descriptam.

STRENVVS miles, Dominus Ioannes Strasser / Ministerialis Ecclesiæ Salzburgensis, ætatis quadraginta quinq; annorum vel circa, testis vt supra iuratus: Primos tres articulos sibi successiue vulgarizatos, dicit esse notorie veros. Ad quartum articulum nō est examinatus. Ad quintum articulum incipientem: *Dicitur primo &c.* testis remittit se ad legendam S. Rudberti, quam credit esse authenticam. Sextum articulum dicit esse verisimiliter verum. Ad septimum articulū dicit se de hoc quod B. Vitalis miracula operetur sæpius audisse. Sed quæ vel qualia ignorat, hoc autē quod de lilio albo articulatur, dicit se à senioribus sæpius audisse. Ad octauum articulū testi nihil constat. Ad nonum articulum dicit testis, se sæpius audisse & vidisse de cera & aliis materiis imagines atq; diuersorum membrorum figuras circa tumbam B. Vitalis offerri, & quod homines vtriusque sexus circa tumbam eandē pro-

uoluuntur orationes facientes. Ad decimum articulum testi nil constat. Ad vndecimum articulum dicit, se à diuersis hominibus, etiam nobilibus & grauibus, ab annis suæ discretionis sæpius audiisse, quod beatus Vitalis, cuius res hic agitur, pro sancto miraculorum effectore canonizandum, & in numero sanctorum computando reputetur, & communiter habeatur. Duodecimum articulum dicit esse verum, quia ita fieri sæpius vidit. Ad tredecimum articulum, vt ad septimum. Decimumquartum articulum de fama, dicit esse verum, quemadmodum circa vndecimum dixit articulum.

STRENVVS miles & spectabilis vir, Dominus Georgius Haunsperger / Ministerialis Ecclesiæ Salzburgensis, ætatis quinquaginta quinque annorum, vel circa, testis vt supra iuratus, examinatus, & interrogatus, deponit vt infra. Primum articulum sibi vulgarizatum, dicit esse notorie verum. Secundum articulum dicit similiter esse notorium. Tertium articulum dicit esse notorie verum. Ad quartum articulum dicit, vt ad articulos sequentes. Quintum articulum dicit esse verum, quia in eo contenta à suis senioribus dici sæpius audiuit. Sextum articulum dicit verisimiliter esse verum. Septimum articulum sibi vulgarizatum dicit esse verum, pro causa scientiæ allegans, quod ipse dummodo annos adolescentiæ currebat, fuerit Camerarius Abbatis Monasterij S. Petri Salzburgæ tunc existentis, vbi vidit & audiuit, quod diuersi homines vtriusque sexus, cum magno tripudio, Domino suo Abbati, & aliis in Monasterio quandoque referebant, se per meritum beati Vitalis, à certis languoribus fuisse sanatos & restitutos: Et propterea diuersarum materiarum imagines atque figuras, prout articulatur, circa tumbam beati Vitalis obtulerunt & reliquerunt. Sed qui fuerint illi homines, seu à quibus languoribus liberati, memoriæ non commendauit. Audiuit quoque eo tunc & postea sæpius, quod boni homines, illius beati Vitalis canonizationem optauere. Illud etiam quod de lilio albo in articulo ponitur, dicit se sæpissime audiuisse, quia est publica vox & fama. Octauum articulum dicit esse verum, quia imaginem beati Vitalis cum diademate & lilio albo depictam in vitro antiquo, circa tumbam prædictam, ac certis tabulis sæpius vidit. Nonum articulum dicit esse verum, quia eo tempore, quo Abbatis Monasterij prædicti famulus erat, prout ci[rc]a septimum articulum dixit & etiam hactenus hæc sæpissime vidit [&] audiuit, & conspicientis oculo cottidie subiicitur. Ad decimum ar[ti]culum dicit, sæpius vidisse

quod

quod homines vtriusque sexus, etiam exteri & peregrini circa tumbam beati Vitalis sunt prouoluti, sed & de aliis in articulo expressis, testi nihil constat.

Vndecimum articulum dicit esse verum, quod de contentis in eo, in ciuitate Salzburgensi & extra eandem, nedum apud Plebeios, sed & Prælatos ac Clericos, doctos & indoctos, nobiles & populares, commune dictum, publica vox & fama existit. Duodecimum articulum dicit esse verum, quia sæpissime vidit & quotidie fieri solet. Ad tredecimum articulum dicit, quod indubie etiam modernis temporibus, per beatum Vitalem plurima miracula fiant, quæ scripto vel memoriæ non commendantur. Nam eo tempore, de quo testis circa septimum dixit articulum, dum homines certa miracula, per eundem beatum Vitalem, in ipsis effecta pandebant, & de eis testificabantur, nemo erat qui hæc describeret, seu aliquo modo futuræ generationi transmitteret. Sic verisimiliter modernis temporibus fieri non dubitat. Ad decimumquartum articulum de fama repetit depositionem suam circa vndecimum articulum superius descriptam.

VENERABILIS Pater Dominus Bernhardus de Kraynburg/ decretorum Doctor, Ecclesiæ S. Bartholomæi in Frisaco, Salzburgensis diœcesis Præpositus, Curiæ Salzburgensis Cancellarius, testis vt supra productus, iuratus ac examinatus. Primum articulum dicit esse notorie verum. Secundum articulum dicit similiter esse notorie verum, quodque in eo contenta in certis antiquis libris & priuilegiis sæpius repererit & legerit, & quod S. Rudbertus Bauarorum seu Noricorum, S. Virgilius Karanthanorum Apostoli communiter appellantur. Tertium articulum dicit esse notorium. Ad quartum articulum generalem, dicit vt infra ad articulos specificatiuos. Quintum articulum dicit esse verum, causam scientiæ reddens, quia per seipsum duas Chronicas habeat, ex antiquis libris rescriptas, in quibus hæc cõtinentur. Similiter in pluribus aliis libris atque historiis reputatis pro authenticis hæc viderit & legerit. Sextum articulum dicit esse similiter verum, & credit ex historiis. Septimum articulum dicit esse verum. Nam de hoc quod idem beatus Vitalis miraculis claruerit & hodie clareat, est publica vox & fama, longe lateque, imo apud Serenissimum Dominum Imperatorem modernum. Nam cum quadam vice Imperialis celsitudo cum ipso teste in colloquiis existeret, ventum fuit ad hoc, quod ipse Dominus Imperator testem interrogabat de numero

beatorum Patrum Ecclesiæ Salzburgensis quondam Præsulum, qui miraculis claruissent. Tunc testis, in quantum recollectus erat, certos nominauit, beatum Vitalem prætereundo. Tunc Imperator ait: Adhuc vnus est, videlicet beatus Vitalis. Et testis erubescebat maiestatem Imperialem maiorem his notitiam, quam se habuisse. Octauum articulum dicit esse verum, quia imaginem beati Vitalis, sic vt articulatur, depictam vidit in vitro circa tumbam eiusdem. Nonum articulum dicit esse verum atq; notorium, quia cuilibet intuenti apertissime apparet. Ad decimum articulum dicit se sæpius vidisse diuersos homines apud tumbam prouolui, & preces atque orationes effundere. Vndecimum articulum dicit esse verũ, quia de contentis in eo apud Principes & Barones, Prælatos & subditos, nobiles & ignobiles, est publica vox & fama, communis reputatio, & dictum vulgare in ciuitate Salzburgensi ac partibus longinquis. Duodecimum articulum dicit esse notorie verum. Ad tredecimum articulum dicit se de operatione miraculorum beati Vitalis sæpius audiuisse, vt supra dixit. Quartumdecimum articulum dicit esse verum, repetendo dictum suum superius, circa articulum vndecimum descriptum.

DOMINVS Ioannes Galler / Decanus Vicariorum chori Ecclesiæ Salzburgensis, ætatis quinquaginta annorum vel circa, & moram duxit in ciuitate Salzburgensi per annos duodecim, testis vt supra iuratus & citatus. Primum, secundum, tertium articulos dicit esse veros & notorios. Quartum articulum generalem dicit vt infra ad articulos specificatorios. Quintum articulum dicit esse verum, quia in antiquissimis libris authenticis legit, ac dici audiuit, prout articulatur. Sextum articulum dicit esse verum, iuxta dictam eius rationis. Septimum articulum dicit esse verum, quia miracula quibus beatus Vitalis claruisse testatur, in antiquis Chronicis & libris legit. Et hoc quod de lilio albo articulatur, est publica vox & fama.

Pro speciali tamen causa scientiæ miraculorum beati Vitalis dicit: Quod ante quinquennium proximum lapsum, acciderat sibi quidam dolor in neruis, cruris dextri, ita quod gradi nõ poterat. Qui dum per mensem & vltra, continuo durasset & inualuisset: Vouit se circa tumbam beati Vitalis decem cereos oblaturum & accensurum. Et mox expleto voto, dolor minuebatur, paucissimis expost diebus, testis p̃istinæ sanitati fuit restitutus.

Octa-

Octauum articulum dicit esse verum, quia imaginem beati Vitalis cum diademate & lilio albo vidit in antiquo vitro circa tumbam eiusdem. Nonum articulum dicit esse notorie verum, quia cuiuslibet conspicientis oculo subiicitur. Ad decimum articulum testi non constat. Nisi quod vidit diuersos homines circa tumbam beati Vitalis orandi causa prouolui. Vndecimum articulum dicit esse verum, causam scientiæ assignans, quia à duodecim annis vel citra, contenta in articulo, communiter dici audiuit. Ipseque testis tenet & reputat beatum Vitalem pro sancto miraculorum effectore merito canonizandū. Duodecimum articulum dicit esse verum & notorium. Tredecimum articulum dicit esse verum, quia de hoc est vox & fama. Quartumdecimum articulum dicit esse, vt supra circa articulum vndecimum.

DOMINVS Ioannes Impach/ Presbyter Salzburgensis diœcesis, ætatis quinquaginta annorum, testis vt supra productus & iuratus. Interrogatus primos tres articulos dicit esse veros & notorios. Ad quartum articulum dicit vt infra patebit. Ad quintum articulum dicit se contenta in eo sæpius legisse, ac etiam ab hominibus dici audisse. Sextum articulum dicit verisimiliter esse verum. Septimum ar官culum dicit esse verum, pro causa scientiæ assignans, quia dum iuuenis erat, apud Monasterium sancti Petri Salzeburgæ, disciplinis scholasticis operam dedit, vbi tunc de operatione miraculorum beati Vitalis frequenter dici audiuit. Pro speciali vero causa scientiæ dicit, quod ipse in Sacerdotio constitutus, per annos vere septem adeo excæcatus fuerit, vt nec litteram vnam videre posset. Præterea post multorum medicaminum inutilem applicationem, accessit tumbam beati Vitalis cum deuotione plurima ibidem orando, quatenus Dominus IESVS CHRISTVS, qui vera lux existit per meritum beati Vitalis dignaretur sibi restituere visum, vt saltem horas Canonicas & Missas legere posset. Qua quidem oratione completa, statim oculorum claritatem, licet tenuem, accepit, & ex post paucissimis diebus, non sine grandi beati Vitalis miraculo, tantam oculorum claritatem readeptus fuit, quod horas Canonicas & Missas legere cœpit, & hactenus sic fecit. Et propterea beatum Vitalem in suis priuatis orationibus per dies vitæ suæ venerari non cessabit. Octauum articulum dicit esse verū, quia ita vidit in vitro circa tumbam B. Vitalis. Nonum articulum dicit esse verum & notorium, ab antiquo enim ita factum est, & hodie ad oculum videtur. Ad decimum articulum dicit, sibi constare,

ftare, quod teftis per feipfum quadam vice in venerationem beati Vitalis vnam Miffam celebrauit, ad inftantiam & fubarrationem cuiufdam peregrini, qui ad tumbam beati Vitalis de remotis venerat. Vndecimum articulum dicit effe verum, quia omnis homo fenex & iuuenis, doctus & indoctus ita dicit, reputat & credit. Duodecimum articulum dicit effe verum, quia quotidie ad oculum fic apparet. Tredecimum articulum dicit effe verum, quia de hoc quod beatus Vitalis modernis temporibus & quotidie miraculis clareat, dici fæpiffime audiuit, ac in feipfo, prout fupra circa feptimum articulum depofuit, expertus exiftit. Quartumdecimum articulum dicit effe verum, eo modo, prout fupra circa vndecimum dixit articulum.

WILHELMVS Pirger, laicus, Salzburgenfis ciuis, Reuerendiffimi in Chrifto Patris & Domini, Domini Burchardi electi & confirmati Ecclefiæ Salzburgenfis, familiaris, vir notabilis & prudens, ætatis quadraginta trium annorum vel circa, teftis vt fupra iuratus. Primum articulum dicit effe verum & notorium. Secundum articulum dicit effe verum, quia in prædicationibus publicis, & aliâs, à fuis fenioribus fæpius audiuit. Tertium articulum dicit fimiliter effe verum & notorium. Ad quintum & fextum articulos non eft examinatus. Ad feptimum articulum fibi vulgarizatum interrogatus dicit verum effe articulum, quia à diebus fuæ difcretionis ita dici audiuit, & nulli dubium, quin miracula beati Vitalis in antiquis & authenticis Scripturis clare reperiantur.

Pro fpeciali autem caufa fcientiæ dixit, quod ipfe habuerit, pro vt hodie, pueros plures, qui diuerfis infirmitatibus paffim oppreffi fuêre, & quotiefcunq; mater ipforum beato Vitali vota fecit & expleuit, totiens pueri ipfi, & quilibet ipforum fanitati fuerunt reftituti.

Similiter dicit, quod ipfe cum quadam vice grauiffimam oculorum ophtalmiam pateretur, tumbam beati Vitalis acceffit & orauit, & paucis ex poft diebus bene conualuit. Et propterea eundem beatum Vitalem fpeciali veneratione hactenus eft profecutus. Dicit etiam teftis, quod ad oftenfionem miraculorum beati Vitalis imagines & figuræ membrorum diuerfæ, apud tumbam eiufdem, vti articulatur offeruntur. Hoc etiam quod de lilio albo articulatur, dicit effe verum, quia de hoc eft publica vox & fama. Octauum articulum dicit effe verum, quia imaginem beati Vitalis in Pontificalibus cum diademate, & lilio albo depictam vidit in vitro circa tumbam eiufdem. Nonum articulum

ticulum dicit esse verum, quia vidit & à senioribus suis audiuit, ac vnicuique conspicienti ad oculum plane apparet. Ad decimum dicit testis, quod circa festa beati Rudberti, & in diebus Rogationum omnes exteri ad tumbam beati Vitalis confluunt & orationes fundunt, quia vidit & audiuit. Vndecimum articulum dicit esse verum, quia per ciuitatem Salzburgensem, imo in Hall & Hellein / oppidis & aliis locis diuersis, ita tenetur, prædicatur, & reputatur communiter ab omnibus doctis & indoctis, notabilibus & plebeis. Duodecimum articulum dicit esse verum, quia sic quotidie obseruatur, & oculis conspicientium subiicitur. Tredecimum articulum dicit esse verum, quia miracula illa quæ beatus Vitalis in teste, & natis suis effecit, prout supra circa septimum articulum dixit, modernis temporibus facta existunt, & nulli dubium, quin similia & longe maiora miracula beatus Vitalis quotidie operetur. Decimumquartum articulum dicit esse verum, repetens dictum suum circa vndecimum articulum superius insertum.

HEINRICVS Plahueber / Clericus, Salzburgensis diœcesis, ætatis sexaginta annorum, vir deuotus & sincerus, in ciuitate Salzburgensi & patria vicina à iuuentute nutritus, testis vt supra iuratus & examinatus. Primos tres articulos, dicit esse notorie veros. Ad quartum articulum generalem dicit vt ad articulos specificatiuos sequentes. Quintum articulum dicit esse verum, quia in libris antiquis & authenticis legit, ac alias dici audiuit. Sextum articulum dicit verisimiliter esse verum. Septimum articulum dicit esse verum, nam quod beatus Vitalis miraculis claruerit, in antiquis & authenticis libris lectione didicit, ac à diebus iuuentutis suæ dici audiuit.

Pro speciali vero scientiæ causa subiungit, quod ipse ante annos quadraginta acutissimos oculorum sustinuerit dolores, quibus causantibus, per triennium lumine priuatus fuerit, sic quod Medici periti timebant, sibi visum naturaliter restitui non posse. Et quia eo tunc de miraculis beati Vitalis communis fama erat: Idcirco ad tumbam eiusdem accessit, factaque per eum deuota inuocatione, duorum pupillorum figuras de lignis excisas obtulit ibidem, & statim acumen doloris relaxatum fuit, & aliquantulam videndi potentiam recepit, deinde per plures dies venerationibus beati Vitalis vacauit, cuius auxilio breui tempore ex integro & perfecte conualuit, fuitque tunc multis hominibus notum, beatum Vitalem grande miraculum in eo ostendisse. Octauum articulum dicit esse verum, quia sæpius vidit, & præsertim in

vitro circa tumbam beati Vitalis. Nonum articulum dicit esse notorie verum, & cuilibet conspicienti ad oculum apparet. Ad decimum articulum, dicit se sæpius vidisse homines diuersos apud tumbam beati Vitalis prouolutos. Ad vndecimum articulum interrogatus, dicit verum esse articulum, quia à iuuentute sua sic dici & famari audiuit per Archiepiscopos & alios Prælatos, doctos & indoctos, iuuenes & senes, tam in ciuitate Salzeburgensi, quam extra eandem. Duodecimum articulum dicit similiter esse verum, quia à multis annis ita vidit & audiuit, & cottidie videtur. Tertiumdecimum articulum dicit esse verum, quia de contentis in eo passim dicitur, creditur, & reputatur. Decimumquartum articulum dicit esse verum, eo modo, prout supra circa vndecimum dixit articulum.

NOBILIS vir Sigismundus Keysl / ætatis quinquaginta octo annorum, vel circa, in ciuitate Salzburgensi à iuuentute educatus, vir spectabilis & reputatus, testis vt supra citatus & iuratus.

Primum articulum sibi vulgarizatum, dicit esse notorium. Secundum articulum dicit esse verum, quia in prædicationibus publicis sæpius audiuit. Tertium articulum dicit esse notorium. Ad quartum articulum non est examinatus. Ad quintum articulum dicit se de sanctitate beati Vitalis, ac cæteris in articulo contentis, à senioribus suis sæpius audiuisse. Ad sextum articulum non est examinatus. Septimum articulum dicit esse verum, pro causa scientiæ dicens, quod à senioribus suis hæc sæpissime audiuit. Pro speciali tamen scientiæ causa allegat, quod ipse in annis adolescentiæ constitutus, quondam Domino Ottoni Abbati Monasterij sancti Petri supradicti seruierit, & ea tempestate adducebantur quamplures arreptitij seu dæmoniaci ad Abbatem iam dictum, qui illos ad tumbam beati Vitalis duxit, & Deum per eiusdem Vitalis merita exorauit. Et frequenter omnes dæmoniaci, circa tumbam liberabantur. Hæc facta sunt ante annos quadraginta sex, vel circa, hactenus quoque de miraculis eiusdem beati Vitalis sæpius dici audiuit.

Præterea idem testis dicit, quod ipse olim habuerit vnam inquilinam, mulierem honestam atque deuotam, nomine Margaretham Karterin / quæ habebat puellam longa infirmitate depressam. Tandem inquilina eadem ad consilium certarum matronarum, se ad tumbam beati Vitalis contulit, & per suas deuotas inuocationes puellæ

puellæ sanitatem impetrauit. Octauum articulum dicit esse verum, quia ita apparet in antiquo vitro, circa tumbam beati Vitalis. Nonum articulum dicit esse verum, quemadmodum partim circa septimum dixit articulum, & vltra hæc dicit quod vnicuique intuenti ad oculum pateant imagines & figuræ circa tumbam oblatæ & ibi repositæ, quodque homines diuersi ibi prouoluuntur, & beatum Vitalem venerantur. Ipse etiam testis sic sæpius fecit. Vndecimum articulum dicit esse verum, quia à diebus iuuentutis suæ, ita vt articulatur, dici & reputari & famari audiuit à magnis & paruis, Prælatis & subditis, doctis & laicis. Duodecimum articulum dicit esse verum & notorium. Ad tredecimum articulum dicit vt supra ad septimum articulum. Quartumdecimum articulum dicit esse verum, eo modo, prout circa vndecimum articulum deposuit.

GEORGIVS Clauser, mercator, ciuis Salzeburgensis, ætatis quinquaginta annorum, in ciuitate Salzeburgensi, & patria vicina à pueritia nutritus, testis vt supra iuratus & examinatus.

Primum articulum dicit esse notorium. Secundum dicit esse verum, quia in publicis prædicationibus ita audiuit. Tertium articulum dicit esse notorium. Ad quartum non est examinatus. Quintum articulum dicit esse verum, quia sic dici audiuit à senioribus suis. Sextum articulum dicit verisimiliter esse verum. Septimum articulum dicit esse verum, quia à senioribus suis frequenter audiuit, quod beatus Vitalis multis claruerit miraculis. Similiter quod lilium album excreuerit vt articulatur.

Pro speciali vero causa scientiæ, dicit testis, quod ipse ex vxore legitima plures habuerit liberos, qui viam vniuersæ carnis transierunt. Nouissime vero ante quinquennium Deus suscitauit sibi puellam nomine Margaretham, cui ex qua causa, nescitur, acciderat, quod vbera materna in tantum abhorruit, vt per dies quatuordecim lactare renuebat, vnde in tantam macilentiam & debilitatem deuenit, quod iam mori putaretur. Noctu autem in somnis matri inspirabatur, quatenus de terra tumbæ beati Vitalis mammillam liniret, tunc infans suxurus esset. Mane autem facto, mater prædicta genitrici suæ præscripta referebat, quæ intellecto casu, confestim partem terræ prædictæ attulit, & papillam vberi filiæ suæ liniuit. Quo facto infans appositus, more pristino lactabat, & paucis expost

diebus vigorem plenamque valetudinem accepit. Octauum articulum dicit esse verum, quia in vitro & certis tabulis circa tumbam ita vidit,& cuilibet intuenti ad oculum apparet. Nonum articulum dicit esse verum, quia prouolutiones hominum circa tumbam, atque imagines & figuras, prout articulatur, sæpius vidit, prout conspicientium oculis quotidie subiicitur. Ad decimum articulum non est examinatus. Vndecimum articulum dicit esse verum, quia à diebus suæ discretionis ab omnibus loqui scientibus, de hac re in ciuitate Salzeburgensi, à senioribus & iunioribus, nobilibus & ignobilibus, ita dici audiuit. Duodecimum articulum dicit esse notorie verum, imo si homines prohiberentur ab huiusmodi orationibus & candelarum accensionibus, vix cessarent. Ad articulum tredecimum dicit indubie esse verum, quod beatus Vitalis iam & omni die miraculis clareat, sed vulgus communis circa hæc & alia miracula non aduertit, de quo testis supra circa septimum dixit articulum, sic suo modo de aliis fieri potest. Quartumdecimum articulum dicit esse verum, repetens suam depositionem circa vndecimum articulum superius factam.

BVRCHARDVS Nestler/ Astronomus egregius, ciuis Salzburgensis, ætatis quadraginta annorum, in ciuitate Salzeburgensi ab infantia nutritus, testis vt supra iuratus. Primum, secundum, tertium articulos dicit esse notorios, seque in ipsis contenta in prædicationibus publicis sæpius audiuisse. Ad quartum articulum non est examinatus. Ad quintum articulum dicit, se contenta in eo à senioribus sæpius audiuisse. Ad sextum articulum non est examinatus. Septimum articulum dicit esse verum, quia ab annis suæ discretionis de his dici audiuit, & imagines atque figuras, de quibus articulus canit, sæpius vidit, prout cuilibet conspicientis oculo subiicitur. Dicit se etiam vidisse multos pueros, qui à diuersis languoribus per beatum Vitalem fuerunt liberati. Hoc etiã quod de lilio articulatur, dicit se à suis senioribus sæpius audiuisse. Octauum articulum dicit esse verum, quia in vitro circa tumbam beati Vitalis apparet. Nonum articulum dicit esse notorium. Ad decimum articulum non est examinatus. Vndecimum articulum dicit esse verum, quia Clerus & populus ciuitatis Salzburgensis sic, vt articulatur, dicit, reputat, prædicat, & affirmat, palam & publice. Ad tredecimum articulum examinatus, dicit verum esse articulum, prout superius circa septimum articulum dixit. Pro speciali scientię causa adiiciens, quod nuper ante mensem villanus occurrerit sibi in con-

in contrata prope Ecclesiam maiorem Salzeburgensem, qui duorum pedum figuras portauit, vnam videlicet ferream, & aliam de ligno, ad quem nobilis vir Vlricus Panichner coram positus, quorsum iturus esset, qui respondendo narrauit, quomodo ex vtroque pede claudus, aliquamdiu lecto decubuisset, & iam ad inuocationem beati Vitalis fuisset reformatus, & ob hanc causam dictas figuras circa tumbam eiusdem beati offerendas illuc tulisset. Quibus dictis, villanus abiit. Post aliquot vero dies, testis ad tumbam prædictam veniens, vidit inter alia, figuras præscriptas, sed quis vel vnde dictus villanus fuerit, testis ignorat. Decimumquartum articulum dicit esse verum, eo modo prout supra circa vndecimum articulum dixit.

DOMINVS Cunradus Tischler / Presbyter, Salzburgensis ciuitatis, ætatis sexaginta annorum vel circa, in ciuitate Salzburgensi à pueritia educatus, testis vt supra iuratus. Primum articulum dicit esse notorie verum. Secundum articulum dicit esse verum, quia in libris authenticis ita legit, & ab aliis dici audiuit. Tertium articulum dicit esse notorium. Ad quartum articulum generalem dicit vt infra ad articulos specificatiuos. Quintum articulum dicit esse verum, quia in legenda sancti Rudberti, quæ authentica habetur & reputatur, sæpius legit. Sextum articulum dicit verisimiliter esse verum. Septimum articulum dicit esse verum, quia de operatione miraculorum beati Vitalis à senioribus suis multa audiuit. Etiam in quibusdam libris, Chronicis & tabulis legit, hoc quoq; quod de lilio albo articulatur, dici sæpissime audiuit: Estque de hoc vox & fama.

De speciali vero miraculo beati Vitalis testificans dicit, quod ante annos triginta scholas rexerit circa Monasterium S. Zenonis Salzeburgensis diœcesis, his temporibus, in oppido Hall / dicto Monasterio vicino, erat quidam Ioannes Kessner / laicus honestus & opulentus, qui testi referebat, quomodo per annum integrum lecto decubuisset, ac medicinis pluribus, licet inutiliter, vsus fuisset, multosque sanctos inuocasset, & cum ad vllius eorum inuocationem non releuaretur, tandem quadam nocte in somnis sibi inspiratum fuit, vt se ad tumbam beati Vitalis deuoueret, ac de eiusdem auxilio speraret confidenter, quod statim dum euigilauit facere curauit, faciendo lectum cereum & imaginem hominis ægri in illo decumbētis, quibus sic formatis, sanitatem pro tanto recepit, quod Salzeburgam pedes transiuit, & dictam figuram in tumbam beati Vitalis obtulit. Orationem quo-

que fudit, qua completa pristinæ sanitati perfecte restituebatur. Quare cum maximo gaudio ad propria reuersus, beato Vitali dignam venerationem cottidie persoluit.

Octauum articulum dicit esse verum, quia in vitro circa tumbam beati Vitalis, & quadam antiqua tabula Monasterij sancti Petri sic vidit & hodie apparet euidenter. Nonum articulum dicit esse verum, quia sæpissime vidit, & in venerationem beati Vitalis se circa tumbam sæpius prouoluit atque orationes fudit, viditque quamplures puerulos infirmitatibus oppressos, illac deferri, & tumbæ imponi, & audiuit quod frequenter omnes sanitatem sunt consecuti. Imagines vero & figuræ, prout articulatur, vnicuique ad oculum apparent. Dicit se etiam ante paucos menses audisse ab Henrico Balckner/ciue Salzburgense, quod isdem in quadam horribili & ingenti inflatura genitalium, vbi etiam medici desperabant, ad inuocationem beati Vitalis fuerit subito sanatus. Decimum articulum dicit esse verum, quia testis per seipsum ad petitionem cuiusdam mulieris peregrinæ in venerationem beati Vitalis vnam Missam celebrauit. Vndecimum articulum dicit esse verum, quia ab annis suæ discretionis, hæc semper dici, credi, & prædicari audiuit a Prælatis & subditis, nobilibus & vulgo, doctis & indoctis. Duodecimum articulum dicit esse verum & notorium. Tredecimum articulum dicit esse verum, prout supra circa nonum dixit articulum. Ad quartumdecimum articulum de fama, dicit vt supra ad articulum vndecimum.

ALBANVS Haug/ædituus Ecclesiæ Salzeburgensis, ab annis sedecim ætatis quinquaginta annorum, testis vt supra iuratus & examinatus. Primum articulum dicit verum & notorium. Secundum articulum dicit esse verum & notorium, sic quod sanctus Rudbertus Bauarorum, & sanctus Virgilius Caranthanorum Apostoli communiter appellantur. Tertium articulum dicit esse notorie verum. Ad quartum articulum non est examinatus. Quintum articulum dicit esse verum, nam à senioribus suis ita audiuit. Sextum articulum dicit verisimiliter esse verum. Septimum articulum dicit esse verum, quia ab annis pluribus hæc dici audiuit, videlicet quod claudi ac aliâs languidi apud tumbam dicti beati Vitalis sanitatem recipere meruerunt. Hoc etiam quod de lilio albo ponitur dicit esse verum ex simili scientiæ causa. Octauum articulum dicit esse verum, quia vidit imaginem beati Vitalis in pontificalibus cum diademate & lilio

de pi-

depictam. Nonum articulum dicit esse verum, quia vidit & audiuit ac cuilibet intuenti cottidie apparet. Decimum articulum dicit esse verum, pro causa scientiæ allegans, quia per tempus, quo custos seu æditiuus Ecclesiæ Salzburgensis fuit, diuersi vtriusque sexus homines, exteri & peregrini ad se & collegas suos venerunt sciscitantes, vbi tumba beati Vitalis haberetur, qua ostensa, testis frequenter interrogauit illos, cur tumbam eandem quærerent? Qui responderunt, quod diuersis languoribus & infirmitatibus tenerentur, seu oppressi fuissent, & propterea se illac deuouissent vt liberarentur, vel quod pro liberatione obtenta, vota persoluerent. Vndecimum articulum dicit esse verum, quia de præfati beati Vitalis sanctitate est quasi tanta fama, sicut de sancto Rudberto, & quod idem beatus, catalogo sanctorum asscribendus existat, omnes homines, senes & iuuenes, Clerici & populares, per ciuitatem Salzburgensem & extra eandem, clamant, affirmant & credunt. Duodecimum articulum dicit esse notorie verum. Tredecimum dicit esse verum ex communi hominum fama & acclamatione. Decimumquartum articulum dicit esse verum, repetens dictum suum circa vndecimum articulum superius descriptum.

MARTINVS Abmesser/laicus, ciuis Salzburgensis, ætatis sexaginta annorum vel circa, in ciuitate Salzburgensi & patria vicina à iuuentute nutritus, testis vt supra iuratus & interrogatus, summarie de fama sanctitatis, ac de miraculis beati Vitalis dicit, quod in ciuitate Salzeburgensi & extra eandem à tempore suæ discretionis semper audiuerit beatum Vitalem teneri & reputari, prout hodie teneatur & reputetur communiter ab omnibus pro sancto merito canonizando, quia multis miraculis claruit, & hodie clarere non cessat.

Pro cuius veritate dicit testis, quod ante annos octo in crure dextro acutissimos patiebatur dolores, quibus in longum protractis, caro cruris tabuit & saniem stillauit, vnde testis afflictus plus quam per annum lecto decubuit, nec locum mutare potuit, etiamsi vri debuisset. Tandem consultum fuit, quatenus ad tumbam beati Vitalis deuoueret se. Quod sic fecit, mandans sibi afferri duas loras de tumba eadem. Nam copia lorarum & baculorum per claudos & languidos, sanitati restitutos, oblatarum ibidem habetur, quibus se appodiauit tumbam prædictam, licet pede lentissimo accedendo, & facta inuocatione, domum remeauit. Deinde transitum similem atque inuocationem per dies plures continuauit, & per meritum B. Vitalis plenam atq; perfectam sanitatem suscepit, & loras ipsas pro mi-

pro miraculi huiuſcemodi ſpectaculo apud tumbam reliquit. & Deum in beato Vitale, tanquam grandium miraculorum operatore glorificauit.

CATHARINA vxor Ioannis aurifabri, ciuis Salzburgenſis, ætatis quadraginta quatuor annorum vel circa, oriunda de Nouo foro prope Salzeburgam, moram vero per viginti tres annos Salzeburgæ continuauit, mulier pudica & deuotiſſima, teſtis vt ſupra iurata ſuper miraculis beati Vitalis, ſummarie examinata, dicit medio iuramento, quod habebat filium tredecim annorum, nomine Chriſtianum, qui de vtero materno prodiit cum manu clauda. Nam oſſa iuncturæ ad modum cartilaginis erant, & quotieſcunque erigebatur manus, ſemper recidit verſus brachium ab intra, & ſic pependit. Mater vero propter paruuli elegantiam, rem ipſam grauiter ferens, manum cum modicis haſtulis ſuſtentatiuis quotidie diligenter ligauit. Cum autem ingenio hoc per ſex hebdomadas minime profeciſſet, quodam veſperi beatum Vitalem lachrymabiliter inuocauit, ac paruulum ad tumbam eiuſdem cum figura manus ceceræ deuouit, & cum hanc rem in animo diſponeret, vna cum puerulo obdormiuit. Mane facto, teſtis cum feſtinatione puerum conſpexit, & manum heri claudam, iam perfecte reformatam inuenit, vnde præ nimio gaudio oblita fuit vſque in præſentem diem, an dextra vel ſiniſtra fuerit manus. Deum vero in beato Vitale magnificauit, & puerum cum figura prætacta ad tumbam portauit, Deoque gratias egit. Interrogata, quis de re ipſa ſcientiam habeat, dicit quod ipſius teſtis mater, & plures alij in dicto oppido Newmarckt.

ELISABETH vxor Ioannis Weydorffer / ciuis Salzburgenſis, ætatis ſexaginta duorum annorum, matrona honeſta atque deuota, teſtis vt ſupra iurata, ſuper miraculis beati Vitalis examinata dicit: Quod ante annos triginta ex marito legitimo habuerit puerulum anniculum, cui ancilla quædam, in abſentia matris, in Eccleſia causa deuotionis conſtituta, annulum argenteum ſolatij gratia, ad manum tradiderat, quem puer ori impoſuit & deglutiuit vſque ad cannæ arteriæ ſtricturam, vbi annulus fixus perſiſtebat. Puer vero propter ſui teneritatem ſpiraminis reſtrictionem ferre non valens, vitam finiuit, mortuuſque iacuit & riguit. Hoc medio teſti adhuc in Eccleſia conſtitutæ neſciuit qualiter inſpiratum fuit, quatenus ad domum feſtinaret,

naret, quia puer in periculo esset, & cum celeri pede medium itineris attigisset, secundam habuit inspirationem, vt magis acceleraret, vnde testis contra consuetum transeundi modum, per turbas hominum in foro stantium, quasi sensibus rapta cucurrit, ac domum veniens, reperit puerulum mortuũ & rigidum in terra iacentem. Ancillam vero, quæ rei conscia erat, in fugam conuersam, ac inquilinos domus & vicinos, qui ad spectaculum hoc confluxerant, gementes atque condolentes. Cumque testis inter angustias atque mœstitias huiusce quid faceret dubitasset, in mentem venit, se habuisse quandam auunculam Gerdrudem nomine, matronam deuotam, quæ beatum Vitalem multa veneratione fuerat prosecuta. Erecta igitur mente ad Deum, puerulum defunctum ad tumbam beati Vitalis certo modo deuouit, quo facto, annulus de pueri collo, quasi cum videntia cecidit, & puer reuixit, & propterea omnes qui aderant, Deum creatorem, in miraculo beati Vitalis magnificabant. Sed testis ignorat, qui fuerint præsentes, nam præ confusione anxietatis & gaudij subsecuti, aduertere non curauit.

RVDBERTVS Zirel / pellifex, ciuis Salzburgensis, ætatis quadraginta annorum vel circa, testis vt supra productus & iuratus, super miraculis beati Vitalis, medio iuramento examinatus, dicit quomodo sibi, dum puer quinque annorum erat, acciderit, quod pes eius sinister cum toto crure vsque ad inguines contrahebatur, ita quod gradi non poterat, & res indies periculosior efficiebatur, sic quod nerui & venæ præsertim in iuncturis pene computruerunt vsque ad foramina multa ampla atque profunda, & sic putridus, contractus & fœtidus per annos viginti quatuor lecto decubuit. Ita quod nedum exteri, sed & parentes eius fœtorem putredinis huiusce grauissime tulerunt. Adducebantur præterea medici & chirurgi experti, qui sibi medicamina & emplastra plurima, quamuis incassum, applicuerunt, & tandem de eius reformatione prorsus desperauerunt. Post prædictos vero annos vigintiquatuor, audiens testis de beati Vitalis miraculorum operatione, se ad tumbam eiusdem cum imagine masculi cerei, ac cum censu vnius denarij per singulos annos vitæ suæ deuouit, & facto voto statim melius habuit, assumptisque loris duabus, ad tumbam prædictam cum maximo dolore accessit, & pedem cum crure putrido, quantum melius poterat, tumbæ adiunxit, precesque deuotas fudit, & eadem hora, tam à dolore, quam à fœtore liberatus atque refor-

matus,loras circa tumbam dimisit,& sanus domum rediit. Foramina etiam supradicta ex recenti atque viuaci carne funditus excrescente, pauco expost tempore, absque omni medicamine consolidata & sanata fuere. Et adiicit testis,quod multi homines hodie viuant, quibus res ista cognita existit.

MARGARETHA vxor Cunradi macellarij, ciuis Salzeburgensis,ætatis sexaginta annorum vel circa, mulier honesta, testis vt supra producta & iurata dicit medio iuramento, quod ea quæ memoratus Rudbertus Tixel deposuit, fuerunt vera, quia nouit & vidit ipsum tempore quo contractus lectulo decubuit & putruit ac inhumaniter fœtuit, quodque famosi & peritissimi medici ipsum curare nequibant, sed tandem ad tumbam beati Vitalis se conferens, sanitatem illico recepit, prout hodie sanatus existit.

VRSULA vxor Martini Abmesser/ ciuis Salzburgensis,ætatis quadraginta quinque annorum, testis vt supra producta & iurata de fama sanctitatis & miraculorum beati Vitalis interrogata dicit, se ab annis suæ discretionis citra,ab omnibus hominibus vtriusque sexus de hac reloquentibus audiuisse B.Vitalem esse sanctum,catalogo sanctorum merito asscribendum, quia miraculis infinitis claruit, & continue clarere non cessit. Pro speciali vero miraculorum beati Vitalis scientia dicit, quod ante annos viginti sex vel circa, acciderit sibi grauissimus dolor in neruis,cruris dextri, quo causante per sex hebdomadas in lecto decubuit, & tandem cum dolor intenderetur, deuouit se ad eundem beati Vitalis, & veniens posuit pedem ad tumbam, factaque inuocatione,dolor confestim remittebatur, paucisque expost diebus ex integro conualuit. Dicit insuper,quod Martinus Abmesser / maritus eius, testis supradictus, ante multa tempora acutissimos dolores in crure dextro patiebatur, sic quod tabuit, & lecto plusquam per annum decubuit. Cumque peritissimi medici in eo frustrarentur,deuouit se ad tumbam beati Vitalis, & appodians se duabus loris de eadem tumba allatis,tumbam accessit per dies plures. Et tandem per meritum beati Vitalis,non sine notabili miraculo fuit restitutus.

HENRICVS Falckonista, laicus, inhabitator ciuitatis Salzburgensis, ætatis quadraginta quinque annorum vel circa, testis vt supra iuratus de miraculis beati Vitalis summarie interrogatus dicit, quod

quod ante annos duodecim elapsos patiebatur periculosam oculorum infirmitatem, qua cum excæcari vehementissime pertimeret, inter anxietates huiuscemodi se ad tumbam beati Vitalis deuouit cum duobus pupillis de ligno excisis, quo facto & expleto, mox reconualuit, & sanus de tumba cum ingenti consolatione discessit. Nescit autem qui his interfuerint. Dicit insuper, quod ante annos quatuor acciderit sibi in altero genitalium quidam tumor magnus atque durissimus, de cuius simili nunquam audiuit, vnde se mortem non euasurum pauebat. Memor autem beneficij beati Vitalis, de quo supra dixit, se ad tumbam ipsius cum certa ceræ quantitate deuouit, qua ibidem oblata, orationeque fusa, tumor ipse durissimus atque periculosissimus, ex maximo B. Vitalis miraculo dissolutus omnino disparuit, sicque testis pristinam sanitatem nactus fuit. Dicit cōsequenter, quod ante annos viginti in dicta ciuitate Salzburgensi, erat quidam Georgius tubicen, coinquilinus suus, qui per plura tempora ex vtroque pede claudus lecto decubuit. Tandem de tumba beati Vitalis duas loras, in quibus claudi illac venerunt, afferri fecit, quibus sustentatus tumbam accessit, & facta inuocatione, perfecte fuit reformatus, lorisque circa tumbam dimissis, cum gaudio ad domum rediit, & Deum in beato Vitale glorificauit.

MARGARETHA relicta quōdam Stephani Karrner/ ciuis Salzburgensis, ætatis 50. annorum vel circa, muliercula pudica & honesta, testis vt supra iurata super miraculis B. Vitalis summarie examinata, dicit quod ante annos 4. habebat puellam 8. annorum, hodie superstitem, quæ per duos menses & vltra, lecto decubuit, manibus & pedibus contracta, & talibus doloribus afflicta, quod se de vno latere in aliud voluere nequibat. Cum autem dolor nimis protraheretur etiam vsque ad mortis vicinitatem, testis amore pueri maximis angustiis vexata, tumbam beati Vitalis pluribus accessit diebus, & pro qualibet vice assem vnum, quia pauperrima erat, trunco qui ibi positus est, imponebat. Et tandem, Deo volente, certos denarios erogauit, quibus ceræ peciam comparauit, quam certo die, qua dicta puella doloribus plus solito afficiebatur, apud tumbam offerebat, & secuta inuocatione, domum, ne puella in eius absentia decederet, celeriter remeauit. Cumque habitationem ingrederetur, reperit puellam de lecto subleuatam in pauimento iuxta scamnum deambulantem, quæ paucissimis expost diebus plenissime conualuit, & de his rebus nobilis vir

Sigismundus Keyjl/ testis præscriptus, plenam, vt testis ait, scientiam habet.

ELISABETH vxor Georgij Schnagel/ ciuis Salzburgensis, mulier honesta, testis vt supra iurata, de miraculis beati Vitalis examinata dicit medio iuramento, se habere puellam, Magdalenam nomine, annorum duodecim, cuius oculum sinistrum quidam iuuenis casuali ictu lapidis tetigerat, quo causante caro pupillæ marcuit, & substantia indies consumebatur. Eratque commune, tam Physicorum, quam Chirurgicorum iudicium, oculum esse destructum, nec aliquo medicamine curandum. Cumque de naturali reuelamine desperatum esset, testis puellam ipsam ad beati Vitalis tumbam, cum duobus papillis cereis deuouit, quibus pro puella ibidem oblatis, & inuocatione facta, fuit sibi oculus ex hora ad plenum reformatus, prout hodie sine defectu manet, & dicit testis, maritum eius, & omnes de familia sua, de istis notitiam habere certam.

ELISABETH vxor Heinrici cerdonis, de molendinis extra muros Salzeburgæ, testis vt supra iurata de miraculis beati Vitalis, summariè interrogata, dicit quod ante annos octo habuerit puerulum decem hebdomadarum, qui continuis infirmitatibus agitabatur. Tandem in festo beatæ Margarethæ, testis dubitabat, an viuus vel mortuus esset infans, magis tamen mortuum æstimabat. Et quia sæpissime audierat, beatum Vitalem afflictis consolationem impetrasse, ea spe puerulum in ceruicali positum, ad tumbam beati Vitalis ferebat, ac tumbæ impositum per horæ spacium vel quasi, iacere dimisit, facta interim per testem inuocatione deuota, interea accessit quidam Sacerdos, testi ignotus, interrogans, quid infanti accidisset? Et exposito casu, Sacerdos frontem & labia pueruli, cum terra de tumba eadem sumpta, liniuit, & statim oculos aperuit ac reuixit. Et his multæ personæ interfuerunt, quas testis præ immenso gaudio minime aduertit, & expost puer creuit, & vsque ad annum octauum superuixit.

NOBILIS vir Laurentius Seereuter/ ætatis viginti septem annorum vel circa, de miraculis beati Vitalis interrogatus medio iuramento, superius præstito dicit: Quod ante annos duos inualerit cum dolor acutissimus in neruis cruris sinistri, ita quod contrahebatur, & erat altero crure breuius digitis duobus, dolor quoque maxime vigebat.

bat. Adducti fuerunt medici periti, quorum iudicium erat, dolorem tolli posse, crus vero irreformabile maneret. Inter has perplexitates testis deuouit se ad tumbam beati Vitalis cum cereo, quo per eum oblato & accenso, inuocationeque facta, dolor confestim leniebatur, & crus pene reformabatur, & sanus de tumba discessit, & Deum in miraculo hoc memoria digno glorificauit. Huius rei, vt testis ait, scientiam habet magister venationum in Salzburga, & quædam Oeckerlin/ & alij quamplures.

MARGARETHA, ad præsens famula Elisabeth Seknaglin/ ciuissæ Salzeburgensis, testis vt supra iurata de miraculis beati Vitalis summarie interrogata dicit: Quod ante annos tres, dum erat famula Georgij Rasoris, ciuis Salzburgensis, accidit sibi dentium dolor immensus cum inflatura abominanda, deuouit autem se ad tumbam beati Vitalis cum mandibula cerea, & statim expleto voto, dolor cum tumore discessit, atque ex integro ad statim conualuit.

ELISABETH præbendata in Hospitali ciuium Salzburgensium, muliercula deuota & honesta, testis vt supra iurata super operatione miraculorum beati Vitalis examinata dicit: Quod ante annos sedecim acciderat sibi epilepsia maior, quæ ipsam deiecerat atque agitauerat vicibus quaternis, propter quod furiam seu vesaniam incurrebat, quædam vero matronæ hæc corde recipientes, pro teste ipsa, beato Vitali votum vnius libræ de cera constituerunt, quo facto & expleto, testis præscripta pristinæ sanitati fuit restituta, & hactenus neque epilepsiam neque furiam huiuscemodi vnquam persensit, quamobrem beatum Vitalem orationibus suis hodie venerari non desistit. Et dicit testis, quod de his rebus Vlricus Schreyer senior, & quædam balneatrix trans pontem suburbij Salzburgensis, notitiam habeant indubitatam.

ELISABETH vxor Christiani Pelchinger, inhabitatoris ciuitatis Salzburgensis, ætatis viginti sex annorum, testis vt supra iurata & examinata dicit: Quod dum erat puella tredecim annorum, & vernacula in castro Radeck prope Salzeburgam, acciderat sibi surditas aurium ex latere vtroque, ita quod voces mediocres percipere nequibat. Cum autem res inueteraretur, & de restitutione pene desperatum esset, deuouit se beato Vitali ad orandum in sui venerationem, singulis

X 3 die-

diebus vitæ ſuæ, vnum Pater noſter, & vnam ſalutationem Angelicam;& ſtatim emiſſo voto,melius habuit, & expoſt breuiſſimis diebus auditum perfectum recaccepit.

MARGARETHA vxor Cunradi macellarij, ciuis Salzburgenſis, teſtis vt ſupra ſuper miraculis beati Vitalis ſummarie examinata, dicit medio iuramento, ſe habere vnum paruulum ſex annorum, qui ante annos duos quadam pectoris infirmitate afficiebatur, qua ſibi pectus contractum fuit & anguſtatum cum dolore vehementi, vnde teſtis ex paſſione materna, paruulum ad tumbam beati Vitalis deuouit atque portauit,ſumptoque oleo de lampade circa eandem tumbam ardente, pectus paruuli liniuit, & confeſtim dolor ceſſauit, pauciſſimiſque expoſt diebus,puer omnino conualuit.

BARBARA vxor legitima Friderici Stadelmayer / reuerendiſſimi in Chriſto Patris & Domini,Domini Burchardi electi & confirmati Eccleſiæ Salzburgenſis, familiaris, teſtis vt ſupra iurata ſuper miraculis beati Vitalis, medio iuramento examinata dicit, quod dictus Fridericus ante annos tres in via verſus Caſtunam in terram ceciderit, vbi quadriga ſeu currus onuſtus per pectus ſic iacentis tranſiuerit, vnde pectus & brachia eius vſque ad mortis periculum fuerant contrita. Subleuatus tamen Salzeburgam reportabatur immenſis doloribus affectus,ac iudicio omnium,nonniſi longiſſimo tempore ſanitati reſtituendus. Ipſa vero teſtis,rem cōpatienter ferens,votum fecit B.Vitali de cereo,certæ quantitatis, quo circa tumbam oblato & accenſo, preceq; fuſa, maritus confeſtim melius habuit, & in octo diebus non ſine magno miraculo ſic reconualuit, ꝙ ire poterat & equitare, vnde teſtis beatum, tanꝗ magnorum miraculorum effectorem hodie veneratur.

ERENDRVDIS relicta quondam Iacobi Schaurer / ciuis Salzburgenſis,teſtis vt ſupra iurata ſuper miraculis beati Vitalis ſummarie examinata dicit: Quod ante annos decem habebat paruulum biennem Ioannem appellatum,huic quadam vice accidit epilepſia minor,qua proſtratus decūbuit amens morte imminente. Eadem hora ſuperuenit matrona quædam deuota, quæ ſincera mente conſuluit, quatenus B. Vitali votum fieret cum cereo pueri longitudinem habente: Et facto voto, etiam non expleto,puer ex eadem hora ad plenum conualuit, & expoſt eodem morbo nunquam fuit correptus.

MAR-

MARGARETHA filia quondam Weinstirl/ de castro Halbenbang/Salzburgensis diœcesis,ad pręsens ancilla Martini Stayntmüllner/ciuis Salzburgensis.testis vt supra iurata super miraculis beati Vitalis summarie examinata dicit medio iuramento, quod à iuuentute sua & ex vtero materno contraxerit vnum fluxum auris dextræ, qui certis anni temporibus,paucis tamen pro qualibet vice diebus, meatũ habebat.Is fluxus de anno Domini 1460. circa festum natiuitatẽ Domini incipiens,die noctéque sine intermissione vsque ad festum purificationis anni eiusdem stillauit.Quadam autem vice,dum inter angustias de diuino adiutorio meditaretur,influxit menti suæ, quatenus se ad tumbam B. Vitalis deuoueret, cum cereo & obligatione, vt tumbam eandem singulis annis quo aduiueret semel visitare vellet. Testis quoque sic fecit,& postquam prima vice dictam tumbam visitasset, & B. Vitalem inuocasset,fluxus quieuit & ad plenum conualuit,& hactenus fluxum huiusmodi non sine grandi miraculo nunquam rehabuit, & propterea votum prædictum diligenter fuit prosecuta, nec diebus vitæ suæ ab inde cessabit.

FRIDERICVS de Weining/villanus Parochiæ Kessendorff/Salzburgensis diœcesis,testis vt supra iuratus, super miraculis summarie examinatus,dicit medio iuramento,quod ante annos triginta,dum adhuc adolescens erat, inuaserit eum impetigo in crure dextro supra genu, qua doloribus immensis afficiebatur. Cumque arte medicorum curari non potuisset, deuouit ipsum nouerca sua ad tumbam beati Vitalis cum cereo certæ quantitatis, veniens itaque testis ad tumbam,cereum obtulit & accendit,factaque inuocatione, statim coram tumba liberabatur à dolore, & breuissimis diebus impetigo ipsa radicitus delebatur.

ERENDRVDIS vxor Ioannis tinctoris, ciuis Salzburgensis, matrona honesta, testis vt supra citata & iurata super miraculis beati Vitalis summarie examinata dicit: Quod ante annos certos habuerit paruulum duorum annorum, pedem curuum atque contractum habentem,quem cum medicinæ magistri reformare non possent, tulit paruulum ad tumbam beati Vitalis, faciendo in eiusdem beati venerationem vnam Missam celebrari, teste interim coram tumba procoluta & orationem fundente: Completa itaque Missa, testis pedem paruuli,paulo ante curuum,bene rectificatum, alterique pedi, quo ad elegantiam, similem inuenit.

BARBARA vxor Ægidij lebetarij, ciuis Salzburgensis, testis vt supra iurata super miraculis beati Vitalis medio iuramento examinata dicit, quod habebat puerum octo annorum, cui dum triennis & corpore sanus erat, acciderat epilepsia maior, quæ ipsum aliquot vicibus in terram deiecit, & fortiter quassauit. Mater vero, vt credit, diuinitus admonita, paruulum ad tumbam beati Vitalis cum cereo certæ quantitatis deuouit, adiecto, si puer ab epilepsia liberaretur, quod ex tunc testis nomine sui singulis annis vitæ suæ similem cereum apud tumbam eandem offerre & succendere vellet. Tulit itaque puerum cum cereo, & venit ad tumbam, accensoque ibi cereo, & facta inuocatione, ab epilepsia soluebatur, quia hactenus eam nunquam persensit. Et propterea testis prædicta, votum præ expressum singulis annis diligenter persoluit.

BARBARA vxor legitima Martini Staynmülner / ciuis Salzburgensis, mulier honesta & deuota, testis vt supra iurata super miraculis beati Vitalis summarie examinata dicit: Quod ante triennium proxime lapsum, quidam acutissimus capitis dolor sibi acciderat, qui dum ipsam plusquam per medij anni spacium continuo vexasset, & indies adauctus, medelis sanari non posset, deuouit se beato Vitali cum vno certo ferro ad capitis sui mensuram, & cum vna Missa in beati Vitalis venerationem celebranda, quodque singulis annis vitæ suæ, in similem beati Vitalis venerationem vnica die vellet ieiunare. Celebrata itaque Missa, & circulo ferreo apud tumbam oblato, secutaque inuocatione statim dolor sensibiliter declinauit, & in vnica die sanitati pristinæ ex integro erat restituta, similique dolore vsque in præsentem caruit diem.

Dicit consequenter, quod ante annos duos, dum grauida & partui vicina, in contrata quadam incederet, obuiam habuit quendam hominem furiosum, cultellum nudum in manu ferentem, vnde vehementissime expauit, seque in fugam conuertit, & ex his contigit quod fœtus in vtero, mutato loco, peruertebatur, tempusque præueniens egredi postulauit. Cumque testis per dies octo non sine maximo dolore & periculo in partu laborasset, & iam de vita tam sui, quam fœtus desperatum esset, testis ipsa antiqui beneficij beati Vitalis, inter angustias non immemor, se eidem beato commendauit, & deuouit cum imagine cerea ad instar infantuli, circa tumbam eius offerenda, & statim facto, necdum expleto voto, prosperitatis partus dabatur, sui-

que

que infantulum elegantem peperit, qui ad medium annum expost superuixit.

DIEMVDIS relicta quondam Martini sartoris ciuis Salzburgensis, ætatis quinquaginta annorum, testis vt supra iurata, dicit medio iuramento, quod ipsa per viginti annos proximum lapsos, sine intermissione habuerit aurium tinnitum, eo modo, ac si circa vnam aurem campana pulsaretur, & per alteram sonitus egrederetur. Cum autem ante octo dies proxime elapsos de canonizatione beati Vitalis audisset, deuouit se ad tumbam eiusdem cum cereo, quo ibidem succenso & inuocatione secuta, tinnitus ille inueteratus eadem hora cessauit, & hactenus eo caruit, non sine grandi beati Vitalis miraculo, quapropter à sui veneratione, diebus vitæ suæ cessare non velle proposuit.

MARGARETHA relicta quondam Ioannis Carpentarij sanctimonialium extra muros ciuitatis Salzburgensis, testis vt supra iurata dicit, quod annos quindecim dictus Ioannes, quondam eius maritus, grauissimam incidit infirmitatem, qua affectus, per multa tempora lecto decubuit, & cum quasi in extremis constitutus videretur, testis semet pro patiente, ad tumbam beati Vitalis deuouit & accessit, factaque inuocatione deuota, domi reuertebatur, & cum habitationem decumbentis ingrederetur, vidit eum de lectulo subleuatum, in quadam fenestra stantem & orantem. Tunc testis miraculum beati Vitalis exclamauit & Deum glorificauit, deinde paucissimis diebus dictus ægrotus ad plenum reconualuit.

CHRISTINA relicta quondam Christiani Schött, ciuis Salzeburgensis, testis vt supra iurata, dicit medio iuramento, quod ante annos quadraginta, dicto quondam Christiano dolor acutissimus in pede dextro acciderat, quem dum per decem & octo dies grauiter tulisset, ipsi coniuges se ad tumbam beati Vitalis deuouerunt cum pedis figura lignea. Abierunt itaque ad tumbam, Christianus quidem in baculo se sustentante, oblatoque pede ligneo, & facta inuocatione, mox circa tumbam à dolore liberabatur, & baculum, in quo illac venerat, in signum miraculi ibidem reliquit, & sanus discessit.

AGNES relicta quondam Andreæ Schaurer / ciuis Salzburgensis, ætatis triginta sex annorum, testis vt supra citata, producta & iurata, de miraculis beati Vitalis summarie examinata dicit, quod ante annos octo acciderat sibi peracutus oculorum dolor, cum fluxu, quo diu protracto, pustulæ seu pelliculæ in vtroque oculo nascebantur, per quas visu priuabatur, nec spes erat reconualescendi. Cumque doloribus & formidine excæcationis afficeretur, deuouit se ad tumbam beati Vitalis cum duobus pupillis cereis, & statim soluto voto, antequam de tumba discederet, temperamentum doloris, & aliquantulam oculorum claritatem receperat, & expost orationibus insistens, paucissimis diebus perfectam oculorum claritatem omni dolore sublato reaccepit.

CHRISTINA relicta quondam Ioannis Schmälzl/de villa Teutsendorff/Salzburgensis diœcesis, ætatis sexaginta annorum, testis citata & iurata, medio suo iuramento dicit, quod ante annos [illegible] ro brachij sui sinistri computruit, & fiebant sibi foramina vnde sanies manabat. Quapropter medicorum expertorum artibus se [illegible], qui nil proficientes, foramina prædicta incurabilia iudicabant. Ad vltimum vero testis se ad tumbam beati Vitalis deuouit, & brachium tabidum imposuit ad spacium horæ vnius, inuocando beatum Vitalem pro sanitatis restitutione. Præterea antequam brachium de tumba retraxisset, fluxus saniei cessauit. & expost breuissimis diebus absque medicorum cura recentissime conualuit, ita quod præter cicatrices, nil doloris vel maculæ remansit. Dicit etiam sub eodem iuramento, quod à pueritia contraxerit quendam dolorem in iunctura circa genu cruris dextri, pro cuius sublatione ante plures annos deuouerit se in beati Vitalis venerationem, singulis diebus vitæ suæ, certam orationem peracturam: Quacunque igitur die orationem fudit, bene habet, quando vero orationem omittit, dolor accedit, & eam acerrime mordet, & hoc pro maximo miraculo beato Vitali asscribit.

DOROTHEA vxor Andreæ Ermann/ de molendinis extra muros Salzburgæ, testis iurata, medio iuramento examinata dicit, quod in autumno proxime lapso, acciderat sibi quædam periculosissima ægritudo, qua efficiente peracutas punctiones circa p[illegible]lia sustinuit sine intermissione diebus plurimis, & cum adeo in[illegible]-

ret,

retur, quod loqui iam non posset, & homines eam tanquam ad statim morituram obseruarent, apparuit sibi inter pressuras homo quidam, cuius speciem & staturam, dolore prohibente, non aduertit, qui se Vitalem nominauit, admonens eam, vt se ad tumbam beati Vitalis pro recuperanda sanitate deuoueret. Quod testis mentaliter sic fecit, & eo facto, confestim oculos aperuit, & Andream coniugem suum respexit, dataque sibi potentia loquendi, eidem præscripta exposuit, ac ipsum vt se pro teste exoraturus ad tumbam beati Vitalis cum festinatione conferret, rogauit. Abiit itaque rogatus, eoque de tumba nondum reuerso, testis bene habuit & de lectulo surrexit, & infra dies octo immediate sequentes, ex integro reconualuit, & tumbam præscriptam per se accessit, Deum in beato Vitale glorificando.

ANNA vxor Iacobi Schaller / inhabitatoris ciuitatis Salzeburgensis, ætatis sexaginta annorum, nutrita in Aybling / oppido Frisingensis diœcesis, à paucis vero annis proxime lapsis, Salzeburgam cum marito suo inhabitauit, testis vt supra producta & iurata, super miraculis beati Vitalis examinata dicit: Quod ante annos tres acutissimus dolor capitis sibi acciderit, quem cum sine intermissione per dies quatuordecim anxie tulisset, quadam nocte in somnis apparuit sibi homo, cuius formam & speciem ignorat, consulens testi, vt se ad tumbam beati Vitalis deuoueret cum cereo certæ quantitatis, facto igitur mane, alias matronas, vbi tumba beati Vitalis haberetur, interrogabat, qua sibi ostensa cereum ferrens cum maximo capitis dolore tumbam accessit, incensoque cereo & facta inuocatione, mox & eadem hora apud tumbam dolor cessauit sanaque abiit, & hactenus huiusce dolorem non persensit.

CATHARINA vxor Heinrici Todt / ciuis Salzburgensis, matrona honesta, 60. annorum vel circa, testis vt supra iurata super miraculis B. Vitalis summarie examinata dicit, quod ante annos 28. habebat paruulum quendam, qui ab vtero matris rupturam circa genitalia patiebatur, qua causante accedit inflatura magna & perhorrenda, ita vt pellis testiculorum vsque ad genu protenderetur. Dicebatur etiam ab intelligētibus, quod lapis simul adesset in renibus pueruli defixus, ea tempestate superueniebat quidam Chirurgus artis suæ practicus peritus, cuius consilium parentes paruuli requirebant, petentes quatenus puero patienti, aut per incisionem, aut alio quouis

ingenio subueniret. Idē vero Chirurgus hæc recusabat, nisi paruulus tanquam mortuus manibus suis præsentaretur, eo quod, vt idem ait, decem neces respectu vnius vitæ sibi adessent. Omnis enim homo iudicabat, paruulum eundem breuissime moriturum. Interea cum quadam nocte dolor puerum vehementissime vrgeret, ita quod in[illegible]ta solitum iam vrinare non posset, venterque propter vrinæ restrictionem tumesceret, testis ipsa omni humana consolatione destituta, ad beatum Vitalem recurrit, & paruulum ad tumbam eius in crastinum, vel viuum vel mortuum cum cereo certæ quantitatis deferendum deuouit, & inter has perplexitates testis obdormiuit. Mane autem facto, paruulus læto vultu apparebat, vnde testis ineffabili gaudio perfusa, festinauit conspicere paruulum, quid nam de ruptura & inflatura esset actum, & repperit tumorem circa genitalia penitus non esse, sed illum testiculum, qui heri vsque ad genu dependebat pene reformatum, & alteri similem effectum, paruulum quoque ab omni periculo & dolore prorsus liberatum, quare testis miraculum hoc stupendum, memoriaque prædignum exclamauit, puerumque cum ingenti gaudio ad tumbam præscriptam tulit, ac cereum obtulit & accendit, Deumque omnipotentem in beato Vitale magnificauit.

CATHARINA relicta quondam Erhardi Tenck, inhabitatoris ciuitatis Salzeburgensis, à iuuentute ibidem educata, testis vt supra producta & iurata super miraculis beati Vitalis examinata dixit medio iuramento, se ante annos viginti habuisse paruulum quinquennem, nomine Andream, cui acciderat quædam grauis infirmitas capitis, quæ paulatim ad singula corporis membra descendit, ita quod paruulum in lectum deiecit. Vbi dum medium annum cum continua vexatione consumpsisset, testis prædicta per alias deuotas matronas instructa, deuouit puerum ad tumbam beati Vitalis, cum cereo certæ longitudinis, tulitque puerum cum lectulo, in quo decubuit, & ad tumbam prædictam portauit, atque in eam posuit, accensoque cereo & inuocatione diutina ad Deum facta, puer in tumba conualuit, de lectuloque surrexit, & pedes cum teste domum remeauit sanus.

NOBILIS vir Martinus Reuter/ Præfectus in Radeck prope Salzeburgam, testis vt supra citatus & iuratus super miraculis beati Vitalis summarie examinatus dicit, quod Domina Clara vxor sua legitima, ante certos annos, in altero vberum, grauem dolorem patiebatur,

batur, ita quod putruit vſque ad foramina quinque vel plura, quæ tabiem ſtillauerunt. Cum autem medicaminibus adhibitis minime releuaretur, conſultum fuit, vt vnam figuram vberis ceream circa tumbam beati Vitalis deuoueret offerendam, fuitque ſic factum, & teſtis ipſe, nomine vxoris, huiuſcemodi figuram, ad tumbam obtulit, beatumque Vitalem deuote inuocauit, quo facto, pauciſſimis expoſt diebus, ipſa patiens ſanitati priſtinæ ad plenum reſtituebatur.

MARGARETHA vxor Stephani pileatoris de oppido Lauffen/ Salzburgenſis diœceſis, teſtis producta & iurata, ſuper miraculis beati Vitalis ſummarie examinata dicit, quod ante annos triginta habuerit fluxum menſtruorum per vnius anni ſpacium ſine intermiſſione, pluribus medicaminibus, licet ſuperuacue potita, paulatim vero periculum augebatur. Superueniens autem quædam matrona deuota, conſuluit teſti, quatenus ſe beato Vitali certo modo deuoueret. Id teſtis faciens, vouit ſe in venerationem beati Vitalis ſex diebus ieiunare, tumbamque eiuſdem viſitare velle. Præterea teſtis ieiunare cœpit, & ſe ad tumbam contulit, beatumque Vitalem deuota mente inuocauit: Sed non adiuta diſceſſit. Completis vero ſex diebus prædictis, mox fluxus reſtringebatur, & fuit expoſt vnico, vel duobus diebus pleniſſime ſanata, & hactenus vltra naturalem curſum huiuſmodi fluxum nunquam eſt perpeſſa.

BARBARA vxor Philippi in Trübenbach / prope oppidum Lauffen/ Salzburgenſis diœceſis, teſtis iurata, ſuper miraculis beati Vitalis interrogata dicit, quod ante annum vnum acciderat ſibi dolor capitis acutus, qui raptim deſcendit per corpus vſque ad crura, quæ ſic tumeſcebant, quod nedum non ire, imo ſe vix mouere poterat per menſes duos vel circa. Cumque plurimorum ſanctorum, quos ſedulo implorabat, ſuffragiis adiuta non fuiſſet, quadam nocte in ſomnis apparuit ſibi homo in forma peregrini dicens: Ego ſum beatus Vitalis, deuoueas te ad ſepulchrum meum cum cereo, & bene habebis. Cumque dies illuxiſſet, teſtis interrogabat vicinas, vbi ſepultura beati Vitalis eſſet? qua oſtenſa, teſtis ſe iſtac deuouit: cum cereo certæ quantitatis, & facto voto, dolor de cruribus auferebatur, teſtis quoque ambulare cœpit. Recepto itaque cereo ſecum, contulit ſe Salzburgam ad tumbam beati Vitalis, & facta ibidem inuocatione, plene & perfecte ſana, domum fuit reuerſa.

MAGDALENA vxor Friderici Tunckel / ciuis Salzburgenſis, matrona ſpectabilis & honeſta, teſtis vt ſupra producta & iurata, ſuper miraculis beati Vitalis ſummarie examinata dicit: Quod ante annos tres erat ſibi puella, nomine Affra, ætatis anni vnius, cui quadam vice amariſſime flenti, teſtis compeſcendi gratia, annulum aureum tradidit, quem puella ori impoſitum degluttiuit. Cumque infans aliquandiu tuſſitaſſet, nec annulum in ſtrictura colli hærentem expuere poſſet, videbatur teſti & cunctis qui aderant, infantem breui eſſe ſuffocandum, vultus ſiquidem nigreſcebat, & plura mortis ſigna concurrebant. Præterea teſtis & omnes prædicti in terram prouoluti beatum Vitalem inuocabant, eiſque orationi intentis annulus ex collo pueri immobiliter iacentis excidebat, puerque ad [illegible] euadebat, de quo cuncti magna admiratione ducti, Deum creatorem in beati Vitalis miraculo glorificabant.

ELISABETH puella quatuordecim annorum, prænominatæ Magdalenæ filia legitima, teſtis producta & iurata, ac ſuper miraculo per matrem ſuam, iam ſuperius expreſſo, examinata dicit, quod ea quæ genitrix ſua iam ſuperius dixit, ſint vera, cauſam ſcientiæ aſſegans, quia interfuit ac vidit & audiuit per omnia ſic fieri, prout ſuperius reperitur deſcriptum.

AGNES relicta quondam Iacobi gladiatoris, ciuis Salzburgenſis, ætatis ſexaginta annorum vel circa, mulier honeſta, teſtificata & iurata, dicit medio iuramento, quod dictus quondam Iacobus, dum in humanis erat, rupturam circa genitalia multis patiebatur annis. Cumque ætatis annum quinquageſimum attigerat, dolor rupturæ ampliari cœpit, ita quod patiens tranſire & vitæ neceſſaria acquirere non valebat, omni ſpe captandæ ſanitatis fruſtratum, niſi à medico incideretur, & ruptura ab intra ſolidaretur. Inter has anguſtias beatum Vitalem deuotiſſime inuocauit, & ſe ad tumbam eiuſdem deuouit, & ſtatim facto voto, miraculoſiſſime & ſupernaturaliſſime ad plenum conualuit, & poſtea annis pluribus ſanus ſuperuixit, & ſibi ac familiæ ſuæ vitæ neceſſaria acquiſiuit, beatum vero Vitalem per dies vitæ ſuæ multa veneratione fuit proſecutus.

ANDREAS

ANDREAS gladiator, ciuis Salzburgensis, testis citatus & iuratus super dictis Agnetis testis præscriptæ examinatus, dicit medio iuramento, quod ipse prænominati quondam Iacobi gladiatoris, familiaris fuerit, & eo tempore bene intellexerit, quod idem Iacobus, rupturam in genitalibus pateretur, qua nonnunquam graui passione vrgebatur, & postea subito, nescit tamen quo medio, sanatus fuit, & sic sanus multis expost diebus superuixit.

IOANNES Klaindienst/ciuis Salzburgensis, vir vt apparet honestus, ætatis sexaginta annorum, testis vt supra productus & iuratus, interrogatus de veritate eorum, quæ de Iacobo gladiatore superius dicta existunt, dicit medio iuramento, quod bene nouerit eundem Iacobum in genitalibus ruptum, & de recipienda sanitate pene desperatum. Quodque idem Iacobus, quadam vice, cuius adiutorio, testis ignorat, subito fuit sanitati ad plenum restitutus, qui postea sanus & incolumis pluribus annis superuixit, ac multos labores ad quos sibi antea vires non suppeditabant, viriliter expleuit.

PETRVS Emersdorffer/laicus, ætatis quadraginta quinque annorum, ciuis Salzburgensis, testis citatus & iuratus, super operatione miraculorum beati Vitalis interrogatus, dicit medio iuramento, quod ante annos sex vel circa, habebat paruulum vnum, nomine Erasmum, in secundo anno constitutum, cui lapis in viis vrinalibus erat infixus, quo obsistente, paruulus vrinare nequibat. Mater vero virgulam eius virilem labiis sugebat, lapidem sic extrahendum sperans, sed cum nihil profecisset, dolor excreuit, mortem quotidie minans. Inter has angustias parentes paruuli beatum Vitalem inuocantes, deuouerunt patientem ad tumbam eiusdem, cum certæ quantitatis cera, & statim facto voto, lapis in magnitudine vnius fabæ mediocris, simul cum vrina prorupit, & puer ad plenum reconualuit. In cuius rei euidentiam præfatus Petrus testis, lapidem iam dictum, coram nobis Delegatis & Subdelegatis præscriptis exhibuit, quem talem, vti prædicitur, vidimus patenter.

IOANNES Pfändler/laicus de oppido Lauffen/Salzburgensis diœcesis, ætatis sexaginta annorum, vir honestus & sensatus, testis vt supra citatus & iuratus, super miraculis beati Vitalis summarie examinatus dicit, quod ante annos viginti fecerat casum grauissimum per fene-

fenestram cuiusdam domus, in oppido prædicto, vnde dolore magno afflictus, per menses quatuor vel circa, lecto decubuit, diuersis medicamentis vtens, quæ dum nihil suffragij afferrent, consultum fuit, vt se deuoueret ad beatum Vitalem, & quod in sui venerationem, Missam vnam faceret celebrari, hæc testis faciens, in naui ab oppido Lauffen/vsque ad Salzburgam ducebatur, vbi cum applicuisset, appodiauit se loris duabus, & tumbam beati Vitalis dolorosus accessit, Missamq; vnam ibidem legi procurauit, & sub eadem Missa beatum Vitalem deuote inuocauit, eadem igitur hora, dolor cessauit, & patiens sanitatem plenam recepit, quamobrem loras circa tumbam in signum illius miraculi reliquit, & abiit sanus atque consolatus.

STEPHANVS calciator, oppidanus in Lauffen/Salzburgensis diœcesis, ætatis quadraginta annorum, testis productus vt supra, & iuratus, dicit medio iuramento, se habere puerum, nomine Ioannem, quinque annos habentem, qui dum octo dies ab vtero matris compleuisset, visus fuit ruptus circa genitalia adeo patenter, quod nedum obstetrices, sed & omnes alij astruebant, puerum propter rupturam huiusce fore moriturum, & quia testis dudum intellexerat, quod beatus Vitalis miraculis clareret: Idcirco infantulum ad tumbam eiusdem beati deuouit cum oblatione animalis viui, & statim voto facto, sed nondum expleto, ruptura redintegrata, & sanitas plena superducta fuit, & est puer ipse hodie valens atque sanus.

CECILIA coniunx legitima Simonis Penninger/ oppidani in Lauffen/Salzburgensis diœcesis, testis producta & iurata dixit, quod ante annos plures acciderat sibi dolor capitis ingens valde, per integrum annum sine interuallo protractus, quo causante, patiens ipsa furiam atque vesaniam quandoque incurrerat. Tandem cum plures sanctos inuocasset, sed nec adiuta fuisset, quadam nocte in somnis percepit vocem dicentem: Deuoueas te ad tumbam beati Vitalis, & statim facto die, votum fecit, constituendo se beato Vitali singulis annis cum certo munusculo censualem, quo facto, melius habere cœpit, & necdum sanata se ad tumbam beati Vitalis contulit, ibique preces fudit, ac sanitatem perfectam obtinuit, & hactenus similia mala non persensit.

CHRISTINA vxor Laurentij Stadler/oppidani in Lauffen/ ætatis quinquaginta annorum, testis vt supra producta & iurata,

sup-

super miraculis beati Vitalis summarie interrogata, dicit medio iuramento, quod dictus quondam Laurentius ante annos octo incidebat quandam grauissimam ægritudinem, quæ ipsum in lectum deiecit, vbi per nouem menses, manibus & pedibus contractus, miserabiliter stetit manuum officio priuatus. Erant præterea coniuges ipsi in desperatione, nam multa egestate grauabantur. Interea quædam matrona consuluit testi, vt nomine patientis votum faceret beato Vitali, & sic fecit, portando ad tumbam eiusdem beati, vnius manus figuram de cera confectam, quam ibidem obtulit, & facta inuocatione domum reuertebatur. Et hoc medio non sine notabili miraculo patiens sic conualuit, quod vtramque manum leuare & ori cibum ministrare poterat, paucissimisque expost diebus fuit pristinæ sanitati plene restitutus.

AGNES relicta quondam Simonis æditui Ecclesiæ Salzburgensis, mulier deuota & honesta, testis vt supra producta & iurata, dicit medio iuramento, quod ante annos viginti, tempore vernali acciderat sibi fluxus dysenteriæ, quem per totam quasi æstatem sequentem patiebatur, sic quod vllo medicamine non poterat restringi, tandem statuebat recurrere ad suffragia sanctorum, & fecit votum beato Vitali cum cereo certæ quantitatis, quem circa tumbam eius obtulit & accendit, precesque fudit, & sequenti nocte adhuc parum sensit, post vero eandem noctem plene sanata euasit.

BRIGIDA relicta quondam Ioannis Asstgern/ de partibus Bauariæ, prope ciuitatem Salzeburgensem, pluribus annis proxime lapsis conuersata, testis iurata, dicit medio iuramento, quod ante annos tres moram duxerat in Becklachstorff/ villa Patauiensis diœcesis, vbi quadam nocte in somnis contigit sibi, quod os horribiliter incuruatum, & labia dislocata fuerunt. Cumque curuaturam huiusmodi, cum dolore per dies octo sustinuisset, spe restitutionis pene frustrata, deuouit se ad tumbam beati Vitalis cum cereo, & veniens illac cereum succendit, & inuocationem fecit, & statim antequam a tumba discederet, curuatura rectificata fuit, & labia pristinam receperunt reformationem.

CHRISTINA relicta quondam Ioannis Hinterlehner/ de villa Halbenbang/ Salzburgensis diœcesis, testis citata & iurata, medio iu-

dio iuramento dicit, quod ante annos quatuordecim proxime lapsos habebat vnum paruulum tres menses habentem, cui ex ingenti fletu contingebat, quod neruus seu viscus vmbilici, se de loco suo resoluit, & vsque ad longitudinem vnius digiti per ventrem dependebat, tali itaque in medicis frustrata, patientem ad tumbam beati Vitalis deuouit, cumque reformari precibus obtinuit.

ELISABETH relicta quondam Bernardi Theolonarij Salzeburgensis, in illa ciuitate ab infantia educata, ætatis sexaginta sex annorum, super miraculis beati Vitalis medio iuramento summarie examinata, dicit, quod à vigintiquinque annis dolorem capitis sine intermissione pertulerit. Cum autem nouissime ante dies octo de negotio inquisitionis miraculorum beati Vitalis audisset, tumbam eiusdem accessit, & caput in ipsam reclinauit, factaque inuocatione, dolor quasi cum sonitu magno à capite exalauit, secuto ad statim alleuiamine sensibili, post hoc surrexit & sana abiit, & hactenus eundem dolorem, quem nuper sine interuallo patiebatur, nequaquam persensit.

BARBARA vxor Leonhardi Scratoris, ciuis Salzeburgensis, matrona deuota, testis vt supra iurata, super miraculis beati Vitalis summarie examinata dicit, quod ante annos duodecim vel citra, acciderat sibi quædam infirmitas grauissima, qua totum corpus eius afficiebatur, vnde maritus & vicini eius mortem sibi adesse parum dubitabant. Quadam igitur die, data sibi opportunitate transeundi, tumbam beati Vitalis in baculo accessit, animo valedicendi eundem beatum, quem multis annis speciali veneratione fuerat prosecuta, & cum ibi essent, cecidit amens, tunc cogitabat intra se, O beate Vitalis intercede pro me coram DEO creatore meo, & eodem momento, dolor ab interioribus per membra extrema exalauit cum quadam violentia, ac si patiens vestimentis nudaretur, deinde surrexit sana, & baculum in quo aduenerat, circa tumbam reliquit, & plene restituta cum gaudio ad domum est reuersa, marito suo hęc referens, qui vna secum Deum in beati Vitalis miraculis glorificauit.

ERENDRVDIS relicta quondam Danielis Coci, ætatis sexaginta annorum, in ciuitate Salzburgensi nutrita, testis vt supra iurata, medio iuramento dicit, quod ante annos tredecim, tempore quodam autumnali incidit hydropisim, quæ ipsam in lectum deiecit. Cumque tume-

tumefacta & dolorosa per medium annum lecto decubuisset, quadam nocte in vigiliis instruebatur mentaliter, quatenus tumbam beati Vitalis accederet, & se sanari postularet, quamobrem se ad tumbam deuouit, paucissimis igitur diebus, data sibi gradiendi potentia, accessit tumbam, & facta inuocatione ab hydropisi incurabili, non sine maximo miraculo, per meritum B. Vitalis est penitus liberata.

BARBARA vxor Cunradi Cerdonis, ciuis Salzburgensis, testis vt supra producta & iurata dicit, quod habebat sororem nomine Catharinam, cui cum decimumoctauum annum ageret, accidit aurium surditas, ita quod nonnisi voces sonoras percipere valeret. Testis verò de miraculis B. Vitalis non parum instructa, pro patiente votum fecit beato Vitali, sic, si sibi auditus restitueretur, quod ex tunc singulis annis vitæ suæ, tumbam B. Vitalis, semel teneretur visitare, duxit itaque testis patientem ad tumbam, & caput desuper reclinare præcepit. Hoc medio testis beatum Vitalem deuote inuocauit, & facta inuocatione, abierunt non vt volentes, sed in spe perseuerātes, infra octo igitur dies pristinus auditus fuit patienti per meritū B. Vitalis perfecte restitutus.

ELISABETH vxor Ioannis Rochermacher/ætatis septuaginta annorum, testis citata & iurata, in ciuitate Salzburgensi & patria vicina à iuuentute nutrita, super miraculis B. Vitalis summarie examinata dicit, quod ante annos septem acciderat sibi grauissima quædam ægritudo, qua causante, pedibus & manibus arefacta lecto decubuit, extrema egestate denique grauata. Cum autem de miraculis beati Vitalis à senioribus suis multa audisset, statuebat ad eundem beatum recurrere velle, secuto voto, cum conditione, si sanitati restitueretur, extunc primas pecunias, quas nendo acquisitura esset, offerre vellet beato Vitali. Eadem itaque die perfecte conualuit, ac postea sexaginta denarios, modo præscripto comportauit, quos animo beato Vitali offerendi, tradidit Custodi Monasterij S. Petri, vbi tumba prædicta habetur.

VRSVLA relicta quondā Christophori Hopfer/ciuis Salzeburgæ, matrona honesta atq; deuota, ætatis 50. annorum, super miraculis beati Vitalis summarie examinata dicit, quod habebat filium nomine Thomam, qui cum erat paruulus 4. annorum, lapidem in viis vrinalibus, seu arenam patiebatur, qua efficiente, vsque in diem quintum vrinare nequibat, & venter ex retēta vrina tumescebat. Cumq; puer in-

ter pericula mortis verteretur, ferebat ipsum ad tumbam beati Vitalis & imposuit, accensoque cereo, preces fudit, hoc medio paruulus toti petiit, & antequam de tumba subleuaretur, vrinare cœpit, & quasi riuulum per gradus circa tumbam defluentem emisit, & integram sanitatem recepit, mater vero cum paruulo abiit optime consolata.

ANNA vxor legitima Vlrici Grabmer / ciuis Salzburgensis, matrona vt apparet, honesta, ætatis sexaginta annorum, testis producta & iurata, super miraculis beati Vitalis interrogata dicit, quod habebat filiam vnam, nomine Annam, nunc maritatam, quæ ex vtero materno contraxerat quandam maculam rubeam, infra scapulas, lateris sinistri, & ex macula eadem pustula nigra excreuit, quæ postea putruit vsque ad foramen amplum, sanici distillatiuum. Testis vero optimos Physicos seu Chirurgos, qui haberi poterant, consuluit, quorum maior pars morbum hunc, ignem Persicum incurabilem asserebant. Quamobrem testis patientem beato Vitali deuouit, cum cereis certis, circa tumbam eius accendendis, & statim facto voto, stillicidium sanici quieuit. Posthæc puer ad tumbam ductus, accensis cereis, & facta inuocatione, confestim melius habuit. Etiam foramen prædictum, paucissimis diebus nullo adhibito medicamine, radicitus sanabatur, ita quod præter cicatricem nil turpe permansit.

MARGARETHA relicta quondam Georgij calceatoris, ciuis Salzeburgensis, ætatis sexaginta annorum vel circa, testis iurata, & super iam dicto miraculo sibi exposito interrogata, dicit quod ea quæ Anna præscripta de miraculo beati Vitalis præinserto dixit, vera existant, quia dum res hæc agebatur, erat ancilla eiusdem Annæ, & omnia prout supra narrantur, vidit atque audiuit.

NOBILIS Domina Barbara, vxor legitima Iacobi Pfeffinger / ætatis quinquaginta annorum, testis vt supra producta & iurata, super miraculis beati Vitalis examinata dicit: Quod dum erat puella tredecim annorum, accidit sibi grauissimus capitis dolor, frenesim inducens, dicentibus medicis, cerebrum esse consumptum, nec aliqua naturali medela reformandum. Tunc genitor patientis, vir deuotus, patientem ad tumbam beati Vitalis deuouit, eamque censualem constituit in vno denario, singulis annis vitæ suæ, persoluendo, & statim facto voto, patiens ipsa pristinæ sanitati ex integro reddebatur.

AN-

ANDREAS tubicen reuerendissimi in Christo Patris & Domini, Domini Burchardi electi & cõfirmati Ecclesiæ Salzburgensis &c. familiaris, testis vt supra iuratus, dicit medio iuramento, quod ante annos duos peracutus dolor dentium ipsum afficiebat, quare ad effectum remouendi doloris, plures dentes, quos malos reputabat, sibi erui fecit. Eruto autem vno, alium dolor inuasit, eo medio testis pene edentatus fuisset, occurrendo vero periculo, deuouit se ad tumbam beati Vitalis, cum nonnullis dentibus cereis ibidem offerendis. Cumque pro huiuscemodi voti expeditione iter faceret, & necdum ad tumbam venisset, dolor paulo ante acutissimus penitus cessauit, & hactenus dolores dentium nunquam persensit.

VLRICVS cerdo de Gaylnbach / villa prope Salzeburgam, ætatis quinquaginta annorum, super miraculis beati Vitalis interrogatus dicit, quod ante annos octo inuaserit eum cholica, & quædam viscerum corrosio dolorosissima, quæ per anni spatium ipsum mordebat, saluis intermissionibus paucis. Tandem patiens naturali remedio destitutus, se beato Vitali cum certo munusculo deuouit, quo facto, statim corrosio cessauit & plene conualuit.

VRSVLA vxor Ioannis Fabri, ciuis Salzeburgensis, testis producta & iurata, dicit medio iuramento, quod ante anni spacium peracutus dolor capitis ipsam apprehenderit, quo causante, furiam & vesaniam vix euasit. Cum autem dolor indies inualesceret, nec medelis sibi subueniri posset, deuouit se ad tumbam beati Vitalis cum cereo certæ quantitatis, quo ibidem succenso, inuocationeque facta, dolor adstatim cessauit, & ex illa hora perfectæ sanitati fuit restituta.

MARGARETHA vxor Wolffgangi macellarij, inhabitatoris ciuitatis Salzeburgensis, ætatis quinquaginta annorum, testis citata, recepta & iurata, super miraculo beati Vitalis, his diebus, in ipsa, vti dicebatur, ostenso, summarie examinata, dicit medio iuramento, quod de anno præsenti ante menses tres acciderit sibi quædam infirmitas grauissima, quam medici ex indicio vrinæ infirmitatem hepaticam esse dixerunt, qua causante patiens ipsa, acutas viscerum corrosiones à tempore prædicto sustinuit, dolore indies adaucto. Nouissimis vero diebus istis, sic debilitata fuit, quod familiares eius & vicini, pluribus noctibus excubias facientes, cum luminibus spiritus emissionem ob-

nem obseruabant. Interea deducto ad eius notitiam, quomodo de inquisitione sanctitatis & miraculorum beati Vitalis ageretur, cogitauit mente, si viribus confidere posset, se velle beati Vitalis tumbam visitare. Sed per Confessorem suum prohibita supersedit. Hodie vero, postquam à medio noctis dirè vexata fuisset, & circa horam meridianam, doloris remissionem sensisset, statuebat ire ad tumbam beati Vitalis, non obstante prohibitione cuiuscunque, & cum hæc secum conferret, nescit qua virtute potita, de lecto surrexit, & nud pes cunctis admirantibus cucurrit, & corpus super tumbam beati Vitalis prostrauit, fusisque precibus surrexit sana. Nos quoque Delegati & Subdelegati prædicti, præfatam mulierem sanam conspeximus, præmissa omnia, cum lætitia immensa narrantem.

CATHARINA vxor Heinrici Krappenmacher / inhabitatoris ciuitatis Salzeburgensis, testis citata & iurata, dicit medio iuramento, quod Margaretha testis supradicta, à festo natiuitatis Domini proxime lapso, viscerum corrosiones sustinuit, & præsertim à Dominica proxime præterita, mortis periculo fuerit vicina. Hodie vero circa horam vndecimam, non sine maximo Dei miraculo, subito de lecto subleuata, ad tumbam beati Vitalis cucurrit, & se tumbæ imposuit. Testis quoque, vt finem rei videret, ipsam secuta, repperit patientem in tumba prouolutam & orantem, quæ, facta oratione, surrexit & abiit sana.

VERONICA filia Margarethæ testis supradictæ, ætatis septendecim annorũ, citata & iurata, ac super verificatione miraculi in matre sua, vt prædicitur, ostensi, & examinata dicit, quod eadē mater sua à festo natiuitatis Domini citra, habuerit quandam infirmitatem in visceribus, qua causante, præsertim à septem hebdomadis proxime lapsis, lecto decubuerit. A tribus vero diebus proxime transactis, adeo ægrota fuit, quod vigiliæ noctis tenebantur, ne in eius expiratione nemo adesset. Hodie vero circa horam meridiei subito surrexit, & cucurrit ad tumbam beati Vitalis, testis vero secuta, repperit patientem in tumba prouolutam preces fundentem, quæ tandem surrexit, & celeri pede abiit, nulla ægritudine depressa.

WOLFGANGVS macellarius, maritus legitimus Margarethæ testis prædictæ, ætatis septuaginta annorum vel circa, productus &

iuratus super veritate miraculi proximi superius descripti, examinatus dicit, quod Margaretha coniunx sua prædicta tribus mensibus proxime decursis, perpessa sit acutissimas viscerum corrosiones, dicentibus medicis, quod passio hepatica existeret. Qua causante à septem hebdomadis, quasi continue in lecto iacuerit. Tribus vero nouissimis diebus, de morte eius vehementissime timebatur. Sed cuius virtute adiuta ignoret, hodie circa meridiem surrexit, & celeri pede ad tumbam beati Vitalis cucurrit, sanitatemque adepta existit, prout cuilibet eam inspicienti apparet manifeste.

IOANNES Schumel / de oppido Hall / laicus, Salzburgensis diœcesis, testis productus & iuratus, medio iuramento dicit, quod ante annos certos quodam rapidissimo casu brachium vnum confregerit, sic quod de reformatione brachij eiusdem medicum speraret, quare se ad tumbam beati Vitalis cum brachij figura cerea deuouit, qua per eum ibidem oblata, inuocationeque facta, eiusdem hora & loco, perfectam brachij confracti obtinuit reformationem.

MARGARETHA vxor Leonhardi Stoffert / de oppido Hall / Salzeburgensis diœcesis, testis vt supra iurata, medio iuramento examinata dicit, quod sibi, cum erat puella trium aut quatuor annorum acciderat quidam morbus seu fluxus, quo causante in vno brachio effecta fuit clauda. Præterea parentes sui deuouebant eam ad tumbam B. Vitalis; & statim expleto voto, fuit sibi brachium per virtutem beati Vitalis ex integro reformatum.

NOTANDVM etiam: Quod Nos Vlricus & Georgius Episcopi Delegati, Petrus & Georgius Abbates, ac Benedictus Præpositus, Subdelegati, executores præscripti: Omnes & singulos testes prænominatos, quos summarie breuitatis causa, vt præmittitur, examinauimus, de fama sanctitatis beati Vitalis ac sepultura eiusdem, de picturis, prouolutionibus, & orationibus, cereorũ accensionibus, imaginum & figurarum oblationibus, venerationibus, & adorationibus, prout superius in articulis deducitur, diligenter interrogauimus. Super quibus testium præscriptorum quilibet sigillatim dicit, hæc omnia & singula, prout in articulis continentur, esse vera, quodq; per ciuitatem Salzeburgẽsem, ac oppido Hellel / Hall / & Lauffen / ac totã patriam vicinam, sit vulgare dictum, firma credulitas, communis reputatio & asser-

& assertio, publicaque vox & fama, quod B. Vitalis sit sanctus, qui priscis & modernis temporibus claruerit, & cottidie clareat miraculis plurimis, & quod ad eundē tanquam miraculorum effectorem, Christi fideliū habitus sit, & hodie habeatur recursus, veneretur q; vt sanctus, & propterea canonizandus atq; catalogo sanctorū veniat asscribendus.

IN quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum: Nos Delegati & Subdelegati præscripti, ad sæpememorati Magistri Caspar Westendorffer Procuratoris instantiam atq; petitionem, præsentes nostras litteras, siue hoc præsens publicum instrumentum huiusmodi nostrum processum in se continentes, siue continens, exinde fieri, & per Notarios publicos subscriptos, à nobis ad hoc receptos & deputatos, subscribi & publicari, nec non claudi, ac sigillorum nostrorum iussimus & fecimus appensione communiri. Acta sunt hęc partim in Curia præposituræ Ecclesiæ Metropoliticæ, partim vero in Monasterio S. Petri Salisburgæ, & partim in Curia mei, Georgij Episcopi Seccouiensis, in ciuitate Salzeburgensi situata: Sub anno a natiuitate Domini M. CCCCLXII. Indictione decima, die vero Martis, sedecima mensis Martij, & diebus sequentibus vsque ad diem vicesimam tertiam eiusdem mensis inclusiue, Pontificatus sanctitatis vestrę, anno quarto: Præsentibus ibidem venerabilibus & circumspectis viris, Dominis Paulo Meck, in decretis Licentiato, Canonico Ratisponensi, Vicario in spiritualibus generali Ecclesiæ, & Officiali Curiæ Salzburgensis: Heinrico de Pegnitz/Decretorum Licentiato, Protonotario Cancellariæ: Ioanne Stubmer/Magistro Curiæ iam dictæ: Et Ioanne Paumgartner/in decretis Baculario, Rectore Parochialis Ecclesiæ ad S. Crucem prope Landstrost/ Salzburgensis & Aquilegiensis diœcesis, & aliis quampluribus fide dignis testibus, ad præmissa vocatis & specialiter requisitis.

ET ego Vlricus Proßinger/Clericus Salzeburgensis diœcesis, Imperiali auctoritate publicus Notarius, causarumque Consistorij Curiæ Salzeburgensis, ac præscripti negotij, coram reuerendis ac venerabilibus in Christo Patribus & Dominis, Domino Vlrico Chiemensi, & Georgio Seccouiensi Episcopis, Delegatis: Petro & Georgio Abbatibus, & Benedicto Præposito, Subdelegatis, supradictis Scriba iuratus; Quia supra insertarum Apostolicarum & subdelegationis litterarum præsentationi & receptioni, necnon requisitioni articulo-

ticulorum, oblationi & receptioni librorum & scripturarum, ac aliorum supra memoratorum exhibitioni, testium productioni & admissioni, iuramentorum præstationi & examinationi, ac præsentium litterarum decreto & demandationi, omnibusque aliis & singulis præscriptis, dum coram Dominis Delegatis & Subdelegatis prædictis, & per eosdem, sicut præmittitur, fierent & agerentur, vna cum collega meo subscripto, & testibus prænominatis, præsens interfui, eaque sic fieri vidi, & audiui: Idcirco de eorum Dominorum Delegatorum & Subdelegatorum mandato, præsens registrum siue litteras aut instrumentum publicum, in triginta tribus foliis pergameni manu subscripti collegæ mei fideliter scriptum, exinde confeci, subscripsi, & in hanc publicam formam redegi: Signoque & nomine meis solitis & consuetis vna cùm dictorum Dominorum Delegatorum & Subdelegatorum appensione sigillorum consignaui, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

EGo Ioannes Gerner de Rosenhaym / Clericus, Frisingensis diœcesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, ac præscripti negotij coram reuerendis ac venerabilibus in Christo Patribus ac Dominis, Domino Vlrico Chyemensi, & Georgio Seccouiensi Episcopis Delegatis, Petro & Georgio Abbatibus, & Benedicto Præposito Subdelegatis supradictis, scriba iuratus. Quia supra insertarum Apostolicarum & Subdelegationis litterarum præsentationi & receptioni, necnon requisitioni articulorum, oblationi & receptioni librorum & scripturarum, ac aliorum supra memoratorum exhibitioni, testium productioni, admissioni, iuramentorum præstationi & examinationi, ac præsentium litterarum decreto & demandationi, omnibusque aliis & singulis præscriptis, dum coram Dominis Delegatis & Subdelegatis prædictis, & per eosdem, sicut præmittitur, fierent & agerentur, vna cum collega meo præscripto, & testibus supra nominatis, præsens interfui, eaq; sic fieri vidi & audiui. Idcirco de eorum Dominorum Delegatorum & Subdelegatorum mandato, præsens registrum siue litteras, seu instrumentum publicum in XXXIII. foliis pergameni, manu mea propria fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi, & in hanc publicam formam redegi, signoq; & nomine meis solitis & consuetis, vna cum dictorum Dominorum Delegatorum & Subdelegatorum appensione sigillorum consignaui in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

IN HISTORIAM SANCTI RVDBERTI, PRIMI SALISBVRGENSIVM ANTISTITIS.

HÆC S. Ruperti Boiariorum Apostoli historia siue vitæ descriptio ex perantiquo Salisburgensi Monasterio D. Petro Apostolorum Principi dicato prodit, vbi manuscripta extat. Præter fortassis alia dubia, quæ diligenti possent Lectori occurrere, & hoc est, quod expressissime, S. Erendrudis, illi S. Ruperto videlicet, soror fuerit, asseratur: cum multi alias neptim tantum fuisse, existiment. Verum ego toties aut sæpius etiam illam eius sororem, quam neptim legi, vt ex testimoniis ad sanctæ illius vitam allatis, inferius patet. Hæc tamen omnia virorum grauissimorum iudicio subiaceant.

TESTIMONIA DE S. RVDBERTO.

EIVS vitam plures conscripsere & veteres & moderni Auctores. Petrus de Natalibus in catalogo suo sanctorum lib. 12. cap. 5. Fr. Iacobus Ianuensis Ord. Prædic. in sua sanctorum legenda, quam Lombardicam dicit. Trith. de viris illust. Ord. S. Benedicti. Et inter recentiores Laurentius Surius tom. 2. & ex illo alij. Auentinus Annal. lib. 3. Wiguleus Hundius in Metropoli statim in principio. Manuscripta Chronica Præsulum Salisburgensium, quæ in S. Petri Monasterio extant. Nouissime illustrissimus Cardinalis Cæsar Baronius, tomo Annal. Ecclesiast. 7. in fine: quemadmodum & in Romano Martyrologio ad VI. Cal. April. in Notis, vbi pluribus etiam id agit. Nobilissimus denique & amplissimus Dom. Marcus Velser, Rerum Boicarum lib. 4.

De S. Rudberto agit etiam Demochares de sacrificio Missæ tom. 2. p. 35. & 65. in catalogo Episcoporum Vangionum. Item Demochares tom. 2. cap. 40. pag. 79. Arnoldus Wion in ligno vitæ, parte 2. XXVII. Martij. Molanus in additionibus ad Vsuardum. Galesiuius & Felicianus Cratepol. de Episcopis Germaniæ.

HISTORIA SANCTI RVDBERTI EPISCOPI SALISBVRGENSIS.

CAPVT I.

De fratre sancti Rudberti Trudberto, & sorore Erindrude.

SANCTVS Rudbertus, sanctæ Salisburgensis Ecclesiæ Antistes, ex regali prosapia Francorum, Ducumque Scotiæ originem duxisse, antiqua tradit historia. Hic vna cum fratre Trudberto & sorore Erindrude, (quidam autumant neptem fuisse) in Scotia à sancto Patricio baptizatus, nec non litteris Ecclesiasticis imbutus est. Ac vbi adoleuit, in Deum mentem omnem conuertit, & non sibi sed vtilitati hominum, & honori diuino consulere statuit. Assumpto, inquam, Trudberto fratre suo, necnon Erindrude sorore sua, tantis fratribus non indigna, eiusdem videlicet desiderij & amoris in Deum, spretis opibus, posthabitis voluptatibus, pari voto, parilique consensu, patrem relinquentes & patriam, exules esse decreuerunt in terris, vt ciues sanctorum, & domestici Dei fieri mererentur in cœlis.

CAPVT II.

De peregrinatione eorum.

QVIS autem æstimare valeat quanti feruoris id fuerit, in tot tantisque deliciis educatos, laborioso se credere inter ignotos exilio, asperitates tolerare viarum, irrideri non cognitum idioma, & nomi-

nari, vt assolet, deceptores, gyrouagi & cursores, quæ frequenter obueniunt peregrinis. Hæc omnia forti animo sufferentes, abnegantesque seipsos, ac improperium Christi portantes & crucem, relicta Hybernia, cum totius mundi deliciis, tanquam ab ardenti Pentapoli fugiendo, montem perfectionis ascendere festinabant, vxorisque Loth non immemores, oculos desiderij ad ea quæ reliquerant, nequaquam reflexerunt, iuxta Pauli doctrinam, eorum quæ retro sunt prorsus obliti, in anteriora se extenderunt. Natalis siquidem soli blanditias & honores, & præclari sanguinis seriem generosam, sicut corpore deseruerant, sic & abiecerunt ex mente, dissimiles illis omnino, qui redarguente scriptura, Moyse imo DEO ducente contempto, corde reuersi sunt in Ægyptum.

CAPVT III.

Quomodo Romam peruenerint.

CÆTERVM hi terram promissionis æternæ interno suspirio ac continuo desiderio requirentes, ne nubis ignisque ducatu carerent, quo regimine salutari ad cursum sanctitatis optatæ dirigerentur principalium columnarum ac ducum Ecclesiæ beatorum scilicet Petri & Pauli primo omnium visitare limina decreuerunt. Romam vsque peregrinantes, quatenus Apostolico interuentu Deus à quo sancta desideria inspirantur, recta consilia suggeruntur, iusta opera inchoantur, continuantur & consumantur, qui etiam iam sanctæ conuersationis illis desiderium inspirauerat, suggereret, ostenderetque, vbi locorum suis obsequiis mancipati, quoue viuendi genere iuxta suæ placitum maiestatis sibi seruire deberent, sui Spiritus eos adfirmaret auxilio, sine quo bonum nec incipitur nec completur. Et quoniam oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, non sunt fraudati à desiderio suo: Nam quia veri erant adoratores in Spiritu Patrem adorantes & veritate, respexit Dominus in orationem humilium, & pauperes suos, vt scriptum est, non despexit, indubitata ipsos insinuatione certificans, quæ loca requirere, vbiue ducere dies præsentis vitæ deberent, non sibi solummodo, sed & plurimis profuturi. Igitur qui iampridem parentes, famulos, cognatos, patriamque reliquerant, quique sibi vnius fidei tenacissimo nexu cohæserant & affectu, ac tanto se inuicem amplexabantur astrictius, quanto ex omnibus antehabitis sibi soli remanserant, ne non per omnia tentarentur,

sese

sese quoque alter alterum deserere Spiritus sancti iubentur imperio, ac per loca seiungi distantia vlterius se in hoc corpore non visuri. Nam non longe post idem Trudberus securi interemptus migrauit ad Dominum. Sed de his postmodum, nunc ad propositum reuertamur.

Capvt IV.

De conuersatione & morte sancti Trudberti.

VALEDICENTES itaque sibi germani non sine singultibus lachrymarum gladio eos Domini vulnerante atque scindente, quem mittere venit in terram, loca diuinitus assignata requirunt. Trudbertus dimisso iam fratre Dominoque commisso Italiæ finibus peragratis iter suum ad flumen vsque Rheni direxit. Et partes aliquas Alemanniæ transiens certo cursu, quoniam Dominus solus dux eius fuit, vallem quandam in pago Prysgangiæ non longe à Rheno cœpit inquirere, tanquam assignatam sibi diuinitus mansionem. Hanc vallem prorsus incultam propriis manibus cœpit excolere, extirpare virgulta, frutecta purgare, coæquare solo tumores, aptare planitiem, ac tanquam nō principis, sed agricolæ filius genitus ad labores, populum suum & domum patris oblitus, omnino nihil otij, nihil sibi quietis indulgens, noctibus secus pedes Domini sedens cum Maria rigabat illos fletuum ac lachrymarum singultibus, diebus vero cum Martha circa frequens ministerium irremissibilis satagebat. Fatigatus igitur ex labore meridiano, cum per triennium fere post ipsius aduentum portasset pondus diei & æstus, & eius hora venisset, vt transiret ex hoc mundo ad Patrem, recepturusq; à vero patrefamilias mercedis æternæ denarium, super scamnum se quoddam, vt somno reficeretur, aliquantisper ex nimia lassitudine reclinauit. Sicq; vnus lictorum securi capiti eius iniecta, ipse vltimum spiritum exalauit. Hæc ex gestis antiquioribus & scriptis vtcumq; dicta sufficiant, cum in propriis historiis sint plenius annotata, ad S. Rudbertum deinceps reuertamur.

Capvt V.

Qualiter S. Rudbertus Wormatiam *deuenerit.*

VENERABILIS nempe Rudbertus, assumpta sorore sanctissima Erndrude secus alucum fluminis Rheni descendens Wormatiæ

fines, futurus Antistes & Pastor, ingreditur. Vbi non multo post, ne lateret lucerna sub modio, super candelabrum cathedræ per Hyldericum Francorum Regem sublimatus, exigente hoc præeminentia meritorum, anno ætatis suæ quadragesimo. Is statim vt Episcopus decerneretur, ad tuendam libertatem Ecclesiæ suæ animum adiicit, & sese omnibus hostibus obiiciens, non armis, non potentia, non minis cuiuspiam è gradu constantiæ suæ decidit, sed ea, quæ ad honorem summi DEI pertinere arbitrabatur, diligenter vt bonum pastorem decebat, circumspiciebat, verbis, exemplo, auctoritateue, tum sua, tum suorum, vnumquemque ad bene viuendum cohortatus est. Tamen quia non bene conueniunt, nec in vna sede morantur iniquitas & iustitia, virtus & vitium, lumen & tenebræ, post duorum annorum curricula verus Israëlita fœtere cœpit Ægyptiis, & Christi bonus odor, qui de palmite in vera vite manente fragrabat, qui piis fuisset in vitam, factus est illis odor mortis in mortem. Princeps namque tenebrarum, qui regnabat in ipsis, sanctitatis & innocentiæ claritatem quæ in Christi famulo radiabat, ferre non valens, conuertit cor eorum in odium, vt odirent ipsum, sensimque illi recalcitrare cœperunt. At ille licet ipsorum multifarie multisque modis insaniam agnosceret, ad defensionem tamē orthodoxæ fidei in eorum libidinem & lasciuiam (adeo erant eorum ingenia ad malum prona) inuehere minime destitit, quod & illis inuidiæ crudelioris odiique maioris fomitem ministrabat.

CAPVT VI.

Qualiter eiectus fuerit ab Episcopatu.

INTER alios post mortem Chyldeberti Regis Francorum quidam Dux paganus, Bertharius nomine, sæuissimus persecutor Cleri, destructorque Ecclesiarum, contra regnum Franciæ insurrexit. Hic viro Dei vehementer cœpit esse infensus, eo quod eum persæpe tyrannidis argueret, multis eum iniuriis affectum & virgis cæsum circa annum Domini DLXXX. à ciuitate Wormatiensi eiecit. Hoc nimirum tempus fuit annus secundus Chyldeberti Regis memorati, sic enim legitur in antiquis monimentis: Tempore Chyldeberti Regis Francorum, anno eius secundo, venerabilis Christi Rudbertus in Wormatia habebatur Episcopus. Quod nimirum tempus cum supputatione eorum annorum Dominicæ natiuitatis, vt supra, concordat. At vir

sanctus

ſanctus iniuriam hanc patienter & æquo animo tulit, vt diceret etiam maiora & peiora meritum, ſi digna pro peccatis pœna irrogaretur.

CAPVT VII.

De ſecunda eius profectione ad vrbem Romanam.

SICQVE deinceps prædicare, docere, & alia pietatis opera, vt eius poſcebat officium, & vt cœperat, perficere non valens, ab vrbe Wormatienſi triſtis abſceſſit, & inde duobus annis exulat: Intereaque temporis Romam tempore Pelagij Papæ ſecundi religionis gratia iam ſecundario profectum fuiſſe, quidam aſtruere videntur, verum ne ſit an ſecus, Deo committatur. Tandem Deo volente, Germaniam fœlix doctor intrauit, cuius celeberrima fama longe lateque ſpargi cœpit, peruenit tandem ad notitiam Dietonis ſiue Theodonis Ducis Bauariæ tertij huius nominis. Is ſalutari motus inſtinctu, virum ſanctum & litteris & nunciis ſolennibus feruenter inuitat, vt ad ſe Ratiſponæ commorantem proficiſceretur, & regionem illam idololatriæ erroribus inuolutam ad meliorem cultum Chriſtianitatis redigeret. Quo nuncio almus Pater Rudbertus admodum gauiſus ſalutem certe deſiderans multorum, maturandum ratus, cognoſcens in hoc Domini voluntatem eſſe, quod eum ad gentes illas illuminandas Apoſtolorum ſupparem deſtinaret: Primo tamen illuc ſuos dirigens legatos, qui Ducem cum optimatibus ſuis promptiorem ad optime de fide orthodoxa ſentiendum redderent: Poſtea vero breui interlabente tempore, ad præfatum Ducem veritatis cognoſcendæ cupidum, per ſemetipſum venire dignatus eſt.

CAPVT VIII.

Qualiter Ratiſbonam ad Ducem peruenerit inuitatus.

AT vbi Dux virum ſanctum aduentare cognouit, honoris gratia obuiam illi cum ſuis prodiit, vrbem Ratiſponenſem ingredienti, omnia certe, & quidem merito, honoris genera exhibita ſunt, eumque Dux in cubiculo aulæ ſuæ, vbi vir ſanctus diuerſaturus eſſet, honorifice collocauit. Habitis dehinc ſimul colloquiis, facili ductu in ſententiam deduxit, eiuſque opera, populus omnis regionis illius prorſus, proceſſu temporis integram fidem Chriſti recepit, baptiſmiq; charactere notatus eſt, exultant vniuerſi Deum magnificantes, qui eos de tene-

tenebris infidelitatis in admirabile lumen suum vocare dignatus est. Exinde vir sanctus liberam prædicandi facultatem à Duce obtinens, naui ascensa fines Noricorum per alueum Danubij vsque ad inferiorem Pannoniam, id est, Vngariam transiens, populum hunc ad bene de Deo promerendum exemplo & vita instruxit, vicis & castellis Euangelium prædicans, velut tuba insonat salutaris.

CAPVT IX.

Quare Bauari Norici dicantur.

TERTIA enim ætate mundi sub Gedeone Duce Iudæorum, Norix vir magnificus & strenuus de stirpe Herculis de Troia easdem gentes deuicit & ciuitatem extruens, Noricum tam vrbem quam regionem appellauit, id est, Ratisponam: Hæc vero ciuitas postea à Tyberio reparata, vel potius instaurata Tyburtina est vocata, quæ nunc Latine Imbripolis, vel vulgariter Regenspurg / à fluuio Regen/ qui ibi Danubium influit, vel Ratispona à ponendo vel figendo rates cum mercibus venientes generaliter appellatur. Sed de his satis, ad Rudbertum veniamus.

CAPVT X.

Qualiter sanctus Rudbertus peruenerit ad Laureacensem ciuitatem.

IS vbi ex sententia populum Pannoniorum ad fidem Christi reduxisset, inde abiens terrestri itinere, vt semper solitus erat incedere, ad Laureacensem ciuitatem peruenit, quæ quoq; à fide nostra aliena erat, monitis tamen viri Dei characterem baptismi recepit.

Legitur enim quod post gloriosam Domini nostri Iesu Christi ascensionem, missis in orbem terrarum Apostolis, aliisque Christi discipulis, ad prædicandum Euangelium Dei, beatus Marcus Euangelista, à sanctissimo Apostolo Petro magistro suo Aquilegiam missus est, qui sua prædicatione Aquileienses ad fidem conuertit, vbi Hermagoras ciuis Aquileiensis vir doctissimus Episcopus creatur: Hic Syrum Papiensem Episcopum discipulum suum intimo loco fidem Christi denunciando destinauit, cuius doctrina Laureacensium ciuitas fidem orthodoxam recepit, & sedem Metropolitanam meruit habere, in qua per vices sederunt Euthcrius Archiepiscopus & Quirinus illustris

Philippi

Philippi senioris filius, qui primus Imperator fidem Catholicam ad prædicationem Origenis recepit. Quirino tandem in Primatum Aquileiensem sublimato, sanctus Maximilianus ex Celeia ciuitate nobilibus parentibus ortus Laureacensem Ecclesiam optime rexit, qui post multos agones in vinea Domini habitos locum natiuum adiit, vbi ab Eusebio Præfecto, cum nollet diis sacrificare, capite mulctatur, sub Varo Imperatore, Anno Domini 280. Tunc etiam sanctus Florianus in Laureaco, saxo ad collum eius ligato in Anasum flumen est proiectus. Hinc Diocletianus omnes libros & priuilegia Christianorum igni comburi & Ecclesias demoliri fecit. Tunc Laureacensium Ecclesia, in cuius prouincia 22. famosæ ciuitates, puta Pataauia, Norix, &c. cum suis suffraganeis, ad ducentos & eò amplius annos sine Sacerdotij honore mansit. Sed Christiani eo tempore ibidem & in aliis oppidis morantes occulte in latebris diuinum cultum & ritum Christianum obseruabant, & cœpit fere Christiana religio in pluribus locis omnino deficere vsque ad hæc fœlicissima tempora, dum sanctissimus Episcopus Rudbertus velut splendidum sydus fidei inter caligines Noricales emicuit, vt merito de ipso cantet Ecclesia: *Quasi Sol refulgens, sic ille refulsit in templo Dei.*

CAPVT XI.

De ordinatione quorundam, quos sibi in collegas asciuit.

VERVM quia pluribus intentus esse non poterat, quosdam ad sacros Ordines asciuit, quique populum verbis & exemplis ad iustitiam, pietatem, cæteraque Christianitatis opera adhortarentur. Sed ne hoc verbo tantum & cohortatione populos mouisse arbitremur, liquido constat, eosdem omnia quæ exemplo mouere possunt, ita assidue obisse, vt discernere difficile sit promptiores ne lingua quam opere habiti sint, & ob eam rem Christiana religio quotidie magnum incrementum habuit.

CAPVT XII.

Quomodo in pagum Iuuauensem venerit, ibidemque Ecclesiam construxerit.

LAVREACO hinc decesso & multa circuiens loca deuenit tandem in pagum Iuuauensem, id est, Seekirchen/ (ita enim accolæ

vocant) iuxta lacum Wallersee. Instructus ab incolis locum hunc Theodoni Duci Bauariæ hæreditatis titulo attinere. Hoc in loco vir sanctus impensis (vt reor) Theodonis Ecclesiam extruens, eamque in honore S. Petri principis Apostolorum dedicauit, tradiditque ad eandem Ecclesiam præfatus Theodo eundem locum cum confinio circumiacēti, in aquis, piscationibus, sylvis, pratis, pascuis, molēdinis, &c.

CAPVT XIII.

De vrbe Iuuauia eiusque ortu & excidio, ac restauratione eiusdem per sanctum Rudbertum.

VERVM non longe post prospiciens, idem Rudbertus locum præfatum aptum nō esse ad Episcopij sedem, cœpit aptiorem ad hoc opus, in pago Lobaocensium super fluuium Igonta, qui alio nomine Salzaha vocatur, quærere locum, venit tandem anno à natiuitate Christi 580. pridie Cal. Septembris ad fluuium Iuuarum, qui alio nomine Salzaha dicitur in loco vocato Iuuauo, reperiens ibi vrbem dilapsam & virgultis coopertam, quæ quondam inter Baioariæ vrbes eminebat nobilissima. Quam Iulius Cæsar, cum contra Alemannos pugnaret, condidisse, & Iuuauum vel Iuuauiam nuncupasse, tum à suo partim nomine, tū à iuuamine auri vel munitionis traditur. Vbi quondam Carolus Imperator fœdus iniit cum Nicephoro Constantinopolitano Imperatore, & Imperiale palatium ibidem fecit, quemadmodum inter antiquæ vrbis ruinas in lapide 17. pedum reperta est hæc scriptura sculpta: Tempore Augusti Cæsaris fuit Fabianus Rex Romanorum Iuuauensium & totius Germaniæ, post hunc Antonius, deinde Seuerus. De quo hi habentur versus:

Vrbs Iuuauensis fuit olim splendida muris.
Aggeribus magnis, munitaque turribus altis,
Sedes hic regum fuerant, ac templa deorum,
Gente sub antiqua, fulgenti marmore structa.
Sed veluti legimus, multis inculta diebus
Culmine de summo, cecidit prolapsa Iuuauo,
Ac tegitur sylvis, tegitur lustrisque ferinis,
Vrbeque detenta, remanent vix vltima signa,
Hæc loca Rudbertus sibi delegit Pater almus.
Primus & hic sedem construxit Pontificalem,
Ac sedis primæ regimen susceperat ipse,

Condu-

Conducens late populos ad pascua vitæ.
Nos meritis huius clementer ducat ad æthra
Sanctus sanctorum, noceant ne crimina tetra.

Quæ cum multo tempore floruerat, inde circa annos Domini 400. sub Martiano Imperatore ab Attila Rege Hunnorum, qui flagellum Dei se asseruit, incursiones, vastationes, incendiaque sustinuit, & cum ingenti hominum cæde imminuta, desolata, ac penitus diruta est. Legitur enim quod Attila Rex Hunnorum cum quingentis millibus armatorum Italiam aggreditur, cui Ethitius patricius Romanus in cãpis Cathalaniæ haud impari comitatu occurrit, & facta congressione, Attilæ exercitus declinat, & centum octoginta millia virorũ corruunt, tantusq; cruor effunditur, tũ ex hominibus tum ex equis, vt riuus sanguinis fluendo adeo excresceret, quod etiam secum traheret cadauera occisorum. Attila denuo adunatis copiis Aquileiam, Mediolanum cęterasq; Italiæ ciuitates destruit. Leo Papa ei iuxta Padum occurrens ne vlterius progrediatur hortatur. Tyrannus reueritus Pontificem, vel potius senem quendam in somnis euaginato gladio mortem sibi minantem, nisi Papam in omnibus exaudiret, à cœpto destitit, statimque in Pannoniam reuertitur, vbi protinus proprio sanguine suffocatur. Martianus Imperator Constantinopoli dormiens, in somno vidit arcum Attilæ fractum, respirat mundus tanta peste liberatus. Quo mortuo regnãte Zenone Imperatore anno Domini 477. Odoacer natione Ruthenus Rex Rugorum cum Herulis Italiam veniens Romam violẽter obtinuit, Augustum exilio damnauit & per annos 14. Latinos opprimit. Interea Gepidæ, Gothi, Vngari & Heruli Noricorum prouinciam atroci prælio perturbant, ciuitates Istro, id est, Danubio adiacentes depopulando, etiam cõtra Iuuauiam dolo machinantur, quod seruus Dei Seuerinus Episcopus Rauennensis qui tũc in Norico riparum inferiorum, id est, Viennę, verbum Dei pdicans, in spiritu cognouit, & per Moderatum discipulum suum Iuuauenses, præcipue B. Maximum Presbyterum discipulum eius qui tunc cum aliis deuotis viris, ibidem vitam eremiticam agebat, protinus locum vt desererent instanter admonuit. Illis vero tardantibus eadem nocte Barbari insperato ciuitatem obsidentes, diripiunt vniuersa, & præfatos venerabiles viros in speluncis & cauernis montis ex latere præeminentis eremisantes cœperunt, quorum plurimos captiuos ducentes, Presbyrum vero memoratũ patibulo suspendentes, cęteris vero circiter quinquaginta in speluncis latitantibus, variis tormẽtis affectos & de monte

 præci-

præcipitatos corona martyrij dignos effecerunt. Quorum corpora ab alijs fidelibus, qui euaserant, eo in loco sunt sepulta, vbi postea per sanctum Rudbertum Episcopum Capella fuit constructa, & sub honore sancti Amandi, necnon sacræ virginis & Martyris Margarethæ ab eodem consecrata, quam Polyandrium, id est, cœmiterium sancti Amandi vocari voluit. Et de hoc infrascripti extant versus:

Hæc æquata solo vluit domus inclita quondam,
Non tulit hanc speciem Christi deuotus honore
Arnonus Præsul humilis renouare iacentem,
Incipit, & melius totam construxerat ædem
Consecrans summis intercessoribus illam,
Principis egregij primo Michaëlis honore,
Principis Ecclesiæ necnon sub nomine Petri
Principis, & fratrum præclari Patris Amandi,
Et Margarethæ Christi fidelis athletæ,
Vt sanctum voluit Polyandrum fratribus esset.
Vos in pace Dei chari requiescite fratres,
Donec ab æthereа clamet pius Angelus arce:
Surgite nunc promptim terræ de puluere fratres,
Vos vocat adueniens iudex è culmine cœli:
Cum meritis animas propriis assumite vestras,
Ante Dei Christi magnum modo state tribunal,
Vt condigna suis capiat quis præmia factis.
Nam quod quisque serit præsentis tempore vitæ,
Hoc sibi messis erit, cum dicitur Ite, Venite.

Et de his satis, longius enim quam putabam ab incepto digressus sum, sed stylus ad orbitam redeat destinatam.

CAPVT XIV.

De ædificatione Ecclesiæ & Monasterij sancti Petri Apostoli.

IS locus viro sancto ad Episcopij sedem permaxime accommodus videbatur, quippe qui inter montana à populari tumultu semotus, deuotioni & contemplationi foret idoneus.

Hunc locum cœpit renouare, extirpare videlicet arbores & vepres: Quo purgato, Deo formosam ædificans Ecclesiam, quam in honore Diui Petri principis Apostolorum dedicauit, ac processu temporis

poris demum claustra Monasterij cum cæteris habitaculis Clericorum per omnia ordinabiliter construxit eodem in loco, vbi postea Sacellum in honorem sanctæ Crucis extructum est, & vsque hodie spelunca sancti Rudberti appellatur, inibique non paucos dispositos Monachos, qui die ac nocte laudes Deo canerent, instituit, addita Regula S. Benedicti, qua Monachi integre & sancte viuerent. Verum fuerit ne hic sanctissimus Pater Monachus, haud satis constat, vtcunque est constat, eum in quouis genere vitæ probatissimum fuisse, cuiusque nomen omnium laudibus merito celebretur.

CAPVT XV.

De pietate Theodonis Ducis Boioariæ ac liberalitate, qua vsus est erga sanctum Rudbertum. Et de religiosa sanctissimi viri conuersatione vita & moribus.

TANDEM annis aliquot euolutis, Theodo Dux ad DEI famulum visitandum personaliter perrexit, tribuensque illi & in ipso loco in DEI seruitio successuris in proprietatem sempiternam possessiones & fundos, vnde Monachi viuerent, donationemque ipsam cum hæredum suorum fauore atque consensu, necnon litterarum suarum firmo robore communiuit. Suscepit hæc vir sanctus non sibi sed posteris profutura, & vt meritum piæ deuotionis Theodonis non impediret, & necessaria sustentatio successuræ familiæ pararetur. Nullo tamen eorum est abusus ad voluptatem, quin potius sibi frugalis, pauperibus & peregrinis valde liberalis, quos frequenter ad conuiuium adhibebat, cum quibus de studiis bonarum artium & de rebus diuinis loqui solitus erat, adeoq; humanum & pium omnibus se exhibebat, vt ab omnibus vnice diligeretur, paterque pauperum diceretur & esset.

Fuêre reuera in hoc homine multæ & præclaræ corporis & animæ dotes, ac tam plures quod morositas earundem mensuram styli transgreditur. In summa vir erat omnis religionis & misericordiæ vnicum exemplar, qui non minori modestia & humilitate Episcopatu vtens quam antea fecerat, imò humilior effectus, procul omni pompa & ambitione vitam exegit, & (vt altius repetam) tantæ humilitatis & paruitatis extitisse refertur, vt cum duobus & eo amplius tribus Sacerdotibus, viris quidem doctissimis & religiosis tanquam suæ modestiæ

cestibus in publicum procederet dissimilis omnino modernis Episcopis. Ii enim Episcopatus quærunt, non quomodo communi vtilitati, vt eorum exposcit officium & nomen, consulunt, sed vt vel suam vel consanguineorum (vt pace bonorum dixerim) ingluuiem & auaritiam expleant. Quanta denique sit ambitio nostrorum Episcoporum, quanta pompa, quam demum parua religio, & simulata potius quam vera & sincera, non attinet dicere: Non certè quod oues & qua ratione pascendæ sint quærentes, quemadmodum officium boni pastoris deposcit, sed quantũ singulis inde annis excerpi possit sciscitãtes, de cura animarum parua aut nulla sit mentio, de augendis prouentibus quam maxima, quam multa iumenta & plures seruos & eos quidem ignauos & stolidos domi alant, &c. Quid vero ex hac intemperantia nascatur, dicere prætermittam, ne os (vt ipsi aiunt) in cœlum ponam. Sed certe hæc infœlicissima tempora esse arbitror, cum auctoritate Platonis tales esse soleant reliqui ciues, quales sunt in republica rectores, & ob eam rem religio Christiana quotidie in peius labitur. Hæc idcirco incidentaliter nec inutiliter quidem hic inserere volui, vt quantum inter se boni & mali diffideant, a legentibus cognosci possit, quo malorum exemplo à vitiis deterreantur, & bonorum ad virtutem impulsi, vitam vt S. Rudbertus ducant in terris fœlicem ac exemplarem, vnde & postea in sanctos referri meruit comprobata eius vita & miraculis post mortem editis. Ad sepulchrum enim eius multi valetudinarij delati, multi cæci perducti, muti & claudi pristinam valetudinem beati viri suffragantibus meritis à Domino Deo receperunt, sicuti diffuse historiam eiusdem perlustrantibus liquet intueri.

CAPVT XVI.

De fundatione Monasterij sancti Maximiliani in Bongau.

POSTHAC modici temporis interlabente decursu Monasterium sancti Maximiliani in Bongau ab eo constructum est. Huic Theodobertus Dux Bauariæ filius Theodonis præmemorati fundos adiecit, quorum prouentibus Monachi, quos S. Rudbertus inibi conuocauerat, vterentur. Verum post obitum viri Dei annis aliquot transactis Sclaui ex Carinthia venientes, qui nondum baptismi characterem susceperant, Monasterium præfatum despoliaue. unt, eiectis etiam atque disturbatis fratribus. Sicque locus ille v. que ad tempora sancti Virg[illegible] j

Ep sco-

Episcopi mansit desolatus. Is diuino compunctus honore & amore, cœpit cellam sancti Maximiliani diligere, & in amorem Dei renouare & ampliare, congregarique iterum inibi fecit Clericos & Deo seruientes. Quonam autem modo euenerit, vt iam secundario desolatus existat, compertum non habemus.

CAPVT XVII.

De obitu Theodonis Ducis Boiorum.

INTEREA Theodo Dux senio confectus in valetudinem aduersam incidit, ac se paulo post moriturũ cognouit. Asciuit ad se Theodobertum filium suum & hunc Ducem Noricorum constituit ei præcipiens, vt sancto Rudberto instantius cooperaretur in omnibus Dei laudem pręsertim contingentibus, sanctumque locum Iuuauensis Ecclesiæ amaret, foueret & honoribus sublimaret. At Theodo quem dixi annis grauem fuisse non ita multo post, hoc est anno ab incarnatione Domini . . . . . moritur migrans ad Dominum. Theodobertus autẽ memor mandatorum patris ad facienda ea, nihil pręsertim quod ad diuinum pertineret cultum, omittens, ac omnem quam poterat viro Dei humanitatem & beneuolentiam exhibere instãtissime satagebat. Sicque processu temporis, Deo auxiliante, ex donatione Ducum Bauariæ, necnon aliorum fidelium vtriusque sexus hominum loci res accrescere cœperunt.

CAPVT XVIII.

De profectione sancti Rudberti in patriam suam.

VIDENS demum sanctus Pater Boioaricæ dignitatis culmen iugo Christi sese subdidisse, sed gentilitatis errore plures inuolutos superesse, delegato sacerdotali officio alio, qui vices eius quantum ad rem sacram spectabat Iuuauiæ gereret (rem namque diuinam aut ipse quotidie faciebat, aut dum fieret obseruatis de more ceremoniis omnibus astabat,) Ipse vero ad lares patrios proficisci instituit, cupiens aliquos adipisci socios ad doctrinam Euangelicæ veritatis promulgandam. Negotio dehinc in patria ex sentẽtia peracto, inde cum duodecim discipulis electis, inter quos erant eximij Chunialdus & Gislarius ambo Presbyteri, secumque virginem Christi Erendrudem sororem, vel vt quidam asserere videntur, neptem suam, adducens, quasi cum tot luminaribus ad vrbem Iuuauensem regreditur.

CAPVT XIX.

Constructio Monasterij in Nunberga.

POSTHAEC in superiori castro Iuuauensis oppidi impensis Theodoberti Ducis Boiorum, Monasterium sanctimonialium sub beati Benedicti ducatu militandas extruere cœpit, quod nunc Nunberga dicitur, ibique Erindrudem virginem sacris virginibus Abbatissam præfecit, additis à Duce Theodoberto magnis prouentibus ad vsum sanctimonialium & commoditatem. Tandem vir sanctus inceptum prædicationis opus ad perfectum ducere cupiens, Norica regna, discipulorum suorum comitante caterua circuire instituit, vt eos è tenebris infidelitatis educeret, proposita veritatis luce. Cumque sic Baioariorum terminos peragraret, ac magnis sudoribus fere omnes ad Catholicam fidem conuertisset, ingrauescente iam ætate ac tædio laborum & diutina peregrinatione fessus, ad vrbem Iuuauensem remeare instituit: Quia spiritu prophetico repletus diem vocationis suæ instare præsciuit prædicensque discipulis. Illi tali & tam tristi nuncio consternati, cur eos & tam nouellæ Christianitatis plebē desereret lachrymati sunt. Ille spe erecta ad Christum, vrbem Iuuauensem & populum Noricorum omnipotenti Deo committens, & commendans, Vitalem virum sanctum & omni populo acceptum sibi fieri successorem delegit.

CAPVT XX.

De fœlici sancti Rudberti ex hoc sæculo emigratione, deque eius pia & paterna ad fratres exhortatione.

QVO facto dum dies Quadragesimalis obseruantiæ agerentur, febrium ardore vir Dei fatigari cœpit, qua durante per dies aliquot, tandem cum sanctissima resurrectionis CHRISTI dies illuxisset, fratres ad se accersiuit, quos de corpore suo commonens & paterna instructione corroborans constanter ac miserabiliter talia prosecutus aiebat:

FILII in CHRISTO charissimi, scitis quod beatus Iacob conditione mortis instante filios adesse præcipiens propheticæ benedictionis affatibus, singulos quoque remunerari mysteriorum arcanis prodi-

prodidit futurorum. Nos vero infirmi ac tepidi tantæque impares pietati, hanc prærogatiuam noſtris vſurpare viribus non audemus. Vnum tamen quod humilitati congruit non tacebo, mittens vos ad exempla maiorum. quorum intuentes exitum conuerſationis imitamini fidem. Abraham namque vocatus à Domino fide obediuit, vt exiret in locū quem accepturus erat in poſſeſſionem, & exiens neſciit quo venturus eſſet. Huius igitur Patriarchæ imitamini fidem, imitamini ſanctitatem, terrenam deſpicite patriam, cœleſtem ſemper inquirite. Confido autem in Domino, quod mihi de vobis æterna lucra prouenient. Video enim vos gaudium meum feruore Spiritus ampliaſſe, amare iuſtitiam, fraternæ charitatis vincula diligere, caſtitatis operam, humilitatis regulam cuſtodire, hoc quantum ad hominis ſpectat intuitum laudo & approbo. Sed orate, vt quæ humanis aſpectibus digna ſunt, æternæ diſcretionis examinatione firmentur. Quia non ſicut videt homo, videt Deus. Ille ſiquidem, ſicut diuinus ſermo denunciat omnia corda ſcrutatur, & omnium mentium cogitationes anteuenit. Aſſiduis ergo precibus hoc orate, vt oculos cordis veſtri Dominus illuminet, eoſque ſicut Heliſæus orauit aperiat, quò poſſitis cognoſcere, quanta nos circumſtent adiumenta ſanctorum, quanta fidelibus auxilia præparentur? Deus enim noſter ſupplicibus appropinquat, non deſit militantibus iugis oratio, non pigeat agere pœnitentiam, ſi non puduit facinus perpetrare, non pigeat lugere peccantes, ſi quo modo offenſa diuini iudicij lachrymarum inundatione placetur, quia ſpiritum tribulatum ſuum dignatus eſt vocare ſacrificium. Simus igitur dilectiſſimi filij corde humiles, mente tranquilli, delicta omnia præcauentes ac diuinorum ſemper memores mandatorum, ſcientes non prodeſſe vobis cum humilitate veſtis, nomen Monachi, vocabulum religionis, ſpecies pietatis, ſi circa obſeruantiam degeneres inueniamini & reprobi. Mores igitur filij mei chariſſimi propoſito ſuſcepto conſentiant. Grande nefas eſt peccata ſectari hominem ſæcularem, quanto magis Monachos, qui blandimenta ſæculi quaſi atrocem beſtiam fugientes, Chriſtum cunctis affectibus prætulerunt, quorum inceſſus & habitus creditur eſſe documentum. Sed quid vos vltra demoror filij chariſſimi longi ſermonis affatu? Supereſt vt beati Apoſtoli Iudæ oratione vos proſequar ita dicentis: Et nunc commendo vos Deo & veræ gratiæ eius, qui potens eſt conſeruare vos & dare hæreditatem in ſanctificationibus. Cunctoſque dehinc per ordinem ad oſculum ſuum acceſſiſſe piè credendum eſt. Hæc enim vulgo ferun-

runtur, quæ ideo inserere breuiter institui, ne obstinate nimium & pertinaciter omisisse videar, quod ferè omnes affirmant, erremus etiam nos hac in re cum vulgo, quanquam appareat ea quæ dixi ex his esse quæ fieri posse creduntur, cum secundum Hieronymum illorum scriptorum scriptis & dictis fidem adhibere conuenit, quorum relatio fidei moribus non præiudicat, nec agnitæ veritati contradicit.

Post huiusmodi ædificationis alloquium die prænotato, resurrectionis videlicet Dominicæ, hoc est, anno à natiuitate Christi 623. sexto Calend. Aprilis, postquam Ecclesiæ Iuuauensi cum magna gloria præfuisset annis XLIV. vocante DEO eadem die post solemnia à se celebrata Missarum exinit hominem & lætus in sui Domini gaudium intrauit, suaque sponte ad sepulchrum à se dum viueret conditum decurrisse refertur, & illud Saluatoris verbum ægrè protulisse: Domine in manus tuas commendo spiritum meum, statimque sic exhalasse spiritum.

Lætetur Iuuauia tanti Præsulis corporali præsentia, religiosorum iocundetur deuotio, complaudat Clerus, vniuersi incolæ concrepent orantes: Adiuua nos Pater alme, terreat Theucer Mahomet, ne tuam disperdat hæreditatem. Eius autem sanctissimum corpus in Ecclesia sancti Petri in sepulchro, quod nunc hodie cernitur quieuit annis 150. vsque ad tempora sancti Virgilij, qui eum vna cum suis Capellanis Chunialdo & Gisilario veluti honestiori ac celebratiori loco ad Metropolitanam transtulit Ecclesiam, vbi tubam præstolantur nouissimam.

IN VI-

IN VITAM SANCTÆ ERENDRVDIS ABBATISSÆ MONASTERII NVNBERGENSIS Salisburgi.

VITAM *hanc ex membranis vetusti admodum characteris exscripsi: De miraculo in sancto Heinrico Imp. difficultas oriri posset, cum illum lepra aut epilepsia laborasse, nullibi legatur. Verum ista non his tantum scriptis, sed & tabulis Ecclesiasticis, imò perantiqua figura in Altari sanctæ Erendrudis expressa confirmantur, ita vt, num in dubium hæc de S. Imperatore historia reuocari posit, ipse dubitem. Omnium animis hæc iam fixa hærent: quare aliorum sit de his iudicium.*

TESTIMONIA DE S. ERENDRVDE.

OMNES *illi, qui D. Rudberti acta, litteris consignarunt, huius suæ sororis, aut si magis placet, neptis meminerunt.*

Auent. lib. 3. fol. 263.

Soror quoque sancti Rudberti Ariodruda, virgo sancta & cordata ad Boios perrexit.

Idem dict. lib. 3. fol. 266.

Principes Boiorum, Iuuauiam Romanorum olim coloniam denuò ædificari iubent, à salis prouentu Salcburgium vocant. Vbi templa duo viris & sacratis fœminis dedicarunt. Virginum maxima dicta Ariodruda fuit, soror D. Ruperti.

Petrus de Natalib. in Catalogo SS. lib. 12. cap. 5.

Postquam (S. Rupertus) plura circumierat loca, ad vrbem Iuuauensem, vbi Episcopalem firmauerat sedem, remeauit, vocationis diem non ignorans, vbi constructo Erendrudi virgini nepti suæ Monasterio &c.

Illustriss. Baron. in Martyrol. Rom. ad VI. Cal. April. in Not.

Fuit & sanctitate conspicua eius neptis nomine Erendrudis Abbatissa, de qua Trithem. de vir. illust. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 206. cuius dies natalis agitur Prid. Calend. Iulij.

Et in tom.7. Annal. Ecclesiast. prope finem.

Vbi & sanctæ sorori Erendrudæ (S. Rupertus de quo illi sermo est) Monasterium Ducis munificentia ædificauit sub nomine sanctißimæ Virginis Mariæ Deiparæ.

Wigul. Hund. in metrop. Salisburg. sub S. Rudberto.

Sed cum D. Rupertus Iuuauium Cathedrali sedi magis idoneum iudicaret, Theodo Dux oppidum illud cum castro superiori, terminis ac finibus suis gratitudinis ergò libere donauit, Pontificia sede translata, duo ibi templa dedicata sunt. Alterum B. Petro Apostolorum Principi pro viris: alterum in editiore parte montis subtus arcem, pro sacratis virginibus, quod Nunberg vocant, à Ducibus liberalißime dotata, collegio virginum præfecit S. Rudbertus Erendrudem sororem suam, quæ in monumentis Salisburgensibus alias ipsius neptis vocatur.

Illius vt & Monasterij Nunbergensis facit etiam mentionem in eadem metropoli dictus Hundius, vbi de Boiariæ Monasteriis agit.

Nobilifs. & clarifs. Dn. M. Velser. rerum Boicarum lib. 4. pag. 217.

Vbi Erendrudem neptem (S. Rudbertus videlicet) nam perperam quibusdam soror credita, numeroso sacrarum virginum collegio, ædificato à Reginodrude ad vrbem Monasterio, anno post Christum natum sexcentesimo vigesimo tertio, Nonnarum montem etiam nunc appellant, vocabulo ex vltima Christianorum antiquitate repetito, in quo liberaliter ornando Theodobertus patris pietatem adæquauit.

Videatur Caspar Bruschius in Monasteriis Germ. fol. 77.

Arnoldus Wion *in ligno vitæ, ad pridie Cal. Iulij.*

Salzburgi Natalis S. Erendrudis virginis & Abbatissæ, neptis S. Rudberti, eiusdem ciuitatis Episcopi, miraculorum magnitudine celebris.

Idem tertio Nonas Septemb. huius translationis meminit.

INCI-

INCIPIT VITA SANCTÆ EREN-DRVDIS VIRGINIS.

MISERICORDIA Domini per climata orbis diffusa, & prophetica feruens olla, dum circumquaq; de multis cordibus esset exclusa, contigit beatum Rudbertum Episcopum diuinitus fieri Noricæ gentis, Pannoniæque satorem Euangelicæ doctrinæ, quatenus idolorum cultores, de abysso infidelitatis erutos, sacramentis fidei imbutos, liberos faceret antiquæ ruinæ. Hic quasi fructifera arbor, radices atque propagines lato germine ramosque extendens, seminarium multis in locis cœpit serere salutis, atque studiose laborando ad effectum bonorum operum clare perducere virtutis.

Vt autem ex vtraque sexu hac in regione Ecclesiæ clarescerent luminaria, idoneos Doctores atq; Erendrudem neptem suam, sacram virginem aduexit de proprio solo ac patria. Francigena igitur ex nobili stirpe extitit progenita, cuius ingenuitas nobiliorem eam reddidit, iuxta sacræ vtriusque legis scita. Nam vniuersarum virtutum incrementis nitens procedere ab infantia, humilitatem, obedientiam, patientiam, castitatem, charitatem, & in bonis operibus perseuerantiam, semper obseruabat omni instantia.

Primitus enim Abbatissæ officium eadem sacra virgo religiose administrabat in Francia. Vbi subditas virgines regebat cum omni suauitate & sapientia, quia in domo Dei laborauit cum consensu & concordia maxima, nec vsura nec dolus, nec ibi colebatur auaritia, quamuis minuta. Sed omnium bonorum inimicus grauiter ferens sanctarum mentium vnanimitatem, superseminauit zizaniam, & præualuit iniquitas & labor in medio earum & iniustitia.

At vero virgo perfectissima iurgia, discordias, simultates decli-

nans, cum ſancto Patre Rudberto, Noricorum venit in partes, & apud Iuuauiam in Monaſterio, quod ipſe conſtruxit in proximo monte in honore ſanctæ DEI genitricis Mariæ, conſtituit eam matrem virginum, vt doceret eas ſpirituales artes. Quæ & qualis eſſet in hoc regimine, ſtylus & manus exarare valent minime. Mons enim vere ille, in quo beneplacitum eſt DEO inhabitare, & in quo lapis ille ſine manibus abſciſſus, qui eſt CHRISTVS, vult laudari, cottidieque ab omnibus ſe inuocantibus, non ſolum voce & ore, ſed & intimo cordis affectu ardentiſſime cupit amari. Laudent illum Sol & Luna, & omnis eum contremiſcit creatura, quanto magis homines ſpiritu & ratione fruentes, quibus promittuntur gaudia futura.

In hoc igitur Monaſterio pie viuendo, orando, ieiunando, vigilando, ſenſus quoque ſuos ab omni prauitate auertendo, in omnibus actibus ita compoſuit ſuos mores, vt cunctarum virtutum inſtantia præcelleret ſubditas ſorores, vt ſtellas Luna minores. Pocula vero de calice Babylonis ſtudioſe reſpuens, cunctis videlicet mundialibus pompis calcatis. Orationibus, vigiliis, ieiuniis, corpus macerabat, quæ Domini ſunt, & quæ de ſcripturarum fonte potuit haurire, vt in illa fructificarent, medullitus DEVM exorabat. Creuerunt in ea de virtute in virtutem ſpiritualia dona, ita ſane, vt ſemper inter epulas non ceſſaret loqui de cœleſti corona. Ab omni vero prauitate & elatione erat munda, eleemoſynarum & epularum largitate in modum Sareptanæ viduæ, cui lecythus olei non eſt imminutus, extitit fœcunda, quia hilariter tribuit habita, vt eius merces fieret in vita ſecunda.

Sancta vero Erendrudis ſex operibus Euangelicis inſudabat deuotiſſime, pauperum & puerorum prurulenta propriis manibus purgando inſtabat diligentiſſime. Exemplo enim CHRISTI, qui diſcipulis pedes lauit, ſolita eſt pedes pauperum humili deuotione lauare. Benedictionem victus ſtuduit omnibus diebus vitæ ſuæ adminiſtrare. Feruens erat magnificentia ſermonis corda duræ ceruicis emollire, & ex ſale ſapientiæ & charitatis melle condire. Reclinatorium aureum facta eſt CHRISTI ancillarum, & quaſi Delbora ſedens ſub palma, id eſt, ſub tuitione crucifixi prouidens ſalutem animarum. Egreſſa ergo eſt Regem Salomonem videre, vt Syon filia, deſpiciens cuncta vilia, non quaſi vagabun-

bunda Dyna, quam statim inuenit diaboli ruina. Accepit propheticum librum de manu porrigentis, scriptum intus & foris, intus sensum obscuræ intelligentiæ, foris apertum multis mysteriis nostri Saluatoris. Quo libro sancta virgo erat cibata, quia intus & exterius omni scientia scripturarum erat illuminata. Ad pedes Domini sedens cum Maria, audiebat verbum illius in contemplatione, foris autem cum Martha satagebat circa frequens ministerium in pauperum ratione.

Eadem vero fidelis & deuota, Lyæ & Rachelis mystica obtinuit dota, in Lya fœcunda, fœcunditate CHRISTI ancillarum sibi commissarum, in Rachele formosa, formositate contemplationis animarum sanctarum. Bona enim quæcunque gessit voluit esse secreta, vt caperet mercedem in fine à Domino læta, vt spiritus carni potuisset dominari, & caro spiritui famulari. Delectabatur in Domino, & dedit illi delectabiles cordis petitiones, scilicet vt post terminum vitæ, aufugeret æternos labores.

Cum autem sibi finem huius flebilis vitæ appropinquare intelligeret, corde & ore sæpe ruminabat verba Psalmistæ dicens: Mihi autem adhærere DEO bonum est, ponere in DEO spem meam. Et in manus tuas commendo spiritum & animam meam. Respondit ei quasi inuocatio sponsi: Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni, inclina aurem tuam, audi & vide filia, quia post clare lucebis inter lilia sanctarum virginum, & sicut inter infinitos herbarum flores lilium.

Sancta itaque DEO dignissima virgo Erendrudis certa de præmio æternæ remunerationis, caute se muniuit deifico viatico & dono perfectæ confessionis, virginum cateruas sibi commissas cœlesti sponso commendans, accensisque lampadibus, cum prudentibus virginibus obuiam sponso processit, plena operibus bonis & eleemosynis, liberata de huius vitæ ergastulo, II. Calend. Iulij, gaudium Domini intrauit, maximumque luctum & fletum cum lachrymosis suspiriis, cunctis non solum virginibus, sed & aliis aduenientibus pie DEVM colentibus dereliquit. Aderant sine dubio in illius vocatione spiritus Angelici, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginumque chori, laudantes & benedicentes Dominum, qui eam liberauit de huius mundi voragine & incerta habitatione hominum, & perduxit in æterna tabernacula, vbi cum omnibus sanctis gaudet per cuncta sæcula.

Sepul-

Sepulta eſt autem in crypta eiuſdem Monaſterij cum decenti honore,ibique colitur maxime à virginibus in virginali decore. Miraculorum autem ſigna quæ per eius merita Dominus dignatus eſt facere diuerſis corporibus, in multis hominibus, præ multitudine non poſſumus ſcriptis commendare, ſed neque viſa neque audita præſentes valent enumerare, ſed in omnibus beneficiis ſuis dator omnium bonorum, laudetur & glorificetur Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

SEQVVNTVR MIRACVLA SANCTÆ ERENDRVDIS VIRGINIS.

CVM in his quæ ad cultum diuinum, gloriam & laudem ſanctorum pertinere dignoſcuntur, non maligna ſed potius benigna & deuota interpretatio ac diligentia ſit adhibenda: Vnde Pater & Domine reuerende, ego Cæſarius, Capellanus veſter in Nunburga, veſtris piis ac ſanctiſſimis medullitus congaudens deſideriis, non auſu temerario, ſed pietatis veſtræ iuſſu armatus benigno, miracula ſanctæ Erendrudis virginis glorioſæ, quantum paruitas ingenij mei ſufficit, ſcribere viſus ſum, prout ex relatione antiquorum didici non ſolum ſanctimonialium, ſed etiam extraneorum fide dignorum, ſicut etiam iam viginti octo annorum, quibus in officio diuino, in dicto Monaſterio deſudaui, certa comperi experientia, infra ſcripta ſtudui comportare.

PRIMO & principaliter de curatione ſancti Heinrici Imperatoris cognomento pij, qui vt dicitur, permittente ſiue diſponente Deo morbum incidit phreneſis ſiue epilepſiæ, & multa medicorum ſolicitudine curari non poterat, multorum etiam ſanctorum liminibus viſitatis, tandem ad tumbam ſanctæ Erendrudis peruenit, & optatæ ſanitatis ſortitus effectum, reliquias eiuſdem glorioſæ virginis impertiri ſibi petiuit, & eaſdem annulo aureo recludi fecit, collo ſuo iugiter portauit, & interim motum ſiue rabiem dictæ infirmitatis nunquam ſenſit, & ad tumbam prædictam duo calcaria aurea obtulit, pro quibus

curia quædam in Austria, dicta Yladnik comparata, adhuc ipsi Monasterio deseruit.

Accidit quoque non longo temporis interuallo interposito, vt Monasterium Nunbergense cum claustro adhærente, quod beatus Rudbertus vna cum Duce Theodoberto fundauit, quod tunc situm fuit in loco, vbi nunc est cella Sacerdotum, vt patet in ruina murorum & fundamentis ipsorum, per ignem penitus destrueretur, & eodem tempore præfatus Imperator balneum quoddam intrauit, & reliquiis perditis in infirmitatem sæpe dictam recidiuauit, prædicti Monasterij exustionem in spiritu cognouit, & quòd beata virgo Maria sanctaque Erendrudis per eum ruinam Monasterij supradicti vellent reparari, & ad meliorem statum & situm reduci. Vnde factum est, vt pius Imperator vrgente eum infirmitate ad tumbam sanctæ Erendrudis deuote remearet, vidensq; locum desolatum & igne deformatum, vouit DEO omnipotenti, beatæ & gloriosæ virgini Mariæ, sanctæque Erendrudi, vt si ab ante memorata releuaretur ægritudine, Monasterium à fundamento vellet reædificare. & statim ad tumbam sanctæ Erendrudis cum lachrymis & oratione feruenti prouolutus, sanitati pristinæ est restitutus, & sicut vouerat Monasterium cum adhærente claustro, vbi nunc situm est, pulchro schemate, vt liquido apparet, construxit: & donauit Ehrnprechtstorff situm in Longee/ siue Lungaw/ cum omnibus suis attinentiis ad honorem DEI omnipotentis & dictarum patronarum sanctæ Mariæ virginis & sanctæ Erndrudis, sanctimonialibus ibidem Deo seruientibus.

Peracta quoque & ædificata structura, tàm Monasterij quàm aliarum officinarum, & dedicata Ecclesia in honore sæpedictarum patronarum, ipso Imperatore præsente, per beatum Hartwicum Archiepiscopum, corpus sanctæ Erndrudis de antiquo tumulo, in crypta vbi nunc requiescit summo cum honore translatum fuit, scilicet in altaris medio collocatum, licet antea per beatum Virgilium miraculis plurimis attestantibus fuerit canonizatum & translatum.

Cuius translationi vltimæ etiam interfuit Mazalinus Abbas sancti Petri, frater Wiradis Abbatissæ, qui præsumptuose rapuit os pectoris sanctæ Erndrudis, quapropter cæcitate statim percussus, omnesque qui aderant, perterriti & obumbrati quibusdam tenebris quasi eclipsi stabant compuncti. Ipse vero Mazalinus reatum suum agnoscens cum lachrymis & suspiriis beatæ Erndrudi supplicauit vt sibi ignosceret, quod venerandas reliquias ipsius ausu temerario præsumsisset at-

trectare. Promittens Deo sanctæque Erendrudi, si visum pristinum eius meritis atque suffragiis impetraret, Abbatiam vellet resignare, & vitam eremiticam eligere. Qui statim illuminatus Abbatiam resignauit, & in monte capratum vsque ad obitum suum vitam solitariam duxit, & in Monasterio memorato circa cryptam sanctæ Erendrudis ad ianuam Aquilonarem est honorifice tumulatus, qui etiam sanctus reputatur, quia multa beneficia ad sepulchrum eius languidis & tribulatis misericordia diuina patrare dignatur.

LEGITVR etiam de ipso Mazalino, quod cum iam obiisset, rustici ipsum currui imposuerunt, & ad Ecclesiam sancti Petri volentes eum vehere, quantumcunque boues stimularentur ad viam directam, tamen concito gradu ad Monasterium sanctæ Erendrudis properabant, quia viuens ibidem sibi elegerat sepulturam.

FERTVR siquidem de prædicto viro Mazalino, quod cum soror sua Wiradis Abbatissa subditas sibi Moniales rigide gubernaret, easdem ipsa via laudabili & honesta conuersatione semper præiret, quædam ex Monialibus concepit, & cum iam tempus parturiendi instaret, anxia & nimis turbata, nesciens qua via tegeret scelus commissum, & qualiter euaderet Abbatissæ acerbitatem, pœnamque sibi infligendam, & in oratione se prosternens in Capella sancti Viti, vberrimasque lachrymas effundens, angustiis & tribulationibus vndique conuoluta, non solum de sua pressura & dolore imminente, verumetiam de partu quid esset factura, & sic in oratione posita obdormiuit. Cumque euigilasset, & nihil consolationis humanæ nec diuinæ inueniret, in desperationem ducta inuocato spiritu maligno dixit: O diabole fer mihi auxilium in hac maxima tribulatione, & dabo tibi hunc fœtum quem producam cum corpore & anima in damnationem sempiternam. Interea dæmones gaudentes transibant cellam viri Dei Mazalini in eremo pernoctantis in oratione. Et quærens ab eis quo irent? Qui responderunt: Grande negotium habemus. Qui ait: Ite, & peracto negotio per Deum viuentem vobis præcipio ad me redeatis. Qui euntes inuenerunt puerum iam natum, quem rapuerunt, reuersi sunt ad virum Dei, narrantes ei quæ gesta sunt, quomodo mulier infœlix & desperata, eis puerum cum corpore & anima tradidit in potestatem. Hoc audiens Mazalinus confisus in Domino præcepit eis per Deum viuum & verum, vt puerum sibi relinquerent. Qui

statim

statim puerum in cella viri sancti proiicientes, volantes per viam suam abierunt. Eadem autem nocte vir Dei surrexit puerum accipiens, & mane ante diluculum venit ad portam Monasterij exspectans quando veniret Abbatissa & ianuas reseraret, quod per se singulis diebus & noctibus faciebat, qua veniente & vidente fratrem suum, multum attonita mirabatur, dicens ei: Ad quid venisti frater? Qui respondens dixit Abbatissæ: Propter austeritatem & malitiam vestram quam exercetis in subditas vestras (ostendens ei puerum dicens) hæc anima in damnationem & potestatem diaboli fuerat tradita, sed mediante gratia & misericordia DEI eam eripui de manibus spirituum malignorum, narrans ei omnia per ordinem gestæ rei, præcepitque ei in virtute DEI & sanctæ obedientiæ, vt de cætero misericordius, exemplo beati Benedicti, cum subditis sibi ageret, & misericordiam iudicio superexaltaret. Fecitque puerum statim baptizari & tradi nutrici ad alendum, quousque in fide Catholica instrui posset, ac plenius informari. Vir autem Dei in eremum ad cellam suam cum gaudio remeauit, gratesque Deo omnipotenti referens de ereptione animæ pueri à diabolica seruitute.

PRÆTEREVNDVM etiam silentio non est, qualiter patronæ gloriosæ, beata virgo & sancta Erendrudis locum & possessiones sui Monasterij suffragiis defensare iugiter, & à sæuientium luporum fraudibus sæpius eripere curarint.

TEMPORIBVS Domini Friderici de Walchen Archiepiscopi Salzburgensis memoriæ venerãdæ, accidit vt de terminis siue metis mineræ salium, & de fodina salis intra & extra in mõte Dürrenberg/ inter Dominam Diemudem de Velben / Abbatissam in Nunberg / ex vna, & fratrum conuersorum de Salem ex parte altera, lis maxima esset suborta, quæ lites ad iussum prædicti Archiepiscopi, & consilium sapientum ordinatum est, vt magistri mõtium suis particis & mensuris fideliter experirentur, quæ pars alteri præiudicaret. Quod cum factum esset, quidam frater Albertus, salutis suæ immemor, dictos magistros montium fraudis suæ malitia corrupit, vt particas de fo[illegible] extractas indirecte collocarent in præiudiciũ Ecclesiæ Nunbergensis. Quibus peractis, prætaxatus Archiepiscopus cum suis optimatibus & nobilibus montem ascendens, terminum partibus præfixit, ad litis discordiã decidendam. Nocte vero pcedenti, præfata Abbatissa Diemu-

dis cum antiquioribus sanctimonialibus de conuentu accedentes ad altare S. Erndrudis, & lychnis ipsum altare per quadrum mensurauerunt, & exinde candelas formauerunt, quibus accensis in oratione prostratæ, vsque ad consummationem luminum in deuotione perseuerarunt. Mane autem facto, iter arripientes, dictum montem ascenderunt. Episcopus sæpedictus personaliter iudicio præsidens, astantibus nobilibus & vniuersis qui aderant, primum vocauit fratrem Albertum ante dictum, & ab eo requisiuit, si bene & fideliter & sine fraude, tam in fodina quam in agro per terram, particæ siue mensuræ essent collocatæ. Ipse frater flexis genibus coram Archiepiscopo erecta manu, & indicto sibi iuramento dixit. Sic me Deus adiuuet, & beata virgo & sancta Erndrudis. Hoc dicto & iuramento imperfecto, procidit ad pedes Archiepiscopi sæpedicti, & mortuus est cunctis stupentibus & mirantibus cum luctu deportabatur, mercedem suæ fraudis recepturus iusto iudicio Dei.

QVIDAM lepra infectus pluribus videntibus, & à multis reprehensus clara luce cryptam S. Erendrudis intrauit, & ad tumbam eius prostratus in oratione, multo spacio diei ibidem perorauit, sanus corpore & vultu hilari coram omnibus Ecclesiam exiuit, pruritus etiam in loco, vbi sanatus fuit, tanquam squamæ inuentus est à pluribus miraculum volentibus indagare, omnipotentis Dei misericordiam & sanctæ Erndrudis merita dignis laudibus excolendo.

MVLIER quædam de Halaberck, vxor Cōradi dicti Taurstayn/ ciuis Hallensis, pustulis circa lumbos sauciata in tātum quod ambulare non poterat, sed tantū portabatur hinc inde in grabato. Item eadem mulier valde elata, etiam lepra elephantia percussa, nulla arte medicorum, quia diues erat, nec per medicos de studiis generalibus vocatos, nec per magistrum Simonem Monachum de Raytenhaßlach/cuius nomen adhuc ibidem clarum habetur, liberari poterat. Sed consilio quorundam inducta, in Tetingam in curru quodam vecta, peruenit ad quandam fœminam sanctam, quæ habebat gratiam curationum, & operibus misericordiæ plenam, quæ plurimos diuersis infirmitatibus pressos curauit. A pauperibus nullam mercedem recepit, sed gratis eos pauit, & medicinam quam potuit impendit. Prædicta vero mulier leprosa cum ad domum sanctæ fœminæ venisset, in cathedra eam præ foribus coram se locauit, & non multum eam conside-

rans,

rans, præmissa oratione, sicut semper facere solebat, mulieri præsente Magistro Simone & alia familia sua dixit: Domina, omnes medicinæ de mundo pro vobis impensæ, vobis prodesse non possunt. Sed consulo vt eatis Salzburgam ad sanctam virginem Erndrudem, ibi sanitatem consequi potestis, diuina gratia cooperante: Quia dicta fœmina omnes infirmos ad se confluentes, quos curare non poterat, ad limina sanctorum direxit. Memorata siquidem leprosa aptatis curribus, ad consilium beatæ fœminæ, ad sanctam Erndrudem perrexit, & ibidem tribus diebus in oratione & lachrymis deuote persistens, sanata est à pustulis & lepra, mediante Saluatoris gratia & misericordia, suffragantibus sibi meritis sanctæ Erndrudis virginis gloriosæ. Quæ quidem cum gaudio ad propria remeauit, & post mortem mariti sui multis annis superuixit, sed depauperata nimis, licet antea diuitiis abundaret, nostris temporibus visa est & cognita à multis, inter homines & suos conciues, sana & incolumis vsque ad mortem est conuersata.

ERAT quidam mercator de domo & familia sanctæ Erendrudis, nomine Martinus, qui vouerat Deo & beatæ Mariæ sanctæque Erendrudi, quod non contraheret cum aliqua, nisi cum ea quæ esset de patrocinio Ecclesiæ Nunbergensis. Qui tamen oblitus voti cum aliena contraxit, & modicum post tempus percussus leprâ, quam plagam quidem in se recognoscens compunctus rediit ad cor, cogitauit quod Deus propter voti fractionem hoc in eo fieri permisit. Et veniens ad altare sanctæ Erendrudis cum fletu & gemitibus intimis supplicans beatæ Erndrudi deuote de recuperanda sanitate. Vocata etiam Domina Maria Abbatissa, piæ memoriæ, de transgressione commissa veniam postulauit. Quæ compassione mota, preces deuotas super eum fudit, & à Deo & beata virgine Maria, sanctaque Erndrude veniam eidem postulauit, qui in domum suam abiit, & vestigium lepræ amplius in eo non apparebat.

QVIDAM colonus Monasterij sæpedicti de familia Ecclesiæ nomine Fridericus de Alchaming de territorio Titmaning cum aliis septem volens visitare limina Apostolorum Petri & Pauli, transiens Salzburgam venit ad altare sanctæ Erendrudis, vbi sacra ossa ipsius sunt recondita, se & sua deuote recommittens beatæ Erndrudi, & profectus venit in terram Latinam cum aliis sibi associatis. Qui dum pro-

pe Ferrariam in quodam hoſpitio pernoctaſſent, venerunt latrones, domum vallabant, de morte peregrinorum cogitantes. Quod audientes peregrini, intra ſe gementes & flentes nimis anguſtiati, nec quiſquam eorum audebat verbum etiam minimum loqui, & ſic per totam noctem anxij & perturbati. Appropinquante vero die prædictus Fridericus captus ſomno, venit ad eum quædam Domina pulcherrima in veſte religioſa dicens: Surge: Quid dormis? Qui dixit: Quæ eſtis vos? Quæ reſpondit: Ego ſum illa, cui te Salzburgæ deuote commiſiſti, vade ſecurus tu & comites tui & non timeatis. Quam viſionem narrans fratribus, qui ſurgentes per cancellas & rimas proſpiciebant, neminem viderunt nec audierunt, in viam ſuam læti & incolumes abierunt, Deo & beatæ Erendrudi grates debitas referentes.

VIDVA quædam, dicta Ruzenlacherin / iuuenis & pulchra de fauore Ducum Baioariæ, poſſeſſiones Monaſteriorum ſancti Petri, & Nunberg, in ſylua quæ dicitur Weylhart, per ſtrepitum iudicij ſæcularis, indebite contra DEVM & iuſtitiam occupauit, ad forum Eccleſiaſticum auctoritate Papali citata venire contempſit, ſed tandem per iudicem ſpiritualem excommunicata & denunciata perſtitit in malitia ſua. Et cum quadam die mitteret nuncium ſiue præconem ad quendam colonum Monaſterij Nunbergenſis pro ſeruitio extorquendo, equulum ruſtici volens ſibi pro pignore violenter educere, ruſticus clamans poſt eum dixit: Dimittas hic equum vſque poſt culturam agrorum, quod te Deus adiuuet & ſancta Erndrudis: Et præco reſpondit: Quid dicis de tua Erndrude? Equum pauperis eduxit, & cum tranſiret portam curiæ, de equo ſuo cecidit, iudicio Dei percuſſus expirauit. Mulier vero ſupra notata nec ſic compuncta, poſtmodum licet iuuenis in contumacia ſua perſiſtens, in breui vitam finiuit.

FABER quidam Chunradus dictus Rotzſchmidt / ciuitatis Salzburgenſis, in dextro latere percuſſus apoplexia, & tredecim hebdomadibus officio manus & pedis deſtitutus, auxilium diuinum & multorum ſanctorum iugiter implorando. Finaliter cum dolor & moleſtia & compunctiones acutiſſimæ nimium ipſum vrgerent, ad beatam Erendrudem currebat, eius ſuffragia fiducialiter expetendo. Et quo corporaliter ire non poterat, mentis deuotione ferebatur. Nocte veſpere igitur quadam, finitis veſperis, cum dolores infirmorum plus ſolito

lito

sito acuuntur, candelam suæ staturæ per matrem & vxorem suam ad S. Erndrudem direxit. Quibus cum introitus Monasterij non pateret, sed ad ianuam in oratione se prosternentes, B. Erndrudem suppliciter inuocando, lumine accenso non multum morando, quia nox instabat, sed inde recedentes, antequam ad hospitium redirent, dolor viri sensibiliter fuit mitigatus. & eadem nocte ac die sequenti sanitas rediit, & officio manus & pedis, necnon totius lateris, de misericordia Dei & meritis S. Erndrudis est integraliter restitutus, beneficium quoq; sibi impensum plusquam nouem annis occultauit, & sanctam Erndrudem frequentius visitando, pro modulo suo ipsam venerando.

ANNO Domini millesimo trecentesimo decimo octauo Magister Ioannes Parisiensis, artis medicinæ cōpetenter instructus, per annum dimidium & vltra in brachio dextro dolore vehementi & continuo cruciabatur. Cum nec aliquo remedio per propriam solicitudinem, nec aliorum consilio posset releuari, tandem consilio inductus deuotorum, Altare S. Erendrudis virginis, vbi corporaliter quiescit, præsentialiter accedens, se in orationem, sicut deuotius potuit prostrauit: Primo & secundo sanitatem peroptatam non consecutus, quia plerumq; spes differtur, vt desiderium crescat. Tertio rediens spe ampliori permotus, pio proposito Altare accedens, talibus verbis sanctam Dei allocutus: O beata Erndrudis virgo gloriosa, si verum est, quod de vobis dicitur, cantatur & legitur, quæso à languore & dolore huiusmodi me dignemini liberare, & cum brachio tangens Altare sanatus est, & cum gaudio ad propria remeauit.

ITEM anno Domini M.CCCV. Quædam mulier nomine Haylbirg, lotrix & paupercula, in die depositionis sanctæ Erndrudis, quia tunc etiam est dedicatio cryptæ in Nunburga, finitis Missarum solemniis accedens ad Altare, sanctam Erendrudem sic est allocuta. Tu nosti virgo sacratissima, quod ego multum indigens sum, & paupercula, & habeo multas vestes hodie abluendas, vnde deprecor te in Domino, vt mihi non irascaris, quia vacare non possum. Quæ recedens post prandium cœpit lauare vestes sicut aliis diebus facere solebat. Et cum vltimam vestem extergeret, incuruata est eius manus dextera. Quæ anxia & turbata nimis fleuit amare, nesciens quid esset factura. Mane vero sequenti spe diuinæ misericordiæ armata, accessit Altare S. Erendrudis sic orauit: O sancta Erndrudis, pro-

dis, propter gaudium quo tu frueris coram DEO cum omnibus sanctis & Angelis Dei, lætifica me miserrimam peccatricem, quia grauiter deliqui, & offendi te. Vnde deprecor te ignosce mihi, & restitue mihi manus meæ pristinam sanitatem. Et hoc dicto manum curuam ponens super Altare, & sanata est: & in signum huius sanationis infra iuncturam ipsius manus statim apparuit quidam nodus subter cutem ad magnitudinem nucis magnæ per duos annos, & decrescebat & augmentabatur secundum cursum Lunæ. Mulier vero prędicta sanitatis auida, iterum recurrens ad sanctam Erendrudem supplicauit, vt eius meritis & suffragiis consequi mereretur integram & optatam sanitatem, quod & factum est, nodus disparuit, & hæc mulier adhuc superstes cicatricem omnibus volentibus videre ad oculum ostendit.

ITEM anno Domini M. CCCIX. Quædam mulier de Salzburga, peccatis suis exigentibus visu priuata per annos quatuor, licet homines & alias creaturas huius mundi plene videret, corpus Christi nec procurandis infirmis in Altari, in manu Sacerdotis videre non potuit quocunque se diuerteret. Tandem anno quinto Spiritu DEI ducta, quandocunque capta hora & die quotiescunque & ipsa celebrantur diuina apud sanctam Erendrudem per integrum annum deuotabatur: Sanctæ Dei deuote supplicando, vt apud Deum pro ipsa intercedere dignaretur. Cumque deuotionem suam continuaret, Missas audiendo, anno sexto in manu Sacerdotis celebrantis quadam die Dominica circa Altare sæpedictum corpus Christi vidit, & postmodum semper suffragante sibi gratia Dei & meritis sanctæ Erndrudis ob beneficium sibi impensum Deo & beatæ Erndrudi grates quas poterat referens, locum frequentius visitauit, miraculum etiam in eadem factum, quantum potuit, occultando.

ITEM Attauus Radekariorum dictus Gerhohus iuuenis existens, vouit beatæ Erndrudi singulis annis pro censu quinque denarios se daturum, quod aliquibus annis fecit, videlicet quinque, sed postmodum tepescere cœpit. Vnde factum est, vt vna sanctimonialis dicta Harschicherin / eidem familiaris vna noctium audiret vocem sibi dicentem. Dic Gerhoho vt soluat sanctæ Erndrudi quod promisit, aut male habebit. Quæ de mane vocauit dictum Radekarium, quærens ab eo quæ promiserit sanctæ Erndrudi, qui confessus est de quinque denariis censualibus vsq; in finem vitæ suæ. Tunc monialis quod audiuit

diuit eidem narrauit, qui recedens verba huius non aduertit. Altera vice venit vox,& eidē Moniali dixit: Dic Gerhoho, quod beatæ Erndrudi exsoluat quod promisit, aut damnum maximū sustinebit. Quæ vt prius ipsum præmonuit, sed minime curauit. Tertio aduenit vox ad eandem: Dic Gerhoho, quia iam admonitus bis, promissum suum adimplere neglexit, & votum transgressus est, iam tempus adimpletum est, & beata Erendrudis dilationem ampliorem sibi non dabit, quod ipse recipiet damnum quod ipse & omnis parentela sua nunquam recuperabit, quod & factum est. In breui quidem postmodum castrum Matsee perdidit. & omnibus bonis spoliatus est, nec non possessionibus, equis, pecoribus, & aliis mobilibus & immobilibus quibuscunque. Hæc tempore Dominæ Diemudis de Velben Abbatissæ inchoata sunt. Sed tempore Dominæ Elisabeth Abbatissæ, nepotes dicti Gerhohi, redeuntes ad cor, vnam puellam militarem, dictam Dymudem Tuntingerin, super Altare sanctæ Erendrudis libere obtulerunt, ob dicti census refusionem.

IN DISCIPVLVM SANCTI EBERHARDI ARCHIEPISCOPI DE EPISCOPIS SAlisburgensibus.

AVCTORIS istius apographum altero, quod in secundo Antiquæ lectionis tomo continetur, multò est correctius, & in quibusdam locis auctius, vt legenti facilè patebit: in fine præsertim vita sancti Gebehardi continetur fundatio integra Monasterij Admontensis. Fuit autem casu repertus iste Codex manuscriptus in Monasterio sancti Petri, quem ante ducentos amplius annos conscriptum omnes diiudicant, & fortaßis ipsius Auctoris tempore scriptum.

INCI-

INCIPIT VITA SANCTI RVDBERTI PRIMI EPISCOPI SALISBVRGENSIS.

Auctore

SANCTI EBERHARDI ARCHIEPIscopi Salisburgensis discipulo.

TEMPORE igitur Hildiberti Regis Francorum, anno scilicet regni eius secūdo, honorabilis Confessor CHRISTI Rudbertus in Wormatia ciuitate Episcopus habebatur, qui ex regali progenie Francorum ortus, Catholicæ fidei & Euangelicæ doctrinæ, totius bonitatis nobilissimus refloruit doctor. Erat enim vir simplex, pius & prudens, in sermone verax, iustus in iudicio, & prouidus in consilio, strenuus in actu, conspicuus in charitate, in vniuersa morum honestate præclarus. Ita innumerabiles ad eius sacratissimam conuenerunt doctrinam, & ab eo æternæ salutis documenta susceperunt. Cumque fama sanctæ conuersationis illius longe lateque crebresceret, peruenit ad notitiam cuiusdam Ducis Baioariæ regionis nomine * Dieto, qui supradictum * virum Dei enixis precibus, prout potuit, libentissime rogare studuit, per missos * nuncios suos, vt Noricam prouinciam, visitando sacra illuminaret doctrina. Vnde prædicator veritatis diuino compunctus amore, assensum præbuit, primo suos dirigens legatos, postea vero ad Christi gregem lucrandum, per semetipsum venire dignatus est. Hoc audiens præfatus Dux, magno perfusus est gaudio, obuiamque illi cum suis pergens, sanctum virum Euangelicumque doctorem, cum omni honore & dignitate suscepit in Ratispona ciuitate. Quem vir Domini cœ-

* Theodo.
* virum, deest.
* nuncios, deest.

ni cœpit de Christiana conuersatione ammonere & fide Catholica imbuere ipsum non multo post, & multos alios istius gentis nobiles atque ignobiles viros ad veram Christi fidem conuertit, sacroq; baptismate regenerauit, & in sancta corroborauit religione. Præfatus itaq; Dux sancto viro concessit licentiam locum aptum eligendi sibi & suis, vbicumq; ei placeret in hac prouincia, ad Episcopij sedem, & Ecclesias Dei construere, & cætera ad Ecclesiasticum habitaculum perficere.

Tunc supradictus vir Domini accepta licentia per alueum Danubij vsq; ad fines Pannoniæ inferioris spargendo semina vitæ, nauigando iter arripuit. Sicq; tandem reuertens, ad Laureacensem peruenit ciuitatem, multosque *ibi infirmos, variis languoribus oppressos orando per virtutem Domini sanauit, & veræ fidei plures inibi sociauit. Deinde arrepto itinere peruenit ad quendam lacum qui vocatur Walarium, vbi exit Vischaha de eodem lacu, ibique Ecclesiam in honore S. Petri principis Apostolorum cōstruxit & dedicauit. Hoc facto præfatus Dux Theodo tradidit ad ipsam Ecclesiam eundem locum, & primitus ibidem in circuitu aliquas proprietatis possessiones tribuit. Postea vero ad notitiam venit sancto Pontifici Rudberto, vbi locum iuxta fluuium *Iuuarum, antiquo vocabulo, Iuuauēsem vocatum, vbi in antiquis temporibus multa fuerunt mirabiliter constructa ædificia, & *tunc pene dilapsa syluisq; cooperta. Hoc audiens vir Domini, propriis cupiens prospicere oculis quid inde ipsius rei veritas haberet, propter fidelium animarū lucrum, diuina disponente gratia, cœpit Theodonē rogare Ducem, vt istius *potestatem loci tribueret ad expurganda loca, & Ecclesiasticum, prout ei libitū foret, ordinaret officium, & Episcopij ibi sedem statueret. Quod ipse Dux cōsentit, tradens in longitudine & latitudine de territorio super duas *leucas possessiones, vt inde faceret quod ei placeret ad vtilitatem sanctæ Ecclesiæ.

Tunc vir Domini ista cœpit renouare loca, primo Deo formosam ædificans Ecclesiam, quam in honore S. Petri principis Apostolorum dedicauit, ac demum claustra cum cæteris habitaculis Clericorum per omnia ordinabiliter construxit. Postea vero delegato sacerdotali officio omnem ibidem cottidie cursum congruo ordine fecit celebrari. Tunc prædictus doctor Rudbertus cupiens aliquos adipisci socios, ad doctrinam Euangelicæ veritatis, propriam repetiuit patriam: iterumque cum duodecim reuertens beatis discipulis, secumque virginem Christi nomine Erndrudam adducens, quam in superiori castro Iuuauensium statuens, ibidemq; colligens congregationem sanctimonialium,

*ibi, deest.

* Vuarum.

* cuncta.

* potestatis locum.

* leugas.

nialium, & earum conuersationem rationabiliter, sicut deposcit ordo Canonicus, per omnia disposuit.

Ipse quoque assidue totum istius solum patriæ circuiens, confirmans animas Christianorum, ammonensq; in fide fortiter permanere, quod verbis docuit, operibus adimpleuit mirificis. Vbi constructis consecratisq; Ecclesiis, ordinatisque inferioribus & superioribus gradibus, proprium sibi ordinauit successorem. Ipse vero præsciens longe ante diem vocationis suæ, confirmatis discipulis, ad propriam remeauit sedem, * ibique astantibus ammonitione diuina peracta fratribus, inter verba orationis reddidit spiritum in pace, die videlicet resurrectionis Domini nostri Iesu Christi. Ad cuius sepulchrum exuberant innumera beneficia curationum cunctis fideliter petentibus vsque in hodiernum diem, qui viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, AMEN.

* *ibique, deest.*

IGITVR post * excessum beatissimi Rudberti Pontificis, vir clarus omni populo, egregiusque doctor & seminator verbi Dei Vitalis Episcopus sedem Iuuauensem regendam suscepit. Post cuius transitum Anzologus extitit Abbas. Post cuius depositionem prædictæ sedi adhæsit Sauolus Abbas. Cuius vitæ finito cursu Ezius Abbas successit. Quo migrante de sæculo, iterato illa sedes honorata refulsit Episcopo Flobargiso. Post quem Ioannes pastoralem gessit in sede curam.

* *discessum.*

EISDEM igitur temporibus, scilicet Otilonis Ducis Baioariæ, qui tunc subiectus fuit Regi * Pipino Francorum: Venit vir quidam sapiens & bonus doctor, de Hybernia insula, nomine Virgilius ad prædictum Regem in * Francia, loco vocato Karisiaco: Qui propter Dei amorem retinuit eum secum fere duobus annis, & comperto eo bene docto, misit cum præfato Duci Otiloni, ac concessit ei Episcopatum Salzburgensem, rectore vacantem. Qui dissimulata ordinatione ferme duorum annorum spaciis, habuit secum proprium Episcopum comitantem de patria nomine * Dobdagrecum, ad pei soluendum Episcopale officium. Postea vero populis petentibus & Episcopis regionis illius consensit Virgilius consecrationem accipere: ordinatusque est à comprouincialibus Præsulibus ad Episcopum anno scilicet natiuitatis Domini DCCLXVII. die 17. Calend. Iulij.

* *primo.*
* *Franconia.*
* *Dobdagrenum.*

HACTENVS prænotatum est qualiter Baioari facti sunt Christiani, seu numerus Episcoporum & Abbatum conscriptus in sede Iuuauensi: nunc adiiciendum est, qualiter Sclaui, qui dicuntur Karinthiani & confines eorum, fide sancta instructi Christianique effecti

sint: seu quomodo Huni Romanos & Gothos atque Gepidos de inferiori Pannonia expulerunt & illam possederunt regionem, quousq; Franci ac Baioari cum Karinthianis, continuis affligendo bellis eos superauerunt. Eos autem qui obediebant fidei & baptismum sunt consecuti, tributarios fecerunt Regum, & terram quam possident residui adhuc pro tributo retinent Regis vsque in hodiernum diem.

Nunc igitur recapitulandum est de Karinthianis.

TEMPORIBVS gloriosi Regis Francorum Dagoberti, Samo nomine quidam Sclauus, manens in Quarantanis, fuit Dux gentis illius. Qui venientes negociatores Dagoberti Regis interficere iussit, & regia expoliauit pecunia. Quod tum comperit Dagobertus Rex, misit exercitum suum, & damnum, quod ei idem Samo fecit, vindicare iussit, sicuti fecerunt qui ab eo missi sunt, & Regis seruitio subdiderunt Sclauos. Non multo post tempore cœperunt Huni eosdem Karinthianos hostili seditione grauiter affligere, fuitque tunc Dux eorum Boruth nomine, qui Hunorum exercitum contra eos iturum, Boioaris nunciari fecit, rogauitque eos sibi in auxilium venire. Illi quoque festinando venientes expugnauerunt Hunos, & obfirmauerunt Quarantanos, seruitutique Regum eos subiecerunt, similiterque confines eorum. Duxeruntque inde secum obsides in Baioariam, inter quos erat filius Boruth nomine Cacatius, quem pater eius more Christiano nutrire rogauit & Christianum facere, sicut & factum est. Et de Cheitmaro filio fratris sui similiter postulauit. Mortuo autem Boruth, per iussionem Francorum Baioari Cacatium iam Christianum factum, petentibus eisdem Sclauis remiserunt, & illi eum Ducem fecerunt. Sed ille postea tertio anno defunctus est. Iterum autem permissione Domini Pipini Regis, ipsis populis petentibus redditus est eis Cheitmar Christianus factus. Cui etiam Lupo Presbyter ordinatus de Iuuauense sede in Insulam Chemingi lacus, quæ & Auua vocatur, dedit ei nepotem suum nomine Maioranum, ad Presbyterum iam ordinatum, quia compater eius erat isdem Lupo Presbyter. Suggerente vero Maiorano Presbytero, qui à sancto Virgilio in Iuuauensi Monasterio, manus impositionem acceperat, quem secum propter doctrinam Christianæ religionis detinuit, ad Iuuauense Monasterium specialiter caput suum in seruitium Dei declinauit, singulis annis, quo dum vixit, in signum subiectionis suæ, aliquod obsequium illuc persoluendo.

Per-

Peractis autem aliquantis temporibus, prænominatus Dux Karinthianorum petiit S. Virgilium Episcopum, visitare populum gentis illius, eosque in fide firmiter confortare. Quod tunc ille minime implere valuit, sed sua vice misso suo Episcopo, nomine Modesto, ad docendam illam plebem, & cum eo Watonem, Reginbertum, Gozarium atque Latinum Presbyteros suos, & Ekihardum Diaconum, cum aliis Clericis, dansque ei licentiam Ecclesias consecrare, Clericos ordinare iuxta Canonum definitionem, nihilque sibi vsurpare, quod decretis sanctorum Patrum contrairet: Qui venientes Karinthianis dedicauerunt ibi Ecclesiam sanctæ Dei genitricis Mariæ, & aliam in Liburnia ciuitate seu Adandrimas, & in aliis quamplurimis locis: ibique Modestus Episcopus permansit vsque ad finem vitæ suæ. Eo igitur defuncto Episcopo, postulauit iterum idem Cheitmar Dux Virgilium Episcopum, si fieri potuisset, vt ad se veniret: quod ille renuit, orta seditione, quam carinula dicimus, sed inito consilio, dimisit ibi Latinum Presbyterum. Et non multo post, orta alia seditione, exiuit inde Latinus Presbyter. Ea vero sedata, misit iterum Virgilius Episcopus Madelohum, & post eum Warmannum Presbyteros. Mortuo autem Cheitmaro, & orta tertia seditione, aliquot annis nullus Presbyter ibi erat, vsque dum Waltunc Dux eorum misit iterum ad Virgilium Episcopum, & intente postulauit, vt ad confortandam in fide prædictam terram aliquos destinaret Presbyteros. Petitioni igitur memorati Ducis, incremento etiam sanctæ Ecclesiæ consulens, misit Heimonem & Reginbaldum Presbyteros, atque Maioranum Diaconum cum aliis Clericis viris vtique religiosis & honestæ conuersationis. Et non multo post misit iterum ibidem Heimonem & Reginbaldum Presbyteros, aliosque Clericos cum eis. Iterum misit eis Gazarium, Maioranum, Erchenbertum Presbyteros. Post eos Reginbaldum & Reinhardum & Augustinum Presbyteros, itemque alium Reinhardum & Guntharium.

Anno autem incarnationis Domini DCCLXVII. Virgilius Episcopus cœpit ædificare Ecclesiam miræ magnitudinis apud Salzburck, Indictione VII. Anno incarnationis Domini DCCLXXIII. dedicata est primo Ecclesia S. Rudberti, à S. Virgilio Episcopo, anno XXVI. regni Thassilonis Ducis. Eodem anno transtulit idem Episcopus sanctum Rudbertum, & duos eius Capellanos, beatum Kunialdum atque Gisilarium. Antiquis enim temporibus ex meridiana parte Danubij in plagis Pannoniæ inferioris, & circa confines, regiones

Romani

Romani possederunt. Ipsique ibi ciuitatem & munitionem ad defensionem sui fecerunt, aliaque ædificia multa, sicut adhuc apparet. Qui etiam Gothos & Gepidos suæ ditioni subdiderunt. Sed post annos natiuitatis Domini trecentos septuaginta septem & amplius Huni ex sedibus suis in Aquilonari parte Danubij in desertis locis habitantes, transfretantes Danubium, expulerunt Romanos & Gothos atque Gepidos. De Gepidis autem quidam adhuc ibi residen*. Tunc vero Sclaui post Hunos inde expulsos venientes cœperunt istis partibus Danubij diuersas regiones habitare. Sed nunc qualiter Huni inde expulsi sunt, & Sclaui inhabitare cœperunt, & illa pars Pannoniæ ad diœcesim Iuuauensem conuersa est, edicendum putamus.

IGITVR Carolus Imperator, anno natiuitatis Domini septingentesimo nonagesimo sexto Æricum Comitem destinauit, & cum eo immensam multitudinem, Hunos exterminare. Qui minime resistentes reddiderunt se per præfatum Comitem Carolo Imperatori. Eodem igitur anno misit Carolus Pipinum filium suum in Hunos cum exercitu multo, qui perueniens vsque celebrem illorum locum, qui dicitur Rinch, vbi iterum omnes eorum Principes se dediderunt Pipino: Qui inde reuertens partem Pannoniæ, circa lacum Peilsonis inferioris, vltra fluuium qui dicitur Rapa, & sic vsque ad Drauum fluuium, & eo vsque Drauus fluit in Danubium, prout potestatem habuit, prænominauit cum doctrina & Ecclesiastico officio procurare populum, qui remansit de Hunis & Sclauis de illis partibus, Arnoni Iuuauensi Episcopo vsque ad præsentiam genitoris sui Caroli Imperatoris.

Postmodum ergo, anno Domini octingentesimo tertio, Carolus Imperator Baioariam intrauit, & in mense Octobrio in Salzburg venit, & præfatam concessionem filij sui iterans potestatiue multis astantibus fidelibus suis affirmauit, & in æuum inconuulsam fieri concessit. Simili modo etiam Arno Episcopus, successor Virgilij, sedis Iuuauensis deinceps curam gessit pastoralem, vndique ordinans Presbyteros, & mittens in Sclauiniam, in partes videlicet Karinthianas atque inferioris Pannoniæ illis Ducibus atque Comitibus, sicut pridem Virgilius fecit, quorum vnus Ingo vocabatur, multum charus populis & amabilis propter suã prudentiam. Cui tam obediens fuit omnis populus, vt si cuique vel charta sine litteris ab illo directa fuit, nullus ausus est suum negligere præceptum, quod etiam mi-

rabiliter fecit. Vere seruos credentes secum vocauit ad mensam,& eos qui eis dominabantur infideles,foris quasi canes sedere fecit,ponendo ante illos panem & carnem,& fusca vasa cum vino, vt sic sumerent victus. Seruis autem staupis deauratis propinare iussit. Tunc interrogantes primi deforis dixerunt: Cur facis nobis sic? At ille. Non estis digni, non ablutis corporibus cum sacro fonte renatis communicare, sed foris domum vt canes sumere victus. Hoc facto fide sancta instructi, certatim cucurrerunt baptizari, & sic deinceps religio Christiana succrescit. Interim contigit anno videlicet natiuitatis Domini DCCXCVIII. Arnonem iam Archiepiscopum, à Leone Papa, accepto pallio, remeando de Roma venisse vltra Padum, eique obuiasse Missum Caroli, cum epistola sua, mandans illi ipso itinere in partes Sclauorum ire, & exquirere voluntatem populi illius, & prædicare ibi verbum Dei. Sed quia hoc facere nequiuit antequam responsum redderet suæ legationis, festine perrexit ad Imperatorem, & retulit ei, quicquid per eum Dominus Leo Papa mandauit. Post expletam legationem ipse Imperator præcepit Arnoni Archiepiscopo pergere in partes Sclauorum & prouidere omnem illam regionem,& Ecclesiasticum officium more Episcopali colere, populosque in fide & Christianitate prædicando confortare, sicuti ille fecit, illuc veniendo consecrauit Ecclesias, ordinauit Presbyteros, populumque prędicando docuit, & inde rediens nũciauit Imperatori, quod magna ibi potuissent effici, si quis inde habuisset certamen. Tunc interrogauit illum Imperator: Si aliquem Ecclesiasticum virum, qui ibi lucrum potuisset agere Deo. Et ille dixit se habere talem, vt Deo placuisset,& illi populo pastor fieri potuisset. Tunc iussu Imperatoris ordinatus est Theodoricus Episcopus ab Arnone Archiepiscopo Iuuauensium, quem ipse Arno & Geroldus Comes perducentes in Sclauiniam dederunt in manus principum, commendantesque illi Episcopo regionem Karinthianorum & confines eorum Occidentali parte Draui fluminis, vsque dum Drauus fluit in amne Danubij, vt potestatiue populum regeret sua prædicatione & Euangelica doctrina doceret seruire Deo, & vt Ecclesias constructas dedicasset, Presbyteros ordinando constituisset, totumq; Ecclesiasticum officium, in illis partibus, prout Canonicus Ordo exposcit, perficeret. Dominationem & subiectionem habens Iuuauensium rectorum, sicuti ille fecit quamdiu vixit.

POST diem vero transitus dę hoc sæculo, Arnonis Archiepiscopi, Nono Calend. Februarij, Anno Domini DCCCXXI. cum minus

dimidio anno, Ammilonius Abbas eidem sedi præsedisset: Adalramus piissimus doctor, prius Archidiaconus eiusdem Ecclesiæ, sedem Iuuauensem suscepit regendam Calend. Decemb. Qui inter cætera beneficiorum opera, finito cursu Theodorici Episcopi, prout Arno Archiepiscopus antea Theodorico Episcopo Sclauos commisit, ita & iste Ottonem constituit Episcopum. Ipse enim Adalramus anno natiuitatis Domini DCCCXXIV. pallium accepit ab Eugenio Papa, Idibus Nouembris, præsente Lothario filio Caroli magni, rexitq; gregem sibi commissum quindecim annis. Eoque superna clementia vocante, à nexibus corporis absoluto secundo nonas Ianuarij, Liupramus venerabilis prædictæ sedis Pontificatum accepit, anno Christi DCCCXXXVI. quem Gregorius Papa eodem anno pallio honorauit. Huius præsulatus anno decimo, Ecclesia S. Rudberti in Salzburg igne periit. Anno denique natiuitatis Domini DCCCLI. Liuprammus Archiepiscopus Romam perrexit, & à Leone Papa quarto, sanctum Hermetem obtinuit & Salzburg honorifice transtulit. Liuprammus innumerabilibus Deo placitis operibus peractis, sidereas conscendit sedes, anno Christi DCCCLIX. secundo Calend. Octobris. Cui successit, quem ipse nutriuit, Adalwinus venerabilis Præsul, pallio honoratus à Nicolao Papa, enituit cum omni regens diligentia gregem diuinitus sibi commissum: quorum temporibus, Liuprammi videlicet ac Adalwini Archiepiscoporum, Oswaldus Episcopus Sclauorum regebat gentem, prout iam priscis temporibus iam dicti Episcopi fecerunt, subiecti Episcopis Iuuauensibus. Eius anno tertio Ludouicus Rex festum sancti Martini celebrauit apud Iuuauum.

IN NO-

IN NOMINE DOMINI.

HIC CONTINENTVR BREVES NOTITIÆ, DE CONSTRVCTIONE Ecclesiæ siue Sedis Episcopatus, in loco qui dicitur Iuuauo, qui vulgo dicitur Saltzburg/ super fluuium Iuuarum, seu donationum quas ibidem Deo deuoti Christiani homines dederunt pro animabus suis, Deo & sancto Petro, Deique seruis in eodem loco Christo fideliter seruientibus, in illorum mercedem. AMEN.

Hæc inscriptio deest in Vita S. Rudberti tom. 2. edita.

CAPVT I.

De donationibus Ducis Theodonis Ducis Baioariorum.

PRIMO igitur Theodo Dux Baioariorum, DEI omnipotentis gratia instigante, & beato Rudberto Episcopo prædicante, de paganitate ad Christianitatem conuersus, & ab eodem Episcopo baptizatus est cum proceribus suis Baioariis.

Hic incipit caput tertium Vitæ S. Rudberti tomo 2. edita.

Item Theodo Dux dedit ei potestatem circuire regionem Wabarorum & eligere sibi locum ad Episcopij sedem, & Ecclesias construendas, & ipsos populos ad seruitium Dei erudiendos, cum adiutorio Dei & sui ipsius supplemento. Præfatus igitur beatus Rudbertus, multa circuiens loca, peruenit tandem in pagum Iuuauensem, iuxta lacum vocabulo Wallersee/ vbi exit Fischaha de eodem lacu, consedit ibidem & construxit Ecclesiam eamque dedicauit in honore beati Petri Apostolorum principis. Hoc facto beatæ memoriæ Theodo Dux tradidit ad ipsam Ecclesiam eundem locum cum confinio circumiacenti, in aquis, aquarumque decursibus, syluis, pratis, pascuis, & molendinis atque piscationibus, cur-

tem & casam cum cæteris ædificiis, seruos manentes in coloniis quatuor, & alios tributales manentes in coloniis, decem.

NON multo post tempore prospiciens idem Episcopus aptum nō esse eundem locum ad Episcopij sedem, cœpit aptiorē ad hoc opus quærere locum vna cum consensu & voluntate ipsius Ducis, peruenit ad fluuium Iuuarum, qui alio nomine dicitur Salzaha / in loco vocato Iuuauo. Inueniens ibi multas constructiones antiquas atque dilapsas, cœpit ibi hunc locum expurgare, Ecclesiam construere, aliaq; ædificia erigere ad Episcopij dignitatem pertinentia. Non longe postea venit iam præfatus Theodo Dux ibidem, dedit Domino & sancto Rudberto Episcopo eundem locum ad Episcopij sedem, cum finalibus locis ibidem adiacentibus, castrumque superius cum montibus ex vtraque parte fluminis illius & vsque fagum stantem in medio campo in australi parte ipsorum, quod dicitur vulgo Hagenbuha / cum aquis ibi circumquaque currentibus, ac pro æterno remedio animæ suæ hunc locum ad Episcopalem honorem & sedem cum omnibus adiacentiis suis perpetualiter confirmauit, tradiditque ibidem in villa quæ dicitur Glana, tributales manentes in coloniis XIV.

Postea vero Domnus & sanctus Rudbertus Episcopus, Theodoni Duci dedit de proprio conquestu suo, in auro & argento solidos mille & comparauit ad eum villam quæ dicitur Pindinga cum seruis ibi manentibus in coloniis suis XXX. curtem & casam cum aliis ædificiis & territorio ibidem pertinenti, cum pratis & pascuis, syluis ac montibus, molendariis, aquarumue decursibus cum omnibus confiniis ibidem pertinentibus & æternaliter ad ipsam sedem deseruire vulgariter ac publice confirmauit.

Similiterque tradidit ad eandem sedem idem Theodo Dux, in loco qui dicitur ad Salinas, fornacium loca XX. cum patellis & seruitoribus suis, & tertiam partem de illo puteo, quo sal efficitur, & decimam partem de teloneo, qui ibi in dominicum tollitur, & rectam decimam de sale.

Dedit etiam ad eandem sedem idem Theodo Dux, de Romanis tributales homines LXXX. cum coloniis suis in diuersis locis. Ad cucullas dedit idem Dux ad eandem sedem colonias tres, & syluam magnam cum pratis & pascuis ibidem pertinentibus, & alpes duas his nominibus, Gauzo & Luduso, ad pascua pecudum. In pago dicto Atargau, dedit Romanos tributales super Fechilaha manentes quinque, casam

casam & curtem cum territorio suo, aliisque rebus ibidem pertinentibus.

Deditque idem Dux Theodo ad iam dictam sedem in pago Trunse, in loco qui dicitur Pachmanna, curtem & casam cum aliis appendiciis suis, terris, syluis, pratis & aquis, & manentem & casam, seruos & liberos cum coloniis suis. In pago etiam Danubij cense iuxta ipsum amnem, in loco qui dicitur Chruchinperch vineas duas cum vinitoribus suis. Hæc quoque omnia suprascripta idem Theodo Dux in suam eleemosynam dedit ad ipsum locum, S. Rudberto Episcopo, & ad ipsam sedem perpetualiter confirmauit.

CAPVT II.

De visione luminis in loco vbi sanctus Maximilianus sepultus esse dinoscitur, & Ecclesia ibidem constructa.

INTEREA vero contingit, vt duo viri irent sursum per Salzaha in eremum ad venandum atque ad aurum faciendum, quorum vnus erat seruus S. Rudberti Episcopi, nomine Tonazan: & alter vocabatur Ledi, seruus ipsius Ducis. Venientesque in illum locum, qui nunc dicitur Pongeu, manserunt ibi, & laborauerunt aliquot dies, videruntque tribus noctibus pariter, quasi duas candelas ardentes, & naribus suis senserunt magnum odorem, miræ suauitatis fragrantem. De quo admirati valde, venerunt & annunciauerunt Domino Rudberto Episcopo. Quo illo audito, misit mox Presbyterum suum ibidem cum ipsis hominibus, nomine Domningum, dedit ei vnam crucem ligneam paruam quam ipse consecrauit, præcepitque hanc causam diligenter agnoscere, si ita verum esset, sicut illi supradicti homines dixerunt. Qui venerunt illuc pariter, & idem Presbyter eadem nocte vidit ibi lucernas ardentes, & magnum odorem mirificæ suauitatis ibi sensit fragrare, & tres noctes pariter ita ibi inuenit. Tunc quoque secundum mandatum S. Rudberti confirmauit ibi sanctam crucem ipsam, & paruum tugurium fecit super eam. Veniensque ad S. Rudbertum, narrauit ei ita verum esse, sicut ei prius dictum fuerat. Beatus quoque Rudbertus tunc misit eundem Presbyterum Domningum, ad Theodonem Ducem, vt diceret ei hoc totum per ordinem, & vt rogaret ipsum Ducem, S. Rudberto dare licentiam Ecclesiam ibi construere, & habitacula seruorum Dei. Et Theodo Dux ita ei licentiam dedit. Venitque ibidem Dominus Rudbertus Episcopus, & cœpit

ibi cum hominibus suis, extirpare & purgare ipsum locum, & paruam Ecclesiam, cæteraque habitacula ædificare.

Interea vero Dux Theodo infirmabatur, commendauitque filio suo Theodoberto Ducatum Bauariæ, & Domini Rudberti Episcopi causam fideliter tuendam & iuniorum eius, eique ad Christianitatem suam, libenter obedire, & omne opus Dei diligenter illi auxiliari, & vt ad ipsum locum, in suam eleuando mercedem, fideliter per omnia adiuuaret. Facta autem ibi Ecclesia, S. Rudbertus conuocauit ibi Theodobertum Ducem, & nunciauit ei ipsam causam, per ordinem, & ita ab eo accepta potestate, consecrauit ipsam in honore sancti Maximiliani, & ipsum locum nominauit Pongeu.

Tunc quoque Dux Theodobertus dedit ibidem de Forste suo tria miliaria, in omnem quamcunque partem.

Hoc facto tradidit ibidem omnem possessionem quam habuit ibidem Ledi & Vrso frater eius in villa Albina. Et Dominus Rudbertus Episcopus misit ibidem Monachos suos & alios Clericos, fecitque ibi officium Dei fieri iugiter, die noctuque, ad laudem & gloriam Dei. Lædi quoque & Vrso frater eius commendauerunt Domino Rudberto Episcopo nepotes suos, nomine Wernharium & Dulcissimum, ad discendas litteras, & officium Dei ad Iuuauensem sedem suam. Illi quoque enutriti & docti cœperunt ab ipso Domino Rudberto per malum ingenium, hoc eo nesciente, rogare, vt medietas ipsius rei, quæ fuit eorum parentum in villa Albina, quamque Theodobertus Dux ad illam cellam sancti Maximiliani ad Pongau tradidit, daretur eis in beneficium. Et ita fecit Dominus Rudbertus Episcopus, sperans eos fideles fieri velle ad ipsam sedem suam. Illi vero accepta hac medietate in beneficium, & multo tempore habentes, cœperunt iterum à rectoribus ipsius sedis etiam suis nepotibus complacere. Quod dum factum fuisset multis temporibus, hoc habebant in beneficio ab ipsa sede, quamuis versuta intentione ibidem seruirent. Interea contigit, vt à vicinis Sclauis, illi fratres, qui ad Pongau de Salzburgensi sede ibidem destinati erant, inde expellebantur: Et ita multis temporibus erat deuastata eadem cella propter imminentes Sclauos & crudeles paganos. Quoniam igitur perdifficile est omnia pariter adnotare, quæ Dominus Rudbertus Episcopus his nouellis temporibus Christianitatis in eadem regione perfecit: tamen necessarium duximus non reticere potiora.

CAPVT III.

De constructione claustri sanctæ Erendrudis, in Iuuauo, & bonis quæ contulit illuc Theodobertus Dux.

COEPIT autem idem beatus Pontifex vna cum consilio & voluntate Domini Theodoberti Ducis, in superiori castro sæpedicti Iuuauensis oppidi, construere Ecclesiam ac Monasterium sacris virginibus ad habitandum in seruitio Dei, & sanctæ Mariæ matris Domini, & peracta Ecclesia consecrauit eam Domino in honore eiusdem sanctæ Dei genitricis Mariæ, posuitque ibidem, per licentiam & volūtatem Domini Theodoberti Ducis, Christi ancillam deosacratam neptem suam, nomine Erendrudem, cum aliis Deo deuotis fœminis in seruitium Dei & sanctæ Mariæ virginis Christique genitricis. Et ipse Dux pij studij ob voluntatem Dei omnipotentis tradidit ibidem in alimoniam ancillis Dei, & in mercedem genitoris sui & suiipsius, villam quæ vocatur Einheringa, cum commanentibus ibidem seruis & aliis exercitalibus hominibus triginta, cum omnibus quæ habebant super fluuium Sala, ad puellarum Dei Monasterium deseruire. Tradiditque ibidem ipse Dux Theodobertus villam cum tributalibus viris super Salzaha, quæ dicitur Glæsa, id est Glæs, & aliam Marciago, id est Morck. Tradiditque tributales Romanos ad eundem locum in diuersis locis colonos centumsedecim. Tradidit in Talgou Ecclesiam & prata & syluam, & piscationis tertiam partem Mansee, & similiter in Parnsee tertiam partem piscationis. Ad Cucullas colonos sex, & prata & syluam, & alpes quatuor. Tradiditque idem Dux Theodobertus ad ipsum Monasterium puellarum ad Vischaha, mansus sex, & molendinum & prata & syluam, deditque ibidem ad Salinas loca fornacium nouem, cum seruis illuc pertinentibus. Dedit quoque ibi ad censum persoluendum ad idem Monasterium omnes, qui in Salinis habitent & in Mona & in Nana, vt vnusquisque eorum à medio mense Maio vsque ad Missam sancti Martini, in vnaquaque hebdomada donent feria sexta de sale modium vnū, exceptis quatuor manentibus. Tradidit quoque illuc, quæ dicitur Waginga, cum mansis XL. & omnia quæ ad ipsam villam pertinent, aliam quoque villam in eodem pago nuncupatam ad Chameren, cum manentibus XIV, cum omnibus appendiciis suis. Iuxta Trun

quoque

quoque fluuium in eodem pago Trunwalha', dedit qui dicuntur Romanos tributales LXXX. Dedit etiam ibidem ad Tietramingen super Salzaha fluuium, casam & curtem cum omnibus appendiciis suis,& mansis LX. inter seruos & tributales, necnon & exercitales homines. Nam & in Atergou dedit tributales quatuor cum colonis suis. In pago quoque Trunse dedit tributales XV. cum colonis suis. Dedit etiam idem Dux Theodobertus ad idem Monasterium puellarum venationem in sylua & alpibus à monte qui dicitur Reitzberg / vsq; ad Stegen. Et hæc omnia perpetualiter ibidem confirmauit.

CAPVT IV.

Huc vsque beneficia seu bona S. Erendrudis virginis. Rursum ad eandem sedem beneficia ab eodem Duce contradita.

AD ipsam namque Iuuauensem Episcopij sedem tradidit idem Dux Theodobertus villam Vzilingam cum manentibus XX. & omni appendicio, quicquid ad ipsam villam pertinebat super Salzaha. Tradidit ad locellum Talgou, prata & pascua & syluam: tradidit etiam ad Cucullas prata & pascua atque syluam & alpes, atque manentes tres cum alia re ibidem pertinenti. Tradidit quoque in eodem pago Salzburgoue villam quæ dicitur Titmanninge cum mansis XXIV. & ad Torlcheim, Ecclesiam cum territorio ibidem pertinenti, cum aquis & pascuis, seu farinariis & sylua. In Isnkou quoque tradidit ad eandem sedem idem Dux, villã quæ dicitur Chartingen / cum mansis XV. super Isnam fluuium & prata, aliud quoque territorium, & syluam cum omnibus ibidem pertinentibus. Deditque locum, qui dicitur ad Purch, & ad Tisingen iuxta villam dicta Tuzzlingen, & mansis XVI. cum omni appendicio suo. Tradiditque ad eandem sedem idem Dux Theodobertus in Sundergeu, villam dictam Opinga casam & curtem, cum territorio & syluam, manentes XX. Et hæc omnia ibidem perenniter legitimeque confirmauit. Eadem quoque intentione Hucbertus Dux, filius & successor Theodoberti Ducis, tradidit in Rotagou (seu Totagou) villam nuncupatam Sauersteti, cum curtiferis & territorio, ac sylua & mansis XX. cum omnibus appendiciis suis, ad Iuuauensem sedem Episcopatus pro remedio sempiterno animæ suæ. Deditque ibidem in villa quæ dicitur Jupindorff / mansus IX.

cum

cum colonis suis, tributales, & syluam bonam super fluuium qui dicitur Fischaha.

CAPVT V.
De venatione quæ ad istam sedem pertinere debet.

EX Orientali siue Australi parte iuxta publicam viam quæ tendit in * Talgow, & sic ad Esclwanch, deinde ad lacum qui vocatur Labusculo, & sic ad Tinilpach, & inde in medium lacum qui vocatur Parnsee, & sic ad * Zinckenpach, & sic * ad Tinilpach, de ista parte laci meridiana pleniter per omnia in forste fieri debent ad istam sedem Iuuauensem. Item de isto flumine quod vocatur Salzaha, de illa petra quæ respicit contra Ecclesiam S. Martini, quæ sita est in castro Iuuauensi, nulli liceret sine licentia huius sedis Episcopi piscationem habere vel castores apprehendere, siue vllam exercere venationem, nisi tantum vno piscatore dominico. Item de loco, qui vocatur Scratinpach ex vtraque parte supradicti fluminis in forste pleniter fieri ad istam Ecclesiam Dei sanctam. Sursum vbi Schwarzaha exoritur, & sic vsque ad illum locum qui vocatur Purch, & ita fieri à potestatiuis viris ad istam sedem definitum est. Madelhelmus quidam vir nobilis cum cæteris rebus suis, portionem venationis suæ ad istam Dei Ecclesiam, iuxta ripam quæ vocatur Albina, hanc esse communem cum cohæredibus suis. Supradictus Huchertus Dux dedit in pago Matalicensi manentes tributales quatuor in loco dicto Itinga.

Hoc est caput sextum Vita S. Rudberti tomo 2. edita.
** Talgor.*
** Sintenpach.*
** à.*

In illis quoque temporibus * Otilo Dux ab æmulis suis * huiusmodi causa. Fratres duo Karlomannus & Pipinus, Reges Francorum * Odilonem Ducem Baioariæ rebellare conantem bello superant, fuit autem cum Domino Pipino Rege in Francia multis diebus. Inde reuerso & accepto ducatu suo, tradidit ad Iuuauensem sedem villam quæ vocatur Meminheim / & manentes suos XX. cum territorio & sylua & molendinis cum omni appendicio suo. Dedit in eremo eiusdem loci appendente locellum qui dicitur Esclwanch / & lacus duos, & à Parnsee / & in his locis venationem & piscationem.

** Otila.*
** Hunis, nullo sensu.*
** Vdilonem.*

CAPVT VI.
Otilo Dux habuit sororem Pipini Regis nomine Hiltrud, ex quibus natus est Thassilo Dux.

IN peregrinatione Otilonis Ducis, fuit cum eo quidam Presbyter Capellanus eius, Vrsus nomine, qui de illa genealogia erat supradi-

ctorum hominum de Albina, quos Theodobertus Dux tradidit Deo & sancto Maximiliano ad Pongou, quando Dominus Rudbertus Episcopus illam ibi Ecclesiam dedicauit. Et quia propter Sclauos crudelissimos paganos eadem cella multis erat temporibus desolata. Idem vero Presbyter venit ad Otilonem Ducem, & petiit dari sibi in beneficium, hoc ipsum quod Theodobertus Dux, vt prædictum est, dedit sancto Maximiliano & Domino Rudberto Episcopo ad sedem suam. Et Otilo Dux nescius erat, qualiter Dominus Rudbertus eundem locum ad Pongou primo cœpit construere, & Ecclesiam ibi ædificauit & consecrauit, concedentibus Ducibus Theodone & Theodoberto filio eius. Sed & hoc nesciuit, quod Theodobertus Dux, ipsos homines ibidem tradidit, & ipsam cellam cum omni traditione sua confirmauit sancto Rudberto Episcopo, ad sedem Iuuauensem Episcopatus sui. Deditque Otilo Dux, vt prædictum est, Vrso Presbytero suo, hoc ipsum ad Albinam, & ipsam cellam in beneficium.

Postea vero cum Virgilius peregrinus donante Otilone Duce, suscepit regimen ipsius Iuuauensis sedis & Episcopatus, cognita supradicta causa, venit ad Otilonem Ducem & dixit ei omnem hanc causam ab initio per ordinem, rogauitq; secundum iustum iudicium, hoc reddere sancto Petro ad ipsam sedem. Sed Otilo noluit eundem Presbyterum suum contristare, neque tollere ei illud beneficium. Tunc autem cœpit Virgilius Episcopus medietatem inde quærere propter illum seruum suum sancti Rudberti Tonazanum nomine, qui hoc ipsum primo cum Ledi vicino suo inuenit.

CAPVT VII.

De lite Virgilij Episcopi & cuiusdam Vrsi Presbyteri, super bonis sancti Maximiliani in beneficium sibi concessis ab Otilone Duce.

HOc igitur Otilo Dux reddere noluit, sed comparare hoc voluit à Virgilio Episcopo cum eo quod habuit ad Louffi. Sed Virgilius hoc omnino renuit & dixit Presbytero: Quo amplius tu illic laboraueris, & quo plus ibidem de tuo dederis, eo amplius habebit S. Petrus atque sanctus Rudbertus. Nam si tu illis hoc iniuste abstuleris, sicut nunc factum, habes ad tuam perniciem, non ad tuam vtilitatem, venient dies, cum illud reddetur per bonorum hominum, & Deo fidelium voluntatem ac potestatem. Illam tamen medietatem, quam quæsiuit Episcopus, non potuit ei Otilo Dux contradicere.

Porro

Porro Virgilius Episcopus iussit ibi domum suam ædificare, & omnem medietatem de eo quicquid ad ipsam Ecclesiam venerat, in omnibus quibuslibet causis S. Rudberto cõquisiuit, & suos Presbyteros ibi iugiter manere fecit, qui hoc prouidebant, & ideo magna cõtentio sæpissime contigit. Idem autem Vrsus Presbyter vna cum adiutorio Otilonis Ducis, fecit ibi aliam Ecclesiam, cum qua voluit ipsam medietatem S. Petro à Iuuauensi potestate abstrahere, & vnum vacantem Episcopum nomine Liuti ibidem aduocauit, qui ipsam discordiæ Ecclesiam consecrauit. Quo cognito Virgilius Episcopus excommunicauit eam, & appellauit eam Discordia, & omnibus Presbyteris cõtradixit, vt nemo ibi cantaret Missam, nec aliud officium Dei. Et ita excommunicata permansit, quousque Virgilius Episcopus vixit.

HÆc omnia Virgilius Episcopus à viris valde senibus atque veracibus, diligẽter perquirere studuit, posterisq; ad memoriam scripta dimisit. Quidam vero ex eis, qui ista illi dixerunt, discipuli S. Rudberti fuerunt, & iuniorum eius, quidam filioli, ex quibus erat Isinhardus vir nobilis & filiolus beati senis Chunialdi Presbyteri, & Maternus, Dignolus quoque discipulus sancti Rudberti, atq; Ioannes, alij quoque, qui hoc à senioribus audierunt, hæc ita omnia narrantes. Ex quibus Dulcissimus Presbyter, Othmarus frater eius Presbyter. Madelhoch Presbyter, filius Madelgori Cancellarij Theodonis Ducis. Ruffolus Presbyter, Amandus Presbyter, Latinus frater eius, Ebo Presbyter, Paldo Presbyter, Reinbertus Presbyter, Heimo Presbyter, item Vitalis Presbyter, Salemon Presbyter, Benedictus Diaconus, Syndonius Diaconus, Ioannes Subdiaconus, Wolfhardus Subdiaconus, Arnhalmus Monachus, Germanus Monachus, Tazzo Monachus, Emicho Monachus, & isti laici, Vgo Comes, Immin Comes, Heimo Comes, Gerhardus iudex, Sigibaldus iudex, Anno, Eber, Rudloch, Salaho, Ioannes, Egilolf: Omnes isti nobiles & veraces viri fuerunt.

CAPVT VIII.

Hæc sunt quæ dedit Otilo Dux sancto Maximiliano.

PRÆFATVS quoque Dux Otilo, diuino compunctus amore, cœpit ædificare & ampliare Ecclesias Dei & seruos diligere, ipsam cel-

lam ſancti Maximiliani, quam beatus Rudbertus Epiſcopus primo per conceſſum Theodonis Ducis conſtruxit, quamque idem Dux ad Iuuauenſem ſedem tradidit, cœpit Otilo Dux diligere, & in amorem Dei ampliare. Congregari autem ibidem fecit Clericos & Deo ſeruientes, pro remedio animæ ſuæ. Tradidit autem ibidem ad ſeruitium Dei villam quæ dicitur Stamheim / ſuper Oenum fluuium in Ynſinkowe / Deo & S. Maximiliano, & ad Pongow / cõmanentes XXX. cum ſylua & venatione, & omni appendicio ſuo. Ad dotem quoq; eiuſdem Eccleſiæ ad Stamheim adiunxit Waldmannum ſeruum cum coniuge & liberis eorum, & cum omni poſſeſſione eorum. Othpaldum quoque ſimiliter cum omnibus quæ habebat. Bondanam quoque fœminam cum ſex liberis. Subiunxit autem per ſingulas curtes aliquã ibidem partem, ad ſupradictam traditionem S. Maximiliani. Ad Chiemgou Irmharium ſeruum cum colonia ſua & alia poſſeſſione. Ad Oſtermuntingen ſeruum vnum. Ad Salzburg vnum, in Mattakou vnum, in Atergou vnum, ad Elinchoue vnum. Tradidit quoque ad Chuchil caſam cum curtifero ſuo, & territorio & manentes IX. cum coloniis & aliis appendiciis ſuis. Ad Atanate vero Eccleſiam cum curte & manentes XX. cũ adiacentiis ſuis. Tradidit etiam villam vocatam ad Loufi caſam & curtem cũ territorio ſuo, & manentes XV. cum molendinis & aliis appendiciis ſuis. Ad Salinas vero dedit ibidem Lantonem cum fratribus ſuis, & loca fornacium IV. cum patellis. Et Vitalem cum omni poſſeſſione ſua. In vico dicto Ehingen manſus ſex cum omni poſſeſſione eorum. In vico Liuteringe, manſus decem cum coloniis ſuis, caſam & curtem cum appendiciis ſuis. Ad Ponninwanch dedit duos fratres his nominibus, Ditnant & Wolfker, cum omni poſſeſſione eorum. Dedit quoque idem Dux Otilo ad eandem cellam S. Maximiliani ſurſum & verſum per Salzaba flumen ex vtraque ripa ipſius fluminis, ſaltum ad venationem, atque ad paſcua pecorum alpes & ſyluam à loco qui dicitur Strupe & ad Purch, & illas alpes vbi Schwarzaha oritur, & ſic in Occidentem & Aquilonem ad Orientem & Auſtrum vſque ad Stegen, & iſtud per omnia, vt ſupra ſcripta Otilo Dux in mercedem propriam, ac pro remedio æterno animæ ſuæ, ibidem Deo ſeruientibus perpetualiter confirmauit. Eiuſdem quoque Ducis temporibus Gotſchalckus quidam vir nobilis dedit Deo & S. Maximiliano, omnem proprietatem ſuam, quicquid habuit in loco dicto Kupulpach, quodque alij viri nobiles de facultatibus ſuis amplificauerunt. Gerhalmus vir nobilis dedit ibidem de proprietate ſua Deo & S.

& S. Maximiliano in loco dicto Herigisinge mansus duos, & vineam vnam. Gunpolt vir nobilis dedit ibidem de proprietate sua ad Ehingen, mansus duos. Adalunch vir nobilis ibidem de proprio suo, ad Pidingen, mansus quinque. Dato vir nobilis dedit proprium suum quicquid habuit ad Moringen Deo & sancto Maximiliano. Reinbertus & Gerbertus atque Reinhalmus, dederunt ibidem ad Stile loca nominata eadem, & manentes nouem iuxta Kupulpach. Santulus vir nobilis, dedit ibidem quicquid proprietatis habuit in vico Romanisco, & ad Figun Deo & S. Maximiliano. Irmhart vir nobilis dedit proprietatem suam ibidem ad Hegelin. Teipozzo Presbyter, vir nobilis dedit ibidem proprietatem ad Trutherfreute.

CAPVT IX.

Hucusque bona sancti Maximiliani. Iterumque ad Iuuauensem sedem.

SOROR Domini Pipini Regis, nomine Hiltrut, mater Thassilonis Ducis, concedente eodem Rege post obitum viri sui Otilonis Ducis, in eorum omnium bonam retributionem coram Deo & sanctis eius, dedit ad Iuuauensem sedem, in pago Danubiacensi, villam quæ dicitur ad Puche cum manentibus triginta nouem, & cum omni appendicio suo, hæc quidem Meinhardo Comite, nobilissimoque viro, affectante in æternam coram Deo mercedem suam, proque remedio animæ suæ.

Thassilo quoque Dux, vna cum matre sua Hiltrude, concedente Domino Pipino Rege, dederunt Deo & S. Petro ad Iuuauensem sedem, pro animabus suis, villam nuncupatam Campus, cum manentibus triginta & coloniis eorum, & cum omnibus rebus eorum super Salzaha. Dederuntque ad Puoch, iuxta Oetingen mansum vnum, cum omnibus rebus suis. Similiter dederunt ibidem ad Salinas ad illum puteum, hoc quod dicitur Galgo.

CAPVT X.

Hucusque prænotatæ sunt traditiones Ducum Bauariæ regionis, quas dederunt ad Iuuauensem sedem. Exhinc adnotantur traditiones nobilium hominum de propriis rebus eorum, quas ibi dederunt.

MILO quidam vir nobilis, temporibus Otilonis, dedit proprietatem suam DEO & sancto Petro ad Salzburgensem sedem pro anima sua, locum & alias possessiones ad Nuzdorf, cum manentibus XIII. & cum omni appendicio eorum in Salzburgoue super riuulum, qui dicitur Glanicle. Tisa quædam nobilis fœmina Theodoberti temporibus, dedit proprietatem suam in loco dicto Monticulus super Salzaha fluuium, Deo & S. Petro ad Iuuauensem sedē, cum mansis sex, & aliis rebus suis. Dego nobilis vir temporibus Otilonis Ducis, dedit de proprio suo, in loco dicto ad Glana, casam & curtem suam, cum alio appendicio suo super riuulum Glanæ, & manentes seruos quatuor, cum coloniis suis.

CAPVT XI.
De cella apud Ottingen.

CELLA quæ dicitur Ottinga, temporibus Domini Pipini Regis, & Thassilonis Ducis nepotis. Guntherius quidam Comes in Pago Chiemingen in propria hæreditate sua construxit Ecclesiam pro amore Dei, & animæ suæ salute, ad seruitium Dei & sanctorum eius. Conuocauitq; illuc sanctum Virgilium Episcopum, eodem anno quo ad Episcopium ordinabatur, dixitque ei, se velle ibi Monachos congregare, & Abbatem illis constituere, & sua proprietate eis tantum ibidem contradere, vt victum & vestimenta habere valerent, & quicquid ibidem cum proximis suis augmentare cum iustitia potuisset ad Dei seruitium & sanctorum eius promptissime hoc faceret. Tunc itaque Virgilius Episcopus requisiuit ab eo, in cuius dominio valuisset, vt ille Abbas esset & Monachi quos illic congregasset, & ille p[illegible] hoc dicere noluit. Dixitque ei Episcopus: Neque ego tibi Ecclesiam consecro, nec Monasterium, neq; Abbatem, nisi secundum [illegible] sciam, ad quem locum illorum rectitudo & donatio constare debeat. Et voluit inde abire. Denique idem Comes Guntherius diuino compunctus amore cognouit, quod Episcopus secundum Canonum statuta incedere vellet, promisit se hoc ipsum quod ibi cōstructum habuit ad Monasterium perficere velle, & cum omni proprietate sua, eandem Ecclesiam si consecrasset, ad Salzburgensem sedem Episcopatus, & ad illam dominationē pleniter per omnia secundū canones tradere velle, & per omnia inde ita facere, sicut Virgilius Episcopus illū doceret. Et tunc demum consensit Virgilius Episcopus & consecrauit ipsam basilicam in honore S. Stephani, & omnem locum hunc. Quo facto, Gun-

therius tradidit per pallium Altaris Virgilio Episcopo ipsam Ecclesiam,cum omnibus quæ ibidem antea perdonauit tradere. Commendauit autem hoc pleniter Monasterium in manus Episcopi, ad regendum secundum Canones, sicut & cæteras Ecclesias diœcesis suæ, vt ipsum cum sede semper esset. Potestatem vero Episcopo dedit regendi ipsam familiam, Abbatemque ibi ordinare & Monachos de ipsa sede ibidem ponere siue Canonicos. Tunc quoque tradidit ibidem de suo proprio villam quæ dicitur Holzhuss,cum mansis septẽ & cum omnibus rebus ad eandem villam pertinentibus.Deditq; aliam villam iuxta lacum Chieminge Vsinga vocatam,cum mansis septem. Postea vero vna cum consilio & consensu Thassilonis Ducis,petiit Dominum Pipinum Regem, qui concessit ei tributales viros de suo ministerio manentes quatuordecim ibidem ad firmamentum,qui & ita fecit. Interea vero ipse & vxor eius Hadeburch, dederunt ibidem ambo pariter hæreditatem eiusdem Hadeburgæ in Augustkou ad Duringueld, & quicquid illa in eodem pago proprietatis habuit,vel quidquid ipsi ambo postea vel ibi, vel alicubi, cum proprio pretio comparare potuerunt,totum ibidem tradiderunt. Nomina prædiorum fidelium virorum fuerunt hæc: Donatio Lamperti ad Ehingen. Donatio Edwardi ad Luftinpach, Ecclesiam & medietatẽ de rebus Ecclesiasticis. Donatio Herifridi ad Lamprechtshusen. Donatio Engelfridi, in territorio ad Austrum. Item donatio Engelfridi & coniugis suæ Adalæ colon. I. ad Fuihte. Donatio Selpkeri de omnibus rebus ad Ehinge. Donatio Abfridi colon. I. ad Ehing. Donatio Mahtolini ad Mahtoleshusen de toto quod ibi habuit mancipiorum quatuor iuxta Ehinge. Donatio Richpoldi de toto Ehinge. Donatio Ilbungi de territorio ad Inwarm, totumque dedit colon. I. ad Ehingen. Porro de illa Ecclesia ad Prun,placitum est habitum coram Ludouico Rege. Item Wenilo ad Liurun,donauit seruos duos cum omnibus rebus eorum. Rursus placitum est habitum de ipsa Ecclesia, Arnonis & Wenelonis, coram Richolfo & Geroldo,legatis Domini Caroli Regis.

CAPVT XII.

Nomina & prædia fidelium virorum & nobilium & mediocrium.

BVSO Presbyter & Ioannes frater eius tradiderunt Deo & S. Petro,atque S. Rudberto, ad Iuuauensem sedem pro animabus suis, omne

omne quod proprietatis habuerunt in villa quæ vulgo dicitur Walchwiſz & in Biſoncio, quod nunc Pinzcou dicitur, atque ad Saluelt, ſuper Salaſluuium, in toto manſus quindecim cum omnibus appendiciis ſuis. Ruther Comes & Gerbolt nobiles viri ac poteſtatiui, tradiderunt ad prædictam ſedem, omnem proprietatem ſuam quidquid habuerunt in Pinzgou, atque in Niwarm, manſus duos. Sigboldus iudex, & Anno frater eius, filiuſque eiuſdem Sigboldi, tradiderunt ibidem omnes res proprietatis ſuæ, quas habuerunt in vico Walchſtorff Romaniſco & manſus duos. Grimbertus Comes, per conceſſum Pipini Regis, qui erat ei valde familiaris, & per conſenſum Thaſſilonis Ducis, dedit ad prædictam ſedem, pro anima ſua in villa quæ dicitur Papinga, caſam & curtem cum territorio & ſylua, & manſus quatuor. Aliud quoque quod ibi ad iſtam ſedem pertinet, nobiles & poteſtatiui homines de propriis rebus tradiderunt pro animabus ſuis. Ru[illegible]e, & Ataker, Gotſchalcus, Eberger, nobiles viri, tradiderunt de eorum proprietate, quod habuerunt ad Wenge, ſuper lacum Wallerſee, & ad Strazza, manſus nouem cum omni appendicio eorum. Made[illegible] & Kazzilo fratres ac nobiles viri, tradiderunt aliquas res proprietatis ſuæ ad eandem ſedem, in Wallerdorf, & ſuper riuulum Sur. Land[illegible] vir nobilis tradidit ſemetipſum & proprietatem ſuam ad eandem ſedem quicquid habuit iuxta Wallerſee, in loco dicto Summo [illegible]. Iſinhart vir nobilis tradidit filium ſuum Wolchenhardum, & ſuam proprietatem ſuper ipſum lacum. Egino vir nobilis dedit ibidem proprietatem ſuam, in villa dicta Hohindorf & ad Prun, quicquid in his locis habuit. Adelhoh & Pato fratres, & Alo ſeu Richart nobiles viri, de ſua proprietate dederunt quod habuerunt in Hohendorf, ad eandem ſedem, aliud vero dimiſerunt liberis ſuis. Dignolus vir nobilis tradidit ibidem res ſuas in vico qui dicitur Liueringe I. coloniā. III. cum aliis appendiciis ſuis. Seuerinus quidam dedit iurnales ſex. Angelus Presbyter, vir nobilis, dedit de proprietate ſua in loco dicto Figun, ad eandem ſedem. Adelfrit vir nobilis, dedit ſemetipſum & filium ſuum ad eandem ſedem Salzburgenſem, & totum quod habuit in villa quæ dicitur Cheſſindorf. Morich vir nobilis, dedit proprietatem ſuam ibidem ad Wallerſee. Erinbrich vir nobilis, dedit proprietatem ſuam ad eandem ſedem in villa Herluinga. Hilepert vir nobilis, dedit proprietatem ſuam ibidem in Herliungem. Donatio Wigonis etiam in Herliungen. Iacob vir nobilis, tradidit tertiam partem hæreditatis ſuæ in Herliungen. Karl & Immin fratres. Sigibert, Sumpert, & Toto ſeu Leup-

seu Leupwart, dederunt portionem hæreditatis suæ ad eandem sedem ad Linbilnaha & ad Huning. Ad Wildorf quiddam dederunt viri nobiles. Quoddam vero comparauit Virgilius Episcopus ad viros nobiles & potestatiuos cum pretio taxato. Sigibertus dedit ibi virnales LXX. prata ad XXX. carradas. Dulcissimo Presbytero dedit Adalunch quidam vir nobilis propriam hæreditatem suam ad Iobilndorf aliquot pretio pro anima sua. Et idem Dulcissimus Presbyter tradidit hoc ipsum Deo & S.Petro, ad Salzburgensem sedem, pro anima sua, & illius. Maio & Wich, viri nobiles dederunt proprietatem suam in villa Saldorf. Item Wich, vir nobilis, dedit hæreditatem suam ad eandem sedem, in Pidingen. Richart vir nobilis dedit proprietatem suam ibidem in Pidingen. Gotperth vir nobilis dedit de proprietate sua in Pinzcou, mansum vnum, & in Atergou mansus duos. Pato vir nobilis dedit de proprietate sua quiddam in Papingen. Ato & Satwar vxor eius dederunt Deo & S.Petro, quod habuerunt in Perndorf. Iterumque pro filio Meinsteino dederunt suam portionem ad Huningen. Helinger, Erchenger, Rudker, Alfrit, Wolfgoz, Leuperht, Guntpolt: Item Alfrit nobiles viri dederunt portiones proprietatis suæ ad eandem sedem in Chircheim. Rudhoch vir nobilis dedit pro filio suo Gerhoho portionem suam in Walchwiss. Egilolf vir nobilis dedit tertiam partem hæreditatis suæ, quod habuit in salinis & ad Muln, & totum quod habuit in Saluelt. Mazzo vir nobilis dedit proprietatem suam in villa Liuaringa. Ioannes Presbyter tradidit quicquid proprietatis habuit in Walwis. Eber vir nobilis dedit pro anima sua ad prædictam sedem omnia sua quæ habuit in Walwis. Engelhart ad Fischaha dedit omnia sua. Vitalis & Germanus dederunt molendina. Helmbolt Presbyter vir nobilis dedit suam proprietatem ibidem in Walwis. Adalswint nobilis fœmina, dedit ibidem propria sua in vico Romanisco. Eberwalch vir nobilis dedit tertiam partem de rebus suis propriis in eodem. Ezzil donauit res suas ad Wizinpach. Kemmil dedit campos quinque in eodem. Rudo vir nobilis dedit omnem proprietatem suam in Wizinpach, & in Salinis. Rudhoh dedit colonia duo, & vnum molendinum in Wizinpach. Dauid & mater eius præclari homines, dederunt proprietates suas in salinis & in Pinzgou. Wilpurch atque Sprata, nobiles fœminæ, dederunt proprietates suas in salinis & in Muen. Pato & vxor eius Rosmut nobiles, dederunt proprietates suas quicquid habuerunt in Wildorf. Germunt dedit sua in Wildorf. Machalm vir nobilis dedit semetipsum, & omnem

proprietatem ſuam ad Offenwanch. Gunther vir nobilis dedit proprietatem ſuam ad Luibendorf. Gerhart nobilis homo, dedit proprietatem ſuam ad Huning. Reginbolt nobilis dedit proprietatis ſuæ medietatem quam habuit ad Louffi. Reginolt de Lantpoting dedit ſemetipſum & proprietatem ſuam in eadem villa. Gotſchalcus vir nobilis, dedit omnem proprietatem ſuam in Piding, & ad Hegelin. Waninch nobilis dedit portionem ſuam ad Hegelin. Adalfrit, dedit omnia poſt obitum ſuum ad Hegelin. Ecko nobilis, dedit tertiam partem hæreditatis ſuæ ad Hegelin. Adelhart nobilis homo, dedit de proprietate ſua ad Hegelin. Gutlint & Eugeltrut nobiles fœminæ, dederunt propria ſua ad Hegelin. Helmo dedit portionem ſuam in Pinding. Rudunch nobilis vir, dedit portionem propriam in villa Otinaring. Et Adelhart ibidem dedit omnia ſua. Gerhart iudex & vir nobilis dedit tertiam partem de omni proprietate ſua, quod habuit in Tuſindorf. Engelhoh nobilis homo, dedit colonias duas proprietatis ſuæ in Tuſendorf. Diethoh tradidit portionem ſuæ proprietatis in Tuſendorf. Helmo & Otacker viri nobiles, dederunt portionem proprietatis ſuæ in Tuſendorf. Kazzilo vir nobilis, dedit manſos duos in Tuſindorf, & mancipia ſex. Lietwar dedit omnia ſua in Tuſendorf. Rapot & Pebo, dederunt portiones proprietatis eorum iuxta Tuſendorf. Wilhelmus nobilis dedit res proprias, exceptis pratis, ad Tuſendorf. Otacker dedit omnia ſua, & aliqua pro pretio in Tuſendorf. Geberhoh vir nobilis, dedit de proprio ſuo, iugera XXX. & prata ad Tuſendorf. Leitrat vir nobilis, dedit portionem ſuam, & quicquid ſui erat ad Tuſendorf, & manentes ſeruos duos ad Megilingen. Reinhart tradidit, quicquid proprietatis habuit ad Tuſendorf. Wichart vir nobilis tradidit ſemetipſum & quidquid habuit ad Aſcuah iuxta Tuſendorf. Donatio Dorfwini Clerici & nobilis viri ad Trun & ad Tuſendorf. Engelpert nobilis dedit totum proprium ſuum quod habuit ad Surebergh. Gumpert nobilis dedit portionem proprietatis ſuæ ad Tuſenperch. Meinprecht vir nobilis dedit totam proprietatem ſuam ad Tuſendorf. Rathoh dedit omnia ſua in Tuſenperch. Rathoh vir nobilis dedit omnem portionem ſuam ad Tuſenperch. Chumbrecht homo nobilis, dedit omnem facultatem ſuam ad Tuſinberch. Rudprecht dedit tertiam partem proprietatis ſuæ ad Winpurch. Lantfrid frater eius dedit portionem ſuam in Winpurch.

CAPVT

CAPVT XIII.

Notum sit quod Arno Archiepiscopus conquisiuit duas partes de Tusenperch à Gotberto.

ADALFRID vir nobilis dedit portionem suam ad Hegilin. Engilbolt dedit portionem suam ad Egelin. Virgilius Episcopus comparauit hoc castellum ad Swickerum ad Louffi. Pernhart dedit tertiam partem proprietatis suæ ad Louffi. Lyra quædam fœmina tradidit pro filio in Westergou mãsum vnum & mancipia XIII. ad Louffi. Germunt quidam donauit ad Ezzindorf. Abbas Wolchardus & Gumbolt donauerunt ad Antheringen, & ad Perge super Wallersee. Aliorum etiam donatio virorum, per nomina, fuit hæc: Donatio Engelberti & Hatonis in Antheringen. Donatio Waldrici de omni proprietate sua in Antheringen. Donatio Eberhardi in ipsa villa Anthering. Rudhoh & Rathart dederunt proprium suum in Anthering. Erchinhard dedit vnam colon. in Anthering. Traditio Sigiradi in villa nuncupata Patinga. Et donatio Babanæ vxoris eiusdem. Donatio Eberolfi & cõiugis suę Schafthildæ, ad Offenwanch. Donatio Goswibe ad Arnoltingen. Donatio Sigberti ad Wildorf. Donatio Albrici Diaconi, & Vronis fratris eius ad Purgunstetin. Donatio Lantwarij Comitis & filiæ eius Diemut, ad Huningẽ & ad Vbersee, ac præstaria I. lehen Arnoldi. Donatio Liuperti ad Nuzdorf, iuxta montem, qui vocatur Hunsperch. Engelbertus potestatiuus homo, dedit totum proprium suum ad Perndorf. Item Gotawar nobilis fœmina dedit pro Atone viro suo & pro se, dotem suam cum omni quod ei idem Ato dedit in proprium ad Perndorf. Liuther liber homo dedit medietatem de omni re sua in Perndorf. Diethalmus vir quidam ad Wels quæsiuit donationem Atonis, vxori suę, filiæ Atonis, sed pręuendicauit illud Arno Episcopus. Item Ihho frater Atonis quæsiuit hanc ipsam sibi, sed reuicit illum Arno Episcopus. Item de eadem re cum eodem Ihhone placitum est habitum pro sylua & confinio ipsius traditionis Atonis ad Perndorf, ab Arnone Episcopo cum illis vicinis, qui ibi circumquaq; habebant. Item Gumboldo, Liuperto, Herberto, item Ihlio, Wilhalm & Socco atq; Ampho, tradiderunt res eorum in Nandiswanch. Gotbrecht, Norbrecht, Altwich, tradiderunt res suas ad Spanswanch. Et Tepizzo fecit similiter in eadem villa de proprietate sua. Adalhol & Pato fratres, viri nobiles tradiderũt pro fratre eorum Rudberto mansus duos in Atergou, cum omni possessione corum

Anno quidam dedit ibi res suas. Iterum Pato & vxor eius Rosmut, tradiderunt totum quod habuerunt in Atergou, casam & curtem & territoriũ, & mansus quinque cum omni appendicio suo, & sextum manentem in Hohindorf. Iacob & Alexandra mater eius potestatiui homines, tradiderunt omnia quæ habuerunt propria in Atergou, & Iacob tradidit semetipsum. Gerwalch vir nobilis, tradidit quicquid habuit de territorio in Atergou. Dietrich & Pultrut, tradiderunt casam & curtem, & vineam vnam cum pomerio, & alio paruo territorio super lacum Aterse. Michel, frater eius Wenil illustres viri, tradiderunt totum quod habuerunt proprietatis in loco qui dicitur Pachmanna. Helmo illustris tradidit aliquas res proprietatis suæ pro se ad Grunnipach. Aliud vero vendidit precio Virgilio Episcopo. Hiltigoz dedit ibi Virgilio Episcopo prata viginti septem. Heilrat illustris fœmina, dedit totum quod ei in dotem peruenit ad Grunninpach. Fridebert quidam ibi vendidit portionem suam Virgilio Episcopo ad Grunninpach. Gozpolt vir illustris & Turo frater eius tradiderunt totam proprietatem suam quam habuerunt in Anthering. Perchtgoz vir illustris tradidit ibi colonias duo. Batahilt vxor Perchtgozi tradidit ibi totum quod ei venit in dotem, & alia mancipia sua. Richart Clericus, homo nobilis tradidit hæreditatem suam in Ansering. Eckihart Clericus dedit proprietatem suam in loco dicto Filungestorf. Waltrud nobilis fœmina, tradidit emptionem, quam cõquisiuit à viris nobilibus, in loco qui dicitur Frumholz. Ebo vir nobilis tradidit omnia propria sua ad Ehingen, & filium suum ac semetipsum. Dilpolt vir nobilis dedit totam proprietatem suam ad Willinperch. Folcho vir nobilis tradidit totum quod proprietatis habuit ad Purn. Ilbunch potestatiuus vir, dedit omnem proprietatem suam ad Ehingen. Vto liber homo tradidit seipsum, & omnia quæ habuit ad Holhus. Ioannes vir nobilis dedit de proprio suo in salinis, in harena virgas sex, quæ virga habebat pedes viginti sex & dimidiũ, hoc est in Orientali parte ipsius harenæ, & iuxta fluuium virgas quatuor eiusdem mensuræ, deditque in Mun quidquid proprietatis habuit. Wichker filius eiusdem dedit in eadem Mun, & in salinis totam portionem suam post obitum suum. Hugo Clericus dedit similiter in Mun & in salinis omnem rem proprietatis suæ. Goteschrut vidua Egilolfi dedit post obitum suum infra salinas casam & curtem & iuger. I. de terra, & mancipia sex. Snelwach de Marciolis dedit syluam vnam prope illam Ecclesiam. Ionas potestatiuus homo dedit in villa quæ dicitur Nana,

quic-

quicquid proprietatis habuit post obitum suum. Nepos quoque prædictæ Goteschrudæ dedit in salinas pro patre suo Egilolfo iuniore nomine, Wentilpert, iugera.III. & fornacium I. ac mancipia septem pro anima sua. Gozbrecht vir nobilis, dedit ad Wallersee mansus duos, de proprio suo, & mansum vnum in Waging. Otlant dedit omne quod proprietatis habuit in Hohindorf. Saxo quidam debuit vnum Weregildum soluere ad Salzburg, comparauit ad Milonem colon. vnam in Hohendorf, deditque ibidem. Adalot quidam dedit ibi proprietatem suam. Marich & Adalrich dederunt territorium suum proprium & syluam bonam ad Hohindorf. Gunthart dedit ibi iugera quadraginta. Richart dedit ibi territorium suum & mansum vnum, & quod habuit in Niwarm. Erhart dedit tertiam partem proprietatis suæ in Wallersee. Reginolt Diaconus dedit pro se & pro fratribus suis. Rabano & Wintramo dederunt proprietatem quam habuerunt in Wallersee. Heimo dedit proprietatem suam quam habuit ad Vrisedorf. Donatio Alberti Comitis fuit ad Lutra, & donatio Reumberti Comitis pro se & fratre suo Norperto & complacitatio eius. Isti Romani de Fischaha voluerunt illam syluam iuxta Fischaha habere in proprio, sed Arno Archiepiscopus per ipsos Pagenses viros nobiles attestantes duabus vicibus conquisiuit sancto Petro ad Salzburg. Placitum est habitum & quæsitio Ilbungi fabri, qualiter Socco eum conquisiuerit in seruum. Aliudque placitum est de Weregildo, Wichelmi fratre. Tertium placitum qualiter dedit Socco territorium eius ad Salzburg, pro anima Wichelmi.

CAPVT XIV.

Traditiones in Trungoue.

GRAMAN Comes comparauit ad Adalhardum filium Helisæi proprietatem suam, ad Albinsuelt, in Trungou, cum condigno pretio, & hæc tradidit ad Salzburg pro anima sua post obitum suum. Quodque postea Kozpert concambiauit ad Arnonem Episcopum, deditque proprium econtra super Trunam fluuium. Ritant vir nobilis in Trungou super Grunpach fluuium, tradidit portionem suam in territorio, & in syluam cum cōparticipibus suis ad Salzburgensem sedem. Herman vir nobilis dedit iugera III. & in sylua iugera. V. in longo & in lato, virgas XII. in Vskou, ad Pachmannum. Arno Archiepiscopus concambiauit ad Pachman I. territorium & syluam à tribus

fratribus, id est, Reimbotone, Kozbotone, ac Putulungo, & dedit eis quod fuit sancti Petri, de dato Eginolfi in Lambach. Ratbercht vir nobilis dedit ad Grunbach pro se & coniuge sua iugera sex. Helerger de Suanse dedit de territorio iugera triginta tria. Matholt vir nobilis, ac Pachmann seruum suum, Haderbertum cum coniuge & filiis, præter Heribertum, cum omni quod habuit idem seruus.

CAPVT XV.

Notitia prædiorum ad Chyricheim.

DAVID Presbyter vir nobilis ad Salzburg, totum dedit quod habuit ad Chircheim. Affrit vir illustris, dedit omnes res suas quas habuit in Chircheim. Graman vir nobilis, dedit res suas proprias quas habuit ad Chircheim. Adalfrid vir nobilis, dedit quicquid habuit iuxta Chircheim. Pazzerich vir nobilis, dedit pro matre sua, iugera in agris triginta, & de pratis similiter in Chircheim, & quicquid illa habuit, id est, Pazzerich dedit tertiam partem de rebus suis post obitum suum in Chircheim. Cætera vero omnia dedit Arnoni Episcopo in concambium, quod ibi habuit Hadebertus frater eius in Chircheim. Quod concambium inter cæteras chartas continetur. Pillunch dedit Arnoni Episcopo, quicquid habuit in Chircheim. Eicho dedit Arnoni Episcopo in concambium totum quod habuit in Chircheim.

CAPVT XVI

Ad Putelingen.

GVNDELBRECHT tradidit seipsum & totum quod habuit in Putelingen. Patahilt dedit coloniam vnam in Putiling. Asfrio dedit duos mansus cum omni possessione sua in Puteling. Graman dedit familias sex cum omnibus quæ habuerunt in eodem loco.

Frumolt dedit totum territorium suum domus suæ pertinens in Puteling. Vto & Petto dederunt iugera septuaginta in Putelingen. Ebermunt dedit colonias duas cum tribus mancipiis in eodem loco, in Puteling. Gotschalch dedit medietatem domus suæ, & omnia ad eam pertinentia, & mansus tres cum tota possessione eorum in Putelingen.

CAPVT

CAPVT XVII.

Ad Tagahartingen.

EGILA illustris fœmina dedit dotem suam, quam Etih Comes & viceius dedit ei in Tagahartingen, cum omni eius ibi possessione. Gisilpert illustris vir dedit omnia quæ habuit in Tagahartingen. Hiltrat dedit totum quod habuit iuxta Tagahartingen ad Holz. Matholf Clericus pro fratre suo Richolfo dedit iugera triginta, mancipia duo in Tagaharting. Engelschalch dedit ad Fuhte iugera nouem. Oetinch dedit iuxta Tagaharting, ad Ruzmos colonias duas. Graman & Walpercht fratres dederunt syluam bonam iuxta Tagaharting. Wato & Adalunch, dederunt mansum vnum cum omni possessione sua ad Tagaharting. Rihholf omnia sua dedit ad Tagaharting: Sed Dauid gener eius medietatem abstulit. Altunch Presbyter dedit sua ad Tagahart. Vto dedit quartam partem territorij sui, & vnum seruum manentem cum omni possessione sua ad Tagaharting. Ad Fuhto est vendicatio de ipsa re. Egilolf dedit domum suam cum omnibus ibidem pertinentibus, & de terra arabili iugera decem C. in Tagaharting. Præstaria Engelfridi & Gunberti & Osrici, quæ habuerunt de Tagahartingen. Christina dedit omnia sua propria in Tagaharting. Concambium factum est cum Grimberto qui dedit ad Megilingen, & ad Matfrideshusen. Megilo Presbyter, & Erliran frater eius dederunt sua propria quæ habuerunt ad Fuihte iuxta Tagahartingen. Confirmatio terminorum facta est de traditione ipsa, quam Wenilo venator quæsiuit, sed per veraces viros inuentum est, & signa facta sunt. Meingoz dedit propria sua ad Tagahart. Cunrad dedit omnia quæ habuit propria in Taga. Into dedit omnia propria sua in Tuningen, quod est iuxta Tagaharting. Heimo Clericus, & Willipercht frater dederunt omnia propria quæ habuerunt in Gourichingen. Notitia qualiter Arno Episcopus conquisiuit traditionem Eginolfi à Wilhelmo filio eius, siue Etich Comitis ab Atan, idem Ecclesiam sancti Ioannis cum rebus suis & Chymberch ad Tagahartingen. Leutswint dedit sua propria ad Paldilingen. Engelhart Presbyter tradidit seipsum & suam Ecclesiam cum omnibus quæ habuit propria iuxta Tagahartingen & Megilingen.

CAPVT XVIII.

De Holzhuß & Torringen & circumiacentibus.

LEVPOLT liber homo dedit medietaté proprietatis suæ ad Holzhuff. Madehelm Presbyter dedit sua ad Widaha. Noë & Chunrich fratres dederunt tertiam partem proprietatis eorum quæ habuerunt ad Holzhuff. Sitil tradidit semetipsum cum omnibus quæ habuit ad Holzhuff. Arno Episcopus concambiauit cum Williberto quod habuit ad Holzhuff, & dedit ei aliud æquale ad Holzhuff. Similiter & concambiauit cum Fridianto Presbytero quod ille habuit iuxta Torringen, iuxta Pechilingen, & dedit ei quod fuit Reinberti Presbyteri. Iterum Arno Episcopus concambiauit cum Norberto & Irinhardo quod habuerunt ad Holzhuff, super Dizzen, & dedit eis aliud ad Holzhuff, quale Patih dedit portionem suam quam habuit in Torringen. Welmut dedit totam proprietatem suam quam habuit in Torringen. Albertus & filius eius Herde, tradiderunt quod habuerunt proprietatis eorum in loco qui dicitur Rorach. Wisigart dedit quod ei Vgo de suo proprio dedit ad Heidenmose, & concambiauit cum Goteberto ad Frigoltesmose. Gerloch dedit suum proprium ad Titmaningen. Gothalm dedit suum proprium ad Torlheim. E[illegible]hart & mater eius dederunt omnia sua propria ad Widaha.

CAPVT XIX

Ad Timutingen.

OTTO dedit quod proprietatis habuit ad Timutingen. Meil dedit suum proprium ad Timutingen. Wolfkoz dedit suum proprium, quod eius erat ad Timutingen. Adalbertus dedit ibi mansum vnum. Richart Clericus dedit suum proprium ad Timutingen. Othmar de Prunningen tradidit sua propria.

CAPVT XX.

De Raitenbaslach & Hadoluesbach.

GOZBERTVS dedit semetipsum & omnia quę habuit ad Raitenhaselach. Chunrat tradidit quod habuit proprium ad Raitenhaselach. Fœmina quædam tradidit quod habuit proprium ad Raitinhaselach. Gundich dedit ibi proprium suum & econtra accepit aliud

æquale ad Holzhuff vsque ad obitum suum. Asperth dedit similiter ibi propria sua. Asfrid, & Landrich atque Attich, dederunt ibi propria sua præstaria Gumboldi ad Chomindorf. Wolfke tradidit propria sua ad Rotenhaslach. Chunrich dedit post obitum suum quod habuit ad Hadeluespach. Isinper Presbyter dedit proprium suum ad Hadoluespach. Ellinper Presbyter dedit proprium suum in Hadoluespach. Cecilia dedit pro filia sua nomine Hilta dimidietatem territorij sui, quod dicitur Sellant, & III. colon. iuxta Heuningen cum seruis inibi manentibus ad Nigoltesowe.

CAPVT XXI.

De prædiorum traditoribus apud Moringen.

GRAMAN dedit pro se & matre sua & sorore proprium illorum communiter in villa Moringen. Maza vxor Gramanni & soror eius confirmauerunt superscriptam traditionem ipsius ad Moringen. Welmut dedit suum proprium ad Moringen. Gerbolt tradidit semetipsum & proprium suum ad Moringen. Arnolt & Heitto sua propria tradiderunt ad Moringen.

CAPVT XXII.

Item alia.

ARNO Archiepiscopus concambiauit cum Rihhone, deditque ei ad Moringen, quod tradidit proximus eius Graman, & accepit ab eo iuxta Raitinhaslach, in loco qui dicitur ad Hoize. Williher comes ad Hadoluespach dedit omnem proprietatem suam ad Salzburg. Cōcambium factum est cum Adilberto Comite, deditque idem Comes Arnoni Episcopo ad Zilarn, quod ad Heribertum virum nobilem conquisiuit, & accepit ab eo ad Haslach Ecclesiam & mansum vnum cum aliis rebus suis. Concambium fecit Theodan Presbyter cum Vtone nobili viro, deditque eidem Vtiloni ad Zilarn quod inconueniens erat, ad ipsam ibi Ecclesiam, aptiora. Concambium fecit Arno Episcopus cum Adalone viro nobili, tulitque ab eo ad Hadoluespach, quod suum ibi erat proprium, & dedit illi æqualia in loco dicto Puch.

CAPUT XXIII.

Item ad Trun.

GEBEHART dedit omnem medietatem suam de rebus propriis ad Trun. Chumi dedit ibi omnia sua propria. Ato dedit omnia sibi in proprietatem pertinentia ad Trun. Alawart dedit suam portionem ad Trun. Inde habet Weideher illa prata in beneficio. Arno Episcopus fecit concambium cum Wolfoliz & dedit ei ad Trun iuxta suum proprium, & accepit ab eo ad Nuzdorf in eodem pago ad illam Ecclesiam. Weifher dedit proprium suum ad Nohendorf. Wasgrun dedit medietatem suam propriam ad Tanne, post obitum suum concambium factum est cum Pillungo & fratre eius Willberto ad Vbersee, & illi ad Amarwange tulerunt. Weidemann dedit ad Vberse, & accepit ad Kadoltesperge.

CAPUT XXIV.

De translatione sancti Rudberti.

Hoc est caput quartum Vitæ S. Rudberti tomo 2. editæ.

OCTAVO Cal. Octob. translatio sancti Rudberti Episcopi, quæ facta est ab Episcopo Virgilio, qui fuit octauus ab illo, cum quo transtulit & duos Presbyteros eius: Sanctum Chunialdum & Gislarium, quorum festiuitas, quia nullo alio tempore aut die in anno habetur, eodem die nominatim, ad ipsam, ad quam translati sunt Ecclesiam, statutum est celebrari. Quorum translatio postea eodem die renouata est. Eodem die post ruinam, & consecrata Ecclesia, mutatis Altaribus, à beatissimo & sanctissimo Hartwico XXII. Episcopo, & XII. Archiepiscopo iterata est: Eorumq; corpora tunc posita sunt ad corpus sui quondam & compatriotæ S. Patris Rudberti. Cuius translationis dies eo ipso die, id est, octauo Calen. Octobris, per totum Episcopatum illud Salzburg, statutus est celebrari. Quæ dies officiis dedicationis Ecclesiæ, in qua corpus iacet, in tantum est occupata, vt huic celebrationi eius plene nequeat deseruire.

Et dies transitus eius VI. Calen. April. die resurrectionis Dominicæ, propter officia Quadragesimæ, vel ipsius Paschæ, raro sic, vt dignum est, contingit celebrari. Ideo postera dies, id est, septimo Calen. Octob. illi consuetudinaliter inofficiatur, atque vacatur, sed intra vrbem illam tantum. Ex qua consuetudine translatio eius, quidam consignari in dicta eundem transscripserunt, sicut in quibusdam martyro-

tyrologiis habetur. Et etiam congruum ac religiosum est, vt quicquid alia obseruatio illius celebrationis diebus dormitionis illius ob reuerentiam Quadragesimalis officij, vel Paschalis obseruantiam gaudij ademit, qui auctor sedis & Apostolus extitit regionis, hic saltem in domo requiei suæ, illa assumpta die translationis suppleatur.

ANNO *ab incarnatione Domini DCXXIII. ab ordinatione Bonifacij quinti Papæ tertio, & regni Eraclij Imperatoris decimo tertio, post obitum magni Gregorij viginti annis & quinque mensibus euolutis, die Dominica resurrectionis, vt legimus, beatus Rudbertus primus Iuuauensis Episcopus ad Dominum migrauit.*

Hæc in Vita S. Rudberti tomo 2. edita desiderantur.

Anno incarnationis Domini DCCLXVII. Virgilius Episcopus cœpit ædificare Ecclesiam miræ magnitudinis apud Salzburg indictione septima.

Anno incarnationis Domini DCCLXXIII. dedicata est primò Ecclesia sancti Rudberti à sancto Virgilio Episcopo anno vigesimo sexto regni Thassilonis Ducis. Eodem anno transtulit idem Episcopus sanctum Rudpertum & duos eius Capellanos, beatum Kunialdum atque Gisilarium.

Anno ab incarnatione Domini DCCLXXXII. indictione quinta, consecrata est Basilica in insula Kiemesse stagno, & Monasterium constructum prima die Septembris.

NVMERVM annorum à transitu sancti Rudberti definite scriptum non reperimus, coniectura tamen horum potest fieri ex consideratione temporum, in quibus fuisse legitur. De temporibus eius legitur sic: Temporibus igitur Hildiberti Regis Francorum, anno scilicet regni eius secundo, venerabilis Confessor Christi Rudbertus in Wormatia ciuitate Episcopus habebatur. De die obitus eius, qui in VI. Cal. April. celebratur, sic legitur: Die orto resurrectionis Christi, Missarum solemnia lætus persoluit, & munitus corporis & sanguinis sacramento, inter verba fratres confirmantia tradidit Spiritum. Et alibi. Sic suum contigit Phase, sacro Paschæ tempore. *Inuento autem tempore Regis, inuenire deceret tempora Episcopi. Temporibus igitur Tyberij Constantini, & Mauritij Imperatorum Romanorum, Hildibertus Rex Francorum, filius Sigiberti & Brinhildis extitisse legitur, anno Dominicæ incarnationis DLXXV. Tyberius Constantinus regnauit, anno incarnationis Dominicæ DLXXXVIII. Hildibertus XXII. Mauritius regnauit item anno incarnationis Dominicæ DLXXXVIII. Hildibertus filius Sigiberti super

Hic incipit caput quintum Vita S. Rudberti tomo 2. edita.

** Inuenta autem tempora Regis, inuenire decerent.*

Francos regnauit anno incarnationis Dominicæ DXXXIII. Focas regnauit, qui post Mauritium factus est Imperator. Circa hæc tempora sanctum Rudbertum vixisse patet. Requirat autem nunc qui vult, vbi ante annum DCXXIV. Dominicæ incarnationis, aut post eundem annum Dominicus Paschæ in VI. Cal. April. euenerit, vt habet nec ante nec post illum terminum longius, quam humanæ vitæ mensura, idem, si quis hoc antè inuenerit, inuenire poterit, quot anni sunt à transitu S. Rudberti. Si autem alieno inuento credulus esse maluerit, qui semet * huiuscemodi indaginis labores desperet attingere, sciat, quod DCXXIII. dies, anno incarnationis Dominicæ, ante supra notatum annum, & post eundem * DCXXIX. dies Paschæ VI. Cal. April. in quo è duobus anno, ipse de quo sermo est, sanctus obierit, non legi. Considerata tamen superiori temporum conspectu, dubium non est, eum in vno eorum obiisse. Et quamuis certum non sit, si superuixerit, DCXXVIII. quo dies Dominicus Paschæ in VI. Cal. April. venit, certum tamen est, eum non superuixisse * DCXXV. annum Dominicæ incarnationis, in quo similiter dies Dominicus in VI. Cal. Aprilis euenerat. Si autem annum incarnationis in quo similiter dies Dominicus Paschæ in VI. Cal. Aprilis euenit, altius repetere voluerimus, vt videlicet sub primo Hildiberto Francorum Rege Chlodouei seu Ludouici filio, qui temporibus Iustiniani magni & primi regnabat, sanctum Rudbertum claruisse contendamus, tunc in altero subscriptorum anno eum obiisse constat, siue DXXXIV. anno Dominicæ incarnationis, siue DXLIV. anno, in quibus ambobus dies Dominicus Paschæ VI. Cal. April. euenit. Ideo, quod inter duo dubia certius est eligamus, & computemus annos de transitu S. Rudperti ab anno DCXXIII. Dominicæ incarnationis. Sunt autem a transitu eius vsque ad præsentem annum, qui est Dominicæ incarnationis annus millesimus, centesimus, octogesimus sextus, anni quingenti septuaginta tres. Ipse est annus trigesimus sextus, nonus regni Friderici Impera-
toris.

ad huiuscemodi. *DCXXVIII.* *DCXXVIII.* *Quo tempore vixerit Auctor.*

INCI-

INCIPIT VITA SANCTI VIRGILII EPISCOPI SALISBURGENSIS.

AD præſentem beatiſſimi Patris noſtri Virgilij memoriam, ſuperna beatorum ſpirituum curia, & cœleſtis mater noſtra congratuletur Eccleſia, quæ dum tantæ prolis fœlici fœliciter aſſumptione* donatur, multorum multo fœlicius per eam filiorum cottidie acquiſitione multiplicatur. Exultet & ſupernæ ciuitatis filia in huius adhuc peregrinationis exercenda militia, quæ patronum ſibi iam videt in cœlis, quem paſtorem habebat in terris, quem ſicut in via Ducem ſociumque laboris acceperat, ſic per eius ſuffragia particeps ipſius conſolationis in patria fieri non deſperat. Præcipua vero ac ſingulari lætitia, ad tanti viri præconia noſtra ſpecialiter concurrat Salzburgenſis Eccleſia, quam ab idololatriæ nuper purgatam erroribus, primus ipſe in Carinthia verbo prædicationis excoluit, ſanctitatis exemplo fœcundauit, & miraculorum inſignibus mirabiliter adornauit. Ecce ſummi Patris agricola, ſicut oliua in domo Domini fructifera, quod ſeminauit in lachrymis, in gaudio recepit, qui quot ſpiritales Domino filios verbo ſalutis peperit, quaſi tot animarum manipulos veniens, in reſurrectionis exultatione portabit. Ecce fidelis Dominicæ pecuniæ diſpenſator & prudens, in gaudium Domini ſui intromiſſus fœliciter exultat, quia ſuſcepta verbi menſura, familiam Domini fœliciter aluit & ſapienter inſtruxit, qui collatum ſibi diuinæ gratiæ talentum in aliorum ædificatione multiplicatum Domino reſtituit, ad cuius vitam temporalem inueſtigandam miracula, quæ per eum Dominus operatur, nos diligenter hortantur.

* dominatur.

SEQVITVR IPSIVS SANCTI VIRGILII VITÆ ENARRATIO.

BEATISSIMVS igitur Virgilius in Hybernia Insula de nobili ortus prosapia, litterarum studiis ita animum applicuit, vt inter doctos sui temporis atq; clymatis doctissimus haberi potuisset. Morum etiam honestate nihilominus clarescere studuit, vt tamen non virtute relicta, inuidiam quorumlibet placãdo, dictum illud exoptabile in se digne meruisset transferri: Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione est, cuius nomen exquiretur à generatione in generationem. Vt itaq; Dominus misericordiam suam à progenię in progeniem extenderet, seruum suum Virgilium, strenuum vtiq; Dominicæ vineæ plantatorem, & futurum Carinthiæ Apostolum, de natali solo Hyberniæ in Franciam misit. Vbi ab illustri Francorum Rege Pipino, qui maior domus dicebatur, apud Carisiacum honeste exceptus fuit. Et quia litterarum scientia cum morũ honestate in ipso exuberauit, Rex eum sicut tubam Euangelicæ prædicationis, libenter audiendo, secum fere duobus annis propter Dei amorem retinuit.

Temporibus vero Ottilonis Ducis Bauarorum, qui tunc cum tota Norica prouincia subiectus fuit prædicto Regi Francorum. Salzburgensis Ecclesia, quæ ab antiquo vocabulo, à iuuando, dicta fuit Iuuauia, proprio carebat Episcopo. Sed Rex Pipinus princeps per omnia Christianissimus, ad incrementum Ecclesiæ Dei non modico suspirans desiderio, Episcopatum Salzburgensem pro debito regiæ magnificentiæ, sancto concessit Virgilio, cumque prænominato Duci Noricorum, vtpote amico charissimo transmisit summo cum honore suscipiendum. Vir itaq; Domini dissimulata ordinatione ferme duorũ annorum spatiis habuit secum laboris & coronæ participem Episcopum comitantem de patria, nomine Dobda, ad persoluendum Ecclesiasticum officium. Postea ad instantiam populi, necnon assidua Coepiscoporũ suorum exhortatione inductus ab ipsis, vnctionem Episcopalem suscipere consensit, ordinatusque est à prouincialibus Præsulibus, anno natiuitatis Domini DCCLXVI. XVII. Cal. Iulij.

De-

Deinde prout commissæ dispensationis auctoritas exigebat, quod ore, diu noctuque docuit, operis exhibitione implere non cessauit, in vigiliis, in ieiuniis, & in charitate demum non ficta. Ea etiam quæ ad exterioris pertinebant vtilitatem prouisionis, tanto solicitius studuit promouere, quanto status Salzburgensis Ecclesiæ tunc nuper initiatus & exiguus, postea DEO cooperante, vt liquido apparet, religione & possessionibus famosissimus, id expostulare videbatur. Quippe fabricam Monasterij immenso opere & egregia dispositione à fundamento construxit, corpusque sancti Rudberti, quod post obitum suum in Ecclesia beati Petri principis Apostolorum requieuit vna cum sede Episcopali, quæ in prætaxata Ecclesia similiter per aliquot annos extiterat, diuina commonitus inspiratione transtulit in eum videlicet locum, in quo vsque ad præsentia tempora perdurauit.

Temporibus vero gloriosi Regis Francorum Dagoberti, Samo nomine quidam Sclauus, manens in Quarantanis, fuit Dux gentis illius. Qui venientes negotiatores Dagoberti Regis iussit interficere, & regia expoliauit pecunia. Quod dum comperit Dagobertus Rex, misso exercitu suo, damnum quod ei Samo contumaciter intulerat, iusta præcepit vltione puniri, & sic demum Regis seruitio subacti sunt.

Non multo post tempore cœperunt Huni eosdem Quarantanos hostili seditione grauiter affligere: fuitque tunc Dux eorum Boruth nomine, qui Hunorum exercitum contra eos videns, interim Bauaris nuntiare fecit, rogans eos sibi in auxilium venire. At illi cum magna festinatione venientes, expugnauerunt Hunos & obfirmauerunt Quarantanos, seruitutique eos Regum subiecerunt, similiter & confines eorum. Duxeruntque inde obsides secum in Bauariam, inter quos erat filius Boruth nomine Carastus, quem pater eius more Christiano nutriri & baptizari postulauit, quod ita factum est. Similiter de *Chetimaro filio fratris sui fieri rogauit. Mortuo autem *Borutho, iussu Francorum Regis, Bauari Carastum, Christianum factum, petentibus eisdem Sclauis, remiserunt, & illi eum Ducem fecerunt, sed postea ille tertio anno defunctus est.

* *Chettumaro.*
* *Coruth.*

Iterum autem permissione Domini Pipini Regis, ipsis populis idem petentibus, Chetimarus Christianus Ducatum suscepit.

Suggerente vero quodam Presbytero, nomine Maiorano, qui à S. Virgilio in *Iuuauo Monasterio manus impositionem acceperat,

* *Iuuaum.*

quem

quem secum propter doctrinam Christianæ religionis detinuit, ad Iuuauense Monasterium specialiter caput suum in seruitium Dei declinauit, singulis annis, quo dum vixit, in signum subiectionis suæ aliquod obsequium illuc persoluendo.

Peractis autem aliquantis temporibus, prænominatus Dux Karantenorum petiit S. Virgilium Episcopum visitare populum gentis illius, eosque in fide firmiter confortare. Quod * tunc ille minime implere valuit, sed sua vice misso, suo Episcopo nomine Modesto ad docendam illam plebem, & cum eo Watonem, Reginbertum & Gozarium atq; Latinum Presbyteros suos, & Ekihardum Diaconum cum aliis clericis, dans eis licētiam consecrare Ecclesias, ordinare iuxta Canonum definitionem, nihilque sibi vsurpare quod decretis sanctorum Patrum contrairet. Qui venientes Karantanis dedicauerunt ibi Ecclesiam sanctæ Mariæ, & aliam in Liburnia ciuitate, & in aliis quamplurimis locis, ibique Modestus Episcopus permansit vsque ad finem vitæ suæ. Eo igitur defuncto Episcopo, postulauit iterum * Chetmar Dux Virgilium Episcopum, si fieri potuisset, ad se veniret, [illegible], orta seditione quod * Carniula dicimus, sed inito consilio dimisit ibidem Latinum Presbyterum. Et non multo post, orta alia seditione exiuit inde ipse Latinus Presbyter. Ea vero sedata, misit iterum Virgilius Episcopus Madelhohum Presbyterum, & post eum * Warmannum Presbyterum. Mortuo autem Kettimaro, & orta tertia seditione, aliquot annis nullus Presbyter ibi erat, vsque dum Watunc Dux eorum misit iterum ad Virgilium Episcopum, & intente postulauit, vt ad cōfortandam in fide prædictam terram aliquos destinaret Presbyteros. Petitioni igitur memorati Ducis, & incremento sanctæ Ecclesiæ consulens, misit * Heimonem & Reginbaldum Presbyteros atque Maioranum Diaconum cum aliis Clericis viris * vtique religiosis & honestæ conuersationis. Et non multo post misit iterum ibidem eundem Heimonem, & Dupliterum ac Maioranum Presbyteros aliosque Clericos cum eis. Iterum misit eis Gozarium, Maioranum, Erchenbertum & Augustinum Presbyteros. * Item Reinbaldum, Gantharium.

HIs ita gestis, ad extirpandam funditus & eliminandam, si qua * vigere visa est barbaricæ superstitionis idololatria, atque ad confortandam penitus in fide, frequenti prædicatorum diligentia, plantatam suæ diœcesis Ecclesiam, prouidens, ac prouida circumspecti pastoris vigilantia, per villas & prouincias verbum vitæ vbertim seminando,

Margin notes:
* *Etiam.*
* *Chetmaer.*
* *Carinula.*
* *VVargiamnum.*
* *Hermonem.*
* *Vbique.*
* *Post eos Rembaldum, Reincharium, Presbyteros. Item Rembol-dum, Gimcharium.*
* *al. in re, al. in genere.*

nando, diu desiderabiliter optatam ouibus suæ propé [illegible] præsentiam exhibuit. O quanta Principum cuiuscunque religionis obuiam illi cum pompa præcedentium exultatio! quam laudabilis spiritalium virorum vicissim stipatim imo certatim Dominum & Patrem suum inuitantium deuotio, quorum profecto petitionibus, vbi ille sanctitatis & gratiæ plenus, omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret, zelo pietatis obediens, Ecclesias consecrabat, & per Karinthiam sensim transeundo ad fines Hunorum, vbi Drauus influit Danubium, quo etiam postea tempore Arnonis primi Archiepiscopi territorij Salzburgensis, termini, Chronicis attestantibus, extendebantur, saluberrimæ visitationis vsus officio pertransiit, palmitesque cœlestis vineæ propagando, Clericis ad sacros ordines promouendis, vt singulos arbitrabatur dignos, benedictionis suæ manum imposuit. Inæstimabilis igitur sanctitatis & meriti, beatus Dei præsul Virgilius, feliciter & strenue laboris sui cursu cōsummato, post emensas pelagi mundani tempestates, ad metam huius peregrinationis, & ad portum salutis Iesum Christum declinans, dissolutionem sui* corporis, iuxta necessitatem conditionis humanæ imminentem diuinitus sibi reuelatam longe ante præsciuit, quam Euangelicæ Dominus vineæ sub persona patrisfamilias ex conuentione diurni denarij corona immortalitatis remuneraturus, pro temporalibus æterna, pro terrenis fœlici commercio tribuens cœlestia, de carnis ergastulo liberandum, huiusmodi vocibus creditur inuitasse: Virgili, seruus meus es tu, quia in te complacuit animæ meæ, ingredere iam in l.c. *& l.s.t. *Quam vero mira & ineffabilis diuinæ dispensationis effulget prouidentia, quæ dum sanctum suum Iuuauensi Cathedræ præficiendum olim ab vltimis Occidentalis hesperiæ partibus aduexerat, ibidem pariter depositionis ei mausolum de mediis Pannoniæ finibus reuertenti præparabat. Rediens itaque celerius, & memoratam ciuitatem suam intuitus amarissime fundendo lachrymas, hunc visus est decantare versiculum: *Hæc requies mea, &c.* Celebrato denique diuini sacramenti mysterio, leni morbo correptus, Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXIV. Cal. Decemb. obdormiuit in Domino. Cuius corpus in latere meridiano Monasterij, cuius ipse duodecim annis fabricator, & in tertiodecimo consecrator extitit, prout tantum decuit Pontificem, honorifice fuit repositum, sacer autem spiritus eius, ciuium consortio gaudet supernorum.

** Corporis, deest.*

** d.s.s.*

** Qua vero misericordia.*

Kk DE

DE MIRACVLIS SANCTI VIRGILII EPISCOPI.

ANNO vero Dominicæ incarnationis M. CLXXXI. decimaquarta Indict. XIV. Cal. Martij, sub Alexandro Papa III. Apostolatus ipsius XXI. & vltimo. Regnante serenissimo Principe Friderico Romanorum Imperatore augusto, anno regni eius XXVIII. & conregnante sibi filio eius Heinrico Romanorum Rege gloriosissimo. Otto de Witelinspach inclyto Duce Bauarię ducatum tenente: supram[illegible] fabrica Monasterij, quæ schismatis persecutione conflagrante, ante aliquot annos diruta & diruenda deperierat, sumptibus & iussu præclarissimi pastoris Chunradi Salzburgensis tūc Archiepiscopi, Apostolicę sedis tunc in Alemannia Legati, Cardinalis Presbyteri S. M[illegible], Sabinensis Episcopi, modo autem Moguntinensis Archipræ[illegible], dum à fundamentis cœpit ædificari, sancti Spiritus cooperante gratia, & diuinæ maiestatis suffragante clementia, corpus beati Virgilij, quod ob immensi temporis antiquitatem ab omnibus ignorabatur, contigit reuelari.

Quadam die factum est, vt lapides è muro elapsi, aliquantulum intro spectandi aditum transeuntibus præbuissent, diligentius aliquibus *hoc ipsum considerantibus, concauitatis patuerunt indicia, & picturæ vetustioris deaurata illic visa sunt* schemata.

* licet.
* stemmata.

Porro Canonicis huius rei nouitatem perquirentibus, & [illegible] eiusdem muri aperturas patefacientibus, inuenta est B. Vi[illegible] post S. Rudbertum Salzburgensem Episcopum, tumba & [illegible] imago, eiusdemq; imaginis huiuscemodi epigramma.

Virgilius templum construxit schemate pulchro.

Et præterea dies obitus eius V. Calend. Decembris.

Idem vero dignus Deo Pontifex, vt in annalibus nostris [illegible]rimus maioris Ecclesiæ, in qua & sepultus fuit, primus extitit [illegible]dator, & B. Rudberti ac sedis Episcopalis in ipsam Ecclesiam, quæ [illegible]c est, pius translator. Tempus etiā quo dictus Pontifex [illegible] anno incarnationis Domini DCCLXXX. in eisdem annalibus inuenimus.

Ad tantæ igitur rei spectaculum plurimis nouarum rerum cupidis, vt fieri

vt fieri solet, confluentibus, non pauci à doloribus diuersis sunt alleuati. Cunctis autem qui accurrerant viri Dei reliquias venerantibus, iuuenis quidam Diaconus & Ecclesiæ eiusdem Canonicus, inter cæteros dictum locum patefaciens, ille vana curiositate magis, quam pia deuotione accedens præsumptuose effossa humo manum sinistram venerandis ossibus iniecit, omnibus eum redarguentibus & prohibentibus, & in prosperum hoc ipsum, sicut rei probauit euentus, successurum non fore asserentibus. Verum ille hæc omnia corde obstinato paruipendens, nihil de sanctarum violatione reliquiarum, quæ tot annis intactæ, ac decenti veneratione absconsæ latuerant, curabat. Interea fama inuentionis sancti Præsulis crebrescente, mulier de ciuitate Salzburg, cum in partu multis diebus laborans periclitaretur, per reuelationem nocturnam admonita, candelam ad mensuram sui corporis, super famuli Dei sepulchrum transmisit, candelaque incensa statim puerum enixa conualuit.

Quædam autem ipsius mulieris conuicanea cum irremediabili & diuturno viscerum dolore torqueretur, fidem eius secuta, eodem modo candelam transmisit, & subito curata est.

Tertio quoque miraculo, mulier quæ manuum contractione detinebatur, ad sepulchrum viri Dei deferens, in itinere sanata est.

Posthæc infans cæcus quinque ab ortu habens hebdomadas, à parentibus illius delatus, visum recepit.

Item mulier quædam à lippitudine oculorum curata est.

Sane Diaconus ille, quem præmisimus, horum miraculorũ incredulus, oblationes fidelium, quæ iam pia deuotione à plurimis illuc deferebãtur rapere, & vsibus suis attrahere nõ timuit, nec ea temeritate contentus, mulierculam ibidem orãtem, ipse sanctas reliquias subsannans, irreuerenter psumpsit repellere. Iuste igitur diuina vltione statim correptus à dæmone, oculis terribilibus, ore hianti circũquaq; discurrẽs sacrariũ introiuit, primamq; vexationis suæ & vesaniæ notã in quodã Presbytero, Ecclesiæ thesaurario, quẽ tunc forte solũ illic repererat ostẽtans, ipsum Presbyterũ pugnis alapis cęsum vnguibusq; diutissime laniauit. Superueniente asit vno ex mansionariis Ecclesiæ cũ Presbyter præfatus è manibus arreptitij sublatus interius sacrarij cubiculũ, ostio post se clauso confugisset, ipse arrepticius dæmone plenus, ad suipsius internecionem cœpit armari, & cum iam aliũ non videret in quem furorem suũ effunderet, vestibus omnibus exutus, vtpote nullũ vulneribus habens obstaculũ, rasoriũ corripuit plurimisq; ictibus valido co-

natu pectus cœpit transfodere, Presbytero & mansionario prædicto intuentibus, & præ pauore nimio accedere aut inhibere eum non audentibus. Verum cum pectus & manus vulneribus multis cruentasset, nec tamen vsquequaque, Deus ipsum ad maiorem & euidentiorem famuli sui Virgilij ostentationem reseruauit, præcordia perforasset, collapsus ad terram, toto conatu collum & guttur incidere temptabat. Tunc itaque Presbyter & mansionarius, qui prius ab eo refugerant, collapsum & in terra volutantem videntes, audaciter erumpentes super ipsum irruunt, ferrumque de manu eius eripiunt. Iam vero plurimi clamore excitati, ad ipsum iuuenem concurrere cœperunt, sed ipse elapsus in tenebris, quia erat crepusculum, cursu velocissimo turrim conscendit, & negotio perambulante in tenebris, eum * ad alia necis suæ conuertitur argumenta, funemque campanæ laquei vice collo circumdans de fenestra turris exiliuit.

* *forte instigante.*

Duo autem è pueris è vestigio ipsum insecuti, vbi turrim ascendebant, pendentem eum & palpitantem inuenerunt, retractumque Dei gratia iuuenem à laqueo absoluunt, & inter manus trahentes ad inferiora deducunt. Porro cum ad viciniã sepulchri beati Virgilij esset adductus, intra semetipsum frendens cœpit obniti, & retrorsum labi & corruere, manumque ne oculis sanctum videret sepulchrum admouere. Reportatur igitur ad Sacrarium concurrit Clerus vniuersus, psalmi, exorcismi, letaniæ, sine intermissione dicuntur. Cum in ipsis letaniæ precibus nomen sancti Virgilij inculcaretur, malignus ille inhabitator, qui vas illud possederat, auditum * sancti nominis non sustinens, frendens & dentibus horribiliter stridens, rugitum teterrimum emittebat, iuuenemque infirmum crudeliter discerpebat. Euidenter itaque cunctis qui aderant, quod ob illatam sanctis ossibus iniuriam, ita vexaretur coniicientibus, ad tumulum præfati caput & membra terribiliter quatiens, spumamque eiectans refertur, sonantibusque campanis plebs totius ciuitatis conuenit. Admotus autem sepulchro, ipsum sepulchrum conspuebat, dæmonque iam aperte incendium, quo à S. Virgilio pateretur proclamans, ac manum sepulchri violatricem tentans & gestiens dentibus corrodere, nisi ipsa manus abscinderetur, se non exiturum testabatur. Tum vero tantus ab vtroque sexu clamor exortus est, vt vox continuata cum lachrymis, non posse finiri videretur. Effertur deinde ab Ecclesia, & in lecto reponitur. Vbi dæmon à Sacerdotibus per tremendum iudicium & his similibus adiuratus, cur vas Dei in suam redegisset potestatem, in hæc

* *Nomen.*

verba

verba prorupit: Ego non sponte sed coactus veni, candelas & alias oblationes à viri Dei sepulchro ego abstuli, & nisi quantocius hæ restituantur, magister meus cum septem nequioribus intrabit spiritibus, & in perpetuum hic manebit. Cum vero candelæ diu quæsitæ, rursum ad dæmonis indicium inuentæ essent & allatæ, addidit idem dæmon corpus miserabile scopis *numero purificatis candelarum cędendum, ipsique iuueni post redditam sanitatem, diebus viginti ieiunandum. Poterat autē in afflicto iuuene, in quo regnabat & dominabatur iniquitas, videri miseria, & vnde non præsentes, sed & absentes non paruum potuissent percipere terrorem. Scopis enim allatis, candelis etiam relatis & incensis, in Ecclesia iuuenis præmemoratus, ad sepulchrum beati Præsulis totius multitudinis precibus & lachrymis comitatus refertur. Vbi dum scopis, sicut ostensum fuit, diutius cæderetur, astantesque vniuersi auxilium & misericordiam beatæ Dei genitricis Mariæ, necnon & sanctorum Nicolai, Rudberti, Virgilij præcipue suspiriis intimis exposcerent, spiritus ille nequam cum strepitu & sibilo non modico aufugit, multis circumstantium discessum eius & impetum sentientibus.

* mundi purificatu.

Liberatus ille à dæmonio & refectus sacramento viuifico, ad lectum semiuiuus reportatur. Ibi per triduum mutus permanens, indiciis manuum & scriptis intentionem animi exposuit, quod lingua non potuit, quia taciturnitas hæc, sicut postmodum patuit, incredulitatis pœna fuit. Admonitus vero à reuerendis Sacerdotibus, vt fidem circa se gestis adhiberet, & S. Virgilium miraculis clarescere crederet, manu & scripto renuit, & quamdiu renuit, vsum loquendi non recepit. Tandem cum mutus & animo & corpore deficiens in proximo moriturus crederetur, rursusque Dominico sacramento communicasset, & Sacerdos subintulisset, Si credis Virgilium Dei famulum, aperiat os tuum qui aperuit os Zachariæ Prophetæ, subito gutture & lingua resoluta, Credo, exclamauit, statimque loquendi vsum cum sanitate pristina recepit. Cum autem eo modo sanatus respirasset, Monasteria etiam & Ecclesias singulas, gratias Deo & sanctis agens, circuisset, quia fex eius nondum fuerat exinanita, ad pristinum reuersus est reatum, sanctique illius meritis, sine intermissione in vicinia sepulchri, & in conspectu populi exprobrans iterato meruit castigari, quia castigatus noluit emendari. Interrogatus enim, si circa se gestorum meminisset? contumeliose subiunxit: se sepulchrum sancti Pontificis, si non ab interrogatione quiescerent, prophanaturum & omni-

 modis

** Hac in hora.* modis euersurum. * Nec mora quasi percussus ad terram decidit, & ab assistentibus eleuatus, aliquantulum conualuit. Nec contentus eo cum vnus ex Canonicis infirmus ad sepulchrum ipsa nocte fuisset delatus, ipse iuuenis cum reliquis Canonicis pro infirmi salute illo oraturus occurrit, virum temerarie, & cum subsannatione, vt infirmum sanaret orauit, alioquin se non crediturum aliquos meritis ipsius sancti liberari. Sed & his similia adiiciens non orando sed subsannando, opem allato infirmo flagitabat. Confestim igitur tumuli supereminens tectum cum fragore maximo ita * intremuit, vt lapidibus grandinis concussum esse videretur. Iuuenis etiam ille qui a dæmonio liberatus, & pro sua quoque frequenter præsumptione colligatus, adhuc in sua pertinacia permanebat, iam denuo percussus coram omni plebis multitudine prostratus, incendio se conflagrare & mori proclamabat. Deportatus itaque ab Ecclesia [illegible] intolerabili dolore est detentus, donec se in sanctum Dei peccasse confitens, ad plenum credidit, & ad plenum liberatus est. Curatus autem demum, ea quæ prius celauerat, vexationis scilicet suæ ordinem exposuit: Quod nimirum tempore illo, quo sicut prædictum est, mulierem de sepulchro sancti repulit, spiritus ille immundus cum vento vehementi in specie vespertilionis os eius intrauit. Deinde cum tempus curationis eius adesset, beatum Nicolaum, quem ipse specialiter venerabatur, & præterea sanctum Virgilium aduenisse, velumque nigerrimum & longissimum, & nigerrimum vtrosque ab ore eius protraxisse, sanctumque Nicolaum subintulisse: In fratrem nostrum grauiter peccasti, veruntamen pro tua apud Deum intercessimus sanitate.

** intremuit.*

ISTIS admirandis & plura admiranda sunt addita, quod mulier de * Louffen / cæca & clauda, ad sepulchrum viri Dei, & visum recepit & gressum.

** Luffen.*

Item mulier de ciuitate Salzburg, neruis crurium longo tempore contractis, gressum retinere non valens, noctu diuinitus admonita ad tumbam S. Præsulis venit, & curata est.

Alius quidam de ipsa ciuitate, dorsum habens inclinatum & omnino sursum non valens respicere, manus etiam & pedes habens debiles, hocque tormento annis XII. detentus, ad sepulchrum ipsi dictum, repente sanatus est.

** Luffensis.* Item alius ciuis * Louffensis ex quadam neruorum dissolutione carens gressu, ad tumulum reptans manibus deuenit, & aliquam

diu

diu viri Dei auxilium implorans, plantis consolidatis sanus effectus est.

Item homo quidam de * Punningen/ (seu Prünningen) eodem morbo laborans, ad sepulchrum prætaxatum effectus est incolumis. * *Pemningen.*

Mulier quoque de villa Gredich/ manibus & pedibus contracta, ad tumulum eundem, cum magno omnium gaudio & admiratione sana recessit.

Duæ præterea mulieres conuenerunt, vna de ciuitate Salzburg, altera de * Aneua (seu Aniff) villa, ambæ oculorum lumine priuatæ, prior quidem annis viginti, subsequens autem tribus, & ad sepulchrum cum magna deuotione accedentes, visum repente vtræque receperunt. * *Auena seu Anena.*

Alio item tempore mulier * Pongounensis tribus annis contracta, & plurimis infirmitatibus detenta, ad iam dictum locum magno labore deducta, sanata est. * *Pongdonensis.*

Ipso tempore quidam infans de Halle, pedibus contractus, erectus est.

Item homo quidam Salzburgensis, * nota persona, pluribus annis cæcus, ibidem illuminatus est. * *notus.*

Quatuor deinde mulieres cæcæ singulæ plurimis astantium notissimæ, visum ibi receperunt, quarum vna de ciuitate Salzburg, reliquæ de viculis adiacentibus aduenerant, de Bischach / Gläß & Alben/ inter quas, quæ de Alben venerat, viginti annis cæca fuerat.

Subsequenti igitur tempore, duæ mulieres, vna cæca, altera dorsum ad genua habens inclinatum, curatæ sunt.

Ipso tempore puella cruribus contracta, & mulier surda & muta, sanatæ sunt.

Dehinc alia mulier cæca, visum ibi recepit.

Nec reticendum putamus, quæ Deus in remotis partibus, per merita S. Virgilij eodem tempore operari dignatus est. Hic enim ex veracium testimonio audiuimus virorum.

FRATER quidam apud Rottenhaßlach / amplius annis 40. in habitu Monachico religiosissime conuersatus, herniosus, & circa intestina ruptus multo fuerat tēpore, eaq; passione vires suas excedente, humano destitutus auxilio defecerat. Cū interim fama signorū B. Præsulis Virgilij, ad aures ipsius venit, cœpitq; Dominū intimis deuotissime su-

me suspiriis deprecari, vt per merita famuli sui Virgilij, pristinæ sanitati mereretur restitui. Hæc eo orante intestina cœperunt ad superiora, ad locum antiquum paulatim relabi, vt triduo vix expleto totus factus incolumis, modum suæ curationis omnibus aduenientibus prædicaret.

Alio item tempore paralyticæ duæ ad tumulum S. viri delatæ, mulier scilicet ætatis prouectæ de Seekirchen / & puella duodennis de Walwess, sanitatem pristinam receperunt.

Quidam de pago Chiemgow / cæcus ad ipsum tumulum veniens, deuotissime viro sancto se commendans, domum rediens in media itineris sui via visum recepit.

Quædam etiam puella de Matsee / curuam à natiuitate habens manum, ibidem in præsentia Cleri & totius multitudinis curata est.

Item puella de Perndorff / manum habens aridam & curuam, sanata est.

Item puer de Tusendorff / annos quatuor habens ab ortu, & adhuc prorsus incedere non valens, à patre delatus est ad tumulum, & pro debito naturæ & ætatis ambulare cœpit.

Puer quinquennis de Vochenburg / mutus & cruribus contractus à natiuitate, deportatus ad tumulum à matre, & vsum loquendi recepit & gressum.

Quidam puer de Juchten / mutus, & paraliticum habens brachium, vt nec ori posset applicare ad comedendum, optabilem recepit vtriusque mali curationem.

Clericus quidam Diaconus de Piene / meritis beati Virgilij derogare præsumens, dicebat: nulla Dominum pro eo, vel propter eum operari miracula, statimque correptus à dæmonio, tamdiu castigatus est, quo vsque ad sepulchrum viri Dei tractus, diuina miseratione & instanti fidelium supplicatione meruit liberari.

Adolescens quidam, filius Heinrici de Laymingen, idemq; Chunonis ex sorore nepos, à natiuitate surdus, ad sepulchrum beati Virgilij auditum recepit.

Item infans de Tusendorff / contractis pedibus à matre sua sepulchro superpositus, gressu recuperato surrexit curatus.

Puer quidam de Winheringen / curuus, distantia locorum venire præpeditus, ad tumbam beati Virgilij, per itinerantes misit candelam, ad mensuram sui corporis factam, qua allata & incensa, sospitatis ille consecutus est beneficia.

Qui-

Quidam ciuis Hallensis cambiendos ferens denarios, dum * equo vectus ad ciuitatem Salzburg tenderet, sepulchrumq; beati Virgilij visitare & pro facultate sua oblationem ponere secum tacitus proposuit. Veniens autem, vel negotij occupatione, aut obliuione distractus, insalutatis reliquiis domum redire cœpit. Dum igitur ab vrbe longius processisset, equus licet calcaribus vrgeretur, non tantum progredi recusauit, sed & restitit, quin imo ad ciuitatem regressus, hospitium vnde exierat rediit. Hospita vero domus, qua nunc causa rediisset, interrogante, cuiusdam negotij agendi gratia se reuersum confessus est. Rursus iter arripiens domumque tendens, non longe processus ab vrbe, sicut antea factus retrogradus, hospitium suum iterato petiit. Hospita iterum sciscitante causam sui reditus & satis mirante, finxit aliud sibi superfuisse negotium, simili reditu dispensatione diuina in tertia vice facta, indicauit denique rei veritatem, quo accepta via totiens reuocatus fuisset, quoniam iuxta propositum suum beato Virgilio votiuam * precum hostiam offerre neglexisset, quo facto, recto calle domum perrexit.

Item duo milites sepulchrum beati Virgilij visitaturi, clientulum quendam auditu carentem * currus moderatorem & aurigam ducebant, quibus ad S. Virgilij tumulum oblationes suas præsentantibus, & preces Domino fundentibus, ille dictus minister eorum simul cum illis astabat, & quia non est personarum acceptor Deus, ipse præ Dominis audiri meruit. Auditum enim sine mora recepit.

Quidam ciuis Hallensis puerum habens calculosum, medico aduocato rogauit eum, vt ferro lapidem excideret, sicque dolorem filij sui finire temptaret. Qui dum cultrum & alia instrumenta * applicare cœpisset, dictus puer, vtpote difficultatem medicinæ sustinere non valens, ad fletus quoque patrem commouit. Miseriæ igitur pueri dolentis, affectu paterno compatiens, amoto medico & infecto adhuc negotio, S. Virgilium obnixe & humiliter cœpit inuocare, vt cuius meritis innumerabiles per Dei clementiam essent curati, suus quoq; filius pristinæ redderetur sanitati. Nec mora, inter ipsa precantis verba, calculus à puero elapsus, in manibus patris apparuit.

Quidam puer de Kraÿburg à dæmonio vexatus, & à matre sua ad sepulchrum beati Virgilij delatus, precibus fidelium & maternis fletibus meruit liberari.

Seruiens Ratisponensis Episcopi, in die Paschali communione Dominici corporis suscepta, eadem die, videlicet Dominica, tabernam

* *Etiam,*

* *precum, deest.*

* *per terras.*

* *applicare, deest.*

præsumpsit intrare, vbi potationibus & ebrietati deditus, lasciuiæ potatorum interfuit. Meritam pro factis ergo pœnam recipiens, in tantam versus est amentiam, vt octo continuis diebus, nec cibum caperet, nec mentis vesaniam deponeret. In visu denique noctis, à beato Virgilio salubriter admonitus, modum reformandæ sanitatis edidicit, eo videlicet tenore, quatenus tumbam iam dicti Præsulis humili prece visitaret, sicque aspirante Dei clementia, sanitati pristinæ restitui non desperaret. Qua visione quibusdam exposita, iussu Domini sui, Ratisponensis Episcopi, custodibus sibi deputatis, ad sepulchrum beati ductus est Pontificis. Cui superincumbens, & preces quas poterat, Domino effundens, simul etiam lachrymis fidelium astantium adiutus omnimodę sospitati panem ibidem oblatum, nihilo hæsitans comedit, & sensus vigorem recepit.

Quædam mulier de Selehuben / grauissimo dolore præuenta, tanto languore præuenta est, vt omnibus de vita ipsius desperatis, in extremo mortis articulo agonizaret. Quæ dum pro se DEVM implorare, vtpote rationis vocisque beneficio destituta, minime suffecisset, astantium multitudo fidelium Domini ac Saluatoris nostri, pro ipsa cœpit inuocare auxilium: facta quoque commemoratione beati Virgilij, cum summa deuotione. Vnde factum est, vt in ipso momento mulier de lecto surgere, & pristina sanitate recuperata, sequenti statim die sepulchrum beati Virgilij cum laudibus & gratiarum actione visitaret.

Cum infinita Christianæ professionis turba ad tumbam viri Dei de longinquis partibus confluerent, vt à variis animæ vel corporis curarentur languoribus: Quidam homo de Megelingen / duces & notissimus incolis de vicinia regionis ad sepulchrum beati Virgilij tendentibus, solus ipse neglexit venire, hoc videlicet in animo * pertractans, quod nullis premeretur aduersis, vtpote suis rebus domesticis insumenda prosperitate compositis. Hæc eo cogitante, vnicum quem habebat filium octo annorum, vis tanta paralysis subito corripuit, vt ipsum voce & gressu priuaret. Vir ergo præfatus flebiles heu mœstos cogitur inire modos, & licet nimio dolore pro inopinato malo pene deficeret, ex ratione sibi cōsulens, doctorem suum Plebanū aduocauit, & inter verba confessionis ei totā seriem rei gestæ veraciter exposuit, vt digna Deo satisfactione promissa & suscepta pœnitentia, cōsilio Plebani ad sepulchrum B. Virgilij vna cum puero iter arripuit, atq; dum irent, languidus ille infirmitatis inuenit remedium.

* retractans.

Homo

Homo quidam de Owe/paralyticum habens filium, vouit eum ad tumbam Virgilij perducendum,& continuo in eodem loco sanitati pristinæ meruit restitui.

Quidam puer de Bohendorff/ quinquennis cæcus & contractus, secus tumulum viri Dei vtriusque incommodi beneficium recepit.

Quidam homo de Erlach/curuus, inuocato nomine sancti Virgilij, in eodem loco est sanitati redditus.

HIs prædictis omnibus, & hæc memoratu dignum æstimamus, qualiter homo quidam grādæuus de villa sancti Hippolyti,ad visitandum beati viri sepulchrum iter arripuit, & voti compos effectus, dum inter verba Sacerdotis exhortationis ad populum assisteret, habitu priuationem secuto cæcitatis oculorum tenebras amisit.

Mulier quædam audiens quantas Dominus virtutes operatus sit per famulum suum Virgilium,secus tumbam eius,diuinum implorat auxilium,per intercessionem viri Dei, in redeundo domum, visus recuperauit beneficium.

Item fœmina quædam de Aquilegia, à viro suo minus cauto quacunque rei causa in cubito non mediocriter cultro sauciata, sectisque neruis manum habens curuam & contractam, à multis eiusdem regionis incolis comitata, beati Pontificis tumulum cum debita reuerentia,suppliciter accessit: Sed quia tempus miserendi eius nondum aduenit, omnipotens DEVS admirationem distulit, infectoque negotio domum repedare cœpit. Iter autem cœptum peragens, dum in villa quadam secus Taurum montem pernoctaret, deuotissime nomen beati Virgilij, cum fletu vberrimo inuocauit, & in eodem loco curuitate manus deposita, pristinæ sanitatis vigorem meruit consequi.

Puer quidam de Linechardt/contractis cruribus officio gressus destitutus, adminiculo parentum ad sepulchrum beati Pontificis deportatus est, cui etiam superpositus in somnum salutiferæ dormitionis corruit,euigilans autem, vsu gressibilitatis restituto, cum magna admiratione astantium ambulauit.

Item fœmina de Matsee/dorsum habens incredibili curuitate tortuosum, diuinam clementiam flagitauit, quatenus meritis beati Virgilij, cuius tumbæ accubuerat, speratæ curationis inueniret remedium,statimque fidei suæ commodum sortita est effectum.

Quidam puer de Rospach/crurium contractione, ambulationis carens beneficio, communi more aptissime solidatis precibus, fidelium pro ipso beati Virgilij nomen inuocantium, perfectæ sospitati restitutus est.

ET quoniam omnibus se inuocantibus consuetæ pietatis opem beatus Dei famulus singulis pro necessitatibus suis semper exhibuit, quiddam mirabile, & satis memorabile subnectendum est, quod Monachus quidam de Rottenhaßlach/diutino languore scapulæ laborans, dum in comitatu Abbatis sui quodam tempore iter ageret, prætextata passione grauiter correptus, accepta via defecit, viribus corporis destitutus. Cæterum iuxta Monachicæ regulæ rigorem forte diem in quo flagella carnis Monachi de more suscipiunt, adesse contigit, & cum cæteris qui tunc aderant, etiam ille morbidus coram Domino Abbate prosternitur castigandus, partem quoque dorsi, videlicet saniorem plagis exponens, cum bene exaratam sensisset, alteram quoque cui pepercerat, in honore S. Virgilij, flagellari suppliciter postulauit, post cuius petitionis effectum plenariæ salutis adeptus est præsidium. O prædicanda & laudanda Christi pietas, quæ tanta celebritate, merita beati Virgilij, longe lateque declarauit, vt eius fama omnes cis marinas nationes impleuerit. Si ergo fidei constantia, vel recuperandæ salutis gratia Saxones atque Boëmi, ad tumbam viri Dei delonge inuitantur, mirari non oportet.

Nam mulier quædam de * Grace sicut lumine exterius orbata, ita piæ deuotionis lampade cordetenus irradiata, longo itinere laboriose consummato, sepulchro beati Præsulis humiliter aduoluta est, & inter ipsas supplicationes lachrymas illuminata cæcitatem deposuit.

* *Degernsee, corrupte, neque enim oppidum illud in Saxonia vel in Bohemia situm est.*

Plebanum de Theraz, ætate grandæuum, bonæ conuersationis virum & honorabilem, paralyticæ passionis morbus incurabilis adeo depresserat, vt dextri lateris, pes atque manus corpori debitum non possent impendere seruitium, imo quod erat grauius, lingua continuũ perurgebat silentium. Consolationis igitur diuinæ fiducia roboratus, reliquias beati Virgilij visitauit, quibus decenti veneratione salutatis, pedis officium gradiendo, vocis autem beneficium magnalia Dei prædicando, recepit: manus etiam languorem, in bona parte alleuiatum, omnibus euidenti veritate innotuit.

Vir quidam de Bonstorff/paruum habens filium, tanta ægritudinis mole grauatum, vt sine subleuante nequaquam loco moueri posset,

set, audito quanta Deus omnipotens per beatum Virgilium operatur miracula, votum vouit, vt ad tumbam dicti Præsulis puerum deferret. Nec mora, iter arripiens inclinata iam die villam hospitandi gratia intrauit, vbi paruulum præ nimia debilitate deficientem, & quasi moribundum relinquere proposuit. Eadem igitur nocte, candelam staturæ pueri comparem fecit, quatenus cœptam viam constanter emensurus pro salute filij sui, viuentis vel morituri, ad tumbam beati Pontificis deportaret, quem mane facto discessurus omnimodo spopondit, sospitati restitutum inuenit.

Sacerdos quidam cum intra sacramenta Missæ plebem admoneret, vt in die placito, ad visitandas seruorum Dei reliquias, beati Virgilij & Eberhardi, vnanimiter conueniret, à voto consentientis populi, quædam & honorata fœmina, non solum dissensit, sed etiam prorumpens, se nullatenus sepulchra famulorum Dei visitaturam aperte proclamauit. Huius autem præsumptionis contumaciam Dei patientia non statim repressit, sed postquam à luminibus exclusa est Ecclesiæ, in amentiam conuersa, domum suam deducitur, vbi inusitata & mirabili insania correpta, facie humotenus bruti animalis instar humiliata, gestus & proprietates porci simillimas expressit, vt iam non humana ratione, sed pecuali sensualitate vteretur. Omnibus autem qui aderant, vehementi stupore repletis, à quibusdam altioris consilij viris Sacerdos nomine Ioseph aduocatur, per cuius largas Psalmorum lectiones & efficaces benedictiones, quantulamcunque rationis partem recuperauit, vt & verba confessionis recitaret, & in sanctum Dei Virgilium se peccasse recognosceret, plenariam exinde satisfactionem Deo pollicens, tumbam memorati Præsulis visitare celebri voto proposuit, statimque Dominica communione percepta, pristinæ mentis redintegrato vigore, secum omnibus suis & præfatum Sacerdotem largis refecit epulis.

Quidam puer de Ecclesia S. Mariæ, manum curuam habens præsente magna hominum frequentia, ad tumulum beati Virgilij delatus, omnibus pro sanitate eius ad Dominum orantibus, carne rupta, & neruis crepantibus incolumitati est redditus.

ET quomodo cesset lingua carnis magnificentiam Saluatoris extollere, qui de lapidibus procreauit filios Abrahæ. Innouando enim signa & immutando mirabilia, Prophetam nobis & Archiatrum, diuina bonitas suscitauit, cuius virtutum potentia, de lapidibus filios

Abrahæ, id est, de incredulis fideles, de peruersis compunctos reformauit. Quis autem videntium prodigia quæ fiunt in populo veteris fermenti vitia non exuat, quis pœnitentiæ fructus dignos per fontem lachrymarum & contritionem cordis non faciat?

Cum puero de Hartspech / in articulis manuum contracto, intercessio beati Virgilij, in ipsa monumenti sui præsentia sospitatem pristinam compensat.

Cæci ergo accedite ad eum & illuminamini, & qui in grabatis paralytici iacetis ipso confortante glutinamini, quia ne longe exempla petantur: Puerum quendam de Müllstat / vndecim annorum curuum & cæcum à natiuitate: Nec non de celle in * Cylarn puellam quindecim annorum paralyticam plenarie curatos oculata fide conspeximus.

* Cylarnam.

Quantus ergo nostra opinione reputandus, quam thronis & dominationibus proximus est existimandus, per cuius inuocationem fœmina quædam de Aspach / manibus contractæ, & alia mulier de Suben in * vno brachiorum simili morbo debilitata, cœlestis remedij senserunt efficaciam.

* Strogne.

Nunc & omne genus humanum, Domini Iesu Christi prædicet clementiam, de cuius munere venit, vt beatus Pōtifex Virgilius omnibus sibi deuotis assit propitius: Nam ex tumba eius oleum sanitatis cuidam puellæ manibus & pedibus contractæ largiter emanauit & eiusdem salutiferæ vnctionis gratia, quidam paruulus de Kien / omnimutus à natiuitate, vocis organum recuperauit.

Adolescens quidam de Dirnstein / in vicinia Friesaci, manum habens aridam & inutilem, exoratam & optatam à sancto Virgilio suscepit valetudinem.

De ciuitate Ratispona institores ad nundinas per alueum Danubij, in loco qui dicitur Ardacher / cum naue maxima mercibus onusta descendentes, periculum illud ex concitatione fluctuum assidua vocatum Spielberg / inciderunt, nec mora procellarum impetuosissima vertigine inuoluti, multotiens girando aquarum violentia, scopulum in medio gurgitis eminentem, à quo causa tempestatis illius procedit, vellent nollent statim passuri naufragium accesserunt, vbi demum tanta fluminis importunitas æstuantis, miseris illis incubuit, vt turbo voraginis proram carinæ aqua semiplenæ sorbendo puppim in sublime attolleret, omnesque vniuersaliter, tam nautas quam cæteros adeo de vita desperatos redderet, vt armamenta * remigandi, tanquam nil penitus conferentia proiicerent, & quod solum

resta-

restabat in articulo mortis constituti, Dominum redemptorem mundi, pro salute animarum suarũ intentissime flagitarent. Tum vero gens illa inter confusos naufragij tumultus clemẽtissima Domini saluatoris dignatione commonita, mitissimi Confessoris & Antistitis S. Virgilij, de cuius miraculis & virtutibus plurimis, ante non pauca didicerant, omnes vnanimi ore cordeq; suppliciter inuocabant auxilium, quatenus ille cœlestis atq; supremus humani generis instaurator, qui omnium B. Pontificis nomen implorantiũ velox & copiosus est propitiator, per merita famuli sui, solitam & necessariam tribulatis exhibet suæ consolationis præsentiam. Ad huius supplicationis suffragiũ memorata nauis submersione sua mortis exitium breuiter cunctis impositura, super vndas altius eleuata sustollitur, & contra ictum fluuij decurrentis veluti funibus alligata traheretur, sine detrimento rerum & hominum secreto quodam & potenti nauclero, ad ripam vsq; perducitur.

Miles quidam de Pilstein/ ab alio milite captiuatur, filium suum bonæ indolis iuuenem obsidem pro se deposuit, qui per viginti hebdomadas & amplius durissimis vinculis in carcere compeditus, laboriosam & miserabilem vitam exegit. Memoratus autem iuuenis, videns se parentum adiutorio destitutum, in commemoratione beati Virgilij Confessoris Christi mitissimi cœpit diuinum subnixius implorare præsidium, de cuius miseratione confestim post expletam orationẽ, à vinculis absolutus, sine mora dilationis vrbem Salzburg adijt, reliquias sanctorum visitaturus, & condignas Deo liberatori suo sanctisq; omnibus, præcipuas vero S. Virgilio referens gratias. Rem gestam nobis exposuit veracius. Diffuso itaq; rumore, hoc virtutum odore placantur audientes, vt balsamo accurrunt fide sitientes ad domum gratiæ, & secundum multitudinem dolorum suorum consolatione percepta, refecti sunt in saturitate. Regna multa prouocant, quæ per sanctum Virgilium fiunt magnalia, & velut Bethsaidæ aquis, sic eius beneficiis sanitatis causa se immergit multitudo copiosa. Vnde & quædam in Vngariæ finibus nobilis matrona, cum iam diu oculis obtenebrata non videret, duos filios suos ad sanctum direxit, vt viam complerent, quam ipsa non potuit, vt si beorum oratione impetraret quod credidit. At illi continuo iniunctũ consummãt obsequium, iter arripiunt & itinere prosperantes, Iuuauum citius peruenerunt. O quam commendabile miraculum! Quadam sexta feria, cum iam opus fieret diuinum, obtulerunt filij, & eadem hora lux reddita est matri. Mirum in modum vna & eadem hora sanctus

Dei

Dei præsentem suscepit hostiam, & absentem illuminauit cæcam. Huius rei nescij discedunt confestim filij. At illis in obuiam nuntiatur, quod lux reddita sit matri. Hora vero inquisita & cognita, Dominū laudant & benedicunt mirabilem & gloriosum in virtute sua. Vere laude dignus in Domino consistit, qui vbique præsens adfuit, vt hic filiorum susciperet munera, & ibi matrem illuminaret à cæcitate sua. Sed quid referam? in Austria per sanctum Dei patratum fuisse multorum relatione cognoui.

Quidam à iudicibus patriæ captus est, in quadriga ligatur, distenditur, & sic in ciuitatem quandam plectendus ducitur. At ille præ timore pœnitens infœliciter lamentatur, ad beatum Virgilium vertit suspiria, ab illo petit protegi, à cuius ope nullū credebat refutare. Vice igitur Iesu Christi latroni crucifixo miseretur & releuat, distentum soluit & liberat, fugientem ne capiatur confortat. Vere laudandus est Christi Confessor, qui mortis reum à morte saluat. Noluit enim mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Qui taliter ouili Dominico hominem restaurat ne pereat. Quomodo etiam ouem suam esuriente lupo illæsum custodierit, fidelis attendat.

In confinio quoque nostro, in villa quæ dicitur Quantele, populus inter se beato Virgilio collectam fecit, & ille vitulum, ille agnum, quilibet prout potuit, attribuit. Ex quibus arietem quodam die lupus arripuit & concito fugiens secum ad syluam famelicus peruenit. Vnde non modicum doluit cuius animal fuit, hinc seipsum indignum iudicat, se simul & sua sancto displicere formidat. A filio igitur suo agnum expetiit vt reddat. At ille patris damna subsannans negat. Sed ecce mirabile, cum iam crastina dies illuxit, coram oculis aliorum in medio gregis lupum aries traxit. Quo relicto, arripuit filium, qui sanctis oblata reprobans, non condoluit patri. Patet ideo quod liberter ab hostili manu defendat hominem, qui sic esurienti lupo illæsam cohabitare fecit ouem. Huic miraculo concordat illa prophetia quæ dicit: Habitabit lupus cum agno, &c.

Item quidam homo de S. Ypolito, per duos annos & fere dimidium cæcitate percussus, cum iam audisset quæ fiebant per sanctum, lumen petiturus accessit, sed quia adhuc forte indignus erat, quod volebat non obtinuit. Vnde non modice dolens, pœnitentia ductus mente cœpit compungi, pœnam quam patitur suis commissis imputat, & confestim Deo & Sacerdoti seipsum deuote accusat. Pœnitentem itaque infixit pœnam indicens emeritam. At ille alius seipsum iudicans, ab esu

ab esu carnium annalem petit abstinentiam, vt eo purior effectus meritis sancti salutem mereretur consequi optatam. Humanám vero fragilitatem Confessor considerans, vix rogatus concessit. At ille libens suscepit, inchoauit, & fœliciter consummauit. Euoluto ferme anno, cæcus petit Iuuauum, sed ecce in via veniens sancto præstante Virgilio lumen recepit optatum.

Quidam miles de villa quæ dicitur Dienge, cum esset cæcus, audita fama viri Dei, spe simul & fide præuentus, sanctum petiit Virgilium, quo dùm iter arripuit, ecce via veniens, optabile lumen recepit. Cum itaque sancti Virgilij longe lateque fama diffusa crebresceret, ex diuersis nationibus confluxerunt languidi, & ex eius consolatione finem dabant mœrori.

Inter quos vnus de Erphesfort/accessit, vtraque contractus tibia, sed ab ipso, quem fide portat, vt iam in via melius haberet veniendo portatur, & in die S. Virgilij adueniens plene sanatus est. Reuertitur saliens, qui claudicabat adueniens, & qui antea infirmus fuit, iam sanus glorificabat Deum in omnibus quæ audierat & viderat. Sicut ille de Occidente, sic alter de Austria, quæ est in Oriente cæcus aduenit, sed sancti meritis illuminatus videns abscessit. Simile huic cito contigit, quia in inuentione S. Virgilij, quædam Ratisponensis cæca, lumen recepit. Et pulchre in die inuentionis sancti illuminatur, vt quanta meritorum luce resplendeat, qui inuentus est, in hoc miraculo testificetur.

Item quidam ciuis Frisacensis, Ruze nomine, ministerialem quendam Ducis de Stire, Ottonem scilicet de Græzen, quatenus nescio offenderat, à quo vindictæ causa insidiis circumuentus quid faceret nesciebat. Cum ecce humanum desperat auxilium, velut se scuto fidei, & ad B. Virgilium peregrinando fugiens, sua petit virtute defensari. Vnde mirum in modum redeunti obuiat aduersarius, sed ecce per sanctum compescitur, nudum pertimescit armatus, in tantum vt ita deficeret, quasi continuo moriturus. Vocato igitur Sacerdote confessus pœnituit, pacis fœdus cum ciue miles pepigit, & sic sanctum Virgilium petens conualuit. Sicq; contigit quod metuens securus, & qui fortior, factus est timidus, pauperi subdidit diuitem, & principi præposuit impotentem.

INCIPIT VITA SANCTI EBERHARDI ARCHIEPISCOPI SALISBVRGENSIS.

CVM vitas multorum de popularibus seu priuatis personis descriptas attendimus, ita vt non tam dignitas gestorum seu copia scriptorum beneuolentia apicibus appareat, in respectu horũ vitam gloriosi Eberhardi, sanctæ Salzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopi stylo satis superque suppetere vidimus, & hanc sub ignorantiæ modio linquere dedecus nobis, illi iniuriam duximus. Vnde omnium extremi, quibus aut proprie Episcopus, aut notus tantum conuictu, aut meritorum etiam magister olim extitit, * paginis patrem reponere aggredimur, non tam scientiæ quam dilectionis præsumptione inducti, * ne minimæ res ab aliis obmitterentur, timentes. Charitas omnia non sperat, de incertis veretur.

* paganum.
* hoc unum no.

IGITVR Eberhardo patria Norica, clarissimum genus, pater bene Christianus, cæterum in sæculi honoribus, mater vero in optimis operibus extitit, quæ eleemosynis, orationibus, ieiuniis pene continuis se transiens, ciboque, præter legumina raro indulserat. Ferrea virtus. Cuius bene gesta commendare hoc vno sufficiat, quæ Ecclesiam in honore sanctæ Mariæ perpetuæ virginis cum viro in * curte propria statuens, dimidio ferme miliario nudipes ad eam propriis humeris lapides ferre solebat. Huiusmodi actis iam nobilitatem illam sæculi abdicasse totam videbatur, nisi quod summa ingenuitas in seruitute Christi comprobatur. Trahebat ibi cum pedissequis suis, mulierum vtriusque conditionis non paruam turbam saxa portantium. Ad imaginem & similitudinem suam fecerat cæteras. Ita se natura habet, iu-

* ciuitate.

sta formam maiorum, minores se gerunt. Cernere erat longius per circuitum vnius imitatione, fœmininum genus melioratum. Suum hoc opus fecit matrona. Hinc meruit filium, de quo nunc agitur, digna dignum, qui optimam * pueritiam, ornatus disciplinis scholaribus consecratur, & in Babenbergensi Ecclesia liberalibus rudimentis traditur imbuendus, vbi docilis, attentus & beneuolus auditor, quantum magistræ Philosophiæ impenditur, tribus ex ea partibus nostis, Physica, Ethica, Logica, ostenditur. Hic itaque æuo tener, in tantum generis sui nobilitatem morum virtute transcendit, vt iam non puer, sed senex, non leuis, vt in tali ætate assolet, sed morum grauitate sapiens diceretur & canus. Et si aliquando carnalibus deliciis est temptatus, Dei mediante gratia, non est abstractus neque illectus. In his enim artibus, vel suis speciebus nulli postmodum facile inueniebatur secundus. Successit deinde fœlix adolescentia, vbi Pythagoricæ litteræ proportio à stipite indiscretæ pueritiæ, certam ætatem, * vel dextro ramo ad beatam vitam conuertit, vel leuo ramo, qui & decliuior, ad terrena & decliua flectit. Hinc quia dignus conspicitur, Canonicam præbendam in eadem Episcopali sede sortitur. Ibi vero honestissimus iuuenis in dextro ramo Mariæ optimam partem elegit, & clam Præposito, qui Turorum eatenus fuerat, ad Monasterium S. Michaëlis côuolans Monachalem habitum petiit & accepit. Regnum cœlorum * etiam iuuenes diripiunt. Maior pars ad malum proni sunt ab adolescentia sua, sed Eberhardus regno cœlorum vim fecit, & vim passus est. Quid enim Præpositus ageret? Ad nutum eius campanæ omnisonum dissonæ consonant, procedit ipse per semetipsum, cum vniuerso choro templi ad Monasterium, fratrem reddi imperant magis quam rogant, eripiunt magis quam recipiunt. Quia vero chorum Clericalem monastice tonsus non decuit, sumptibus datis, in Franciam cum magistro suo directus est. Vbi in tantum profecit, quod * sibi seniores suos sensu crescente subegit. O quam fœlix exiuit, sed multo fœlicior rediit, imo & futuræ fœlicitatis suæ, signum iam reuersus videre meruit, & aliis præmonstrauit. Cum enim quadam die post reuersionem parentibus suis in domo consedit, gallina adueniens, sub vestimento ipsius ouum magnum posuit, quasi quid in ipso sperari posset populo declarans, exeundo vt assolet vociferauit. Crastina quoque die in conspectu omnium indumento ipsius ouum, sed priore grossius reposuit, in quo bis facto, quod primo Abbatis, & postea Episcopi vice fungeretur, vt credi potest, significauerit. Veruntamen semper monasticum postea

* prouinciam.
* Vel, deest.
* est.
* sibi, deest.

in animo affectans ordinem, iuxta illud Poëtæ: *Naturam expelles furca, tamen vsque recurret.* Animus adolescentis cum esset natura * optimus, à proposito disuesci non potuit, donec factus quadragenarius, Episcopi sui Ottonis & fratrum conniuentia Monasteriū subiit, & directus est Spiritus Domini in eum à die illa & deinceps, vt in omni religione fieret nouissimus primus. Corpus suum ieiuniis macerat, orationibus protractis inuigilat, diuinis officiis totus inhiat, non murmurare superfluus, sed potius cum paupere Christo, pauper esse desudat. Apposita cui imprimeretur forma, erat Abbas suus Erbo, quem laudare satis, nisi alterum pene Ioannem, vel Eliam æstimando nescimus.

* *optimum.*

Per idem tempus germanos suos sæculares, genere, statu, rebus æque spectabiles, cum quibusdam propinquis vnus spiritus inuasit, in proprio fundo Monasterium Monachorum, de suis hæreditariis rebus construere. Delegatur in id operis absque mora, Biburgensis locus Mundiburdo, memorati reuerendissimi Episcopi, quo validius res effectum, effectus firmitatem haberet, destinatur eo dignissimus Eberhardus, tam nolens, vt consecrationem quinque annis refutaret. Sola enim cogitatio inhæserat, * genus Monachorum, & Monachorum ordinem * creare, ædificia, Ecclesias, moxq; in eremum siue cœnobium semet priuatum deponere. Nunquam sibi satisfacit humilitas, nec voto satiatur virtus, sicut & vitium. Post quinquennium cum Episcopo suo Babenbergense Romam trahebatur, erat enim cui nihil deerat, quod idoneum, quod clarum ad curiam. Affuit in illo ipso Comitatu serenissimus Eberhardus tunc Præpositus, post paulum vero in eadem Babenbergensi Ecclesia successor creatus. Hic Eberhardi nostri fidissimus semper & vnum par fuerat. Qui diligit iustum in nomine iusti, non perdet mercedem. Huic pergenti, negotium Biburgenses de consecratione Abbatis iniungunt magnopere. Pollicetur operam suam, nec minus exequitur, donec ipse per se Apostolicus Innocentius inuestiuit Abbatem & consecrauit dicens: *Confortare & esto robustus, in omnibus tecum sum.*

* *genus Monachorum &, deest.*
* *carere ædificia Ecclesiarum.*

ALIO tempore cum Romam pergeret, Appenninum montem accessit, cuius altissimo dorso arctissimo tramite vix transitus panditur. Ibi sub ipsis radicibus mulierculam conspicatur Martyrem inopia, plusquam Martyrem ægritudine, quæ montem transmittere volens voluntate, & difficultate cruciabatur. Vidit interius Abbas mori-

moribundum, fratremque comitantem appellat dicens: *Quid facimus pauperi Christo, ne in nouissimo veniens suggillet nos?* At ille idiota, vtpote idiota, minus vrebatur & dixit: Nihil mulieribus & nobis in tali articulo. Sed enim Philochristus rucino suo impositam innitens ipse manu retrorsum cauda equi transuexit. Felix qui diligit proximum plusquam seipsum. Cumque transduxisset onus, pietate adhuc vrebatur & dixit fratri. Quid tandem agimus? Miratur rusticitas & ait: Tempus tacendi pater. Tum suspirans quod solum poterat eleemosyna data afflictam sibi dimisit.

IAM tunc multorum bonorum præconio futurum se audiebat Episcopum, quod in vno probatum iri sat erit. Præfuit in vicino Abbas nomine Eppo, cuius vita magna, probitas maior, familiaritas maxima cum patre nostro pollebat. Hunc inuenit Deus, cui de schismate futuro post multos annos contra Papam Alexandrum prædiceret, quamque firma anchora solius tunc Eberhardi ex omnibus Alemanniæ Episcopis staret. Ad horum formam vidit per somnium prædictus Abbas. Et ecce vidua quædam. Vidua videbatur: & viduam Rex quidam impugnabat, & qui viduam adiuuaret non erat, nisi de Iuuauo Monachus quidam. Hic Eberhardus videbatur. Hic obstare solus pro vidua videbatur. Lucta hæc luctæ imago* vtrumque feruebat, donec mutatus est, & in calibem mutatus est Monachus. Proportionaliter ferrum duritiam, duritia inuincibilem signabat. Furebat autem non minus in illum, quam in viduam Rex, donec & ipse in canem versus apparuit. Qui habet aures audiendi audiat argumentum à simili: Quod intelligens qui viderat, retulit in auribus Abbatis & dixit: In veritate Iuuauo præsidebis, & erit tempus, quo solus Ecclesiasticis Alpinam sustentes. Sufficit tempori illi malitia sua.

** Vtrimque.*

Inter hæc ille paruus erat in oculis suis, & extra carnem in carne apparebat. Cernere erat carnalibus & spiritalibus, nouellum locum mirabiliter surgere, de nobilibus ac mediocribus, fratrum, sororũ, Monachorum, quibus nihil deesset in vlla gratia & probitate subitum examen feruere. Quid de conuersationis altitudine dicam? De Abbatis dignitate hæc omnia veniebant. Hic charitate, prudentia, discretione, misericordia, omnibusque virtutum charismatibus cunctis admirationi, sed amori, sed timori, sed exẽplo extabat. * Timebatur, sed filiali timore, de seruili metu nihil sciebatur. Laboribus deliciabatur non requie, intelligens iam illud Philosophi: Generosos animos labor nutrit.

** Detinebatur*

nutrit. Per se pauperum frequentius domum visitare nil præpediebatur. Illic inopum, maxime languentium, lauare capita & pectere in sinu suo, pedes etiam abluere, ac deosculari, cibum ipse potumque ad os mandare solebat. Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi scit, quod non mentior quæcunque scribo. Quinimo plura transiliens in dicendo & tacendo breuitati contendo. Dicam quod vidi, quod multorum attestatione, quod proprio experimento cognoui. Prædicationis efficacia ei mira nimis aderat, cunctis auditoribus commotionem semper cordis quamplurimis etiam fletum excutere, melius fabuloso Orpheo, qui modulationis dulcedine, saxa, syluas & feras attraxit, manes quoque inferni, mirum dictu, in lachrymas mouit.

Hospitalitatem namque sectabatur, quantum ostendit in milite, qui in cellam diuertens, potum Domino suo transeunti cum postulasset Monacho custode hospitum, magis Dominum interius vocante recessit. Comperta culpa Abbatis Monachum peditem vini scyphum Ratisponam ferre petitori præcepit. Quid ageret Monachus? Grandæuus erat, & nudiustertiano die venam minutus. Fratrem ergo comitem petiit pro testimonio, si forte in via deficeret. Quo dato vinum per tres leucas Scholastico Frisingensi miranti & lugenti, quod propter se accidit, ieiunus Imbripolim detulit. Quis non obstupesceret miraculum in tertiana minutione? Plane obedientia signum fecisse visa est, & omnes qui audierunt simile illi plaudebant gentili. Quære quid est virtus, & posce exemplar honesti. Et vocauerunt magistri in vrbe potum illum, potum obedientiæ. Nemo autem hæc audiens crudeliorem æstimet, quam misericordiorem, nam miserationes eius super omnia opera eius, vtpote qui iam labores, necessitates, frigora, famem, vigilias, magis experientia nouerat. Quæ experientia in omnibus quoque rectoribus ad omnia maxime conduceret, nam bella qui nunquam pugnauerunt, patientiam qui pauca tulerunt, infœlicitatem fœlices, quieti labores, docere cum debent, parua res agitur. Igitur ad summam magisterij exempla sagittæ experientia ars est, iuxta illud Didonis apud Maronem: *Non ignara mali, miseris succurrere disco.* Hoc prædictum exemplum patris in milite, potius de misericordia fuit. Alias implebat, quod ait Chrysostomus: *Vis apparere sanctus, circa tuam vitam esto austerus, circa aliorum autem benignus.* Hinc quod etiam ipse scribens admiror, non loci sui nouitatem considerabat, non antiqua & ditiora Monasteria, quid possent, quid non facerent, sed frumenta fratrum, ad messem vsque computari præcipiens, reliquam mensuram,

ram, pauperioribus Monasteriis in vicino solebat transmittere. Ita in omnibus aliis, ne quid nimis, euitans, paupertatem tamen nimis amabat, adeo vt cogente sancto Episcopo Ottone, decimas noualium in * Tangintile, multas valde, * ad necessaria fratrum nullatenus susciperet. Quare hæc? Vbi onus penuriæ, quanti vel quales victuri sunt? Bona ergo sufficientia propter plures saluandos. Si quo minus, teste Hieronymo, sicut diuitiæ ita paupertas sæpe tentatio est, impatientiam aut solitudinem faciens. Hæc generaliter dicta sunt.

** Taagrintile, al. Tangutile.*
** ac.*

POST XIV. annos, cum placuisset Deo dicere: *Amice ascende superius.* Chunrado Salzburgensi Archiepiscopo incomparabili de medio facto, vnanimitate Prælatorum, Clericorumque cum populo, circa paschalem solemnitatem, Biburgensis Abbas matrici Ecclesiæ * ascitur Episcopus. Specialis felicitas Iuuauensis matris, quod talibus nunquam viduatur Episcopis. Requiratur longe supra nostram ætatem, & præstantes suo tempore, omnibus Germaniarum Episcopis in Inuauo, vt soles Episcoporum videbis. De motu Biburgensium dicere non possum. Non erat quem non mulceret honor oblatus, quia territus nuncio, fugere & latere velle, vt non esset Dominus, * cœpit. Sed hæc frustra tentata, cum venientibus primis Ecclesiæ inuenitur, transfertur, vngitur, & * exosa * cornua, metropolitam frontem insignitur. Quanto tunc magnus, humiliabat se in omnibus. Vigiliis, orationibus, abstinentiæ operam dabat, scripturæ sanctæ, præter in mēsa & in equo, non diebus neque noctibus ex oculis * migrabant & manibus. Fregit esurienti panem suum, & egenos vagosque induxit in domum suam, nudos quos vidit operuit & carnem suam non despexit. Pupillos enim, vt pater aluit, & viduas de tribulatione eripuit, attendens illud Apostoli: *Hæc est religio munda, & immaculata apud Deum, visitare pupillos & viduas in tribulationibus eorum.*

** astat.*
** cæpesit.*
** pretiosa.*
** forte corona.*
** migrabat, & manibus fregit.*

Pro istis & his similibus, stabilita sunt bona illius * in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum. Contra morem Pharisæorum omnia opera sua facere studebat, ne videretur ab hominibus. Perhibebant enim seruientes eius, postea Monachi facti, secretas venias, in Ecclesia, nudis cruribus cō terere solitum, vt defricata in pauimento cute & carne genua, sanguine inuenirent fluentia. Ita eis, cum præ lassitudine interdum obdormisset, sors prodidit. Eleemosynarum largitati, virtutes omnes cesserunt. Secundum Matthæum, sermo eius erat quasi potestatem habentis super ægros, vel et-

** in Domino, & eleemosynas illius, deest.*

vel etiam dæmones, ita vt verbum faciens in Ecclesia, cum eiulatus dæmoniacorum omnia repleret, terreret, confunderet, vno tantum indignationis dicto, statim vocem eis insuper motum quoq; omnem ibi auferret.

Hæc fuit nostro Antistiti communis cum beatissimo Papa Eugenio virtus, in cuius moueri præsentia, vel se insinuare præsentia non audebant dæmonia. Non minus obedire ægritudines aliquando au-ctoritati Præsulis & abire nouerunt. Denique apud Monasterium S. Petri, quandam sororum diutina ægritudo confecerat, ita vt curari a nullo valeret. Hanc in conspectu suo cum multa spe & desiderio oblata, in nomine Domini benedixit, & recedenti ex templo perfecta incolumitas rediit. Quæ post aliquod tempus denuo venienti constanter se repræsentans, cum gratias agere pro sanitate cœpisset, ad primam vocem refutata & lingua oppressa est.

PROFECTO, cum asserit beatus Gregorius, Prælatos à subditis, subditos à Prælatis iuuari vel lædi, fœlices manere discipulos, huius quondam Abbatis manifestatum aliquando est. Adeo patris merita redundarunt in filios, vt morientes interdum sui saluarentur, quoniam sui fecerunt, quod in vno monstrari operæ pretium est.

Cum adhuc Monasterio præesset, grandæuus quidam, quasi annorum centum, cum vxore & substantia non minima, apud eum conuersus cappam induit, quæque retro sunt obliuiscens, iam nil pene præter Ecclesiam & orationes continuas nouerat. Mirareris * vnde decrepito ea alacritas in studio, ad studium sensus. Taliter sub pio Eberhardo & successore eius circiter annos duodecim conuersatus, mense Ianuario ad matutinum signum, in stratu repertus est mortuus. Odiosum genus mortis, anceps, lubricum, attamen non potest male mori qui bene vixit. Ipsa enim nocte & hora transitus prædicti fratris, vidit per somnium quidam confratrum, dæmones grege * facto, cellam infirmorum suo more petentes, & aliis ad fores operientibus, aliis intro ad suscipiendam animam senis irruentibus. Post paululum ad collegas egressi, horrendum elatrantes concrepabant: Ah dolor virum amisimus: frater Eberhardi Episcopi erat. Tum infœlix acies eiulans & blasphemans disparuit. Quid ni ergo fœlices Eberhardi, Benedicti, Antonij discipuli.

* *vnum.*
* *facto, deest.*

PROCEDENTE tempore iuxta dictum gentilis: Omnia mala ex rebus bonis orta sunt, cum ortum de Apostolici electione schisma

ineffabile ex bono malum fecit, diuina & humana confudit. Væ quos inuoluit illud contagium. Vbi vnctus legitimus? Ecce hic, ecce illic. Nouit Petrus qui sint eius. Imperator refutato Alexandro, quem coniurasse prius contra suam rem publicam querebatur, alij æmulo totis viribus cum adhæreret, ex maiori parte Italiam post * se, & Alemanniam traxit, reliqua Ecclesia in obedientiam Papæ Alexandri concessit. Fuerunt quamplurimi aliquot annis neutrum suscipientes, tum odio partium, tum quod neuter sincere per omnia, & simpliciter intrasse videretur. Inter hæc erat videre triste, iustitiam & miseriam late simulari, intrudi, expelli, nec pacem nec bellum ex iure, & Apostolicus noster interim fuit quasi non esset. Atqui Iuuauensem & Brixinensem Episcopos cunctorum mortalium, quos tunc nouimus sanctissimos nemo cum nesciat in tanta partium caligine quæstione & conquestione, in tanta omnium dubitatione, tantorum vestigia Patrum tuto sequi nos posse credidimus.

*se, duxit.

Post longam nempe considerationem metropolites noster, solus ex omnibus Episcopis Alemanniæ, præfatum Brixinensem Episcopum Hartmannum reuerendissimum, post se trahens, Papam Alexandrum laudauit. Vnde nobis postmodum inter multos audientibus, aliam rationem non dedit, nisi quem tota Ecclesia cum his & his regnis in Alexandrum consensit, iustiorem hunc æstimamus. Quod quasi præsagiis futurorum direxit, exitus post multos annos probauit. Sic Augusti tunc solus fata impediens, non tamen Augusti in se manus commouit. Quam diuerse, quantis aduersis prædecessores sui rem tantam in Cæsares Heinricos præsumpserant? Et ecce plus Heinricis hic. Furebat bilem, & nunc in nostrum Eberhardum Augustus, & suam ipsius animam pertransiuit gladius, sed vbi in præsentiam venisset, reuerentia sanctitatis eius spiritum reprimebat. Dignitas quædam Angelica in vultu, & pondus tale oculos ac mentem obibant, vt nisi timere plusquam mortalem, & contremere & parcere, & venerari non posset. Hæc de semetipso confiteri Princeps solebat. Oderat nimis semper sanctissima anima prosperitatem suam temporalem & gloriam, ardebatque prædicta, vel qualibet occasione, quælibet aduersa, siue exilij, siue etiam mortis sustinere pro Domino, sed sic eum volebat manere donec veniret.

INTEREA more suo pacem reficere in Ratispona laborabat populosissima vrbe, neq; enim apud Germanos populosiorem vrbem

tametsi latiorem, testantur qui norunt. Dux autem Bauariæ, perspecta simplicitate Imbripolensis Episcopi, qui per subreptionem tunc præfuit, insatiabili auaritia, maximum fiscum Episcopij, id est, castrum quoddam cum omnibus pertinentiis suis vsurpauit. Episcopus primo furere, obstrepere, cœlum turbare, nil pensi habere, ab vtroq; totus pene Episcopatus cœpit incendiis & rapinis vastari. Vrbani inter alterutros diuisi abierant. Hæc pater patriæ anxius cum animo suo trahens, tum pro pace, tum maxime pro vrbe, ne læderetur satagebat, quomodo quidem hæc mater prouinciæ, & aspectus eius in vniuersam terram, & omnium fructus foret in ea. Dux obedientiam promittebat in omnibus, Episcopi stultitiam piget exponere, quomodo damnum maximum & confusionem quam vtilitatem maluerit. Pater *cum à Duce vitam captiuis, remissionem vrbi, memoriam æternam labori suo obtinuit, postmodum diuinæ reuelationis gratia, obitum suum longe ante præsciuit, sicut subiecta declarant.

* amen.

In Frisiensi ciuitate mulier degebat inclusa, quæ ante annum transitus Episcopi, orationibus solito cum incumberet, rapta in spiritu, ad contemplanda illa æterna & inuisibilia viuentibus mortalibus, est. Vidit itaque supplicia reproborum, varia & horrenda, quæ in cor hominis ascendere non possunt. Vidit deinde mansiones beatorum & gaudia, quæ impossibile est homini loqui. Super hæc omnia contemplabatur apud superos gloriosam sedem, cuius opus & species omni famine mirabiliora, sedique huiusmodi sanctum Petrum & sanctum Rudbertum altrinsecus superstantes custodes: Cum miraretur super magnitudine horum, responsum à sanctis illis audiuit.

Hæc est sedes Eberhardi Archiepiscopi, quam ad eius vsque custodimus aduentum: Prope est vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Hæc mulier per familiarem nuncium mandat, & vsque ad mortem Pontificis in ore trium res latet.

APPROPINQVANTE igitur vocationis suæ tempore, cum iam pridem viribus corporis cœpisset destitui, de pace itidem negotium habuit, bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans, si pacem Ecclesiæ redditam reliquisset. Diffidebant more suo dum inter se Dux Orientalis Bauariæ, necnon & frater suus valde excellentissimus, tunc Patauiensis Præsul, mox autem Eberhardi nostri successor Iuuauum translatus Metropolim. Consulto, ni fallimur, hanc translationem, arbiter ille temporum Deus indulsit: ita vt congruum magis &

gis & dignum, in quo solo tota procella temporis consumeretur, finis docuerit. Hinc concordare fratrem, in visu beatus Præsul non leniter, vtpote in mortis vicinia, laborabat. Quid frater? Quam infraterne quam procul à constituto colloquio aberat. Sed adhuc longius sequens Dominus homini suo deferebat, * vnde humiliter submonitus à suis, cum magna dulcedine allegabat dicens: Scio charissimi, qui de cœlo descendit ad terras. Quid nos? Et adhæc quis idoneus? Adiiciensque aiebat suis: Fateor, spem in hoc maximam habeo, si mori in negotio pacis, vel ante capere tanti boni salutem initium quiuero. Beati enim pacifici. Et quid sequitur? Quoniam filij Dei vocabuntur. Desiderium vero suum, iusto dato, iuxta Salomonem, est inter pacis actiones, ad æternam est pacem translatus. Vnde omnium puncto notatus est Martino similis, pro eo vel maxime quod castrum Episcopij vir clarissimus Otacher Marchio eadem tempestate obsederat, ministerialem Ecclesiæ Præfectum oppido persequens. Aliena res. Quam diuicinum Ecclesiæ, vel etiam perpetuum, capto oppido, malum veniret, tragœdia in ore omnium erat. Vix opus compulit aduenire Antistitem, sine operæ pretio, tristè res agitur, cum demum confirmatus pater proloquitur. Iam ecce in castrum meum ascendam, quis obstet videbo? Occupat serenissimus Marchio, necessarios consulit, obsidionem sine * vlla pactione soluit, dignum honorem cedit Episcopo. Reddidit hæc pater, vt ministerialem conditionibus satisfacere tandem persuaderet: Erantque hæc opera eius nouissima, cum iam morbo decurrens migraretur, quatuor equis * intrahere faciebat. Faciebat autem hæc ac si iam moriens palam omnibus diceret: Pacem relinquo vobis. Perducitur * inter hæc ad Runense Monasterium, vbi synodocho, vt cœperat, aliquandiu laborans, post tertium diem, sudore exundato, magis defecit.

* *Euan.*

* *omni pactione.*

* *in trahea.* *Faciebat autem hæc ante se.*

* *in hac.*

Hinc paululum sustinens ait: Modo auditum amisi. Quo sensu, scilicet auditus, vt ita dicam, supra naturam hominis semper viguerat, sic, vt procul susurrantes audiret & proderet.

Sequenti die Dominica ad vesperam, vocante Domino X. Cal. Iulij, naturæ concessit, anno Episcopatus sui decimooctauo, mense secundo. Anno ab incarnatione Domini M.CLXIV. ab ordinatione Papæ Alexandri, VI. & Imperatoris Friderici XIII. Mors eius pro tempore lamentabilior fuit. Languebat mater Ecclesia in omnibus membris, & cum hic caput totius extaret imperij, sanctitate & gloria

* corrobat.

sanum caput interim infirma* iuuabat. Quæ spes temporis? Quæ spes futuri? Melius est habere quod cupias quam desiderare quod nescias. Quid plura? Transferebatur defunctus longo & aspero itinere ad matricem Ecclesiam, & exequias mire pauperes celebrabant, genus illud Deo propinquum. Quid de cæteris dicam? Istud nouum hunc beatum gementes dixerimus coiisse leprosos & planctu oblationibus, eleemosynis, orationibus suprema iusta ei fecisse. Rarum genus. Inopes in cœlum reboabant: Patrem amisimus: O perniciem nostram. Ipsi potentes alius Dominum, pars amicum vel patrem se amisisse dolebant exemplo præcellentissimi, & nostris temporibus eruditissimi. Babenbergensis Ecclesiæ qualiscunque minister: Venerabilibus & in Christo plurimum dilectis fratribus & amicis Hugoni Salzburgensi, Vdalrico Kumsensi Præpositis. Coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. In commemoratione beatissimi Patris nostri ac Domini Archiepiscopi igitur in mentem venit, imo à memoria nostra non recedit, quod diuiso a se Domino suo & curru igneo subuecto, vernaculus, & indiuiduus & comes Prophetæ post eum clamauit dicens: Pater mi, pater mi, currus ille Israël, & auriga eius. Nunquid enim magnus iste Sacerdos noster, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus, currus non fuit, dum necessitates & infirmitates alienas, præsertim onera peccatorum & inopiam pauperum, paterna consolatione & compassione sublenauit. Quasi diceret: Quis infirmatur & ego non infirmor? Vel nunquid auriga non fuit, qui creditos sibi rexit & direxit in viam veritatis, exemplis pariter & documentis? Oculus fuit cæco, & pes claudo. Manus eius non auersa ab vllo paupere, cum quo cordi erat iocari, conrixari, & tandem ab inualida manu exsuperari. Insuper vt omnibus omnia fieret, etiam supra legem non contra legem, halitum leprosi & tactum lepræ non abhorruit. Raptus ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Sed consummatus in breui expleuit tempora multa. Equidem sicut scriptum est, malitia remanentium meretur, vt hi qui prodesse poterant, festine subtrahantur. At qui memorabilis ille assecla Prophetæ, magnificam duplicis spiritus habuit consolationem, nobis autem in transitu viri sanctissimi, præter luctum nihil aliud & amplius derelictum est, nisi forte digni essemus apud Deum, tanto subleuari patrocinio. Talis decebat vt nobis esset Pontifex, cui viuere & mori Christus erat lucrum. Propositum quidem nobis erat festinandum eum videre, sed, proh dolor, pecca-

peccatis nostris exigentibus extremum hoc beneficium percipiendæ ab eo benedictionis, nobis diuinitus denegatum esse lamentabiliter & inconsolabiliter conquerimur, & infra: consolemur inuicem, pater noster piissimus intrauit in gaudium Domini sui. Ipse autem pater misericordiarum, & Deus totius consolationis consoletur vos, & absterget omnem lachrymam ab oculis vestris. Hæc serenissimus Babenbergensis Episcopus. Sed redeamus ad propria: Sepulti enim merita Dominus declarare non distulit.

MVLIER hydropica, quam suo more beatus viuens aluerat, ad sepulchrum defuncti, tanto afflictior, quanto coactior, fusa cœlos vexare lamentis non desiit. Vt quid me pater, ait, desolatam relinquis? Aut cui amantissimum gregem pauperum commisisti pater & pastor? An potius quasi orphanos dereliquisti? Et dixisti: quod moritur moriatur, & quod succiditur succidatur? Sed nunc peto per illum qui te assumpsit, vt miseriis meis, quomodo hactenus corpore, ita modo per spiritum digneris succurrere. Hæc deprecata & exaudita, sanata egressa est.

PRÆTEREA reuerendi cuiusdam de cœnobio Iuuauensi memoratu digna visio existimata est.

Videbatur hic sibi per somnium, dum siti vrenti circumageretur, Ecclesiam miri decoris errabundus intrare. Illic beatam Dei genitricem Mariam, vultu, vt est, dignissimo eminus consedisse, & velut puerum in gremio, charis amplexibus, conspicatur tenentem. Agnouit Dominam, de pueri persona & gloria, hæsitans erat atque admirans. Cui mater misericordiæ paucis dignata est hæc ad verbum proferre: Hic est filius meus Eberhardus, qui nihil mihi vnquam negauit. Huius rei tot testes, quot decuriones Antistitis sunt. Omni petenti tribuere solebat, quod sanctæ Mariæ nomine petitum fuisset. Ecce qualis mater, talis filius, sibi fieri, quæ propter se fieri testantur. Post hæc videbam seniorem, & pincerna calicem mysticum poculum geniminis cœlestis propinans ingrediebatur. Libauit regina, deinde puer, qui videbatur puer, Domina præbente, vt vino indulsit, vltimus senior, dum ad se ventum fallitur propere subiens vt acciperet, Dei genitricis audiuit sententiam: Non potes adhuc interim de tali poculo accipere. Videtis quam districta vox. Beatiores ergo mortui, qui in Domino moriuntur. Post id locorum excitus somno senior tam ipse, quam omnes qui audierunt congratulari visioni cœperunt.

Plura memorare huiusmodi copia non deerat, sed commendationi Patris nostri, pauca hæc, pauca non erunt. Breuiloquium semper amauimus & modum in rebus. Si cui ad notitiam saltem beatissimi Domini nostri hæc suauia erunt. Hoc est totum pro quo laborauimus. Si quis exsufflat, fortasse illi, aut omnia scripturarum insuauia erunt, aut scriptoris indignitas acceptione hic caruit. Atqui, sicut scriptum est, cognationem inter se maximam habent amor & potestas. Vtraque enim principaliter præsunt, vtraque per auctoritatem semper loquuntur. Nō potestate igitur, verum amore peculiari, cum venia potentium, istud scribendi ministerium, forsitan merito, vtpote ex discipulis eius antiquis, charissimi & infimi, vendicauerimus. Quid plura? Restat suspirare post tantum cœlitem, & conuictores super eum iam minus velle hanc vitam. Hi nempe vel sola eius forma sciunt, quid sit bonum & cœlum & virtus & in terra * ambulantes conuersari in cœlis, vbi Christus est in dextera Dei sedens & regnans per omnia sæcula sæculorum, Amen.

* *ambulans.*

DE MIRACVLIS QVÆ OPERATVS EST POST MORTEM SVAM.

POST obitum igitur Deo dilecti Antistitis Eberhardi, tot miraculorum Christi Ecclesia clarere cœpit insignibus, quot sanctus adhuc viuens virtutum abundabat operibus. Et qui mundo tunc latere disposuit, signis quæ iam per ipsum fiunt, approbatur quis fuerit. Qui enim tunc dixit cum Isaia: Secretum meum mihi, secretum meum mihi, nisi ne elatione tentaretur, quæsiuit latibulum, ad Angelorum ecce & hominum deductus est cōmune spectaculum. Quod etiam in occulto mentis secretario factum est, iam supra tectum prædicatū est. Nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non sciatur. Qui enim tunc abscondit eleemosynam in sinu pauperis, nunc per ipsam habetur excusatus in conspectu summi iudicis. Decebat ideo, vt quem honore ditauit in cœlis, signorum vel magis beneficiorum claritate Dominus magnificaret in terris. Quænam viuens fecerit, nonne hæc

hæc scripta sunt in notitia singulorum? Nisi tamen præteritorum scriptura commemoraret, non est in futuro, qui Deum in sanctis suis glorificet. Vnde est illud: Cito fecerunt & obliti sunt. Quæ enim scripserunt scimus, & quæ prætermiserunt nescimus. Non equidem legimus in tota veteris Testamenti serie, quis fuerit ille Zacharias, qui occisus est inter templum & altare. Si sciretur quis esset, DEVM in ipso plebs glorificaret. Necessarium ergo est, vt ab initio propositiones loquamur, quanta audiuimus & cognouimus ea, & fideles narrauerunt nobis. Signis quidem fides populi fundatur. Vnde est illud: Signa nostra non vidimus, iam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius. Vt ergo sciant omnes, quod beatus Eberhardus cum Christo regnat, beneficio Dominus declarat in mortuo, in quo *sibi complacuit adhuc viuo. Igitur ô lector, quia in ore duorum vel trium stat omne verbum, si humanum negaueritis testimonium, miraculis saltem quæ fiunt, fidelem præbeas assensum. Probant quidem sanctum miracula, & populo sanctitatem eius reuelant Domini beneficia. Inprimis enim manifestauit eum Dominus sic.

*sic.

HOMO quidam diabolo instigante Ecclesiæ maioris seras temerario furore irrupit, & detestabilem furtum in ea commissurus intrauit, & scrinium cuiusdam Canonici securi violenter confregit, ex qua duas casulas cum reliquis Sacerdotalibus cæterisque bonis surripuit, saccoque delaturus imposuit, sed exiturus virum ætate canum, veste candida circum amictum sibi cominus assistere conspexit. Vnde quidem non mediocriter territus, sed nequitiam suam necdum persoluere veritus, cum onere processit in medium, sed prope sepulchrum beati Eberhardi duobus passibus distans immobilem fixit statum. Sanctus enim, vt creditur, qui Ecclesiastica protexit viuus, iam cum Christo melius valens, Ecclesiæ damna non passus est mortuus. Tam diu igitur nutu Dei stetit inconcussus, donec à populo cum sarcina captus, rem gestam publice profiteretur confusus.

Accidit autem, vt quidam puer de Marsee / nutu diuinæ prædestinationis à natiuitate cæcus, ad limina B. Rudberti deferretur, sed S. Eberhardi tumbæ superpositus, prece omnium qui aderant, oculorum perfusus est luce.

Puella quoque quædam de Gruscharn / duodennis, surdum & mutum habens spiritum, beati viri sepulchro aduoluitur, sed fidelium interpellatione, auditu simul & voce reparatur.

Item

Item miles quidam Domini Archiepiscopi nomine Rudigerus, filiam habens paralysi vno brachio destitutam imo præmortuam, pro eius sanitate mater sæpe frustrabatur in medicis, sed ecce ad melius conuersa, beati Pontificis gratiam experitur & dona. Christum compuncta petit & sanctum, luminare parans metitur vt brachium, tumbæ sancti præponit vt ardeat, domumque reuersa sospitam filiam inuenit, Deumque in sancto suo glorificat. Mirum in modum mulier in templô, sanctus in domo, illa accendit candelam, iste sanat filiam, cera liquendo decrescit, sed virgo meliorans inualescit.

Similiter & quædam sanctimonialis fœmina, ex calculorum lõga ægritudine fere consumpta, ante sepulchrum sancti viri prostrata compungitur, & dum pie supplicat, meritis sancti calculus dilabitur, & ipsa sanitate percepta gratulatur. Dignum quippe erat, vt qui duros hominum actus emolliuit vt saxa, sic quoque in prosperum supplex ipse, supplicum commutaret aduersa.

In cœna quoque, quædam dæmoniaca iam diu obsessa adducitur, supra quam cum exorcismus legeretur, spiritus nequam, qui inerat, variis linguis fabulatur. Dum vero fit illi comminatio a Clero per beatum Virgilium, dæmon Clerum subsannat, & se Virgilium magistrum suum iam tertia die in inferno reliquisse clamat. Quæritur ergo, Quis vel cuias ille Virgilius sit? At ille Mantuanum Poetam fuisse respondit. Tunc interrogatur, vbi vel per quem sit exiturus? dixit: Quod cum ad patrem pauperum venerit, iam amplius illi remanendi locus non sit. Tunc summo diluculo cum antiphona: *Traditor autem, &c.* diceretur, sub specie vespertilionis egredi visus est. O miræ virtutis, vel potius piæ paternitatis indicium, die qua seipsum panem salutarem discipulis proposuit, tunc beatus Eberhardus mortem effugans, vitam condonat ouibus suis. Sed ex dæmonis fœtore, Archiepiscopus noster simul cum Ratisponensi Episcopo, de sede sua repulsi sunt.

Non diu * post, hic quidam miles, de nemore S. Leonhardi, vxorem suam sepulchro pij Patris applicuit, quam nutu Dei & sancti meritis, licet diu contractam, cito erectam lætus obtinuit.

** Post hæc quidam.*

Simili quoque modo mulier quædam de Strasprarsen humorum ariditate seu neruorum contractione, manuum officio destituta, inuocato nomine sancti, pristinam sanitatem est adepta.

Subsequenti tempore, puella quędam de Nuwenburg Marchionatu,

natu, cæca, patre comitante aduenit, sed sancti sepulchro aduoluta, astantium supplicatione, visum fœlix obtinuit.

Item fœmina quædam de Engelbrechtßheim/ pluribus annis obsessa, à deuotis fidelibus monumento Præsulis adiungitur, & ipse mutus, sanctum confitetur corde, quem non potuit ore, sed virtute sancti instruitur, quid loquatur & voce.

Miles quidam calculosus, diu languens & pallidus, tamen nomine Patris inuocato, sic calculum digerit, quod nullam molestiam amplius sensit.

Similiter & mulier de Kiemsee / arrepticia adducitur, sed meritis supradicti Pontificis, de potestate dæmonis celeriter emancipatur.

Posthæc paucis mensibus decursis, in præsentia Archiepiscopi Chunradi III. Brixinensis Episcopi, Marchio minor Dietboldus de Vochburg/ sancti Eberhardi aliquando nutricius, mulierem per decem & octo annos energumenam adduxit, & pro ipsa tota nocte vigilans, quã sanandam in sancti sui glorificatione vsque adhuc distulit, à Domino suo curatam obtinuit.

Mulier quædam de Mülldorff / à spiritu nequam vexata, adducta est, sed sanitatis gratiam quam quæsiuit, fidelium prece, ab ipso Patre citius nacta est.

AVDITA igitur fama miraculorum beati Eberhardi, cęterorumque Iuuauensium sanctorum, velut ex vehementi tonitruo, ab incredulitatis somno citius velut excitatur charitate tepentium multitudo. A remotis accedunt prouinciis, & ab alienis aduenient regnis, miraculorum surgunt fulgura, hic Iuuauum quærere, quod fides non obtinuit apud se. Inter illos videlicet quædam mulier venit de Würtzburg/ luminis causa, cæca petit merita pij Patris * experiri. Dum ergo Iuuauum iam diutius moratur, salutis cupida, tandem ex improbitate pietatis, ei aperitur ianua triplicis fidei. Percepit alimenta, sic pascitur per fidem, quod corporis & animæ recepit sanitatem, mirum in modum oculis carnis experitur vt videat, & oculis cordis experitur, quod credat. Dixit quidem, vidi eum in carne manentem, sed nunc experiar in cœlo regnantis virtutem. Fœliciter experta est, quia quod petiit adepta est. Accessit enim ducta per alterum, sed ecce regreditur sibi præmonstrans iter suum, & quæ accessit contristans, læta reuertitur Deum in sanctis suis glorificans.

* *expediri.*

Posthæc non diu, duo venerunt milites ducentes contractum

per singula, cupientesq; experiri si vera esset virtus beati Eberhardi, vt fama erat. Æger itaque ille iam pridem miles & prædo nequissimus & ex incestu cum vxore scilicet fratris sui fornicando, per prædictum Antistitem erat excommunicatus. Cum ergo vsque post mortem ita perseueraret impœnitens, qui potuit pœnitere voluntarius & non fecit, infirmitate pœnitere coactus est nolens. Corpus quidem suum vsquequaque contrahitur, & velut ex lepra sicca quadam scabie sordidatur. Audita igitur pij Patris virtute, accessit contriteri mortuo fide tactus vt placeat, cui noluit viuo. Cum ecce iam tumbæ appositus, deuotionis offert pretium, at sanctus soluit peccati vinculum, & contractum erigens reddidit sanum. Vox ecce populi in laude sustollitur, Christus in sancto, & sanctus in Christo benedicitur, qui ægrè peccanti tam mirifice propitiatur. Socij vero sui, sanato applaudunt, sed ab eius mensa, quia adhuc liuida scabie maculoso se subtrahunt, ipsa tamen memoriam sancti Eberhardi celebrando commendare non sinunt. At ille infœliciter inquit: Mallem vt primo contrahi, quam sic à vobis erectus despici, quoniam si plene sanasset applauderem, sed iam despectus doleo propter hanc erectionem. O quam terribile, inquam, dictu, in crastino mentum contrahitur vsque ad genu, vt qui sanari doluit, iam solito infirmior fit. O mira pastoris sententia, mortuus mortalia soluit vincula, soluit anima nexum corporis, virtutem pastoris experitur ouis. Pastorem igitur non irritare discat subiecta conditio, discat non irretiri peccati vinculo, ne si mors præmineat, absit omnis propitiatio.

Mulier quædam de Ensee / virum relinquens legitimum, ioculatori se iungit ad * vitium, insatiabilem fouere cupiens appetitum. Iuuauum ergo veniens lasciuiter, vt stolida garrit, & ioculatur vt ganea, legitimi fœderis * adulteratur oblita. Tandem ad sepulchrum beati Eberhardi accedit, vt composita cum chirothecis offert clata, sed vltione diuina percutitur & fit arrepticia. Solita rimatur ludicra iustitiæ, blasphemat vt garrula, huc & illuc se reuoluit in aera, quomodo sic à dæmone vexabatur obsessa. Educitur ergo & trahitur in templum, & à Clero circumstante exorcizatur dæmonium, & mulier delicta confitetur ne pereat, & emendare promittens, Deum liberata glorificat.

Margin: * *victum.* * *adulteratrix.*

LAVDETVR ergo Christus in sancto, laudetur sanctus in Christo, qui sic dispensat vt laborent infirmi, vt sanitatem eis redditam,

tam, sanctorum suorum ascribat meritis & suæ virtuti. Quicquid enim fit per sanctos, Deus facit in ipsis. Vnde est illud: Sine me nihil potestis facere. Operatur enim omnia in omnibus, diuidens singulis prout vult. Omnium etenim potens est Dominus, & hæc facit vt sanctum glorificet, & notam faciat nobis potentiam suam, dicens per Prophetam: Videte quod ego sim solus, & non est alius Deus præter me. Excutit enim Pharaonem & virtutem eius in mari rubro. Quis est iste Pharao, nisi diabolus, qui est Ægypti, id est, tenebrarum Rex. Ipse quidem quos potest exterminat, id est, extra terminos patriæ ducit & necat. *Quæ est virtus eius, nisi tentationum suarum fortis tumultus?* Quid est mare rubrum, nisi martyrium, vel Christi passionis sacramentum? Quasi enim Pharao cum exercitu suo in mari rubro submergitur, cum diabolus & vitia sua, CHRISTI & sanctorum suorum passione conuincuntur. Ideoque gloriosus DEVS in sanctis suis, mirabilis in maiestate sua, terribilis & laudabilis, & faciens mirabilia solus. Et hæc facit ad laudem & gloriam nominis sui, qui est benedictus in sæcula. AMEN.

Quæ minori charactere descripta sunt, desiderantur in editione tomi 1.

Oo 2 DE SAN-

ra quidem, id est, de terrenis curis exiuit, quando mundana pro claustralibus, propria pro communibus, terrena pro cœlestibus commutauit. Reliquit propriam cognationem, quia in carnalibus nullam tenuit voluntatem. Exiuit ergo de terra & venit in terram, de terra seruitutis in terram repromissionis. Quia ergo talibus ac tantis oraculis, Patriarchis communicat, & ex veritatis assertione Prophetis associat, cæterisque sanctis Patribus concordat, digne dicatur ei à Domino: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Et bene pleni, de cuius plenitudine omnes accepimus. Et vnde pleni? Herbis & floribus, lignis & fructibus. Herba autem dum est viridis, herba est, cum vero marcida fœnum est. Quid per herbam nisi humiles designantur? Vnde est illud: Germinet terra herbam virentem & facientem semen. Quasi enim iustus viret dum bona inchoat, sed semen facit dum pie viuere voluntatibus, exemplificationibus odorem spirat. Fœnum vero superbi sunt. Vnde scriptum est: Aruit fœnum & cecidit flos. Quid per ligna nisi sanctos, quid per fructum nisi bona opera intelligemus? Vnde in Psalmo: Erit tanquam lignum, quod dat fructum in tempore suo. In hoc ergo sancto herba bonæ inchoationis viret, & mortificatione vitiorum fœnum in ipso velut cadit & marcet. Et in ipso ligna multa complantata sunt, quia in exemplorum suorum radice multi iusti solidi sunt. Quorum fructus sunt quæ Apostolus connumerat: Charitas, gaudium, mansuetudo, longanimitas, & cæteræ virtutes. Ex istis & his similibus, odorem suauitatis spirat beatus Eberhardus in se sicut & flores vario colore purpureus, scilicet ex multiplici virtutum veste circumamictus. Odor eius fideles attrahit, ad salutem peccatores allicit, perfectos vero in fide firmat & nutrit. Ex eius quoque corporis agro, multa signorum fluunt aromata, quorum odore velut vnguentis refouetur anima, & omnibus in Christo credentibus multimoda fiunt æternæ salutis antidota. In odore igitur vnguentorum istorum curramus attenti, vt iugiter fœtore carentes peccati, cum ipso gloriam sortiamur cœlestis regni. Quod ipse nobis præstare dignetur, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat vnus DEVS, per infinita sæcula sæculorum, AMEN.

DE SAN-

DE SANCTO HARTWICO ARCHIEPISCOPO SALISBVRGENSI.

CONSIDERANTI mihi lilia agri, quo honore quoue decore candidata vestiantur & pullulent, multa virtutum varietate purpurati, rosarum flores apparent. Hinc in lilio miror, quod est niueum, hinc in rosa colorē intueor purpureum. Tria tamen amplius in ipsis intendo, colorem scilicet & odorem, & vtriusque allectionem. Flos est anima iusti, color religio Catholicæ fidei, odor amor DEI & proximi, allectio promissio est cœlestis regni. Vnde est illud in Canticis canticorum: Descendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruissent mala punica. Et de eodem in subsequēti: Vineæ florentes odorem dederunt. Et illud: Odor inæstimabilis erat nimis. Hortus est S. Ecclesia, de quo sapientia clamat: Rigabo hortum meum. Nuces sunt animæ iustorum, testa nucis vas humani corporis, corium mundani liuoris amaritudo, & in nucleo iustitiæ designatur habitudo. Tunc ergo in hortum suum sapientia DEI descendit, quando quid in nucibus, id est, in iustis, quid in vallibus, id est, in humilibus, speciosius sit, considerauit. Quæ sunt vineæ, nisi oues Dominicæ? Quid sunt earum flores, nisi passionum meritis purpuratæ virtutum varietates? Vnde est illud Sapientiæ: Flores mei fructus honoris & honestatis. Floret enim vinea Dominica per opus bonum, sed odorem dat aliis, bene viuendi proponens exempla. Floret vitis, decoratur in se, sed odore fructificat in aliis. Huic simile est quod legitur: Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris. In agro igitur rosa vel lilium, in horto nux, & in conualle lignum pomiferum, & in vinea palmes beatus Hartwicus. Hinc enim est castitate candidus, hinc diuerso virtutum colore purpureus, hinc licet in carne,

Caput primum in editione secunda tomi.

diui-

Plura memorare huiusmodi copia non deerat, sed commendationi Patris nostri, pauca hæc, pauca non erunt. Breuiloquium semper amauimus & modum in rebus. Si cui ad notitiam saltem beatiss. mi Domini nostri hæc suauia erunt. Hoc est totum pro quo laborauimus. Si quis exsufflat, fortasse illi, aut omnia scripturarum insuauia erunt, aut scriptoris indignitas acceptione hic caruit. Atqui, sicut scriptum est, cognationem inter se maximam habent amor & potestas. Vtraque enim principaliter præsunt, vtraque per auctoritatem semper loquuntur. Nō potestate igitur, verum amore peculiari, cum venia potentium, istud scribendi ministerium, forsitan merito, vtpote ex discipulis eius antiquis, charissimi & infimi, vendicauerimus. Quid plura? Restat suspirare post tantum cœlitem, & conuictores super eum iam minus velle hanc vitam. Hi nempe vel sola eius forma sciunt, quid sit bonum & cœlum & virtus & in terra * ambulantes conuersari in cœlis, vbi Christus est in dextera Dei sedens & regnans per omnia sæcula sæculorum, Amen.

* *ambulans.*

DE MIRACVLIS QVÆ OPERATVS EST POST MORTEM SVAM.

POST obitum igitur Deo dilecti Antistitis Eberhardi, tot miraculorum Christi Ecclesia clarere cœpit insignibus, quot sanctus adhuc viuens virtutum abundabat operibus. Et qui mundo tunc latere disposuit, signis quæ iam per ipsum fiunt, approbatur quis fuerit. Qui enim tunc dixit cum Isaia: Secretum meum mihi, secretum meum mihi, nisi ne elatione tentaretur, quæsiuit latibulum, ad Angelorum ecce & hominum deductus est cōmune spectaculum. Quod etiam in occulto mentis secretario factum est, iam supra tectum prædicatū est. Nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non sciatur. Qui enim tunc abscondit eleemosynam in sinu pauperis, nunc per ipsam habetur excusatus in conspectu summi iudicis. Decebat ideo, vt quem honore ditauit in cœlis, signorum vel magis beneficiorum claritate Dominus magnificaret in terris. Quænam viuens fecerit, nonne hæc

hæc scripta sunt in notitia singulorum? Nisi tamen præteritorum scriptura commemoraret, non est in futuro, qui Deum in sanctis suis glorificet. Vnde est illud: Cito fecerunt & obliti sunt. Quæ enim scripserunt scimus, & quæ prætermiserunt nescimus. Non equidem legimus in tota veteris Testamenti serie, quis fuerit ille Zacharias, qui occisus est inter templum & altare. Si sciretur quis esset, DEVM in ipso plebs glorificaret. Necessarium ergo est, vt ab initio propositiones loquamur, quanta audiuimus & cognouimus ea, & fideles narrauerunt nobis. Signis quidem fides populi fundatur. Vnde est illud: Signa nostra non vidimus, iam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius. Vt ergo sciant omnes, quod beatus Eberhardus cum Christo regnat, beneficio Dominus declarat in mortuo, in quo *sibi complacuit adhuc viuo. Igitur ô lector, quia in ore duorum vel trium stat omne verbum, si humanum negaueritis testimonium, miraculis saltem quæ fiunt, fidelem præbeas assensum. Probant quidem sanctum miracula, & populo sanctitatem eius reuelant Domini beneficia. Inprimis enim manifestauit eum Dominus sic.

*fic.

HOMO quidam diabolo instigante Ecclesiæ maioris seras temerario furore irrupit, & detestabilem furtum in ea commissurus intrauit, & scrinium cuiusdam Canonici securi violenter confregit, ex qua duas casulas cum reliquis Sacerdotalibus cæterisque bonis surripuit, saccoque delaturus imposuit, sed exiturus virum ætate canum, veste candida circum amictum sibi cominus assistere conspexit. Vnde quidem non mediocriter territus, sed nequitiam suam needum persoluere veritus, cum onere processit in medium, sed prope sepulchrum beati Eberhardi duobus passibus distans immobilem fixit statum. Sanctus enim, vt creditur, qui Ecclesiastica protexit viuus, iam cum Christo melius valens, Ecclesiæ damna non passus est mortuus. Tam diu igitur nutu Dei stetit inconcussus, donec à populo cum sarcina captus, rem gestam publice profiteretur confusus.

Accidit autem, vt quidam puer de Matsee / nutu diuinæ prædestinationis à natiuitate cæcus, ad limina B. Rudberti deferretur, sed S. Eberhardi tumbæ superpositus, prece omnium qui aderant, oculorum perfusus est luce.

Puella quoque quædam de Gruscharn / duodennis, surdum & mutum habens spiritum, beati viri sepulchro aduoluitur, sed fidelium interpellatione, auditu simul & voce reparatur.

Item

Item miles quidam Domini Archiepiscopi nomine Rudigerus, filiam habens paralysi vno brachio destitutam imo præmortuam, pro eius sanitate mater sæpe frustrabatur in medicis, sed ecce ad melius conuersa, beati Pontificis gratiam experitur & dona. Christum compuncta petit & sanctum, luminare parans metitur vt brachium, tumbæ sancti præponit vt ardeat, domumque reuersa sospitam filiam inuenit, Deumque in sancto suo glorificat. Mirum in modum mulier in templô, sanctus in domo, illa accendit candelam, iste sanat filiam, cera liquendo decrescit, sed virgo meliorans inualescit.

Similiter & quædam sanctimonialis fœmina, ex calculorum lōga ægritudine fere consumpta, ante sepulchrum sancti viri prostrata compungitur, & dum pie supplicat, meritis sancti calculus delabitur, & ipsa sanitate percepta gratulatur. Dignum quippe erat, vt qui duros hominum actus emolliuit vt saxa, sic quoque in prosperum supplex ipse, supplicum commutaret aduersa.

In cœna quoque, quædam dæmoniaca iam diu obsessa adducitur, supra quam cum exorcismus legeretur, spiritus nequam, qui inerat, variis linguis fabulatur. Dum vero fit illi comminatio à Clero per beatum Virgilium, dæmon Clerum subsannat, & se Virgilium magistrum suum iam tertia die in inferno reliquisse clamat. Quæritur ergo, Quis vel cuias ille Virgilius sit? At ille Mantuanum Poetam fuisse respondit. Tunc interrogatur, vbi vel per quem sit exiturus? dixit: Quod cum ad patrem pauperum venerit, iam amplius illi remanendi locus non sit. Tunc summo diluculo cum antiphona: *Traditor autem, &c.* diceretur, sub specie vespertilionis egredi visus est. O mira virtutis, vel potius piæ paternitatis indicium, die qua seipsum panem salutarem discipulis proposuit, tunc beatus Eberhardus mortem effugans, vitam condonat ouibus suis. Sed ex dæmonis fœtore, Archiepiscopus noster simul cum Ratisponensi Episcopo, de sede sua repulsi sunt.

** Post hæc quidam.*

Non diu * post, hic quidam miles, de nemore S. Leonhardi, vxorem suam sepulchro pij Patris applicuit, quam nutu Dei & sancti meritis, licet diu contractam, cito erectam lætus obtinuit.

Simili quoque modo mulier quædam de Stratprarsen humorum ariditate seu neruorum contractione, manuum officio destituta, inuocato nomine sancti, pristinam sanitatem est adepta.

Subsequenti tempore, puella quædam de Nuwenburg Marchonata,

natu, cæca, patre comitante aduenit, sed sancti sepulchro aduoluta, astantium supplicatione, visum fœlix obtinuit.

Item fœmina quædam de Engelbrechßheim/ pluribus annis obsessa, à deuotis fidelibus monumento Præsulis adiungitur, & ipse mutus, sanctum confitetur corde, quem non potuit ore, sed virtute sancti instruitur, quid loquatur & voce.

Miles quidam calculosus, diu languens & pallidus, tamen nomine Patris inuocato, sic calculum digerit, quod nullam molestiam amplius sensit.

Similiter & mulier de Kiemsee / arrepticia adducitur, sed meritis supradicti Pontificis, de potestate dæmonis celeriter emancipatur.

Posthæc paucis mensibus decursis, in præsentia Archiepiscopi Chunradi III. Brixinensis Episcopi, Marchio minor Dietboldus de Vochburg/ sancti Eberhardi aliquando nutricius, mulierem per decem & octo annos energumenam adduxit, & pro ipsa tota nocte vigilans, quā sanandam in sancti sui glorificatione vsque adhuc distulit, à Domino suo curatam obtinuit.

Mulier quædam de Müldorff / à spiritu nequam vexata, adducta est, sed sanitatis gratiam quam quæsiuit, fidelium prece, ab ipso Patre citius nacta est.

AVDITA igitur fama miraculorum beati Eberhardi, cęterorumque Iuuauensium sanctorum, velut ex vehementi tonitruo, ab incredulitatis somno citius velut excitatur charitate tepentium multitudo. A remotis accedunt prouinciis, & ab alienis aduenniunt regnis, miraculorum surgunt fulgura, hic Iuuauum quærere, quod fides non obtinuit apud se. Inter illos videlicet quædam mulier venit de Würtzburg/ luminis causa, cæca petit merita pij Patris * experiri. Dum ergo Iuuauum iam diutius moratur, salutis cupida, tandem ex improbitate pietatis, ei aperitur ianua triplicis fidei. Percepit alimenta, sic pascitur per fidem, quod corporis & animæ recepit sanitatem, mirum in modum oculis carnis experitur vt videat, & oculis cordis experitur, quod credat. Dixit quidem, vidi eum in carne manentem, sed nunc experiar in cœlo regnantis virtutem. Fœliciter experta est, quia quod petiit adepta est. Accessit enim ducta per alterum, sed ecce regreditur sibi præmonstrans iter suum, & quæ accessit contristans, læta reuertitur Deum in sanctis suis glorificans.

* *expediri.*

Posthæc non diu, duo venerunt milites ducentes contractum

per singula, cupientes experiri si vera esset virtus beati Eberhardi, vt fama erat. Æger itaque ille iam pridem miles & prædo nequissimus & ex incestu cum vxore scilicet fratris sui fornicando, per prædictum Antistitem erat excommunicatus. Cum ergo vsque post mortem ita perseueraret impœnitens, qui potuit pœnitere voluntarius & non fecit, infirmitate pœnitere coactus est nolens. Corpus quidem suum vsquequaque contrahitur, & velut ex lepra sicca quadam scabie sordidatur. Audita igitur pij Patris virtute, accessit confiteri mortuo fide tactus vt placeat, cui noluit viuo. Cum ecce iam tumbæ appositus, deuotionis offert pretium, at sanctus soluit peccati vinculum, & contractum erigens reddidit sanum. Vox ecce populi in laude sustollitur, Christus in sancto, & sanctus in Christo benedicitur, qui ægrè peccanti tam mirifice propitiatur. Socij vero sui, sanato applaudunt, sed ab eius mensa, quia adhuc liuida scabie maculoso se subtrahunt, ipsa tamen memoriam sancti Eberhardi celebrando commendare non sinunt. At ille infœliciter inquit: Mallem vt primo contrahi, quam sic à vobis erectus despici, quoniam si plene sanasset applauderem, sed iam despectus doleo propter hanc erectionem. O quam terribile, inquam, dictu, in crastino mentum contrahitur vsque ad genu, vt qui sanari doluit, iam solito infirmior fit. O mira pastoris sententia, mortuus mortalia soluit vincula, soluit anima nexum corporis, virtutem pastoris experitur ouis. Pastorem igitur non irritare discat subiecta conditio, discat non irretiri peccati vinculo, ne si mors præmineat, absit omnis propitiatio.

Mulier quædam de Ensee / virum relinquens legitimum, ioculatori se iungit ad * vitium, insatiabilem fouere cupiens appetitum. Iuuauum ergo veniens lasciuiter, vt stolida garrit, & ioculatur vt ganea, legitimi fœderis * adulteratur oblita. Tandem ad sepulchrum beati Eberhardi accedit, vt composita cum chirothecis offert clara, sed vltione diuina percutitur & fit arrepticia. Solita rimatur ludicra iustitiæ, blasphemat vt garrula, huc & illuc se reuoluit in aera, quomodo sic à dæmone vexabatur obsessa. Educitur ergo & trahitur in templum, & à Clero circumstante exorcizatur dæmonium, & mulier delicta confitetur ne pereat, & emendare promittens, Deum liberata glorificat.

* *victum.*

* *adulteratrix.*

LAVDETVR ergo Christus in sancto, laudetur sanctus in Christo, qui sic dispensat vt laborent infirmi, vt sanitatem eis redditam,

tam, sanctorum suorum ascribat meritis & suæ virtuti. Quicquid enim fit per sanctos, Deus facit in ipsis. Vnde est illud: Sine me nihil potestis facere. Operatur enim omnia in omnibus, diuidens singulis prout vult. Omnium etenim potens est Dominus, & hæc facit vt sanctum glorificet, & notam faciat nobis potentiam suam, dicens per Prophetam: Videte quod ego sim solus, & non est alius Deus præter me. Excutit enim Pharaonem & virtutem eius in mari rubro. Quis est iste Pharao, nisi diabolus, qui est Ægypti, id est, tenebrarum Rex. Ipse quidem quos potest exterminat, id est, extra terminos patriæ ducit & necat. *Quæ est virtus eius, nisi tentationum suarum fortis tumultus?* Quid est mare rubrum, nisi martyrium, vel Christi passionis sacramentum? Quasi enim Pharao cum exercitu suo in mari rubro submergitur, cum diabolus & vitia sua, CHRISTI & sanctorum suorum passione conuincuntur. Ideoque gloriosus DEVS in sanctis suis, mirabilis in maiestate sua, terribilis & laudabilis, & faciens mirabilia solus. Et hæc facit ad laudem & gloriam nominis sui, qui est benedictus in sæcula. AMEN.

Quæ minori charactere descripta sunt, desiderantur in editione tomi 4.

DE SANCTO EBERHARDO ARCHIEPISCOPO.

Quæ sequuntur vsque ad vitam S. Hartwici, desiderantur in editione priori.

Elegit Dominus Dauid seruum suum,& sustulit eum de gregibus ouium, & de postfœtantes accepit eum. Dauid, vt omnibus notum est, manu fortis interpretatur,& per ipsum B. Eberhardi fortitudo figuratur. Dauid quippe in funda & trino lapide præualuit in Philistæum, & cum puer esset, de Israël abstulit omne opprobrium. Quid per fundam, nisi fides, quid per eius funiculos,nisi Dei & proximi dilectio significatur? Quid per tres lapides, nisi triplex, sanctæ Scripturæ mysterium, id est, Allegoriam, Anagogen, & Tropologiam intelligimus? Quinque quidem lapides, quinque libri Moysi, vel omnem scripturæ seriem, vel historiam, prophetiam, legem, Euangelium & Epistolas notant. Quasi ergo tribus lapidibus, id est, triplici sanctæ fidei doctrina, hæreticorum strauit insaniam, & populo Dei super inimicis acquisiuit victoriam. Vnde est quod sequitur: Abstulit opprobrium in Israël. Ipse enim cum Dauid malitia paruulus, virtutum gratia fortis, velut omnium fratrum iunior, quia humilitate paruulus,sed ad arma iustitiæ robustior, populum cum virga directionis rexit,& Ecclesiam Christi sibi copulans regnum Deo factus fuit. Vt conueniat illi quod scriptum est:Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Hunc itaque,vt diximus,recte elegit Dominus,vel potius prælegit,quem magnificauit in conspectu Regum & credidit coronam gloriæ. Ideo sustulit eum de gregibus ouium, & nunc de grege. Cum enim dicit greges,signat à veritate differentes, qui morum gressu viam ambulant multiplicem, qui nunc fidei, nunc gratiæ tenent vnitatem. In via autem sola graditur,qui moribus implet,quod per fidem profitetur. Qui vero duabus viis inhiat,iniustitiæ seruit & deuiat. Vnde est illud quod scriptum est: Væ peccatori, qui duabus viis ingreditur, A malis igitur eum sustulit,

& in

& in gratiæ suæ vnitate eum stabiliuit. Vnde rectè sequitur: De postfœtantes accepit eum. Quid per faciem nisi cognitio exprimitur? Vnde est illud: Ostende faciem tuam & salui erimus. Quid per posteriora, nisi ignorantia designatur? Vnde est Gregorij: Quasi post nos est quod ignoramus. Quasi igitur post se fœtant, qui seipsos, vt præuaricentur, ignorant, & qui veritatem scire fastidiunt, falsitatis sectam impietatis sectam faciunt. De illis eum accepit, quia de mundo eum ad cœlos transtulit, quia quem sibi elegit, eundem secum glorificauit. Quid enim esset in mundo, qui non fuit de mundo? In mundo tamen fuit, sed mundus eum non cognouit. Electus à Domino intrauit Dominicam vineam, vbi collegit Dominicæ redemptionis vuam. Vuam dico non fellis, non labruscam amaritudinis, sed vuam salutiferæ retributionis. Pondus portauit & æstum, sed primis & nouissimis communicantem recepit ex perfectione denarium. Hic est fidelis seruus & prudens. Fidelis ab officio, non subtrahens ad iniuncta, non negligens, & vt lucrum reportet prudenter disponens. Terrenorum quidem corda sulco sanctæ prædicationis arauit vt bos, grana verbi Dei seminans vt agricola, vt omnibus Christi cibum, det tritici mensura. Mensura dico, quia illis sic, aliis autem sic. Omnibus autem dedit, & omnia distribuit, quia & ipse omnia omnibus fuit. Rectè ergo dicatur ipsi: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ille enim & vinum obtulit: Beatus vero Eberhardus, panis viui, qui est Christus propositione vini simul & aquæ cõmixtione seipsum quoque immolans, Angelicæ simul & humanæ naturæ coniunctionem significauit. Homo vt offerat, Sacerdos vt immolet, sacrificium vt viuificet, fuit. In monte etenim struem lignorum cum Abraham composuit, & charitatis ignem incendendum duo ligna cum muliere Sareptana collegit, significans quia dum carnem suam mortificandam crucem suam sustulit, ex bina charitate Deum diligere desiderium sumpsit. Iste sanctus Moysi typum tenet. Ex aquis enim tribulationum ereptus est, & ex Ægypto peccati exeuntium fidelium prædux & legislator factus est. Populique amaritudine cum Helisæo sale verbi Dei sanat, & quod ecce in nostræ humanitatis olla per inobedientiam mortuum est, grano verbi Dei apposito, paterna benedictione viuificauit. Huius etiam Patris nostri Iacob Patriarchæ figuram tenuit, qui denuo renatus carnales actus, virtutum pede supplantauit. Hinc quidem per spiritum, quod illi in carne dictum est: exi de terra & de cognatione tua, & veni in terram, quam dabo tibi & semini tuo. De terra qui-

ra quidem, id est, de terrenis curis exiuit, quando mundana pro claustralibus, propria pro communibus, terrena pro cœlestibus commutauit. Reliquit propriam cognationem, quia in carnalibus nullam tenuit voluntatem. Exiuit ergo de terra & venit in terram, de terra seruitutis in terram repromissionis. Quia ergo talibus ac tantis oraculis, Patriarchis communicat, & ex veritatis assertione Prophetis associat, cæterisque sanctis Patribus concordat, digne dicatur ei à Domino: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Et bene pleni, de cuius plenitudine omnes accepimus. Et vnde pleni? Herbis & floribus, lignis & fructibus. Herba autem dum est viridis, herba est, cum vero marcida fœnum est. Quid per herbam nisi humiles designantur? Vnde est illud: Germinet terra herbam virentem & facientem semen. Quasi enim iustus viret dum bona inchoat, sed semen facit dum pie viuere voluntatibus, exemplificationibus odorem spirat. Fœnum vero superbi sunt. Vnde scriptum est: Aruit fœnum & cecidit flos. Quid per ligna nisi sanctos, quid per fructum nisi bona opera intelligemus? Vnde in Psalmo: Erit tanquam lignum, quod dat fructum in tempore suo. In hoc ergo sancto herba bonæ inchoationis viret, & mortificatione vitiorum fœnum in ipso velut cadit & marcet. Et in ipso ligna multa complantata sunt, quia in exemplorum suorum radice multi iusti solidi sunt. Quorum fructus sunt quæ Apostolus connumerat: Charitas, gaudium, mansuetudo, longanimitas, & cæteræ virtutes. Ex istis & his similibus, odorem suauitatis spirat beatus Eberhardus in se sicut & flores vario colore purpureus, scilicet ex multiplici virtutum veste circumamictus. Odor eius fideles attrahit, ad salutem peccatores allicit, perfectos vero in fide firmat & nutrit. Ex eius quoque corporis agro, multa signorum fluunt aromata, quorum odore velut vnguentis refouetur anima, & omnibus in Christo credentibus multimoda fiunt æternæ salutis antidota. In odore igitur vnguentorum istorum curramus attenti, vt iugiter fœtore carentes peccati, cum ipso gloriam sortiamur cœlestis regni. Quod ipse nobis præstare dignetur, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat vnus DEVS, per infinita sæcula sæculorum, AMEN.

DE SAN-

DE SANCTO HARTWICO ARCHIEPISCOPO SALISBVRGENSI.

Caput primum in editione secunda tomi.

CONSIDERANTI mihi lilia agri, quo honore quoue decore candidata vestiantur & pullulent, multa virtutum varietate purpurati, rosarum flores apparent. Hinc in lilio miror, quod est niueum, hinc in rosa colorē intueor purpureum. Tria tamen amplius in ipsis intendo, colorem scilicet & odorem, & vtriusque allectionem. Flos est anima iusti, color religio Catholicæ fidei, odor amor DEI & proximi, allectio promissio est cœlestis regni. Vnde est illud in Canticis canticorum: Descendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruissent mala punica. Et de eodem in subsequēti: Vineæ florentes odorem dederunt. Et illud: Odor inæstimabilis erat nimis. Hortus est S. Ecclesia, de quo sapientia clamat: Rigabo hortum meum. Nuces sunt animæ iustorum, testa nucis vas humani corporis, corium mundani liuoris amaritudo, & in nucleo iustitiæ designatur habitudo. Tunc ergo in hortum suum sapientia DEI descendit, quando quid in nucibus, id est, in iustis, quid in vallibus, id est, in humilibus, speciosius sit, considerauit. Quæ sunt vineæ, nisi oues Dominicæ? Quid sunt earum flores, nisi passionum meritis purpuratæ virtutum varietates? Vnde est illud Sapientiæ: Flores mei fructus honoris & honestatis. Floret enim vinea Dominica per opus bonum, sed odorem dat aliis, bene viuendi proponens exempla. Floret vitis, decoratur in se, sed odore fructificat in aliis. Huic simile est quod legitur: Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris. In agro igitur rosa vel lilium, in horto nux, & in conualle lignum pomiferum, & in vinea palmes beatus Hartwicus. Hinc enim est castitate candidus, hinc diuerso virtutum colore purpureus, hinc licet in carne,

diuinitatis satiatus nucleo, hinc vt lignum fructiferum imbre roratur temporaneo, palmes est in vite non aridus, non ad ignem, vt comburatur excidendus, sed flore cum fructu germinans, vt doctrinæ vina ministret, in Christo qui vera est vitis exuberans. Vnde est illud in Euangelio: Omnem palmitem in me ferentem fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Palmes vero iste non sterilis, sed fœcundus, satis in Christo tulit sibi, sed purgatus, id est, carne solutus, plus attulit, & plus recepit. Hic quidem collegit, sed ibi cum exultatione manipulos reportauit. Super pauca fidelis humanitus, super multa cœlitus constitutus est. Hic vt paterfamilias peruigil, furi comminatur. Hic vt pastor bonus lupum confundit, & fugauit. Hinc etiam oues pascit & potat, ieiunantes non spernit, & manducantes non iudicat. O quantum luxit in carne positus, qui nihil remisse prætermittens, fuit in omni bona actione strenuus, ad docendum egregius, & in omni morum claritate fuit conspicuus. Orphanorum adiutor, viduarum defensor, mœstorum consolator, & in regenerandis animabus magnus erat propagator. Hic itaque post obitum, bonæ memoriæ, Friderici Antistitis Ecclesiæ Iuuauensis suscepit cathedram. Anno incarnationis Domini * DCCCCXC. sexto Idus Nouembris. Sed ecce cum prædecessore suo gaudet regnum sortis & gloriam. Ex regali legitur oriundus prosapia, vnde ampliori virtute vitam in se nobilitauit & opera.

DCCCCXV.

Vt radius Sole prodit de flumine riuus,
Hic stetit & fluxit Regum de sanguine viuus.

Iste ergo participat in eo quod scriptum est: Fecit nos Deus sibi regnum & Sacerdotes. Recte quidem agenti seipsum, & actus suos regenti, bene conuenit hoc nomen Rex, quia de regali secundum carnem egressus linea, cum Rege Christo decorabitur in * gloria, vt recte dicatur * ei per Prophetam: Regem in decore suo videbit. Et illud in Psalmo: Domine in virtute tua lætabitur Rex, & super salutare tuum exultauit vehementer. Fuit enim ad opera misericordiæ vehemens, in tribulatione patiens, primus ad indulgentiam, & tardus ad iram. Fide firmus vt impetret, spe certus vt capiat, charitate perfectus vt sine fine permaneat. Vt etiam ordo docendi postulat, multa erubuit docere, quæ tamen studuit facere, viam monstrauit digito, quam ipse præcessit opere suo. Cogitauit enim non esse sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens, ne cum aliis prædicaret, ipse reprobus fieret. Detractoribus aures non adhibuit. Aliud in corde, & aliud in ore non habuit, mu-

* *gratia.*
* *ei, deest.*

stera super innocentes non accepit. Pœnitentes hortabatur ad melius, iustos fouebat vt iustus, minores tuebatur vt fortis, & omnibus exhibuit opera pietatis. In meridie quippe charitatis cum Sole iustitiæ statum fixit vt luceat, vt sicut mundus solari radio, sic credentium populus suo respondeat beneficio. Interim enim virtutis eius fama percrebruit, quod ad ipsum causa doctrinæ sugendæ vice apum circumquaque omnis turba confluxit. Eia quantos nube infidelitatis obductos, mente cæcos, fidei luce perfudit, quantis etiam malitia surdis verbi Dei auditum inseruit, & ex insolentia mitius per cōfessionem Christum laudare fecit. Omnes corporis & animæ curauit ægritudines, verbi gratia, errore contractos, veritatis cognitione fecit erectos. Hinc peccati mundauit lepram, & de facie gregis sui omnem abstersit maculam. Hinc gaudio præuaricationis occisos vipereoque tentationum veneno præmortuos ad virtutum opera restituit viuos. Bene igitur conuenit illi, quod de Helisæo sapientia clamat: In vita sua fecit monstra. Quid enim melius monstrum, quam de peccatore iustum, de ægro sanum, de obstinato credulum, vel de mortuo reddere viuum? Sed nec hic silere dignum video, quod plurimorum fidelium didici testimonio.

CONTIGIT enim, quod ad Ecclesiam, quæ Tale dicitur, in festo sancti Andreę, ipsam dedicaturus exiret, syluamque in Pluepach/ pertransiens, ramusculum ex arbore frangens arripuit. Quem cum non diu manu tulisset flores, peperit, & in signum sanctitatis eius à quibusdam fidelibus diu custoditus fuit. O signum mirabile, & plusquam dici possit commendabile! O nouitas ab antiquo non discrepans! O Hartwici virga, virgæ Aaron sub figura concordans! Sed illa in archa, & hæc in manu floruit, nec tamen inter se dissentiunt, quia vtriusque possessor archam Domini rexit, & archa Domini fuit. Quod tamen in ipso materialiter fuisse, si quis obstinate contradixerit, specialiter tamen completum, vt credat, ratum sit. Quid enim signat eius via, qua vadit vt Ecclesiam dedicet, nisi Christum, in quo moraliter graditur, vt in mente sua Deo sacrificium paret? Quid est arbor de qua ramum fregit? nisi quilibet legis doctor, de quo disciplinæ formam sumpsit? De hac virga scriptum est: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Vel aliter. Disciplina tua ipsa me docebit. Vel & hæc virga pastoralis est, quæ in medio sub typo disciplinæ est rigida, subtus, causa seruitutis, ferrea: superius quasi floret, quia pœni-

tentes attrahit cum miſericordia. De parte ferrea ſcriptum eſt: In virga ferrea confringes eos. De medio virgæ Pſalmiſta dicit: Diſciplina tua correxit me in finem. Superior pars virgæ typum tenet miſericordiæ. Tria quidem doctori conueniunt. Vt ſcilicet impios diſtrictus feriat, in bono ſtabiles moneat, compungentibus miſericorditer conſulat. Hanc virgam beatus Hartwicus habuit, & ipſa virga æquitatis fuit. Vt de ipſo dici poſſit Eccleſiæ per Prophetam: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon. Quid enim niſi virtutis extitit, in quo omnium virtutum ſchola fuit? Quomodo etiam non ſit plenus omni virtute, quem ecce præuenit Dominus in dulcedinis benedictione? Ipſe autem Eccleſiaſticæ virtutis eſt virga, cuius doctrina, vel fide legalium mandatorum in populo connectuntur laquearia. Ex Syon vero emittitur, dum ſpeculatio fidei Eccleſiæ adminiſtratur. Omnia autem opera ſua quæ fecit, fuerunt ſignifera, quia virtutes quas Deus in ipſo fecit, fuerunt ſignatiuæ.

Conſummato igitur fœlici vitæ ſuæ curſu, exuta humanitatis tunica, indutus eſt immortalitatis ſtola. Migrauit autem ſanctus Hartwicus ad Dominum anno ab incarnatione Domini milleſimo vigeſimo tertio: Epiſcopatus autem ſui trigeſimo quarto: Heinrico Imperatore, ſecundo huius nominis, regnante: Domino noſtro IESV CHRISTO regnante, qui viuit & regnat cum DEO Patre & Spiritu S. vnus DEVS, per omnia ſæcula ſæculorum,

AMEN.

DE SAN-

DE S. HARTWICO ARCHIEPISCOPO.

MAGNIFICAVIT igitur Dominus sanctũ suum Hartwicum, & beatificauit illum in gloria. Vere mirificauit, quem adhuc in carne spiritualem fecit, & qui corporaliter fuit in terris, iam mente cõuersaretur in cœlis. Huic ergo cum suis consimilibus dicitur per Apostolum. Vos estis genus electum, regale sacerdotium. Vas, inquam, electum, prælectum à Deo, electum à populo, quod certo comprobatur in sua electione miraculo.

Quæ hic sequuntur vsque ad miracula, non habentur in priori editione.

Post prædecessoris sui transitum, cum iam Clerus ingemuit, & de pastore certantibus, beatus Hartwicus superuenit. Intrat igitur Pontificatum nescius, à Clero suscipitur à Deo prælectus. Mirum in modum à Spiritu S. ducitur vt agnus ad pascua, sed in ipso transsumatur arietis forma. Fit agnus vt obediat, aries vt præmineat. Agnus ad sacrificium, aries vt custodiat gregem suum. Fit signorum virtute mirabilis, charitate conspicuus, & in consortio stabilis: fecit mirabilia in vita sua. Tunc fecit illis, sed modo plus facit istis, velut enim in nocte sæculi Luna fuit in viuis, sed ecce in cœlestis gloriæ firmamento velut Sol lucet mortuus. Vt bene conueniat illi quod scriptũ est: Iusti fulgebunt sicut Sol. Quid ergo mirabilius, caro in Lunam, & anima mutatur in Solem? Recte igitur conuenit illi illud Sapientiæ: In morte mirabilia opera ipsius. O quam gloriosus Deus in sanctis suis, qui quos dilexit in mundo, post mortem plus dilectos esse signorum declarat beneficio. Opus tamen erat, vel potius decus, vt quod ex incuria scribere neglexerunt antiqui, posteris declaretur beneficio Dei. Nos igitur nõ meliores primis, sed cautius agentes, sic scribamus posteris, vt ad laudem Dei excitentur operibus nostris. Siquidem tantum virum tantaq; in Christo facta magnalia, nullus situs oblitteret, nulla obliuio decoloret, hic memoriæ tradatur in scripto, quod fidelium comprobatur testimonio. Laudem DEI lingua loquatur vt calamus, vt voci concordet ipsa manus, iam ad miracula conuertatur stylus.

DE MIRACVLIS EIVS POST MORTEM.

Caput secundum in editione tomi secundi.

AD laudem & ad gloriam nominis Domini. Cum quadam die populus in Capella sanctæ Dei genitricis deuotus astaret, cereus in Altari extinguitur, sed vt accendatur à quodam iuuene quantocius accurritur. Cereum festinus arripuit, & ad tumbam beati Hartwici accensurus accedit, sed cum iam tumbæ appropiat, iam cereum sancti virtus inflammat. Mirum in modum, per se luminare succenditur, vt lucerna Ecclesiæ fuisse beatus Hartwicus approbetur. Flamma etenim rubedine * parebat vt sanguis, sed in illo reor aliquid mysticæ fuisse significationis. Veruntamen populus in admirationem vertitur, & flammam * hinc similem nunquam vidisse profitetur. O mirabile, ex eius virtute accenditur cereus, cuius beneficiorum claritate illustratur fidelium populus! Fama igitur tantæ rei vniuersam patriam transuolat, sanctumque Dei in populo virtus patrata magnificat. Accurrunt subito debiles, sed sanitatis citius fiunt efficaces. Sani currunt & languidi, & in sancto glorificant nomen Domini, signis ad fidem prouocantur increduli, spem concipiunt desperati, charitate solidantur qui fuerant odiosi.

** apparebat.*

** huic.*

ACCEDIT interea puella quædam paralytica, quæ dum sepulchro aduoluitur, optatæ sanitati restituitur lætabunda.

Quidam etiam iuuenis, trans Oenum genitus, annos circiter XXX. agens, cæcus adducitur, sed sancti prouolutus sepulchro, visu perfunditur desiderato.

Item quædam puella decennis ad præfatum sanctum * contracta defertur, sed illico ad plenum erigitur, vt eo miraculo sancti virtus commendetur.

** contracta, decest.*

Simili quoque modo mulier quædam, iam diu omnium membrorum virtute priuata, per alios adducitur, statimque sanitati restituta, cum gaudio sola reuertitur.

Puer

Puer itaque de Pingzow/ eatenus infirmans & mulier, pari modo fertur ad sanctum, parique vice Dei gratiam salutarem experitur & fructum.

Nec non & puer quidam de Olhusen/ affertur contractus, sed Deo operante, sanctique meritis refertur erectus.

Similiter & puer, in tantum manibus contractus fuit, quod iam amplius posse sanari populus desperauit, beati Hartwici allatus tumbæ, plenissima restauratur sanitate.

Quidam homo de Eringen/ puerum suum cæcum reliquiis sancti superposuit, genuque flexo largissime lachrymans, visum puero fœlix obtinuit.

Vir quidam de Sulbach/ miserabiliter flexis reptans poplitibus, sed sancti nomine sæpius inuocato, plantis & basibus solidatis, donum recepit optatæ sanitatis.

DE CORPORE SANCTI MARTINI EPISCOPI TVRONENSIS QVOMODO HVC sit allatum.

ACCEPIMVS à Patribus nostris, quod Otto Imperator Hispaniam cum multo apparatu profectus, in ciuitatem Turoniorum hospitandi gratia, ingressus est. Vbi per aliquot dies cum magnatibus suis moram faciens, mansionarios simul & custodem pretio corrupit, & sic corpus beati Martini, auro & argento * latenter comparauit. Datis ergo quæ pepigit, recepit quæ voluit, regreditur festinus ad patriam, furtim deferens tanti corporis glebam.

Caput tertium prioris editionis, cuius inscriptio: De Ottone Imperatore.

** latenter, deest.*

Quia vero tam pretiosum thesaurum suo vectigali contineri duxit indignum, Archiepiscopo Iuuauensi Herolfo, sibi, vt credidit, fidelissimo tradidit conseruandum, sibique vbi vel quando præciperet præferendum. At ille gaudenter suscepit, & in suam Ecclesiam pie trasuexit. Cryptam in qua eum abscondit nomini suo consecrauit. Socios sibi adiurat vt lateat, titulo litterali consignat vt pateat, vt quod lingua nesciret, hoc * intitulatio posteris propalaret. Decedente itaq; ali-

** intitulato.*

aliquo tempore, citatus ad curiam venit, vbi à Rege de supradictis inquisitus, respondit: Sanctum quem quæritis in sanctuario permanendum reposui, vnde à modo nullatenus debet remoueri. Tunc Imperator se defraudatum considerans, irascitur. At ille fugam iniit, ne si exspectet in aliquo periclitaretur. Tunc Heinricus Dux, frater Imperatoris & quidam milites Plangenses scilicet, Regi placere volentes, quia & ipsi Salzburgensis Ecclesiæ inimici fuerunt, ipsum persequuntur vt feriant, quem sæuientes arripiunt & excæcant, sic nec ille reddidit, nec Imperator rehabuit, sed vir bonæ memoriæ Herolfus reposuit, & vsque ad tempus beati Hartwici, nescio quo casu, hoc inueniens, sed vt * reor, cœlitus inspiratus, vel titulo edoctus, inuenit, & solemniter & eminentius transtulit, & hospitatum hospiti: Martinum scilicet beato Rudberto consepeliuit, & digne Apostolo parem Bauaricæ gentis sociauit, quorum vterque, sicut in vna continentur tumba, sic inuicem consociantur * in gloria. Sepulturam quoque eorum argento simul vestiuit & auro, vt dum in thesauro decus appenditur, quam splendida vel potius quam pretiosa sit eorum virtus significetur.

* error.

* m. deest.

Quod vero corpus beati Martini beato Rudberto consepultum sit, miraculis, quæ per ipsos fiunt, creditur: Et vt nulli dubium sit, antiquorum Patrum legimus testimonio fuisse approbatum.

Cum etenim aliquando Ratisponæ Imperator Heinricus quartus rexit concilium, inter duos Archiepiscopos, Gebhardum Iuuauensem scilicet, & Adelbertum Bremensem, coram omni curia altercatio facta est. Qui, vt verum fatear, omni virtute commendabiles, & honore inuicem præuenientes, in die sancti Martini coram Rege officium celebrare, Iuuauensis Bremensem monuit. At ille indigniorem se iudicans restitit, & in hæc verba prorupit: Constat ô Gebharde, quod mihi instanter præmineas, cum vel Apostolicæ sedis legatione recenseas, vel quia in solemnitate sancti, cuius corpus Iuuauum continetur, pallio indui debeas. Hoc tam à progenitoribus meis, quam ab ipso Imperatore percepi, Martinum in vestra Ecclesia contineri. Celebrauit igitur Gebehardus Iuuauensis indutus pallio, cessit alter, & vtriusque commendatio, nostræ sit veritatis attestatio. Huius itaque rei non incertus bonæ memoriæ Hartwicus Episcopus, absconsum in obscuro sustulit, & supplicantium fidelium aspectibus honorifice reposuit.

Hæc

Hæc ideo huius Patris nostri Hartwici gestis inscripsimus, vt dum bona quæ fecit attendimus, cum vtrisque Martino scilicet & Hartwico, de terrenis ad cœlestia meritorum vice transferri curemus.

ALIQVA DE SVMMO TEMPLO SALISBVRGENSI.

ANNO ab incarnatione Domini sexcentesimo vigesimo tertio: Ab ordinatione Bonifacij V. Papæ tertio: Regni Eraclij Imperatoris decimo tertio: Post obitum magni Gregorij viginti annis & quinque mensibus euolutis, die Dominicæ resurrectionis, vt legimus, beatus Rudbertus primus Iuuauensis Episcopus migrauit ad Dominum.

ANNO incarnationis Domini septingentesimo sexagesimo septimo, Virgilius Episcopus cœpit ædificare Ecclesiam miræ magnitudinis apud Salzburg, Indictione VII.

ANNO incarnationis Domini septingentesimo septuagesimo tertio, dedicata est primo Ecclesia sancti Rudberti à sancto Virgilio Episcopo, anno vigesimo sexto regni Thassilonis Ducis. Eodem anno transtulit idem Episcopus sanctum Rudbertum, & duos eius Capellanos, beatum Kunialdum atque Gisilarium.

ANNO ab incarnatione Domini septingentesimo octuagesimo secundo, Indictione quinta, consecrata est Basilica in Insula Kiemesse / stagno, & Monasterium constructum, prima die Septembris.

BRE-

BREVIS CATALOGVS EPISCOPORVM ET ARCHIEPISCOPORVM SALISBVRGENSIVM.

SANCTVS Rudbertus Episcopus.
Sanctus Vitalis Episcopus.
Ansologus Abbas.
Sauolus Abbas.
Ezzius Abbas.
Sanctus Flobargisius Episcopus.
Ioannes Episcopus.
Bertricus Abbas.
Sanctus Virgilius Episcopus.
Arno Archiepiscopus.
Ammilon Abbas.
Adalramus Archiepiscopus.
Liupramus Archiepiscopus.
Adalwinus Archiepiscopus.
Odilbertus Archiepiscopus.
Dietmarus Archiepiscopus.
Pilgrinus Archiepiscopus.
Adilbertus Archiepiscopus.
Egilolfus Archiepiscopus.
Herolfus Archiepiscopus.
Fridericus Archiepiscopus.
Beatus Hartwicus Archiepiscopus.
Guntherus Archiepiscopus.
Dietmarus Archiepiscopus.
Waldwinus Archiepiscopus.
Sanctus Gebhardus Archiepiscopus.
Sanctus Thiemo Archiepiscopus.

Chun-

Chunradus Archiepiſcopus.
Sanctus Eberhardus Archiepiſcopus.
Chunradus Archiepiſcopus.
Adilbertus Archiepiſcopus.
Eberhardus Archiepiſcopus.
Philippus electus.
Vdalricus Archiepiſcopus.
Wodezlaus Archiepiſcopus.
Fridericus Archiepiſcopus.
Rudolphus Archiepiſcopus.

IN catalogo iſtorum Epiſcoporum quinque Abbates continentur, qui abſque Pontificali ordine & dignitate regebant Epiſcopatum Iuuauenſem. Hi vero ſunt:

Anſologus: Sauolus: Ezzius: Bertricus: Ammilon.

Qui ſi catalogo ſecludantur, XXV. tantum connumerantur Epiſcopi vſque ad præſentem Dominum Adilbertum. Sed eis adiunctis triginta computantur.

NVMERVM annorum à tranſitu S. Rudberti definite ſcriptum non reperimus, coniectura tamen horum poteſt fieri ex conſideratione temporum, in quibus præfuiſſe legitur. De temporibus eius legitur ſic:

TEMPORIBVS igitur Hildiberti Regis Francorum: Anno ſcilicet regni eius ſecundo, venerabilis Chriſti Confeſſor Rudbertus in Wormatia ciuitate Epiſcopus habebatur. De die obitus eius, qui in VI. Cal. April. celebratur, ſic legitur: Die orto reſurrectionis Chriſti Miſſarum ſolemnia lætus perſoluit, & munitus corporis & ſanguinis ſacramento, inter verba fratres confirmantia, tradidit ſpiritum. Et alibi: Sic ſuum contigit phaſe, ſacro paſchæ tempore. Inuenta autem tempora Regis, inuenire docent tempora Epiſcopi. Temporibus igitur Tiberij, Conſtantini, & Mauritij Imperatorum Romanorum, Hildibertus Rex Francorum, filius Sigiberti & Brunhildis extitiſſe legitur. Anno Dominicæ incarnationis DLXXV. Tiberius Conſtantinus regnauit. Anno incarnationis Dominicæ DLXXXVIII. Hildibertus. XXII. Mauritius regnauit. Item anno incarnationis Dominicæ DLXXXVIII. Hildibertus filius Sigiberti ſuper Francos regnauit. Anno incarnationis Dominicæ DXXXIII. Focas regnauit, qui poſt Mauritium factus eſt Imperator.

Circa hæc tempora sanctum Rudbertum vixisse patet. Requirat autem nunc qui vult, vbi ante annum DCXXVIII. Dominicæ incarnationis, aut post eundem annum, dies Dominicus Paschæ in VI. Cal. April. euenerit, vt hic nec ante nec post illum terminum longius, quam humanæ vitæ mensura id sit. Si quis hæc ante inuenerit, inuenire poterit quot anni sunt à transitu S. Rudberti. Si autem alieno inuento credulus esse maluerit, qui semet ad huiusce indaginis labores desperet attingere, sciat quod DCXXIII. dies anno incarnationis, ante supra notatum annum, & post eundem DCXXVIII. dies Paschæ VI. Cal. April. In quo è duobus anno, ipse de quo sermo est, sanctus obierit, non legi. Considerata tamen superiori temporum conscriptione, dubium non est, eum in vno eorum obiisse. Et quamuis certum non sit, si superuixerit DCXXVIII. annum Dominicæ incarnationis, in quo similiter Dominicus dies in VI. Calen. April. euenerat. Si autem annum Dominicæ incarnationis, in quo similiter Dominicus dies in VI. Calen. Aprilis euenit, si altius repetere voluerimus, vt videlicet sub primo Hildiberto Francorum Rege, Chlodouei, seu Ludouici filio, qui temporibus Iustiniani Magni & primi regnabat, sanctum Rudbertum claruisse contendamus, tunc in altero subscriptorum anno eum obiisse constat, siue DXXXIV. anno Dominicæ incarnationis, siue DXLIV. anno, in quibus ambobus dies Dominicus Paschæ VI. Calen. Aprilis euenit. Ideo quod inter duo dubia certius est eligamus, & computemus annos de transitu sancti Rudberti ab anno DCXXIII. Dominicæ incarnationis. Sunt autem à transitu eius vsque ad præsentem annum, qui est Dominicæ incarnationis annus millesimus, centesimus, octogesimus sextus, anni quinq;, LXIII. Ipse est annus XXXVI. regni Friderici Imperatoris.

INCL

INCIPIT VITA SANCTI GEBEHARDI ARCHIEPISCOPI, FVNDATORIS ECCLESIÆ ADMVNTENSIS.

GLORIOSVS igitur Gebehardus, alto Sueuorum stemmate, patre Chadoldo, matre Azala progenitus, in primæua ætate sua liberalibus studiis traditur imbuendus. Vbi cum docilis puer, non tam ætatis incremento, quam litteralis scientiæ * succrescere fastigio, emensa * demum pueritia, partimque adolescentia, ingenuitatem generis, morum nobilitate, ac sapientiæ iubare transcendit. Euacuatis enim quæ erant paruuli, diuinis se mancipabat obsequiis & lectionibus, quamuis in sæculari pomposo schemate forinsecus splenderet ornatus.

* succresceret

* igitur.

Per singulos itaque gradus sacris ordinibus insignitus, ad Sacerdotij deinde gradum, quia dignus est inuentus, quarto Nonas Martij, anno incarnationis Domini M. LV. à venerabilibus * Baldwino, sanctæ Salisburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo, sub sancto Leone Papa, est promotus: prædicti Deo digni Archiepiscopi, futurus Episcopus successor, ac Christi & Ecclesiæ indefessus propugnator.

* Salvvino.

Huius ergo celebri fama illectus Imperator Heinricus III. cognomento Pius, Heinrici Babinbergensis successor, eum ad se adscitum, regiæ aulæ summum præfecit Capellanum. Quo post paucos annos rebus humanis exempto, & Heinrico IV. filio prioris in sceptra regni succedente, Gebehardus item primus inter primos palatij habebatur. Et quamuis in terreno conuersaretur palatio, cœlestis tamen regis famulatui summopere inhærebat.

Anno deinde incarnationis Domini M.LX. qui sextus sacerdotij

ipsius Gebehardi fuerat annus, post dormitionem præscripti venerabilis * Baldwini Archiepiscopi, concordi & alacri totius Cleri, ac * ministerialium electione in Salzburgensem Metropolitanum diuino nutu est sublimatus, vtpote virtutum omnium * gratia adornatus.

* *Baldvvini.* * *ministralium.* * *genere.*

Igitur Deo dignus Metropolita Gebehardus, tertio Idus Iunij, in loco Eschinwanch dicto, accepto à Rege Heinrico, & castæ desponsationis sacrosanctæ matris Ecclesiæ annulo, & reuerendæ pastoralitatis baculo, sanctæ Iunauensis Ecclesiæ sedi, ab Adalberone Wirzburgensi Episcopo, XII. Cal. Augusti, * iuxta sancita Canonum inthronizatur. Nec longo post conuenientibus Ratisponæ Gebehardo eiusdem vrbis Episcopo. Engelberto Patauiensi Præsule. Ellinhardo Frisingensi * Pontifice. Altwino Sabionensi Antistite. Adalberone Wirzburgensi Præside. Gunzone Ehihstetensi Episcopo, in gradu Episcopalis honoris per læta popularium suffragia III. Cal. Augusti, fœliciter est prouectus. Ab hinc vno & semis anno, pallij insignibus & priuilegio singularis præ cæteris Coëpiscopis principatus ab Alexandro Romanæ sedis Episcopo, per Wezilinum Præpositum octauo Calend. Martij, gloriosissime persplenduit. Sed hic tripliciter honoratus.

* *intra.* * *Episcopo.*

His ille honoribus nesciebat superbire, sed magis humilia de se ipso nouerat sentire. Diuitiis etiam affluentibus cor non apposuit. * sed his tripliciter vsus, aut in augmentum & proficuum Ecclesiæ suæ expendit, aut Monasteria & Basilicas ex eis construxit, vel pauperibus erogauit.

* *sed, deest.*

Præterea tam regno quam Romanæ sedi accommodatissimus existens, dilatauit gloriam populo suo & Ecclesiæ, quousque inimicus superueniens zizania discordiæ, inter regnum & sacerdotium, proh dolor, seminauit. Præsul ergo egregius, cum instar lucernæ candelabro superpositæ, omnibus qui in domo Dei erant, scientiæ & vitæ merito luceret, eum sancta Romana Ecclesia, quasi specialem filium suum, quasi verum Catholicum, iudicauit esse dignum, cui legationem suam super omnes Teutonici regni Ecclesias committeret. Sic itaque ex Archicapellano regni, Archiepiscopus Iuuauensis & Legatus Apostolicæ sedis prouectus est, & immobilis Ecclesiæ columna enituit.

Quæ sequuntur vsque ad: Opera pretium

ANNO igitur incarnationis Domini M. LXXIV. ordinationis suæ XV. in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Blasij Episcopi & Martyris, Monasterium in valle Adm..ntensi construxit

ſtruxit, quod & ipſo anno, tertio Calend. Octob. Indictione XIII. tempore Gregorij Papæ VII. anno ſecundo ordinationis ſuæ. Imperij vero Heinrici Imperatoris quarti huius nominis anno XVII. In quo nimirum Monaſterio duodecim Monachos Sacerdotes ad ſeruiendum Deo ordinauit, ad quorum ſtipendia & veſtes, necnon & hoſpitum & pauperum ſuſtentationes prædia tradidit, inprimis quæ matrona quædam nobilis Hemma Comitiſſa de Frieſaco & de Truchſen, poſt mortem mariti ſui Wilhalmi Comitis & filiorum ſuorum Hartwici & Wilhalmi, tempore Baldwini Archiepiſcopi, ſancto Rudberto dedit in valle Admuntina cum aliis prædiis, ad cœnobium ibidem fundandum. Et præterea maxime illa, quæ ipſe ſui Epiſcopatus tempore, in ius Eccleſiæ Iuuauenſis, cui, auctore Deo, præfuit, ex diuerſis commutationibus & complacitationibus conquiſiuit.

eſt hic inſerere, &c. deſiderantur in priori editione.

Dominicalia namque Epiſcopij attingere noluit, ſed vt diximus, prædiis quæ fidelium donatione, vel pro banni abſolutione, emptionis cōparatione conquirere potuit, Monaſterium ipſum dotauit.

Fideles quoque ſuos, tam nobiles quam miniſteriales rogauit, vt prædia ſua, vel beneficia ipſi Monaſterio contraderent. E quibus ſpecialiter tres nobiles, Leupoldus, Maganus & Anzo, plurima quæ poſſederant beneficia reſignantes, Monaſterio tradi impetrarunt. Otaherus quoque Marchio proauus Marchionis O. de Styre, intuitu dilectionis ipſius Deo digni Archiepiſcopi, & pro ſalute animæ ſuæ, tradit villam Eychdorff / eidem Admuntenſi Monaſterio. Adilbero etiam germanus eius Marchionis, qui diutinam cum fratre guerram habuit pro abſolutione banni, & multimodis iniuriis cœnobio in perſecutione Heinrici IV. Imperatoris illatis, tradidit per manus itidem Archipræſulis ſuper Altare S. Blaſij, villas duas ab Arnich / cum omnibus ſuis pertinentiis, & prædium Huzenpuhele. Ad hæc complures decimas, ſuis exactionibus conquiſitas dedit, quia gens Sclauonica in eius Epiſcopij terminis poſita, ante ipſius tempora, aut nullas, aut pauciſſimas reddere conſueuit. Dedit etiam ornamenta complura, auro, argento, & ſerico valde pretioſa veſtimenta ſcilicet ſacerdotalia, libros, calices, & quæque diuinis miniſteriis neceſſaria. Inter cætera denique bona ſanctorum, egregiis pignoribus locum nobilitauit, inter quæ brachium ſancti Confeſſoris Paterniani, cum cohærente ſibi manu. Sed & ſancti Chriſanti Martyris caluariam, & commilitonis eius ſanctæ Dariæ virginis, nec non & ſancti Vincentij, cum multis aliis ſanctorum reliquiis, eidem donauit Eccleſiæ.

LOCVS hic inter montana Bauariæ, iuxta Anasum fluuium in valle situs est. Aditum difficilem viantibus præbet, adeo ipsa natura munitus per gyrum, vt altissimorum montium ambitu cœlo proxime dicas circummuratum. Profectus nisi in montes aut sursum, non est. Hoc monasticæ conclusioni præstruente natura idoneum, hoc vnum de cæteris, quare locus à strenuis, longe lateque amatus expetitur, ab aliis horretur, fugitur. Necesse est, fortia diuersas mentes, aut prouocare aut reuocare. In hoc igitur loco Monasterium beatus Præsul, fundare desiderans, dum esset ibi constitutus, quia fiscus Episcopalis erat, triduum continuum perstitit, non manducans neque bibens, adeo æstuans discerpebatur cogitationibus suis, dum quid definiret eligere poterat. Mulcebat partim facies loci, quod inuius conuictui hominum, tamen nullius idoneæ rei materiam in venis montium negaret. Angebat è contra non carpento neque trahea, verum solis Saumariis necessaria posse inferri. His animum distrahentibus, postridie etiam tum cunctanti, subito surdus & mutus quidam in medio exurgens diuino nutu coram omnibus hæc verba in teutonico eleganter concinnauit, Episcopo inquiens: Tu debes inchoare, DEVS debet consummare. Qui homo nec postea nec ante vllas edidit voces, donec post multos annos in depositione ipsius Episcopi ad sepulchrum eius pleniter aurium & linguæ est restitutus officio. Mirantur itaque vniuersi, stupor & gaudium replent Episcopum. Mox quasi diuinitus accepto oraculo, intrepida mente, pronissimo studio, Monasterium cœpit construere, sacris vestibus, & marmore copioso ornare, redditibus ditare. Arnoldo Monacho de Monasterio sancti Petri, ad prouisionem ipsius loci ascito, fauente Domino Reginwardo venerabili Abbate sancti Petri. Sed prædicto Arnoldo propter paupertatem loci, non diu hic durante, Isingrinus ab eodem est Archiepiscopo substitutus.

OPERÆ pretium est hic inserere, qualiter præfatus & sæpe nominandus Pater & Dominus * noster Gebehardus Archiepiscopus, ab ineunte ætate in proposito habuerit, vt si ex voluntate Dei facultas sibi posthac suppeteret, Monasterium aliquod, vbi diuinæ laudes iugiter hymnizarentur construere, quod ex subsequenti relatione potest perpendi. Dum enim aliquando in pueritiæ flore constitutus cum collegis suis Altmanno postea Pataujensi Episcopo, & Adalberone postea Wirzburgensi Episcopo, studiis liberalibus imbueretur, contigit vt

* noster, deest.

cum

cum his, quos prædiximus fidissimis sodalibus, timore puerili fugam iniret. In via igitur ad quendam fontem diuerterunt, & ibi de cistarciolis suis panem quantulumcunque proferentes corpuscula recreabant. Et licet puerili affectione, Dei tamen magis, vt post patuit, inspiratione præsagio virtutis suæ spiritu, inter cætera quæ confabulabantur Episcopos se futuros prædixerunt, & Monasteria se ad Dei seruitium fundaturos vouerunt, quod postea efficaciter compleuerunt.

Primus igitur Altmannus subintulit, se Patauiensis Ecclesiæ præsulatum velle conscendere, quo adepto, Monasterium se constructurum, ibique nouissimam tubam ad resurgendum exspectaturum.

Dum Adalbero: Ego vero Wirzburgensis Ecclesiæ Pontificatum suscipiam, & cœnobium Christi seruorum instituam, vbi & ego recondar, communem omnium præstolaturus resurrectionem.

Tunc Gebehardus: Ego amborum vestrum magister futurus ero, quia volente DEO Salzburgensis Ecclesiæ metropolatu sublimabor. At Monasterio, quod regulari institutioni ordinauero, vltimum examinis diem præstolabor.

Hæc ideo hic inserere dignum duximus, vt ostenderemus, quam grata DEO simplicitas istorum fuerit, & cordis mundicia, quorum * dicta puerili quodammodo ioco prolata, tam mirabiliter ad effectum perduxit.

*dicta, deest.

Nam Gebehardus in Salzburgensi metropoli postea sublimatus, Admuntense cœnobium, vt prædiximus, fundauit.

Altmannus Patauiensis Episcopus factus * Chotwisense Monasterium instituit.

*Tothwicense.

Adalbero similiter ante ambos Wirzburgensem sedem adeptus, Lambacense cœnobium construxit.

PRÆFATVS quoq; Archiepiscopus, priusquam Admuntense fundaret Monasteriũ, anno incarnationis Domini M.LXXII. instituit sedem Episcopalem intra Carinthiam, in loco Gurca dicto, vbi prius fuerat cœnobium sanctimonialium, cui præfecit & cõsecrauit Episcopum Guntherum, II. Nonas Martij, præsentibus & benedicentibus Episcopis, Altwino Brihsinensi, Ellenhardo Frisingensi, Candiano de Hystria, cęteris comprouincialibus Episcopis, Ottone scilicet Ratisponensi, Altmanno Patauiensi, per epistolas suum in hanc ipsam ordinationem præbentibus assensum. Prolata est ibi tunc & epistola Domini Alexandri Papæ, & ad confirmationem huius constitutionis in auribus

Quæ hic sequuntur, habētur in Chronico Monasterij sancti Petri, Salisburgi, ante annos 310. conscripto, digna profectò quæ hic subijciantur.

cibus populi lecta & interpretata. Sed & litteræ Regis Heinrici, suum in hanc consensum pronuntiantes, similiter sunt recitatæ, quarum tenorem infra posuimus.

ALEXANDER Episcopus, seruus seruorum Dei, Gebehardo Salzburgensi Archiepiscopo, suisq; successoribus in perpetuum. Quotiens ea à nobis petuntur quæ religioni conueniunt, prompta debemus concessione annuere, & fauoris nostri gratanter præbere assensum, quoniam ex consideratione nostri officij cogimur Ecclesiarum vtilitatibus, etiamsi minimè exigantur solicite inuigilare, & animarum saluti solerti studio prouidere. Quapropter dilectissime frater, quia postulasti à nobis, quatenus Apostolica auctoritate concederemus, tibi vnum Episcopatum in tua Parochia constituere, quia Ecclesia tua tam amplè diffusa est, quod per te solum non possis eam in chrismate, aliisque pluribus, quibus Episcopali officio indiget, decenter ac rationabiliter regere: Piis precibus tuis inclinati, libenter annuimus, & vt etiam impleatur, satagimus. Apostolica igitur auctoritate, venerande frater, religioni tuæ concedimus, volumus, & firmamus, atque auctoritate beati Petri, Apostolorum principis, in quocunque loco tibi melius visum fuerit, Episcopatum in tua Parochia, construe, & ad procurandum salutem animarum, adiutorem tibi tua consideratione ibi præpone. Ita tamen, vt Episcopatus ille Ecclesiæ tuæ, tibique vel tuis successoribus nunquam subtrahatur, & nullus ibi Episcopus quãdoque siue per inuestituram, vt dici assolet, vel quocunque pacto inibi constituatur, nisi quem tu, vel tui successores prompta voluntate elegerint, ordinauerint, & consecrauerint. Indignum enim atque detestabile est, vt hoc quod studio pietatis à nobis quæsitum, Apostolica auctoritate firmatum, ad detrimentum Ecclesiæ tuæ quolibet modo vertatur. Si quis autem temerario ausu huius nostræ sanctionis priuilegium infregerit, nouerit se Apostolicæ excommunicationis atque anathematis vinculo innodatum. At vero, qui pio intuitu custos & obseruator extiterit, perpetuæ benedictionis abundantia repleatur. Data Lateranis XII. Cal. April. per manus Petri Clerici, fungentis vice Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis ac Bibliothecarij, Anno abi incarnatione Domini M.LXX. Pontificatus vero Domini Alexandr Papæ II. nono, Indictione VIII.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia Rex. Quotiens ea à nobis petuntur, quæ religioni conue-

conueniunt, prompta debemus concessione annuere, & fauoris nostri gratanter præbere assensum. Ergo fidelis noster Gebehardus Iuuauensis Archiepiscopus, de commissarum sibi animarum periculis dolens conquestus est, quod Episcopatum suum in Montanis situm, præ nimia Parochiæ amplitudine, & viarum difficultate, per se solum regere non sufficeret, consultu fidelium nostrorum, pro necessitate Ecclesiæ, decreuimus & annuimus, vt infra Parochiam suam, adiutorem sui operis Episcopum & sedem Episcopalem constitueret. Igitur in loco qui dicitur Gurca, apud Ecclesiam sanctæ Mariæ, vbi prius erat congregatio sanctimonialium, placuit nobis vt Cathedram Episcopalem faceret, & eidem nouæ sedi, partem Parochiæ suæ, & de prædiis & decimis, quantum sibi conueniens videretur attribueret, & ad eandem sedem, Episcopum ex sua consideratione ordinaret, ea videlicet ratione, vt Episcopatus ille, Ecclesiæ Iuuauensi, & prædicto Archiepiscopo suisque successoribus, nunquam subtrahatur, & nullus ibi Episcopus, quandoque siue per inuestituram, siue quocunque modo constituatur, nisi quem prædictus Archiepiscopus, suique successores elegerint, ordinauerint, consecrauerint. Et vt hoc nostrum regale præceptum stabile & inconuulsum omni permaneat æuo, hanc chartam inde conscribi, manuque propria corroborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Ego Albero Cancellarius, vice Sigefridi Archicancellarij recognoui. Data II. Nonas Februarij, Anno Dominicæ incarnationis M. LXXII. Anno ordinationis Domini Heinrici Regis XVIII. regni vero XVI. Indictione X. Actum est Ratisponæ, in DEI nomine, AMEN.

HÆ igitur vtræque Epistolæ destinatæ sunt seruari in Ecclesia Iuuauensi. Iuuit ad hanc nouam constitutionem & quidam veterum notitiarum codex. Repertus enim erat talis in camera librorum Salzburgensi, & in eo repertum, qui Episcopi, sub quibus Archiepiscopis Salzburgensibus Ecclesiæ vices & ante gessissent in prænominata regione. Beatus enim Virgilius Episcopus octauus à beato Rudberto, gentem Karentanam tempore Thassilonis Ducis Baioariæ, quibusdam occasionibus, ad fidem Christi conuertit, & Episcopum illic Modestum dictum, in loco Liburnia dicto constituit, per quem & per cuius successorum instantium, eadem gens Sclauonica à ritibus idololatriæ reuocaretur. Item ab Arnone primo Archiepiscopo Theodoricus Episcopus. Ab Adalramo secundo Archiepiscopo, Otto Episco-

pus. A Liupramo tertio Archiepiscopo Oswaldus Episcopus, præfati sunt Karentanis. Repertæ sunt in eodem libello crebræ discordiarum causæ inter ipsos Archiepiscopos, & Subepiscopos illos, propter quas coniicitur & æstimatur vicem illam tunc cessauisse, & morientibus aliis, alios non fuisse substitutos. Et quia huiuscemodi stabilitatis anchoras non habebant, sedem videlicet Episcopalem & Clerum ac plebem, in separatis sibi Parochiæ terminis, cum qualibet supradicta restauratio renouata est & stabilita.

DEINDE post aliquot annos excommunicatur Rex Heinricus, in synodo Romana, & Episcopi singuli, missis à Papa Gregorio Epistolis, præmoniti sunt etiam obsecrati pro obseruãda sancto Petro & eius Vicario obedientia, inbanniti quoque & sub obtentu sui officij sunt astricti, ne Regi anathematizato & eius consiliariis nominatis communicarent. Hoc nouum siue rarum in Regem anathema, vtrum ex venditione Episcopiorum & Abbatiarum, an ex alia infamia, causas sumpserit, penes earum conscios sit & indices, nobis sententia pastoris timenda est, siue iusta siue iniusta. Prædictus enim piæ memoriæ Papa Gregorius, velut alter Helias Spiritu DEI plenus, & zelo iustitiæ & veritatis accensus, Sacerdotes Baal, non quadringentos, sed infinita milia trucidauerat, quia vel eos qui per simoniam Episcopatus, Abbatias, Præposituras, Præbendas, vel Ecclesias obtinuerant, vel qui in sacerdotio aut diaconatu vxores habuerant, vel qui à simoniacis vel schismaticis ordinati fuerant, gladio Petri omnes simul trũcauerat. Proinde istorũ instinctu Heinricus Imperator Wichpertum Rauennatem hæresiarcham, expulso præfato Papa Gregorio, Romæ inthronizauit, quem vna cum Rege & suis complicibus & fautoribus iam dictus Papa anathematizauit. Videres nunc nauiculam beati Petri, quasi dormiente interim Iesu propemodum mergi, & tempestatum procella vexari, dum omnes veritatem & fidem beato Petro & eius Vicario seruantes, aut in vndas mortis dirum fremens ac feruens salum trahebat, aut in longum exilium, patria, honoribus, rebus exsortes iactabat. Tempora nimirum tunc valde periculosa instabant, cum præter Christi athletam nostrum Dominum Gebehardum Archiepiscopum Salzburgensem, Altmannum Patauiensem, Adilberonem Wirzburgensem, Hermannum Metensem, Meginwardum Frisingensem, præter hos solos quinque, in toto regno Teutonico Episcopus Catholicus inueniri non poterat.

EA igitur tempestate iste noster Dominus sæpefatus Archiepiscopus fidelis Romanæ Ecclesiæ & veritatis Catholicæ propugnator eminebat, qui velut alter Machabæus lorica fidei se succinxerat, & gladio verbi sui castra Ecclesiæ in toto regno Teutonico protegebat. Proinde aure cordis, audiens illam Domini vocem in Euangelio clamantis: Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Quia Christum pro redemptione Ecclesiæ, ad crucis brachia pendentem sincera fide sequi studuit, multa tunc personæ & ordini indigna nimis, à fautoribus Regis excepit. Qui mox & Ecclesiæ suæ bona diripiebant, vnusquisque vicina sibi quasi ex permissione Regis vendicans, & bannos Domini Papæ, ipsiusque nostri ob hanc direptionem illi factos paruipendens. Tunc etiam magna pars Vngaricæ terræ, quondam Ecclesiæ sancti Rudberti traditæ ab Episcopo defecisse dicitur. Hac etiam necessitate ob munimen Ecclesiæ suæ in posterum, castella duo munitissima Christi archimandrita ædificauit, scilicet in monte Salzburg & Werfen, sed & vnum castellum apud Frisacum.

SVB publica tandem fide etiam dato à Rege ducatu Ratisponam veniens expurgare se, in quibus à Rege culpabatur, recusauit, nisi prius omnia quæ ei ablata fuerant, iuxta statuta emendarentur. Inde prolixa inter eum & inter prolocutores Regis, coram Rege agitata est quæstio. Postremo infecta re vtrinque & indefinita, exiuit ab vrbe Ratispona ad vrbem suæ sedis eo comitatu quo venerat reducens. Sed à media via diuertit, & ad partes secum facientes secessit. Quia denique inimicis CHRISTI & Ecclesiæ resistere non potuit, relicta syndone nudus ab eis profugit, quia relicta sede sua in exilium secundo Idus Octobris recessit: Anno incarnationis Domini millesimo septuagesimo octauo, & nouem annos, nunc in Sueuiam, nunc in Saxoniam transmigrando cum suis similibus Catholicæ veritatis confessoribus in exilio transegit.

REX Heinricus Perchtoldum quendam sui erroris consentaneum in cubile Salzburgensis Ecclesiæ ingessit, qui & ejusdem Ecclesiæ thesaurum ditissimum dissipauit, & multa nostræ Admuntensis Ecclesiæ ornamenta cum nonnullis sanctorum pignoribus diripuit, ipsum vero locum nostrum ad solitudinem fere redegit.

Inter cætera pretiosa quæ tunc temporis idem intrusus seu Ex-

episcopus nobis abstulit, Rationale vnum ex auro & gemmis pretiosissimis intextum, aureis catenulis dependens, pene mille marcarum pretio æstimatum, quod Imperator Græciæ, fundatori nostro Gebehardo Archiepiscopo, dum legatione Cæsaris illò functus, filium eius baptizasset, pro munere donauerat, iussit præfatus Perchtoldus exponi militibus suis hæc largiturus. Duodecim igitur milites cæteris præstantiores, auaritiæ siti furentes, pro rapiendo illo in litem versi, ante atrium basilicæ certamen ineunt, & mutuis se concidentes vulneribus, octo ex his ibi ceciderunt. Quidam vero ex fratribus Nordwinus Presbyter, Sacristæ seu Custodis functus officio, ad tantum facinus perhorrescens, & aliorum quatuor, qui adhuc supererant, simili cæde iam perituris, vitæ consulens, arreptum Rationale, in quatuor frusta confregit, cuique illorum suam partem tribuens. Qui Monachus eodem anno diem clausit extremum.

Prædictus quoque Perchtoldus duas patellas salis, ad Paierhalle, nobis abstulit, & Comiti Gebehardo de Purchusen has in beneficio tradidit.

TANDEM miseratione diuina inardescente zelo fidelium, anno exulationis suæ nono, præfatus Dominus noster Gebehardus, ab Engelberto Comite, & ab aliis quibusdam Ecclesiæ ministerialibus, & compluribus militibus reductus est in Episcopium suum comitantibus se suffraganeis suis Episcopis, Altmanno scilicet Patauiensi, & Meginwardo Frisingensi, & à Clero, & toto pene populo in sedem suam est receptus. Vbi confestim tam eum qui suam sedem inuaserat, quam & eos qui loca prædictorum suorum suffraganeorum occupauerant, anathematizauit, ipse & Coëpiscopi sui. Sicque duobus fere annis curam exercens Episcopalem superuixit.

ANNO igitur incarnationis Domini M. LXXXVIII. transactis ab ordinatione sua annis XXVII. mensibus X. hebdomadibus duabus, diebus duobus, exacto fœlicis agonis cursu, ad palmam supernam vocatus XVI. Calen. Iulij. in castro suo, quod Weruen dicitur, huius vitæ terminum, beato fine sortitur, & deinde translatus in nostro Monasterio, debita veneratione sepelitur, ipso die depositionis, surdum & mutum, quem prædiximus, ad sepulchrum proprium curauit. Quo primo, aliisque deinceps miraculis viuere se in cœlestibus regnis testatur.

HIC à S. Rudberto primo Iuuauensis sedis Episcopo, vicesimus sextus fuit. Ab Arnone primo eiusdem sedis Archiepiscopo, sextus decimus. Vir hic erat ingeniosus satis & litteratus, orationibus studens & lectionibus, canonum maxime scrutator, eleemosynarum largus, in contemptores & contumaces vltor irreuocabilis erat, siue banno, siue alterius potestatis exercitiis vti in illis voluit. Dictauit idem de illa dissensione, quæ suo tempore in Ecclesia fuit libellum ad Hermannum Metensem Episcopum, quo & semet excusaret, & quantos ex cōtraria parte posset huic, cui ille fauebat, parti sociaret.

ERAT eidem Domino & Patri nostro Gebehardo germana vterina nomine Diepurch, quæ cuidam nobili & libero Baroni Bauariæ Werenhero in matrimonio erat sociata. Qui ambo post mortem filij sui Gebehardi pari deuotione Monasterium Canonicorum Richerspergæ fundauerunt, & CHRISTVM sibi inibi hæredem instituerunt.

QVID fles Admuntis Gebehardi funere tristis?
Restet post fletus, quòd tibi, cerne, decus.
Est tibi Pontificis corpus non gloria vilis:
Cui locus hic tumuli, præ tot Episcopij.
In te diuinos qui fecit iugiter Ymnos,
Et decantari cantica Psalmographi.
Fecit & hoc in te, sint & solatia cuique.
Plurima nam tribuit de quibus hæc statuit,
Esuriens victum, petat vltrò nudus amictum.
Et vagus hospitium, vallis es æniuium.
Propter iustitiam, tolerauit & ipse rapinam.
Regis ob hanc odium, fugit in exilium.
Malens ille miser, quam schismatis esse minister.
Transiit ad partes lite sibi similes.
Complicibus banni, studuit se dissociari.
Seruans Roma tuo debita iudicio.
Post in Episcopium, plebs hunc nonnulla receptum.
Gaudebat cura post vt & ante sua.
Hic pro lege Dei, nesciuit cedere Regi,
Vel cuiquam forti, vel quoque dedecori.

PASTORE igitur tali subtracto de præsentibus, quo dignus erat non mundus, scriptura illa impletur propheticæ veritatis: Percu-

tiam pastorem & dispergentur oues gregis. Mox enim Perchtoldus inuasor præfatus, fauore Regis Heinrici, Metropolitanam sedem occupat, & more lupi, caulas ouesque Christi & Ecclesiæ atrociter laniat, locum nostrum fortiter deuastat. Sed Christus Dominus recolens promissionem suam, Petro & Ecclesiæ suę à se factam, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: cōtrà eundem Perchtoldum, suum & Ecclesiæ inimicum, per Spiritus sui gratiam, suorū fidelium excitauit constantiam. Qui in vnum conuenientes electione Canonica venerabilem Thiemonem, S. Petri Abbatem in Archiepiscopum constituerunt, eiq; ad defensionem Ecclesiæ, castra & munitiones Episcopij tradentes præfatum inuasorem de finibus Salzburgensis Parochiæ expulerunt.

HIc igitur Thiemo ingenuis parentibus, alto Baioariorum genere oriundus, in primæua ætate, Altensi Monasterio, tam regularibus quam scholaribus disciplinis traditus est imbuendus. Huic ab adolescentia, sanctitas, innocentia, humilitas, prudentia, omnisque scientiæ genus oblectationi fuit, ibiq; iuuentutem suam exercuit. Cumque esset non solùm in eis artibus, quas liberales appellant, sed & in mechanicis vniuersis simul, pictura, fusoria, sculptoria, omnibusque huiusce generibus, & speciebus subtilissimus, vt in quibusdam Monasteriis, & nostro specialiter, in eius sculpturis & picturis perspicuum est cernere, conuersationis quoque & vitæ merito clarissimus: Abbate sancti Petri, pro nimia & pro diutina debilitate à prouisione Monasterij sui absoluto, ascitus est communi electione in Abbatem & inuestitus ab eximio Gebehardo Archiepiscopo.

Non multo post, præfato Archiepiscopo propter schisma à sua sede expulso, religiosus Abbas Thiemo execrans communionem inuasoris Perchtoldi, concessit in Sueuiam, & in Hiersauwiense Monasterium se recepit, priuatum & communem se fratribus gerens. Post triennium ad ouile suum rediens, iterumque contagionem lepræ prædicti Perchtoldi pertimescens, in vicinam eremum Admuntensis coenobij se contulit.

Postmodum defuncto, piæ memoriæ, Gebehardo Archiepiscopo, ad Metropolitanum, vt diximus, est prouectus & ordinatus, anno incarnationis Domini M.XC. Venerabilis ergo Thiemo Archiepiscopus, sicut in Hiersauwiensi cœnobio sub reuerendissimo Abbate Willehelmo, monasticæ religionis institutione fundatus, prædecessori sui

vestigia in defensione veritatis Catholicæ, & propagatione religionis diuinæ omnimodis sequi studuit, per quod Deo, Deique fidelibus valde complacuit.

Qui veniens locum nostrum valde desolatũ, quasi pastor bonus religioni monasticæ, quæ tota iam apud nos periit, paterna pietate cõdoluit, & de Saxonia Gisilbertum Abbatem valde religiosum adduxit, qui in Hiersawiensi cœnobio secum quondam Christo militauerat, & ob euitanda anathematis contagia, assignatam sibi in Turingia Abbatiam, scilicet apud Reinhersprunen, zelo Catholicæ religionis & cõmunionis reliquerat. Hunc ergo nostro Monasterio Abbatem præfecit, & tam pro Christi, quam pro eius amore, proq; animæ salute suæ, Monasterij nostri terminos, qui vsq; ad id tempus nimis erant angusti, suis donationibus copiose dilatauit. Totam namque in valle Parochiam, cum omni iure suo, & alia plura nobis contulit.

SED quia omnes qui volunt pie viuere in Christo Iesu persecutionem patiuntur, prædictus Christi famulus reuerendissimus Archiepiscopus, hinc à Rege Heinrico, hinc à præfato inuasore Perchtoldo, multas insidias patitur, capitur & multis cladibus afficitur. Nullum genus ærumnarum, quod turpe, quod miserum esset, in quinquenni captiuitate expertus non est, dum etiam charissimi cognati sui, in conspectu eius truncati sunt. De qua demum captiuitate per quendam fratrem in cappa constitutum, Chunradum nomine, datis ab eo custodi XL. talentis, liberatur. Sic igitur XIII. annis, quibus præfuit, bellis, obsidione, gladiis, captiuitate omnia extrema perpessus, instar beati Athanasij Alexandrini Episcopi, nunquam pene liberum corpus, nedum libera authoritas fuit.

TANDEM comitante secum eodem Monasterij nostri Abbate Gisilberto, cum Welfone Duce Bauariæ, & Ita Marchionissa Austriæ, aliisque multis Hierosolymam proficiscitur, & à paganis captus atque in Corrozaim vrbem deportatus, multisque pro fide Christi suppliciis laniatus, tandem martyrio consummatur.

Tunc etiam prædictus Abbas Gisilbertus Cal. Octobris apud Ierusalem obiit.

POST huius ergo excessum, inuasor Perchtoldus metropolitanam sedem incubat, donec visitatio emissa ab altissimo, Chunradum, genere, scientia ac moribus egregium desolatæ Ecclesiæ pastorem & Archiepiscopum idoneum condonat.

Hic

Hic namque VII. Idus Ianuarij Archiepiscopus constitutus, postmodum eodem anno, scilicet XII. Cal. Nouembris à Pascali Papa ordinatus,& pallio honoratus est, Anno incarnationis Domini millesimo centesimo sexto. Qui tanta morum probitate,& religionis auctoritate cœpit eminere, vt omnibus in Theutonico regno institutioni & exemplo fuerit. Cuius quanta erga Deum fides, & sanctam Ecclesiam zelus viguerit,in facto subter notato declaratur.

Rex Heinricus V.cum exercitu copioso circiter XXX. millia equitum electorum Italiam ingrediens,habens in comitatu suo prænotatum Archiepiscopum Chunradum,Romam vsque accessit, benedictionem Imperialem à Domino Pascali Papa suscepturus. A quo nimirum Apostolico, cum Clero & populo Romano, summo cum honore ac tripudio est exceptus. Sed Rex continuo, quorundã sceleratorum consilio, ipsum Dominum Apostolicum captiuauit, pro electionibus videlicet & inuestituris Episcopiorum. Videns hæc venerabilis Iuuauensis Ecclesiæ Archiepiscopus Chunradus, zelo iniquitatis vicem Dei dolens,factum hoc improbauit. Cui dum quidam ex ministris Regis Heinrici,cognomento Caput,euaginato gladio mortem interminaretur, tanquam pro iustitia mori optans iugulum præbuit,malens si minas ille ad effectum perducere voluisset,temporalem vitam finire,quam tanti piaculi scelus dissimulare.

EXINDE odium Imperatoris & eius fautorum in tantum incurrit,vt in eius persecutione, sicut de beato quondam Athanasio legimus,totum pene coniurauerat regnum,& commoti sunt principes terræ,nec ei vllus locus tutus superarat ad latendum, dum ad inuestigandum eum omnes mouerentur. Infra vallem Admuntensem in cuiusdam spelunca montis dimidium pene annum est occultatus. Rursus eiusdem infra Monasterij cellulæ ambitum in cellario subterraneo XVI. hebdomadibus latitauit. In cuiusdam gurgite amnis vsque ad mentum immersus diem integrum exegit. Inde clandestino discessu Saxoniam petens à Magdeburgensi Archiepiscopo venerabili Adilgoz nomine,officiosissime susceptus est & retentus. Qui etiam quotquot ad ipsum Patrem nostrum Chunradum Salzburgensem Episcopum occulte ob metum Cæsarianorum pedites veniebant,multis muneribus honoratos equites remittebat.

Miseratione demum diuina, pace redintegrata Ecclesiæ, à Luipoldo

poldo Styrensi Marchione, in manu forti requisitus, ad suam honorifice post nouem annos reductus est sedem.

RVRSVM Ecclesiæ propriæ strenue inuigilauit, & inter cæteros eiusdem Salzburgensis Ecclesiæ dignos per ipsum profectus, maioris Ecclesiæ Clericorum vitam in melius informauit, & communem vitam Canonicorum sancti Augustini ibi initiauit, anno Dominicæ incarnationis M. CXXI.

HIc ergo Deo dignus Archiepiscopus, nostrum Monasterium adiens, idque penitus desolatum inueniens, interius quidem spiritalis vitæ religione, exterius vero rerum possessione, funditus indoluit, & instar beati Martini cœlitus sibi reseruatum pauperem nostrum locum, omnimoda nuditate despectum, religione ac possessionibus vestire deliberauit, in quo ante creatoris sui conspectum æternæ gloriæ amictum comparauit. Præfecerat autem eidem loco secundo suæ ordinationis anno, venerabilem Abbatem Wezilonem, qui etiã apud Lambacensem Monasterium iam dudum primus Abbas claruerat, & ob virtutum probitatisque exercitia eius iussu Admuntensis quoq; Monasterij curam administrabat. Quo post aliquos annos apud Lambach/ rebus humanis exempto ibique sepulto, Dominus Heinricus ex cœnobio Chrembsmünster/ in Abbatem est electus. Hic à sanctæ recordationis Pascali Papa priuilegium Apostolicæ defensionis, & donationem sanctorum Archiepiscoporum Gebehardi & Thyemonis perpetuæ confirmationis Monasterio nostro conquisiuit: Anno incarnationis Domini M. CV. quod in sacrario Ecclesiæ debita obseruatione conseruatur repositum. Qui post paucos annos iter faciens in Enstall/ in amne Wizinbach/ est submersus & ad Monasterium relatus, in atrio Basilicæ sanctæ Dei genitricis Mariæ sepultus est, vbi & Isingrinus primus loci Abbas est tumulatus. Sicque locus Abbate quatuor fere annis carebat. Ottone Priore, postea Milstatensi Abbate, ipsius loci prouisionem administrante. Interim status religionis & monasticæ plurimum apud nos vacillabat. Proinde præfatus Archiepiscopus legatum cum litteris in Sueuiam ad Reuerendissimum Abbatem Monasterij sancti Georgij, nomine Theogerum, destinauit, cuius tunc temporis in toto regno Teutonico fama celebris fuit, qui in fine vitæ suæ pro incomparabili sanctitate, præcepto sedis Apostolicæ Cathedram Metensis Ecclesiæ coactus suscepit, eiusque ordina-

 tioni,

tioni, ipse Archiepiscopus, piæ memoriæ, D. Chunradus in Corbeia Saxoniæ cooperator interfuit, vbi eundem legatus Apostolicæ sedis, Dominus Chuno Prænestinæ Ecclesiæ Cardinalis Episcopus, venerabiliter consecrauit. Hunc ergo per legatum suum, nomine Odalricum de Elsendorf, postea Monasterij nostri Monachum, missis litteris suppliciter exorauit, vt sibi venerabilem virum Woluoldum, sui Monasterij professum transmitteret, quem nostræ Ecclesiæ Abbatem præficeret. Qui videlicet Woluoldus quondam Frisingensis Ecclesiæ Canonicus, postea monasticæ professus religionis Monasterio Husenhouen, quod postea Schiram translatum fuit, est prælatus, sed persecutionem aduocati sui ferre non valens, ac per hoc fructum sibi in commissa vinea non esse videns, suæ saluti prouidit, relictoq; infructuoso habitationis agro ad Monasterium S. Georgij, sub obedientia præfati Domini Theogeri se contulit. Qui super eum petitioni Domini Archiepiscopi deuotus annuit, & quia spiritu Dei plenus fuit, prophetiam quōdam super eum assignauit, quam postea rerum euentus manifeste cōprobauit. Dixit enim fratri Odalrico præfato Archiepiscopi legato. Ducite eum in gaudio, & scitote pro certo, quia per eum in diuino officio tota vestra proficiet regio. Hunc ergo quasi cœlitus à Deo sibi transmissum Dom. Archiepiscopus summa veneratione suscepit, & ei ad Monasterij nostri reparationem & sublimationem, tam in interioribus quam in exteriotibus, tota cordis sui deuotione astitit.

TRADITIONES sane prędecessorum suorum in membranis scriptas inueniens possessionis Ecclesię nostrę quacunq; distractas, in forti & potēti manu requisiuit, & eas aut pro excommunicationis sententia, aut per datam pecuniam liberatas, loco nostro restituit, ipsasque suis donationibus pie augmentauit. Nam præter eas possessiones, quas vel à prædecessoribus suis Ecclesiæ nostræ traditas, sed iniuste ablatas liberauit, vel quas ipse sua liberalitate donauit, multorum etiam fidelium donationes nobis ablatas, tum officij sui auctoritate, tum pecunię suæ largitate Ecclesiæ nostræ reparauit. Traditiones sane siue suas, siue prædecessorum suorum, sui priuilegij auctoritate nobis confirmauit, quod sui sigilli impressione corroborauit.

Cuius auxilio & misericordia prædictus Abbas noster Dominus Woluoldus in omnibus suffultus, & quasi muro à dextris & a sinistris vndiq; vallatus copiosam messem fidelium tam virorum quam mulierum colligere cœpit, quia congregatis Monachis ac fratribus pluri-

nis, cius obtentu sororibus quoque quas primus hic adunauit, vndecunq; aduenientibus Monasterium instituit apud nos. Cuius solertiam & prudentiam cernens memoratus Archipræsul, cum in partem sollicitudinis suę asciuit, & Archidiaconū ordinatum cęteris Ecclesię Archidiaconibus præfecit. Cœnobium quoq; sanctimonialium apud S. Georgium, eius curæ ac regimini commendauit, anno incarnationis Domini M. CXXII. quod & ipse ad spiritualis apicem religionis decenter reformauit.

SVB huius Patris magisterio claruerunt in cœnobio nostro quędam monasticæ professionis lumina: Reinbertus Prior, postea Monasterij S. Petri Abbas, indeq; in Episcopum Brixinensem prouectus: Et Rabanus post eum Prioris functus officio. Dietmarus qui postmodum Abbas apud Ozziach claruit, patruus Ekberti senioris Comitis de Putene. Engilschalcus postea Burensis Abbas, & tres illiterati secundum sæculum quondam nobiles, sed secundum Deum præstantiores. Odalricus de Elsendorf qui prædiis suis Monasterium nostrum non minimum locupletauit. Item alius Odalricus longus. Maganus, qui cum filio & vxore sua conuersionis habitum apud nos expetens, prædia regalia nobis contulit, sed & Witilo quidam religiosus. Horum denique & aliorum plurimorum spirituali feruore, religio monasticæ obseruantiæ in Admuntensi Monasterio egregie florebat.

IGITVR præfato Patre nostro Wolfoldo, post multos tandem Monasticæ religionis fructus, fœliciter ex hac luce Calendis Nouembris subtracto, anno incarnationis Domini M. CXXXVII. regiminis vero sui anno XXIII. communi fratres electione Dominū Gotfridum Priorem Monasterij ante S. Georgij, sibi in Abbatem elegerunt, & per Monachos nostros Odalricum præfatum & Witilonem, pro ipso à congregatione directos, per Dominum Theodwinum sanctæ Rufinæ Cardinalem Episcopum illum impetrauit.

Qui videlicet Dominus Gotfridus prius in loco, qui dicitur Wingart, fuerat in Abbatem datus, sed quia vineæ illius cultus erat infructuosus, interuentu Domini Theodwini, à Domino Papa Innocentio, canonice inde est absolutus, & nostræ Ecclesiæ procurationi liberè dimissus.

HIc ergo pastoris nomen factis solerter adimplens, gregi sibi commisso diligenter inuigilauit in tantum, vt diuino munere, illiusq; prouidentia, necnon & expediti, piæ memoriæ, Dom. Chunradi Ar-

 chiepi-

archiepiscopi opera & laboribus, quasi nouum denuo initium accipiens locus, tum variis modis, tum principaliter famæ gloria, obseruantiarum rigore, oblationibus seu donationibus fidelium, nobilissima Monachorum atque sororum multitudine, nescio an super omnia Germaniarum Monasteria non inualuerit.

Denique inter cætera ipsius patris Gotfridi egregie gestorum monimenta, & magnorum Monasterij proficuorum suo tempore emolumenta, priuilegia Romanæ sedis à duobus Apostolicis, Innocentio & Lucio obtinuit, Apostolicæ videlicet tuitionis. Sed & beatorum Pontificum Gebehardi & Thyemonis, & ipsius Domini Chunradi traditionum perpetuæ confirmationis.

INCITABANT & cooperabantur tunc temporis ad studium religionis, quidam spiritualis vitæ boni æmulatores, qui fama sua & exemplo plures alios attrahebant. Rabanus Prior supradictus, & quatuor illi quorum suprà mentionem fecimus illitterati, sed & Wernherus secundi Prioris & armarij functus officio, qui postea Brulense cœnobium strenue rexit. Perchtoldus cœnobij sancti Emmerammi postmodum Abbas, sed & alij plures, qui ob meritorum insignia diuersis sunt postea prælati cœnobiis.

Tredecim namque Abbates illo in tempore de nostro sunt Monasterio, ad alia cœnobia assumpti. Præter hos & aliæ apud nos religiosæ personæ tunc enituerunt. Odalricus Sacerdos & sacrista. Perchtoldus scriba egregius, qui librorum multitudinem non paruam Monasterio nostro propria manu descripsit. Lampertus quoque scriptor solertissimus, sed & Gotschalcus, tam sub Gotfrido Patre, quam sub trium subsequentium Abbatum magisterio præcentor, idemque scriptor egregius. Salmannus etiam Plebani curam administrans. Item tres illiterati, sæculo quondam nobiles. Reginherus videlicet, qui cum coniuge sua æque nobili, & filio Leutoldo, bonæ indolis puero, postea Monasterij nostri Abbate, ad conuersionem veniens, prædia non minima nobis contulit. Arbo de Byberch: Wernhardus de Vrle: Isinricus quoque qui cellarij functus officio, prouidentia tam sui, quam aliorum religiosorum fratrum cooperantium, res Monasterij plurimum meliorauit. Tunc etiam Heinricus de Nazawe ministerialis sancti Rudberti, cum vxore & quatuor filiis, ad conuersionem veniens, prædia & beneficia, quæ plurima possederat, Monasterio cum manu Domini Archiepiscopi Chunradi obtulit.

PER idem tempus Sophia Vngarorum Regis Belæ filia, à filio Chunradi Regis Romanorum desponsata,& regaliter ipsi cum inæstimabili pecunia transmissa, mundo quod suum est diligente, scilicet bona temporalia,& fidem & veritatem negligente,prædicta regina secus quam regiam dignitatem decuit habita,regnum cœleste pro terrestri commutauit. Consilio namque & auxilio Comitissæ Ratisponensis Liukardis, Admuntense Monasterium expetiit, & cum sacris Dei virginibus, humillima conuersione & conuersatione cœlibem vitam deinceps duxit. Nonnulli etiam Principum seu Comitum,sed & plures nobilium, filias suas Deo ibidem sub regulari seruituras institutione offerentes,cœnobium ipsum cunctis pene, vt superius diximus, in Germania sanctimonialium Monasteriis celebrius reddiderunt.

MEMORATVS autem,piæ memoriæ,Dominus Chunradus Archiepiscopus,ab initio ordinationis suæ vsque in finem vitæ suæ Ecclesiam nostram misericorditer fouens & protegens, pretiosumq; ac præclarum opus Monasterij,quod heu postea incendio periit, marmoreis columnis apud nos instituens,quadragesimo secundo Episcopij sui anno,senex & plenus dierum V. Idus Aprilis fœlici fine quieuit. Anno incarnationis Domini M. CXLVII. dignus vtique, qui cum Neemia Deo dicere possit: Memento mei Deus in bono,& ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in ceremoniis eius. Exceptis enim duobus Monasteriis sanctimonialium Chiemesse & Gosse,quæ illum audire noluerunt,quæ ipsum contempserunt, nulla Ecclesia vel Monachorum vel Clericorum aut sanctimonialium in toto eius Episcopio fuit,quæ non aut sub ipso constructa, aut per eum in rebus interioribus aut exterioribus meliorata & augmentata fuerit. Ipse ergo accipiat benedictionem à Domino & misericordiam à Deo salutari suo. Ipse nempe dilectus est Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione est. Hic est diuinitus directus in expiationem prouinciæ Salzburgensis,quæ tulit abominationes impietatis,& erexit nobis cornu salutis & totius religionis.

Fuit autem nobilissimis ortus natalibus, patruus videlicet duorum Comitum de Ambinberch, Ottonis & Rapotonis.

DEFVNCTO beatæ recordationis Domino Chunrado Archiepiscopo, Clerus & populus Salzburgensis Ecclesiæ, diuina, vt non ambiguum est, inspiratione, & præcipue interuentu Domini

episcopus nobis abstulit, Rationale vnum ex auro & gemmis pretiosissimis intextum, aureis catenulis dependens, pene mille marcarum pretio æstimatum, quod Imperator Græciæ, fundatori nostro Gebehardo Archiepiscopo, dum legatione Cæsaris illò functus, filium eius baptizasset, pro munere donauerat, iussit præfatus Perchtoldus exponi militibus suis hæc largiturus. Duodecim igitur milites cæteris præstantiores, auaritiæ siti furentes, pro rapiendo illo in litem versi, ante atrium basilicæ certamen ineunt, & mutuis se concidentes vulneribus, octo ex his ibi ceciderunt. Quidam vero ex fratribus Nordwinus Presbyter, Sacristæ seu Custodis functus officio, ad tantum facinus perhorrescens, & aliorum quatuor, qui adhuc supererant, simili cæde iam perituris, vitæ consulens, arreptum Rationale, in quatuor frusta confregit, cuique illorum suam partem tribuens. Qui Monachus eodem anno diem clausit extremum.

Prædictus quoque Perchtoldus duas patellas salis, ad Paierhalle, nobis abstulit, & Comiti Gebehardo de Purchusen has in beneficio tradidit.

TANDEM miseratione diuina inardescente zelo fidelium, anno exulationis suæ nono, præfatus Dominus noster Gebehardus, ab Engelberto Comite, & ab aliis quibusdam Ecclesiæ ministerialibus, & compluribus militibus reductus est in Episcopium suum comitantibus se suffraganeis suis Episcopis, Altmanno scilicet Patauiensi, & Meginwardo Frisingensi, & à Clero, & toto pene populo in sedem suam est receptus. Vbi confestim tam eum qui suam sedem inuaserat, quam & eos qui loca prædictorum suorum suffraganeorum occupauerant, anathematizauit, ipse & Coëpiscopi sui. Sicque duobus fere annis curam exercens Episcopalem superuixit.

ANNO igitur incarnationis Domini M. LXXXVIII. transactis ab ordinatione sua annis XXVII. mensibus X. hebdomadibus duabus, diebus duobus, exacto fœlicis agonis cursu, ad palmam supernam vocatus XVI. Calen. Iulij. in castro suo, quod Weruen dicitur, huius vitæ terminum, beato fine sortitur, & deinde translatus in nostro Monasterio, debita veneratione sepelitur, ipso die depositionis, surdum & mutum, quem prædiximus, ad sepulchrum proprium curauit. Quo primo, aliisque deinceps miraculis viuere se in cœlestibus regnis testatur.

HIc à S. Rudberto primo Iuuauensis sedis Episcopo, vicesimus sextus fuit. Ab Arnone primo eiusdem sedis Archiepiscopo, sextus decimus. Vir hic erat ingeniosus satis & litteratus, orationibus studens & lectionibus, canonum maxime scrutator, eleemosynarum largus, in contemptores & contumaces vltor irreuocabilis erat, siue banno, siue alterius potestatis exercitiis vti in illis voluit. Dictauit idem de illa dissensione, quæ suo tempore in Ecclesia fuit libellum ad Hermannum Metensem Episcopum, quo & semet excusaret, & quantos ex cōtraria parte posset huic, cui ille fauebat, parti sociaret.

ERAT eidem Domino & Patri nostro Gebchardo germana vterina nomine Diepurch, quæ cuidam nobili & libero Baroni Bauariæ Werenhero in matrimonio erat sociata. Qui ambo post mortem filij sui Gebehardi pari deuotione Monasterium Canonicorum Richerspergæ fundauerunt, & CHRISTVM sibi inibi hæredem instituerunt.

QVID fles Admuntis Gebehardi funere tristis?
Restet post fletus, quod tibi, cerne, decus.
Est tibi Pontificis corpus non gloria vilis:
Cui locus hic tumuli, præ tot Episcopij.
In te diuinos qui fecit iugiter Ymnos,
Et decantari cantica Psalmographi.
Fecit & hoc in te, sint & solatia cuique.
Plurima nam tribuit de quibus hæc statuit,
Esuriens victum, petat vltrò nudus amictum.
Et vagus hospitium, vallis es æniuium.
Propter iustitiam, tolerauit & ipse rapinam.
Regis ob hanc odium, fugit in exilium.
Malens ille miser, quam schismatis esse minister.
Transiit ad partes lite sibi similes.
Complicibus banni, studuit se dissociari.
Seruans Roma tuo debita iudicio.
Post in Episcopium, plebs hunc nonnulla receptum.
Gaudebat cura post vt & ante sua.
Hic pro lege Dei, nesciuit cedere Regi,
Vel cuiquam forti, vel quoque dedecori.

PASTORE igitur tali subtracto de præsentibus, quo dignus erat non mundus, scriptura illa impletur propheticæ veritatis: Percutiam

tiam pastorem & dispergentur oues gregis. Mox enim Perchtoldus inuasor praefatus, fauore Regis Heinrici, Metropolitanam sedem occupat, & more lupi, caulas ouesque Christi & Ecclesiae atrociter laniat, locum nostrum fortiter deuastat. Sed Christus Dominus recolens promissionem suam, Petro & Ecclesiae suę à se factam, tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & portae inferi non praeualebunt aduersus eam: contra eundem Perchtoldum, suum & Ecclesiae inimicum, per Spiritus sui gratiam, suorũ fidelium excitauit constantiam. Qui in vnum conuenientes electione Canonica venerabilem Thiemonem, S. Petri Abbatem in Archiepiscopum constituerunt, eiq; ad defensionem Ecclesiae, castra & munitiones Episcopij tradentes praefatum inuasorem de finibus Salzburgensis Parochiae expulerunt.

HIC igitur Thiemo ingenuis parentibus, alto Baioariorum genere oriundus, in primaeua aetate, Altensi Monasterio, tam regularibus quam scholaribus disciplinis traditus est imbuendus. Huic ab adolescentia, sanctitas, innocentia, humilitas, prudentia, omnisque scientiae genus oblectationi fuit, ibiq; iuuentutem suam exercuit. Cumque esset non solum in eis artibus, quas liberales appellant, sed & in mechanicis vniuersis simul, pictura, fusoria, sculptoria, omnibusque huiusce generibus, & speciebus subtilissimus, vt in quibusdam Monasteriis, & nostro specialiter, in eius sculpturis & picturis perspicuum est cernere, conuersationis quoque & vitae merito elimatissimus: Abbate sancti Petri, pro nimia & pro diutina debilitate à prouisione Monasterij sui absoluto, ascitus est communi electione in Abbatem & inuestitus ab eximio Gebchardo Archiepiscopo.

Non multo post, praefato Archiepiscopo propter schisma à sua sede expulso, religiosus Abbas Thiemo execrans communionem inuasoris Perchtoldi, concessit in Sueuiam, & in Hiersawiense Monasterium se recepit, priuatum & communem se fratribus gerens. Post triennium ad ouile suum rediens, iterumque contagionem leprae praedicti Perchtoldi pertimescens, in vicinam eremum Admuntensis coenobij se contulit.

Postmodum defuncto, piae memoriae, Gebchardo Archiepiscopo, ad Metropolitanum, vt diximus, est prouectus & ordinatus, anno incarnationis Domini M.XC. Venerabilis ergo Thiemo Archiepiscopus, sicut in Hiersawiensi coenobio sub reuerendissimo Abbate Wilhelmo, monasticae religionis institutione fundatus, praedecessoris sui

vestigia in defensione veritatis Catholicæ, & propagatione religionis diuinæ omnimodis sequi studuit, per quod Deo, Deique fidelibus valde complacuit.

Qui veniens locum nostrum valde desolatũ, quasi pastor bonus religioni monasticæ, quæ tota iam apud nos periit, paterna pietate cõdoluit, & de Saxonia Gisilbertum Abbatem valde religiosum adduxit, qui in Hiersawiensi cœnobio secum quondam Christo militauerat, & ob euitanda anathematis contagia, assignatam sibi in Turingia Abbatiam, scilicet apud Reinhersprunen, zelo Catholicæ religionis & cõmunionis reliquerat. Hunc ergo nostro Monasterio Abbatem præfecit, & tam pro Christi, quam pro eius amore, proq; animæ salute suæ, Monasterij nostri terminos, qui vsq; ad id tempus nimis erant angusti, suis donationibus copiose dilatauit. Totam namque in valle Parochiam, cum omni iure suo, & alia plura nobis contulit.

SED quia omnes qui volunt pie viuere in Christo Iesu persecutionem patiuntur, prædictus Christi famulus reuerendissimus Archiepiscopus, hinc à Rege Heinrico, hinc à præfato inuasore Perchtoldo multas insidias patitur, capitur & multis cladibus afficitur. Nullum genus ærumnarum, quod turpe, quod miserum esset, in quinquenni captiuitate expertus non est, dum etiam charissimi cognati sui, in conspectu eius truncati sunt. De qua demum captiuitate per quendam fratrem in cappa constitutum, Chunradum nomine, datis ab eo custodi XL. talentis, liberatur. Sic igitur XIII. annis, quibus præfuit, bellis, obsidione, gladiis, captiuitate omnia extrema perpessus, instar beati Athanasij Alexandrini Episcopi, nunquam pene liberum corpus, nedum libera authoritas fuit.

TANDEM comitante secum eodem Monasterij nostri Abbate Gisilberto, cum Welfone Duce Bauariæ, & Ita Marchionissa Austriæ, aliisque multis Hierosolymam proficiscitur, & à paganis captus atque in Corrozaim vrbem deportatus, multisque pro fide Christi suppliciis laniatus, tandem martyrio consummatur.

Tunc etiam prædictus Abbas Gisilbertus Cal. Octobris apud Ierusalem obiit.

POST huius ergo excessum, inuasor Perchtoldus metropolitanam sedem incubat, donec visitatio emissa ab altissimo, Chunradum, genere, scientia ac moribus egregium desolatæ Ecclesiæ pastorem & Archiepiscopum idoneum condonat.

Hic

Hic namque VII. Idus Ianuarij Archiepiscopus constitutus, postmodum eodem anno, scilicet XII. Cal. Nouembris à Pascali Papa ordinatus, & pallio honoratus est, Anno incarnationis Domini millesimo centesimo sexto. Qui tanta morum probitate, & religionis auctoritate cœpit eminere, vt omnibus in Theutonico regno institutioni & exemplo fuerit. Cuius quanta erga Deum fides, & sanctam Ecclesiam zelus viguerit, in facto subter notato declaratur.

Rex Heinricus V. cum exercitu copioso circiter XXX. millia equitum electorum Italiam ingrediens, habens in comitatu suo prænotatum Archiepiscopum Chunradum, Romam vsque accessit, benedictionem Imperialem à Domino Pascali Papa suscepturus. A quo nimirum Apostolico, cum Clero & populo Romano, summo cum honore ac tripudio est exceptus. Sed Rex continuo, quorundã sceleratorum consilio, ipsum Dominum Apostolicum captiuauit, pro electionibus videlicet & inuestituris Episcopiorum. Videns hæc venerabilis Iuuauensis Ecclesiæ Archiepiscopus Chunradus, zelo iniquitatis vicem Dei dolens, factum hoc improbauit. Cui dum quidam ex ministris Regis Heinrici, cognomento Caput, euaginato gladio mortem interminaretur, tanquam pro iustitia mori optans iugulum præbuit, malens si minas ille ad effectum perducere voluisset, temporalem vitam finire, quam tanti piaculi scelus dissimulare.

EXINDE odium Imperatoris & eius fautorum in tantum incurrit, vt in eius persecutione, sicut de beato quondam Athanasio legimus, totum pene coniurauerat regnum, & commoti sunt principes terræ, nec ei vllus locus tutus supererat ad latendum, dum ad inuestigandum eum omnes mouerentur. Infra vallem Admuntensem in cuiusdam spelunca montis dimidium pene annum est occultatus. Rursus eiusdem infra Monasterij cellulæ ambitum in cellario subterraneo XVI. hebdomadibus latitauit. In cuiusdam gurgite amnis vsque ad mentum immersus diem integrum exegit. Inde clandestino discessu Saxoniam petens à Magdeburgensi Archiepiscopo venerabili Adilgoz nomine, officiosissime susceptus est & retentus. Qui etiam quotquot ad ipsum Patrem nostrum Chunradum Salzburgensem Episcopum occulte ob metum Cæsarianorum pedites veniebant, mulis muneribus honoratos equites remittebat.

Miseratione demum diuina, pace redintegrata Ecclesiæ, à Lui-

polo

poldo Styrensi Marchione, in manu forti requisitus, ad suam honorifice post nouem annos reductus est sedem.

RVRSVM Ecclesiæ propriæ strenue inuigilauit, & inter cæteros eiusdem Salzburgensis Ecclesiæ dignos per ipsum profectus, maioris Ecclesiæ Clericorum vitam in melius informauit. & communem vitam Canonicorum sancti Augustini ibi initiauit, anno Dominicæ incarnationis M. CXXI.

HIc ergo Deo dignus Archiepiscopus, nostrum Monasterium adiens, idque penitus desolatum inueniens, interius quidem spiritalis vitæ religione, exterius vero rerum possessione, funditus indoluit, & instar beati Martini cœlitus sibi reseruatum pauperem nostrum locum, omnimoda nuditate despectum, religione ac possessionibus vestire deliberauit, in quo ante creatoris sui conspectum æternæ gloriæ amictum comparauit. Præfecerat autem eidem loco secundo suæ ordinationis anno, venerabilem Abbatem Wezilonem, qui etiã apud Lambacense Monasterium iam dudum primus Abbas claruerat, & ob virtutum probitatisque exercitia eius iussu Admuntensis quoq; Monasterij curam administrabat. Quo post aliquos annos apud Lambach/ rebus humanis exempto ibique sepulto, Dominus Heinricus ex cœnobio Chrembsmünster/ in Abbatem est electus. Hic à sanctæ recordationis Pascali Papa priuilegium Apostolicæ defensionis, & donationem sanctorum Archiepiscoporum Gebehardi & Thyemonis perpetuæ confirmationis Monasterio nostro conquisiuit: Anno incarnationis Domini M. CV. quod in sacrario Ecclesiæ debita obseruatione conseruatur repositum. Qui post paucos annos iter faciens in Enstall / in amne Weißinbach / est submersus & ad Monasterium relatus, in atrio Basilicæ sanctæ Dei genitricis Mariæ sepultus est, vbi & Isingrinus primus loci Abbas est tumulatus. Sicque locus Abbate quatuor fere annis carebat. Ottone Priore, postea Milstatensi Abbate, ipsius loci prouisionem administrante. Interim status religionis & monasticæ plurimum apud nos vacillabat. Proinde præfatus Archiepiscopus legatum cum litteris in Sueuiam ad Reuerendissimum Abbatem Monasterij sancti Georgij, nomine Theogerum, destinauit, cuius tunc temporis in toto regno Teutonico fama celebris fuit, qui in fine vitæ suæ pro incomparabili sanctitate, præcepto sedis Apostolicæ Cathedram Metensis Ecclesiæ coactus suscepit, cuiusque ordinationi,

nis, eius obtentu sororibus quoque quas primus hic adunauit, vndecunq; aduenientibus Monasterium instituit apud nos. Cuius solertiam & prudentiam cernens memoratus Archipræsul, eum in partem sollicitudinis suę asciuit, & Archidiaconū ordinatum cęteris Ecclesię Archidiaconibus præfecit. Cœnobium quoq; sanctimonialium apud S. Georgium, eius curæ ac regimini commendauit, anno incarnationis Domini M. CXXII. quod & ipse ad spiritualis apicem religionis decenter reformauit.

SVB huius Patris magisterio claruerunt in cœnobio nostro quędam monasticæ professionis lumina: Reinbertus Prior, postea Monasterij S. Petri Abbas, indeq; in Episcopum Brixinensem prouectus: Et Rabanus post eum Prioris functus officio. Dietmarus qui postmodum Abbas apud Ozziach claruit, patruus Ekberti senioris Comitis de Putene. Engilschalcus postea Barensis Abbas, & tres illiterati secundum sæculum quondam nobiles, sed secundum Deum præstantiores, Odalricus de Elsendorf qui prædiis suis Monasterium nostrum non minimum locupletauit. Item alius Odalricus longus. Maganus, qui cum filio & vxore sua conuersionis habitum apud nos expetens, prædia regalia nobis contulit, sed & Witilo quidam religiosus. Horum denique & aliorum plurimorum spirituali feruore, religio monasticæ obseruantiæ in Admuntensi Monasterio egregie florebat.

IGITVR præfato Patre nostro Woluoldo, post multos tandem Monasticæ religionis fructus, fœliciter ex hac luce Calendis Nouembris subtracto, anno incarnationis Domini M. CXXXVII. regiminis vero sui anno XXIII. communi fratres electione Dominū Gotfridum Priorem Monasterij ante S. Georgij, sibi in Abbatem elegerunt, & per Monachos nostros Odalricum præfatum & Witilonem, pro ipso à congregatione directos, per Dominum Theodwinum sanctæ Rufinæ Cardinalem Episcopum illum impetrauit.

Qui videlicet Dominus Gotfridus prius in loco, qui dicitur Wingart, fuerat in Abbatem datus, sed quia vineæ illius cultus erat infructuosus, interuentu Domini Theodwini, à Domino Papa Innocentio, canonicè inde est absolutus, & nostræ Ecclesiæ procurationi liberè dimissus.

HIc ergo pastoris nomen factis solerter adimplens, gregi sibi commisso diligenter inuigilauit in tantum, vt diuino munere, illiusq; prouidentia, necnon & fæpedicti, piæ memoriæ, Dom. Chunradi Ar-

chiepiscopi opera & laboribus, quasi nouum denuo initium accipiens locus, tum variis modis, tum principaliter famæ gloria, obseruantiarum rigore, oblationibus seu donationibus fidelium, nobilissima Monachorum atque sororum multitudine, nescio an super omnia Germaniarum Monasteria non inualuerit.

Denique inter cætera ipsius patris Gotfridi egregie gestorum monimenta, & magnorum Monasterij proficuorum suo tempore emolumenta, priuilegia Romanæ sedis à duobus Apostolicis, Innocentio & Lucio obtinuit, Apostolicæ videlicet tuitionis. Sed & beatorum Pontificum Gebehardi & Thyemonis, & ipsius Domini Chunradi traditionum perpetuæ confirmationis.

INCITABANT & cooperabantur tunc temporis ad studium religionis, quidam spiritualis vitæ boni æmulatores, qui fama sua & exemplo plures alios attrahebant. Rabanus Prior supradictus, & quatuor illi quorum supra mentionem fecimus illitterati, sed & Wernherus secundi Prioris & armarij functus officio, qui postea Brulense cœnobium strenue rexit. Perchtoldus cœnobij sancti Emmerammi postmodum Abbas, sed & alij plures, qui ob meritorum insignia diuersis sunt postea prælati cœnobiis.

Tredecim namque Abbates illo in tempore de nostro sunt Monasterio, ad alia cœnobia assumpti. Præter hos & aliæ apud nos religiosæ personæ tunc enituerunt. Odalricus Sacerdos & sacrista. Perchtoldus scriba egregius, qui librorum multitudinem non paruam Monasterio nostro propria manu descripsit. Lampertus quoque scriptor solertissimus, sed & Gotschalcus, tam sub Gotfrido Patre, quam sub trium subsequentium Abbatum magisterio præcentor, idemque scriptor egregius. Salmannus etiam Plebani curam administrans. Item tres illiterati, sæculo quondam nobiles. Reginherus videlicet, qui cum coniuge sua æque nobili, & filio Leutoldo, bonæ indolis puero, postea Monasterij nostri Abbate, ad conuersionem veniens, prædia non minima nobis contulit. Arbo de Byberch: Wernhardus de Vrle: Heinricus quoque qui cellarij functus officio, prouidentia tam sui, quam aliorum religiosorum fratrum cooperantium, res Monasterij plurimum meliorauit. Tunc etiam Heinricus de Nazawe ministerialis sancti Rudberti, cum vxore & quatuor filiis, ad conuersionem veniens, prædia & beneficia, quæ plurima possederat, Monasterio cum manu Domini Archiepiscopi Chunradi obtulit.

Per

PER idem tempus Sophia Vngarorum Regis Belæ filia, à filio Chunradi Regis Romanorum desponsata, & regaliter ipsi cum inæstimabili pecunia transmissa, mundo quod suum est diligente, scilicet bona temporalia, & fidem & veritatem negligente, prædicta regina secus quam regiam dignitatem decuit habita, regnum cœleste pro terrestri commutauit. Consilio namque & auxilio Comitissæ Ratisponensis Liukardis, Admuntense Monasterium expetiit, & cum sacris Dei virginibus, humillima conuersione & conuersatione cœlibem vitam deinceps duxit. Nonnulli etiam Principum seu Comitum, sed & plures nobilium, filias suas Deo ibidem sub regulari seruituras institutione offerentes, cœnobium ipsum cunctis pene, vt superius diximus, in Germania sanctimonialium Monasteriis celebrius reddiderunt.

MEMORATVS autem, piæ memoriæ, Dominus Chunradus Archiepiscopus, ab initio ordinationis suæ vsque in finem vitæ suæ Ecclesiam nostram misericorditer fouens & protegens, pretiosumq; ac præclarum opus Monasterij, quod heu postea incendio periit, marmoreis columnis apud nos instituens, quadragesimo secundo Episcopij sui anno, senex & plenus dierum V. Idus Aprilis fœlici fine quieuit. Anno incarnationis Domini M.CXLVII. dignus vtique, qui cum Neemia Deo dicere possit: Memento mei Deus in bono, & ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in cęremoniis eius. Exceptis enim duobus Monasteriis sanctimonialium Chiemesse & Gosse, quæ illum audire noluerunt, quæ ipsum contempserunt, nulla Ecclesia vel Monachorum vel Clericorum aut sanctimonialium in toto eius Episcopio fuit, quæ non aut sub ipso constructa, aut per eum in rebus interioribus aut exterioribus meliorata & augmentata fuerit. Ipse ergo accipiat benedictionem à Domino & misericordiam à Deo salutari suo. Ipse nempe dilectus est Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione est. Hic est diuinitus directus in expiationem prouinciæ Salzburgensis, quæ tulit abominationes impietatis, & erexit nobis cornu salutis & totius religionis.

Fuit autem nobilissimis ortus natalibus, patruus videlicet duorum Comitum de Ambinberch, Ottonis & Rapotonis.

DEFVNCTO beatæ recordationis Domino Chunrado Archiepiscopo, Clerus & populus Salzburgensis Ecclesiæ, diuina, vt non ambiguum est, inspiratione, & præcipue interuentu Domini

Gotfridi Abbatis Admuntensis, vnanimi electione & voto, Dominum Eberhardum Biburgensem Abbatem in Archiepiscopum elegerunt, anno incarnationis Domini M.CXLVIII. sub Chunrado Rege, anno regni eius decimo.

Hic ergo Eberhardus, dilectus Deo & hominibus, ex nobilibus & religiosis parentibus oriundus, prius Canonicus Babinbergensis, postmodum Monachus Pruuingensis, indeq; in Abbatem Biburgensem fuerat assumptus, quod etiam cœnobium ipse & sui germani, auxilio & cooperatione, fœlicis memoriæ, Ottonis Babinbergēsis Episcopi, fundauerant. Diuina itaq; gratia & virtutū suffragantibus meritis, Archiepiscopus ordinatus, gregi sibi cōmisso, non solum verbo eruditionis, sed & exemplo sanctissimæ conuersationis studuit præesse.

Inter cæteras namq; virtutes, his specialiter Spiritus S. donis refulgebat, mira erga omnes humilitate, patientia & mansuetudine. Adhæc misericordiæ ac eleemosynarum operibus in tantum erat deditus, vt raro aut nunquam nostra ætate similem eius, in cōpassione afflictorum, consolatione lapsorum, sustentatione miserorum viderimus, vel fama perceperimus, qui sic, inquam omnibus omnia factus esset. Præterea sanctæ Dei genitricis Mariæ sedulum die ac nocte exhibebat obsequium, vt merito eius cognominaretur Capellanus. De quo nō amplius dicendum arbitror, quia qualis fuerit, luce clarius, toti iam mundo Deus innotuit, creberrimis ad sepulchrum eius miraculis.

HIC præ cęteris Episcopij sui locis & Ecclesiis Admuntense cœnobium, prædecessorum suorum more, familiarius diligebat, fouebat, & amplificabat, cui etiam incēdio miserabiliter collapso annuatim quousq; repararetur, XXX. libras argenti impendebat, & de redditibus suis plusquam XVI. marcarum æstimatione, paterne subueniebat. Possessiones quoque eiusdem Monasterij suis donationibus, & præcipue decimarum collationibus, large adauxit, & priuilegiis communiuit.

Cuius temporibus quidam Christi fidelis, conuersatione laicus, prædiues opibus, Gotfridus de Weterfeld, Christum diuitiarum suarum habere cupiens hæredem, Admuntensi cœnobio pecunias suas in auro & argento contulit, cum quibus prædia nonnulla coempta sunt, maxima vero pars in ædificio Monasterij sororum expensa est. Quod Monasterium prius ex alia parte fluminis, iuxta Ecclesiam S. Amandi situm, Dominus Abbas Gotfridus in alium locum transtulit, & anno incarnationis Domini M.CXLIV. consummauit.

Præterea prænotati Patris Gotfridi sapientia & religione, sed & vniuer-

vniuersæ Admuntensis congregationis districtæ conuersationis rigore inductus, Dominus Eberhardus Babinbergẽsis Episcopus, vir tam litterali scientia quam sæculari sapientia clientissimus, interuentu Dom. Adriani Papæ, licet laboriose, obtinuit, vt Monasterium sanctimonialium ad Pergin dictum, suę sedis dominio adiunctum, prædicti Abbatis Gotfridi & fratrum suorum opera ad spiritualis obseruationis meliorem statum informaretur. Voti ergo sui compos est effectus, & iam dictum cœnobium Admuntensibus fratribus est assignatum, anno incarnationis Domini M.CLVI. quod deinceps tam in interioribus quã in exterioribus, sicut in pręsenti cernitur, fœlix sumpsit incrementum.

IN diebus quoq; Archiepiscopatus, Deo digni Antistitis Eberhardi, schismate pernicioso Ecclesia cœpit laborare, dum ex parte Ecclesiæ Alexander Apostolicus habebatur: ex parte vero Imperatoris Friderici, & eius sequacium, Octauianus, qui & Victor, Apostolici nomine falso extollebatur. Qua tempestate, iste beatus Antistes, nutantem Ecclesiam in Teutonicis partibus, ad vnitatem & fidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ reuocabat & roborabat.

Tandem bono certamine decertato, Domino vocante, apud Runa cœnobium naturæ concessit debitum, X. Calen. Iulij, anno incarnationis Domini M.CLXIV. indeque Iuuauum deportatus, debita veneratione est sepultus. Ad cuius tumbam diuinitus ostensa miracula, eum viuere in cœlestibus attestantur.

POST cuius decessum Prælati cum Clero & ministerialibus Ecclesiæ consilio habito, elegerunt Dominum Chunradum Pataviensem Episcopum, ad Salzburgẽsem Metropolitanum anno quo supra, videlicet incarnationis Domini M.CLXIV. III.Cal.Iulij, virum sane regio genere, scientia quoque & morum probitate nobilissimum.

Patre namque, bonæ memoriæ, clarissimo, regni Principe Liupoldo Marchione Austriæ, ac matre Agneta, filia Heinrici quarti Imperatoris progenitus fuerat, germanus etiam Chunradi Regis Romanorum, sed & duorum Ducum illustrium, Leopoldi & Heinrici. Friderici vero Cæsaris patruus. Sororius autem Heinrici quinti Imperatoris, habens sorores Gerdrudem Ducissam Bohemiæ, & Berchtam Ducissam Polanorum, ac Itam Marchionissam de monte Ferrato, & consobrinam Imperatricem Hispaniæ Gerdrudem. De tam inquam illustri parentela proles ipsa nobilissima, traxit originem. Sed tantæ prædictus Antistes Chunradus nobilitatis lineam moribus extulit, probis actibus decorauit.

De Pa-

De Pataviensi namque Ecclesia, cui XVI. annis præfuit, ad Salzburgensem, vt diximus sedem translatus, quicquid prius in se notabile reprehenderat, nunc quasi nouum hominem indutus, cœpit corrigere, & forma gregi sibi commisso se non solum nomine, sed & re & opere non segniter exhibere.

Eo tempore Octauiano schismatico mortuo, cum iam finem illius execrandi schismatis Ecclesia præstolaretur, alter, proh dolor, pro iam dicto Octauiano, Guido dictus, à fautoribus Cæsaris intruditur potius quam inthronizatur, & nouissimus error peior effectus est priore. Itaque omnibus cum pene Germaniæ & Italiæ Prælatis, tali schismate sese, tum timore, tum etiam fauore Principis commaculantibus, & quod dictu horrendum est, Sacramento vt postea dicetur, ne ab hoc recederent, se obligantibus, prætaxatus Præsul immobilis columna veritatis, sed & æquiuocus eius Chunradus Moguntinæ sedis Archiepiscopus præclarissimus, nec non & Hartmannus Brixinensis Ecclesiæ sanctissimus Episcopus, murum se pro domo Israel opponebant, & pro conseruanda fide beato Petro & eius Vicario viriliter agonizabant.

Prædictus tamen beatus Hartmannus mensibus VI. Archipræsulatus ipsius Domini Chunradi euolutis, postquam tam ei quam prędecessori eius sancto Eberhardo fidelissime commilitauerat X. Calen. Ianuarij migrauit ad Dominum. Chunradus denique Deo dignus Pontifex, primo constitutionis suæ anno, ad Dominum Imperatorem Papiæ positum accedens, regalia requisiuit, sed obtinere non potuit, quia schismati communicare noluit.

ANNO deinde tertio scilicet incarnationis Domini M. CLXVI. curia Wirzburg ab Imperatore & cunctis pene regni principibus est celebrata, vbi Guidoni schismatico, tam Episcopi quam Abbates Germaniæ iurauerunt, paucissimis se ab hac contagione subtrahentibus.

Eodem anno curia Loufe, vico Iuuauensis sedis est habita, vbi ab Imperatore bona eiusdem Salzburgensis Ecclesiæ sunt publicata, & omnes regni fideles in persecutionem Archiepiscopi & eius Ecclesiæ sunt illecti. His ille malis imperterritus solemnes ordines Clericorum eodem anno, XV. Cal. Octobris, in Salzburgensi ciuitate celebrauit, vbi septuaginta Sacerdotes, centum & octo Diacones, centum Subdiacones & vnum, ducentos acolytos consecrauit. Hac igitur tempestate

ſtate inexplicabilibus perſecutionum turbinibus, Dei agonitheta circumuallatus in Bauaria videlicet Plagenſibus & Palatinis Comitibus cum aliis illorum complicibus, in Carinthia vero Duce Carinthiæ, & Styrenſibus miniſterialibus rapinis ipſum & incendiis, ac multimodis inſidiis infeſtantibus, immobilis in templo Domini columna perſiſtebat, & tam Eccleſiaſtica cenſura, id eſt, excommunicationis iaculo illos feriebat, quam materiali miniſterialium & aliorum Eccleſiæ ſuæ fidelium gladio, omnes eos reuincebat. Et licet in talibus ærumnis poſitus militari manu ad munimen Eccleſiæ nunquam carere potuiſſet, nullatenus tamen poſſeſſiones Eccleſiæ pro hoc dilapidabat, ſcilicet nec prædiis, nec decimis Eccleſiæ ſuæ, vt pleriſque in tali neceſſitate moris eſt, milites quantumcunque ſibi neceſſarios inbeneficiabat, ſed mobilibus quibuſque rebus beneuolos illos ſibi reddebat. Acceſſit præterea ſuper dolorem vulnerum eius, quod diuina permiſſione, quorundam, vt traditur, ſceleratorum factione, maior Eccleſia S. Rudberti in Salzburg, admodum venuſta, & omnis ciuitas igne conſumpta eſt, nonis Aprilis, anno incarnationis Domini M.CLXVII. Hoc itaque illi pro defenſione veritatis irrogatũ, & ad purgationem eius à Domino permiſſum, quis dubitet? Multa tunc generi ſuo & ordini contraria, præfatus Pontifex, tum in propria perſona, tum in ſubiectis ſuis quibuſq; religioſis, necnon & in patrimonio Eccleſiæ ſuſtinuit, & tamen à veritatis tramite, nec terrore concutiebatur, nec ſuaſionibus Imperatoris & conſanguineorum ſeducebatur. His tribulationum preſſuris illum circumquaque quatientibus, in Admuntenſe Monaſterium ſeſe continue priuatim & familiariter recipiebat, ibique à tumultibus ſæcularibus quantumcunque reſpirabat, cui etiam loco, tam conſilio quam omnimodo auxilio indies ſuccurrere, ac promotioni eius intendere non deſiſtebat. Ad ſuſtentationem quoque pauperum quotidie ſuperuenientium, decimas nonnullas hoſpitali eſt largitus.

Huius Pontificatus anno ſecundo, qui ab incarnatione Domini M.CLXV. reuerendus Abbas Admuntenſis Gotfridus, vir magnæ in Eccleſia Chriſti gloriæ & auctoritatis, ac multorum Pater Monaſteriorum, poſt multiplices fructus, quos Domino, & in propria conuerſatione, & in aliorum copioſa ædificatione fructificauerat, anno regiminis ſui XXVIII. in bona ſenectute VII. Cal. Iulij, diem clauſit extremum, & lachrymoſa filiorum & filiarum ſuarum querimonia, in feſto ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, debita veneratione corpus eius terræ eſt commendatum.

Tt Eius

Eius ergo morte orbata congregatio Admuntensis vnanimi & Deo acceptabili electione, Dom. Liutoldum alumnum suũ, in Patrem & Dominum, I. die Cal. Iulij elegit, qui videlicet Liutoldus ab ineunti ætate probabili conuersatione in eodem educatus Monasterio, simplicem ac coram Deo & hominibus, sine querela duxerat vitam. Nam & admodum paruulus à patre suo & matre ingenuis & nobilibus Domino ibidem fuerat oblatus, ipsis nihilominus parentibus cum vnico pignore ad conuersionem venientibus, & prædia magnifica cœnobio conferentibus. Non multo post igitur à memorato Archiepisco inuestituram eiusdem cœnobij suscipiens, proximo deinde anno benedictione Pontificali in Abbatem est legitime consecratus, XV. Calend. Maij, in die videlicet Palmarum.

HIc itaque oculis mentis anteponens ad quid vocatus esset, accinxit vt vir lumbos suos, & per omnia prædecessoris sui vestigiis inhærens, animarum profectibus spiritualibus & Monasterij successibus temporalibus peruigili cura insudabat, & inter cætera prædiorum coemptionibus, possessiones Monasterij, non minimum augmentauit. Sed quomodo, vt ait B. Augustinus, nemo Dei seruus est sine persecutione: Tempestas persecutionis, quæ D. Chunrado Archiepiscopo, tũc temporis acrius incubuit, cum etiam & per totum Admuntense Monasterium vehementer inuoluit, in tãtum quod & Abbati & fratribus, res Monasterij dispensantibus per aliquot annos, nusquam pene securus patebat egressus & regressus, propter prædonũ insidias, quo ad vsq; diuina miseratione ipsa persecutio, hac occasione fuit sedata.

Imperator Fridericus Monasteriũ monialium in Niwenburch dictum, quod regiam ditionẽ specialiter attinebat, volens ad meliorẽ statum, tam in spiritualibus ordinis religione, quam in clausuræ districtione perducere, consilio super hoc, cum familiaribus principibus habito, per Admuntensem Abbatem, & eius fratres id potissimum digno effectui mancipare deliberauit. Proinde missa legatione ad Admũtensem congregationem, petiuit instantius, Dom. Agnetem, magistram inibi virginum Christi, filiam Ottonis Comitis de Diezen & Wolfrathusen prædicto loco in Abbatissam destinari, ad instituendam ibi Admuntensis Ordinis obseruantiam, pollicens quod si quid petebat obtineret, pacem deinceps & omnimodam trãquillitatem, loco Admuntensi affuturam. Sed & litteræ Principũ regni illustrium, pro hoc ipso supplicantium plures cum scriptis Imperatoriis superuenerunt.

Communi igitur totius congregationis consilio, ac fauore, prædicta

dicta Domina Agnes, cum quibusdam religiosis sororibus, à Domino Liutoldo Abbate, tum pro animarũ ædificatione, tum pro pacis apud nos forinsecus recuperatione, per venerabilem Dom. Rabanum Priorem, ad Niwenbergensem locum honorifice est transmissa, & deputatis ei nihilominus & Sacerdotibus & cæteris idoneis fratribus ad exteriorum administrationem. Quo facto, ingruentium malorum vtcunque cessauit quassatio.

POSTHÆC religiosissimus Prior D. Rabanus, postquam L. annis Prioratus officium strenue administrauerat, videns se præ nimia senectutis debilitate, ad regimen animarum minus sufficere, absolui se ab huiusmodi cura instantissime postulauit, & necessitate exigente impetrauit. In cuius locum vnanimi congregationis applausu, Dominus Isinricus, vir tam vitæ quam scientiæ merito commendandus, & eiusdem loci alumnus, litteratus, professus & consecratus, à Domino Liutoldo Abbate regulariter est substitutus, qui etiam eodem anno nondum expleto in Abbatem Biburgensem cum ingenti tristitia omnium Admuntensiũ est promotus, anno incarnationis Domini M. CLXIX.

REVERENDISSIMVS & DEO dignus Archimandrita Iuuauensis Chunradus, postquam bonum certamen certauit, cursum consummauit, fidem seruauit, quinto Archipræsulatus sui anno, tunsionibus variis, lapis pretiosissimus Christo politus, apud Admuntense Monasterium, quod semper vnico ac paterno coluit affectu, IV. Calend. Octob. obdormiuit in Domino, anno incarnationis Domini M. CLXVIII. ibique debita veneratione est sepultus.

IGITVR post obitum virtuosissimi Archiepiscopi Chunradi, Clerus & populus apud Metropolim Iuuauum coadunati, elegerunt vnanimi voto in Archiepiscopum, Dominũ Adilbertum, filium Regis Bohemiæ Ladislai, & Gerdrudis sororis prænotati Chunradi Archiepiscopi, & Heinrici Ducis Austriæ, qui & ipse pro fide Romanæ Ecclesiæ multis persecutionibus, vt aurum in fornace est probatus.

POSTHÆC, fœlicis recordationis, Admuntensis Abbas Liutoldus septimo regiminis sui anno, postquam vtiliter, sed admodum laboriose, in vinea Domini desudauit, anno incarnationis Domini M.CLXXI. tertio Nonas Septemb. Domino vocante, diem clausit extremum: Quo etiam anno, beatus Thomas Archiepiscopus Cantuariæ in Anglia, glorioso martyrio est coronatus.

Post cuius decessum, in eligendo Patrem, fratres aliquandiu dissidentes, quidam Dom. Isinricum prænominatum Abbatem Biburgen-

gensem; quidam Dominum Heinricum Abbatem Müllstatensem, Popponis Comitis filium, & à puero similiter in Admuntensi educatum cœnobio, cœperunt expetere in Patrem & Dominum. Obtinuit tamen pars, quæ Dominum Heinricum elegerat, & altera pars cœpit huic assentire. Electus ergo Dominus Heinricus venire ad nos penitus abnuit, licet & multis & Episcoporum & Principum litteris pro hoc esset solicitatus, tum quieti suæ consulens, tum priorem vocationem sui & electionem in locum Müllstatensem obtendens, insufficientiam suam ad regimen nostri Monasterij sæpenumero proponens. Rursus igitur, dum in electione Patris, vota eligentium scinderentur, & ob hoc dissensionum scandalis tota confunderetur Ierusalem, tandem vtcunq; concordia facta: Rudolphus quidam Prior sancti Lamberti est electus, cum item Dominus Henricus à pluribus religiosus eligeretur, & tamen ab aliis, ne illa electio effectum haberet, impediretur. Prædictus denique Rudolphus Admunti veniens, rigore obseruantiarum Ordinis nostri sibi hactenus insolito & inusitato, fratrum quoque exteriorum seu cappatorum rebellione pusillanimis redditus, post XII. hebdomadas loco cessit, & ab obedientia sua fratres omnes absoluit.

VNANIMI deinde electione, Dominus Irimbertus Abbas sancti Michaëlis in Babinberg, noster autem professus, germanus Domini Gotfridi Abbatis, vir in sacra scriptura apprime eruditus, ætate pene decrepitus, electus in Admuntensem Abbatem, & missis nuntiis euocatus, per quinquennium & dimidium annum in sancta conuersatione loco præfuit, ac postea in natiuitate Domini VII. Calen. Ianuarij, CHRISTO vocante, in senectute bona, migrauit à sæculo, anno incarnationis Domini M.CLXXVII. Scripsit hic in libros Regum quatuor, opus arduũ ac luculentissimum, similiter in librum Iudicum & Ruth, egregie commentatus est.

CHRO-

CHRONICA SALISBVRGENSIA.

EX BIBLIOTHECA DOCTORIS Alberti Hungeri.

CIRCA annos Domini DLXXX. Hildebertus Rex Francorum, regni eius secundo, beatus Rudbertus in Wormatia habebatur Episcopus, & inde exulat annis duobus.

Anno DLXXXII. sanctus Rudbertus visitatis liminibus Apostolorum, sub Pelagio Papa secundo à *Theodone Duce Bauariæ ad prædicandum Christi fidem inuitatur, accepitq; ab ipso Duce locum sibi competentem in faucibus mötium prope fluuium * Yuarim, qui nunc Salzach vocatur, vbi extirpatis annosis arboribus inuenit ædificia vrbis diruta, quam quondam Iulius Cæsar, cum pugnaret contra Alamanos à iuuando Iuuauiam nominauit, ibique cönstructa sede Episcopali rexit Ecclesiam annos XLIV. Hic fuit Apostolus Bauariæ vsque ad inferiorem Pannoniam: moriens quoque in die resurrectionis Domini, post Missarum celebrata solennia, beatum Vitalem sibi elegit successorem.

** Hic fuit tertius huius nominis, baptizatus à S. Rudperto cum aliis duobus fratribus, videlicet Dietboldo Rege Italiæ, & Ottone seu Vttone.*

** Iuuarim.*

Eodem tempore scilicet anno DLXXXVIII. beatus Gregorius primus in Papam eligitur.

Hoc tempore Domini mulier infantem sine oculis pepérit, sine brachiis, sine manibus, à lumbis autem erat, vt cauda piscis.

Transitus sancti Rudberti sub anno DCXXIII. factus est sub Honorio Papa, Eraclio imperante: Francorum Rege Lothario patre Dagoberti.

Beatus Vitalis successor S. Rudberti, primus Abbas S. Petri, quod S. Rudbertus fundauit, ordinatus est in Episcopum Iuuauensem,

sem, cuius cathedralis sedes multis annis apud sanctum Petrum habebatur: hic sedit annis viginti duobus, obiit DCXLVI. in profesto Ursulæ.

De successoribus beati Vitalis usque ad tempora beati Virgilij propter simplicitatem vel incuriam scriptorum tempora non sunt distincta.

Anno DCLXXIII. Ansologus Episcopus & Abbas Iuuauensem Ecclesiam rexit annis XXVIII.

Deinde Zaboludus Episcopus & Abbas præfuit Ecclesiæ eiusdẽ XIV. Aëtius Abbas & Episcopus eiusdem Ecclesiæ, præfuit XXIII.

Anno Domini DCXCVII. Flobargisus Episcopus & Abbas præfuit Ecclesiæ Salzburgensi annis XLIII.

Anno Domini DCCLV. Ioannes Episcopus & Abbas Salzburgensem Ecclesiam XX. annis rexit. Hi quinque sepulti sunt, ut aiunt, apud sanctum Petrum ante altare maius.

Hoc tempore Ernbertus post fratrem suum Corbinianum Frisingensi, Gaubaldus Ratisponensi, sanctus Burchardus Wirzburgensi, & Willibaldus Aistetensi Ecclesiæ præficiuntur.

Anno Domini DCCLXIV. Virgilius Episcopatum Salzburgensem suscepit, qui sedit annos XXI. Et beati Rudberti Ecclesiam à fundamento inchoando consummauit & dedicauit, & in ea sedem Episcopalem constituit. Corpus sancti Rudberti transtulit ab Ecclesia sancti Petri, & in eandem Ecclesiam collocauit. Pipinus Rex Franciæ, Thassilonem Ducem Bauariæ præfecit, & ipse eodem anno obiit.

Anno Domini DCCLXXXIII. Ecclesia in Chiemsee dedicatur: sanctus Virgilius obiit, pro quo Berchtricus Abbas eligitur, & vnum annum rexit.

Anno Domini DCCLXXXV. Arno Episcopus factus, à Leone Papa pallio honoratur, & rexit Ecclesiã Iuuauensem annos XXXVIII. Hic fuit primus Archiepiscopus Salzburgensis: successerunt Amilon & Adalramus.

Anno Domini DCCCXV. floruit Rabanus, qui librum de officio Ecclesiæ scripsit Imperatori Ludouico, Caroli Magni filio. Tandem scripsit egregium libellum de laude sanctæ crucis, qui Rabanus fuit Episcopus Moguntinensis, Poëta magnus, in scientia Theologiæ præclarus.

Anno DCCC. Eugenius Papa, natione Romanus, sedit annos

tres,

tres, ab hoc Eugenio Adalramus pallium suscepit. Anno DCCC. XXVIII. obiit.

Leuppramus, successor Adalrami à Gregorio Papa quarto pallio honoratur. Hic B. Hermetem anno Episcopatus sui XVI. Salzburgam attulit, & Ecclesiam rexit annis XXIV.

Ludouicus secundus imperauit annos XXI. Hic anno regni sui VII. & VIII. in festo S. Martini solemniter affuit. Anno DCCCLV. Leuppramus Salzburgensis Archiepiscopus obiit.

Anno DCCCLIX. Adalbinus succedit, qui à Nicolao Papa primo pallio honoratur. Hic corpora sanctorum Chrysanti & Dariæ à Roma ad Iuuauensem detulit Ecclesiam, & sedit in ea annos XII.

Anno DCCCLXXIII. Adalbertus Archiepiscopus factus sedit annos octo.

Anno DCCCLXXX. Diethmarus Archiepiscopus, qui Adalberto successit, rexit annis XVII. S. Vincentium Salzburgam detulit.

Dietmarus DCCCCII. Archiepiscopus, Otto & Zacharias Episcopi in bello Vngarico occisi sunt, Pilgrinus Archiepiscopus Diethmaro succedit.

Pilgrinus Archiepiscopus sub Stephano Papa Salzburgensem Ecclesiam rexit annos XVI.

Ludbertus præsedit cathedræ Salzburgensi post Pilgrinum annis XXIII.

Adelbertus rexit Iuuauensem Ecclesiam annis XXIII.

Circa annum Domini DCCCCXX. sanctus Vdalricus Augustæ Episcopus ordinatur.

Anno DCCCCXXXV. Aegolfus succedit Adelberto in Episcopum Salzburgensem, rexit eandem sedem annis VI.

Heroldus succedit Aegolfo, sedens in eadem sede Salzburgensi annis XVIII. Hic attulit corpus B. Martini Turonensis Episcopi. Hic à Duce Henrico qui expulsus erat apud Müldorf excæcatur, & ipse Dux eodem anno moritur.

Anno Domini DCCCCLVI. circa hoc tempus fuit in Vasconia mulier ab vmbilico sursum diuisa, habens duo pectora, & duo capita, vna comedente, vel bibente, vel dormiente, altera quandoque neutrum faciebat, vixeruntque multo tempore, nec vno tempore mortui sunt.

Anno DCCCCLVII. Fridericus primus Archiepiscopus Iuuauensis consecratur, & præfuit annis XXXV.

Titus

Titus Præpositus sancti Rudberti Monachus fit, & eo anno Abbas sancti Petri.

Anno DCCCCLXXXVIII. Fridericus Salzburgensis Episcopus obiit. Hartwicus succedit, & sedit annis XXXIII.

Anno Domini M.I. Otto Imperator tertius in Italia obiit. Henricus Dux Bauariæ succedit. Frater Kunigundis Imperatricis, quæ fuit Palatina Rheni, fit dux Bauariæ. Nunberg Monasterium monialium Rex & Regina construunt. Hartwicus Salzburgensis Episcopus obiit, cui Guntherus successit & sedit annos IV.

Anno M.XXIII. Diethmarus rexit Iuuauensem Ecclesiam annis XVI.

Anno M.XLI. Baldwinus successit, hic sedit annos XX. cui successit Gebhardus, & rexit eandem sedem annis XXIX. annoque Episcopatus sui XII. ab incarnatione vero Domini M.LXXXI. II. Nonas Maij Gurcensem dedicauit Ecclesiam, constituens in ea sedem Episcopalem, & Gütherum Episcopum ordinauit, & eidem sedi præfecit.

Anno Domini M.LXXV. per eundem Monasterium Admuntense fundatur.

Gebhardus Archiepiscopus Salzburgensis in exilium vadit, cui Thyemo succedit.

Huius Gebhardi coætaneus fuit Ellenhardus Frisingensis Episcopus, fundator Collegiatæ S. Andreæ Frisingæ, cum XXI. præbendis, & officialibus, qui Ellenhardus obiit anno salutis M. LXXVIII. Pontificatu Gregorij VII. & Henrici IV. Imperatoris.

Anno Domini M.IX C. tempore Vrbani Papæ secundi, Dux Boamundus cum Christianis recuperauit sepulchrum Domini. Eo tempore inuenta est in Antiochia lancea Domini. Sub eodem Papa Monachi in Medlich & in Chotwich constituuntur.

Thyemo Archiepiscopus Salzburgensis electus VII. Calen. Aprilis, & in VII. Idus Aprilis consecratur, ab Vrbano Papa pallio honoratur. Et anno M.CI. apud Corosaim martyrio coronatur sub passagio Ducis Godefridi; rexit annis XII.

Chunradus de Abensperg Baro Archiepiscopus Salzburgensis, eligitur VII. Idus Ianuarij, XII. Calen. Nouemb. à Paschali Papa ordinatur & pallio honoratur, anno M.CVI. rexit annis XLII.

Anno M.CXIX. Hermannus primus Præpositus Salzburgensis.

Anno M.CXXI. Communis vita in Ecclesia S. Rudberti à Chunrado Archiepiscopo instituitur XIII. Calend. Februarij.

Anno

Anno Domini M.CXXVI. sanctus Matthias Apostolus fuit inuentus in Treueri tempore famis validissimæ, quæ cessauit. Hermanno Præposito defuncto, Gebno Præpositus Salzburgensis succedit anno M.CXXX.

Anno M.CXLIII. Gebno Præpositus Salzburgensis obiit, & Lanzo primus Hallensis Præpositus, Hugo Præpositus Salzburgensis sedit.

Anno M.CXLIII. Seecoue cœnobium construitur.

Anno M. CXLIV. Chunradus Abbas de Mansee occiditur, Chunradus Salzburgensis Archiepiscopus obiit, pro quo sedit Eberhardus Abbas Piburgensis, amator pauperũ, qui præfuit annis XVIII. electus anno MCXLVII. Hic ab Eugenio Papa pallio honoratur.

Anno Domini M.CXLIII. Hartwicus Canonicus Salzburgensis fit Episcopus Ratisponensis.

Anno M.CLVI. sanctus Eberhardus Episcopus Salzburgensis obiit.

Anno M. CLXIV. Chunradus Episcopus Patauiensis patruus Imperatoris Friderici, frater Ottonis Frisingensis, ad Iuuauensem sedem transfertur, virtutum flore redimitus, dignus amore, ab Alexandro III. Papa pallio honoratus, sedit annos V.

Anno M. CLXIV. Othacker Marchio Styriæ, Eberhardus de Purkhausen, Sifridus de Liubenowe, Lintoldus de Plain Comites obierunt. Imperator curiam in Lauffen habuit: Salzburgensi. Ecclesia ibi distrahitur. Vacca vitulum in montanis peperit, duo capita, octo pedes, duas caudas habentem. Hugo Præpositus Salzburgensis obiit, Siboto succedit.

Circa annos Domini M.CLXXXIV. Siboto Salzburgensis Præpositus obiit: Hoc tempore floruit Petrus Comestor, qui vtriusque Testamenti historias vtiliter exponendo in vnum volumen redegit, qui liber Scholastica historia nominatur. His temporibus Imperator apud Salzburg Hosen curiam celebrans, Episcopatum Salzburgensem in dedicationem accepit. Item apud Leimben colloquium habuit cum Prælatis. Gundatharus succedit Siboto in Præposito Salzburgensi.

Anno Domini M.CLXVIII. Chunradus Salzburgensis obiit, cui succedit Adalbertus filius Regis Bohemiæ, qui ab Alexandro Papa pallio honoratur, & multa mala à Friderico Imperatore patitur, quoniam in schisma iurare noluit, suppositis sibi duobus Henrico Præposito

ſito Berchteſgadenſi, & poſtmodum apud Venetias Chunrado Moguntinenſi Epiſcopo, ſed tandem vtroq; eandem reſignante ſedem, reuerſus eſt in eam communi voto in pace, ſedit annos XXVI. Hic Adalbertus Hallenſem ciuitatem exuſſit, & caſtrum quod Halburch dicitur, ædificauit. Hic circa fluuiũ, qui Lamer dicitur, à miniſterialibus Eccleſiæ capitur, & in caſtro Weruen per XIV. dies captus tenetur, propter quam enormitatem diuina in Eccleſia Salzburgenſi aliiſque Epiſcopatibus vicinis interdicta ſunt, & eo dimiſſo cantatum fuit ſolemniter: *Liberaſti nos Domine ex afflictione.*

Anno M.CLXXI. Vitalis, Virgilius, Hartwicus Salzburgenſes & Pilgrinus Pataujenſis Epiſcopi claruerunt miraculis. Heinricus II. imperauit circa M.CXCII. hic accepit Conſtantiam filiam Regis Siciliæ in vxorem.

Anno M.CXCVI. Gundatharus Præpoſitus Salzburgenſis obiit, cui Perchtoldus eiuſdem Eccleſiæ Canonicus ſuccedit. nonis Aprilis Iuuauenſis ciuitas maxima ex parte incendio periit.

Anno Domini M.CC. Adalbertus Archiepiſcopus Salzburgenſis beatæ memoriæ VI. Idus Aprilis obiit. Cui Eberhardus Brixinenſis Epiſcopus ſuccedit. Perchtoldus Præpoſitus eiuſdem Eccleſiæ Romam pro pallio ab ipſo deſtinatus, infecto negotio Romæ mortuus eſt. Ipſe vero Epiſcopus per ſe vadens Romam multo labore & ſudore tandem ab Innocentio Papa pallio honoratur. Hic Eberhardus Pater pauperum, ſedem rexit quadraginta quinque annis, qui tres Epiſcopatus inſtituit, Chyemenſem, Lauentinenſem, Seccouienſem, & Capitulum ſuum honoribus & diuitiis plurimum augmentauit. Pertholdus Romæ obiit, cui Bernhardus Præpoſitus Berchteſgadenſis ſuccedit.

Eo tempore Kunegundis virgo & regina vxor Imperatoris Heinrici Pij Pabenberg ſepulta, multis fulgens miraculis, ab Innocentio Papa canonizata eſt, & multis præſentibus Epiſcopis & Archiepiſcopis, inter quos adfuit & Dominus Eberhardus Salzburgenſis Archiepiſcopus, ab eis eſt translata.

Diſcordia facta inter Ducem Bauariæ Ludouicum & Epiſcopum Ratiſponenſem Chunradum, cui confœderatus Dominus Eberhardus Archiepiſcopus Salzburgenſis in manu valida venit in auxilium nullo reſiſtente, & diruta ſunt caſtra aliquanta, & ex vtroque facta ſunt incendia plurima per vniuerſam Bauariam, villarum deprædationes & Eccleſiarum, ita vt non ab Altaribus abſtinerent, & re-

& reliquias sanctorum inde aufferrent, aliaque quamplurimum nefanda & inaudita perpetrarent.

Hoc quoque anno Præpositus Bernhardus pridie Idus Augusti Domino Eberhardo Archiepiscopo apud Rast at Prælaturam resignauit, & deinde IX. Calend. Septembris obiit. Cui successit Dominus Albertus Chyemensis venerabilis Præpositus, communi omnium voto electus. Reuerso autem Domino Archiepiscopo à Ratispona, magna ex parte VIII. Idus Nouembris, ciuitas concremata est.

Ludouicus Dux Bauariæ, & Dominus Eberhardus Salzburgensis Archiepiscopus, & Chunradus Ratisponensis Episcopus in concordiam redierunt.

Anno Domini M.CCXII Albertus Salzburgensem Præposituram debilis resignauit, cui Otto Præpositus succedit. Otto Præpositus Salzburgensis in Episcopum Gurcensem eligitur.

Anno M.CCXIV. in quadam Synodo Romæ celebrata, Chyemensis Episcopatus instituitur, & ad ipsam sedem Rudigerus primus Episcopus ordinatur. Concilium prouinciale à Domino Eberhardo Archiepiscopo Salzburgensi celebratur, cui interfuerunt Patauiensis, Frisingensis, Gurcensis, Chyemensis Episcopi. Ratisponensis vero, qui propter seditionem suæ ciuitatis interesse non poterat: Præpositum, Decanum, Scholasticum maioris Ecclesiæ pro se misit: In quo Concilio Prælati Monasteriorum totius prouinciæ absentes à Domino Metropolitano sunt excommunicati, quam sententiam Honorius Papa tertius confirmauit.

Rex Vngariæ, Dux Austriæ, Dux Morauiæ, Archiepiscopus Salzburgensis, & Comites, & plures alij nobiles circa annum millesimum ducentesimum decimumseptimum cum manu valida ad succurrendum terræ sanctæ transfretauerunt, cum quibus Albero Præpositus Salzburgensis, & Fridericus Præpositus Berchtesgadensis, qui apud Bradiosium obiit, cui Henricus Canonicus eiusdem Ecclesiæ succedit. Illo etiam tempore Ludouicus Rex Franciæ transfretauit vltra mare, habuitque lætum principium, sed tristem exitum, quare pene omnibus suis amissis, captus fuit, sed volente Deo restitutus.

Heinricus Gurcensis obiit, cui Vdelschaltus Canonicus Gurcensis succedit.

Anno Domini M. CCXIX Secconiensis Episcopatus à Dom. Eberhardo Salzburgensi Archiepiscopo de licentia Domini Honorij

creatur, & Carolus Frisacensis Præpositus eidem sedi præficitur. Albero Præpositus Salzburgensis obiit. Cui Albertus eiusdem Ecclesiæ Custos & Canonicus succedit.

Comes Leutholdus de Plain obligatis quibusdam prædiis suis & beneficiis transfretauit, ibique pauperibus plurima largiens Deo deuotus militauit, sagitta percussus oculum perdidit, inde rediens Teruisium, obiit, & ossa eius à Domino Archiepiscopo, & Rugero Chyemensi Episcopo apud Hegelwerd sepulta sunt, à quibus etiam eadem die ipsum Monasterium consecratum est.

Crypta & Altare sancti Ioannis à Seccouiensi Episcopo primo Carolo consecrata est, quarto Idus Februarij. Capella & Altare ad sanctum Hartwicum ab Episcopo Chyemensi Rudgero primo dedicata est septimo Idus Septembris.

Ludouicus Dux Bauariæ cœpit munitionem Hallis in monte, quæ dicitur Grutte, quæ à Domino Eberhardo Archiepiscopo sub quadam forma compositionis destructa est. Et ob hanc causam prænominatus Episcopus homines ac reditus per omnia quos in Halle & circa habebat apud Altenses comparauit.

Anno M.CCXXI. corpora sanctorum Viti & Modesti ab Archiepiscopo Eberhardo, & Carolo Seccouiensi Episcopo in Ecclesia sancti Andreæ apud Lauent inuenta, & in Altari recondita, plurimis cœperunt coruscare miraculis. Et eorum reliquiæ ad Ecclesiam Salzburgensem præsentibus Pataviensi & Chyemensi Episcopis cum multa frequentia & tripudio populi ab Archiepiscopo sunt translatæ. Capella sancti Heinrici III. Cal. Septembris, & Ecclesia Parochialis III. Nonas eiusdem ab Archiepiscopo cooperante Chyemensi Episcopo sunt dedicatæ.

Anno vt supra vel circa, Archiepiscopus Eberhardus instituit sedem Cathedralem apud sanctum Andream in Lauent, cui præfecit Vlricum Plebanum in Harus.

Anno M.CCXVII. Vxor filij Imperatoris Aquisgrani præsentibus multis Principibus Alamanniæ coronatur: Et Domino Eberhardo Salzburgensi Archiepiscopo qui cum aliis Principibus Aquisgrani interfuerat per Coloniam reuertente, à quibusdam venientibus reliquiæ sanctarum XI. millium virginum in bona quantitate Salzburgam sunt allatæ.

Anno M.CCXVIII. Electus Brixinensis in die Palmarum apud Venetias ab Archiepiscopo Salzburgensi in Episcopum consecratur, præsen-

præsentibus Archiepiscopo Maideburgensi, & Duce Austriæ, qui ad occurrendum Imperatori Italiam intrauerant.

Otto filius Ducis Bauariæ apud Straubing, præsente Rege & multis aliis Principibus in festo Pentecostes gladio accingitur. Vbi Vdalricus primus Lauentinensis Episcopus ab Archiepiscopo in Episcopum consecratur.

Anno Domini M.CCXXX. Dominus Papa & Dominus Imperator mediantibus Principibus Alemanniæ, videlicet, Patriarcha Aquilegensi, Archiepiscopo Salzburgensi, Episcopo Ratisbonensi, Austriæ & Morauiæ & Carinthiæ Ducibus & quibusdam aliis, ad concordiam redierunt. Et Dominus Imperator ab excommunicatione, in qua ad tempus erat, absoluitur, & post absolutionem in hospitio & mensa à Domino Papa excipitur.

Anno M.CCXXXI. Carolus primus Seccouiensis moritur. Vschalcus Episcopus Gurcensis obiit. Ludouicus Dux Bauariæ præsente familia sua à quodam ignoto, cultro percussus obiit. Præpositus Salzburgensis, Abbas sancti Petri, & Abbas Admuntensis de licentia Domini Papæ in die sancto Paschæ mitris Pontificalibus sunt insigniti & priuilegiati. Simon Abbas sancti Petri cessit debilitate confectus, & Perchtoldus Abbas Admuntensis succedit.

Anno M.CCXXXII. Dominus Archiepiscopus ab Imperatore reuersus Chunradum Frisingensem, & Henricum Seccouiensem electos apud Frisacum in Pentecoste consecrauit. Gebhardus Patauiensis Episcopus propter infamiam occisionis Eberhardi Canonici Patauiensis, & aliorum criminalium sibi obiectorum, Episcopatum resignauit. Dominus Archiepiscopus ex licentia Domini Papæ Præposito Salzburgensi vsum virgæ pastoralis, & annuli chirothecarij indulsit.

Anno M.CCXXXII. sanctus Virgilius à Papa Gregorio nono canonizatus est IV. Idus Iunij.

Rudgerus primus Chyemensis Ecclesiæ Episcopus auctoritate Domini Papæ Patauiensi Ecclesiæ præficitur.

Elisabeth filia Regis Vngariæ, vxor Lantgrauij, obiit, post obitum suum multis miraculis & signis claruit.

Magister Chunradus de Marchburg cum alio fratre de ordine Minorum occiditur, eò quod in partibus Rheni impugnabant hæresim.

Otto Dux Bauariæ curiam Ratisbonæ celebrandam indixit,

quam propter indignationem Regis & aliorum quorundam Principum sibi non fauentium apud Landshut celebrauit. Cui Archiepiscopus Salzburgensis & alij Principes interfuerunt, sed postmodum Rex cum multis Principibus & magno exercitu Bauariam intrauit, Ducem destruens, sed mediante Episcopo Salzburgensi in gratiam eum recepit, & filium eius puerulum in obsidem Regi dedit. Et tandem curiam solemnem Dux Ratisponæ celebrauit, cui Archiepiscopus Salzburgensis & omnes Episcopi Bauariæ interfuerunt.

Dux Bauariæ cum exercitu fines Ducis Austriæ deuastauit, & claustrum in Lambach exussit.

Albertus Præpositus Salzburgensis in Episcopum Chyemensem ab Archiepiscopo eligitur, pro quo substituitur Thuno eiusdem Ecclesiæ Decanus.

Sancta Elisabeth canonizatur.

Anno M.CCXXXV. Dux Austriæ consilio Iudæorum terram Austriæ clausit, nec per terram, nec per aquam annonam in partes superiores ire permisit. Nec tamen eò minus ciuitas Salzburgensis, & tota prouincia illius frumento de Sueuia allato, vinoque Latino & Franconio abundauit.

Anno M.CCXXXVI. sancta Elisabeth de tumulo eleuatur. Vbi aderat Dominus Imperator, cum Archiepiscopis & Episcopis & aliis Principibus cum infinita populi multitudine.

Rex Bohemiæ ad mandatum Imperatoris vastauit Austriam & Dux Bauariæ, & Episcopus Patauiensis obsederunt ciuitatem Linz, & infecto negotio recesserunt.

Anno M.CCXXXVII. Salzburgensis Archiepiscopus Ecclesiam Brixensem dedicauit, & ossa beati Hartmanni à terra reuerenter subleuauit.

Anno M.CCXXXIX. Imperator in Marchia Teruisina hyemauit, sed postmodum Imperatore à Teruisio exeunte ciues a fidelitate eius recedentes Archiepiscopum Salzburgensem cum sua supellectili spoliauerunt. Et Imperator per totam æstatem in manu valida fines Mediolani & Bononiæ deuastauit.

Salzburgensis Archiepiscopus concilium Episcoporum, & Dux Bauariæ curiam communem consilio pro reformanda pace terræ apud Straubing indixerant, sed propter dissensiones Episcoporum & laicorum non perfecerunt.

Anno M.CCXLII, Chuno Salzburgensis Præpositus & Perchto[ldus]...

toldus Abbas S. Petri obiit, pro quibus electi sunt Otto Canonicus eiusdem Ecclesiæ in Præpositum, & Richerus Prior in Abbatem.

Dux Bauariæ curiam Ratisponæ præsentibus Domino Eberhardo Archiepiscopo, & aliis Principibus celebrauit. Vbi pro reformatione status aliqua edita fuerunt.

Anno M.CCXLVI. Eberhardus Archiepiscopus Salzburgensis obiit, pro quo Dominus Philippus filius Ducis Carinthiæ vnanimi voto Canonicorum, & ministerialium consensu eligitur.

Anno M.CCXLVII. Papa ignorans electionem in Salzburgensi Ecclesia esse factam, quendã Burchardum de Zigenhagen nescientib' Canonicis & ministerialibus Archiepiscopatui præfecit & consecrauit, qui post modicum tempus non adepta potestate, vel inthronizatione diem clausit extremum. Vnde Papa ad petitionem & instantiam tam parentum & amicorum D. Philippi, quam Capituli & ministerialium, electionem à D Philippo factam confirmauit.

Anno M.CCXLIX. Concilium ad mandatum D. Papæ in Mülldorf à D. Philippo electo celebratur, cui interfuerunt Frisingensis, Ratisponensis, Seccouiensis Episcopi, cum aliquantis Prælatis. Vbi Dux Bauariæ citatus tam per sententiam excommunicationis, quam gladio materiali ad Romanam Ecclesiam redire, & ei contra Dominum Fridericum adhærere compelli debebat.

Anno M.CCL. D. electus Salzburgensis Marchiã intrans manu hostili possessiones quorundã Styriensiũ rapinis & incẽdiis deuastauit.

D. Rudigerus Patauiensis Episcopus à Dom Papa depositus est, & Perchtoldus frater Episcopi Ratisponensis sibi substituitur.

Anno M.CCLI. Capitulum Salzburgense super mutuo cõtracta per custodem ipsius Capituli in Curia Romana super litteras & sigillũ ipsius Capituli pro negotiis D. Philippi electi eorum, cuius nũtius ipse custos fuerat, & in curia Romana per quinquennium retentus ad soluendũ idem debitum à D. Papa citatur. Vnde D. Otto Præpositus Capituli, in se recipiens periculum, Lugduni se Papæ obtulit, secum ab inde in Marsiliam, & à Marsilia in Genuam procedens, multis laboribus & expensis. Vbi D. Papa cognoscens de causa & intelligens, pecuniam euidenter mutuatam non in vsum Capituli sed electi esse conuersam, sentẽtiauit de reditibus Episcopatus esse soluendã, assignando ipsi Præposito quosdã reditus Episcopatus, per quos eadẽ pecunia cum omni integritate, damno & interesse absolueretur. Hæc itaque posteris nostris præscribimus, vt sibi in consimilibus sciant imposterũ præcauere.

Anno

Anno M.CCLII. Comes Tyrolensis & Gorcensis in manu potenti Griffenberg obsederunt, quibus occurrit electus Salzburgensis manu valida, inito cum eis campestri bello, ipsos deuicit, captiuando Tyrolensem & Eschellohensem Comites cum pluribus ministerialibus & auxiliaribus eorum, qui postea magnis se conditionibus & pecunia absoluerunt.

Dominus Philippus electus Salzburgensis quendam ex fratribus Gurcensium Episcopatui Gurcensi præfecit.

Hyems asperrima fuit, ita vt multi homines & iumenta frigore interierint.

Anno M. CCLVI. Dominus Philippus non obediens institutioni Papali, per homines nefarios castra & ciuitates muniuit, multa mala per incendia & rapinas in diœcesi exercens. Capitulum Salzburgense nihilominus vocatis eis qui debebant, volebant, & poterant ad electionem commode vocari, ad Haellinum, in præsentia quorundam ministerialium, de consilio tamen omnium, Dominum Vlricum Episcopum Seccouiensem sibi in Archiepiscopum postulauerunt, super eadem postulatione admittenda & confirmanda Dominum Ottonem Præpositum eiusdem Ecclesiæ ad Romanam curiam transmittentes. Dominus Philippus hoc intelligens accitis sibi auxiliariis à Bohemia & Austria, armata manu terminos Episcopatus inuasit, incendiis & rapinis tam intra montana quam extra omnia deuastando. Cui etiam ministeriales obliti fidei & promissi quod in electione fecerant, quidam ob timorem quidam ob promissionem rerum & feudorum sibi adhærere incœperunt. Res capituli ad mandatum suum mobiles & immobiles sibi vendicantes Præpositum eius cum Canonicis, qui secum ad curiam in negotio ierant capituli in periculo relinquentes. Papa dilationem faciens in confirmatione postulati, præfatum Philippum ad curiam per fratrem Henricum Chyemensem Episcopum citari fecit, præcipiens ei similiter vt castra & munitiones Ecclesiæ ipsi Chyemensi medio tempore obseruanda assignaret, addens talem pœnam, si non obediret, vt eum atque fautores suos aut auxiliatores & defensores munitionum mucrone Ecclesiastico percelleret, Clericos ab obedientia, ministeriales & vasallos à fidelitate absolueret, quæ omnia, cum dictus Philippus mandatis Papalibus parere nollet, Dominus Chyemensis est exequutus, Ecclesiam & ciuitatem Salzburgensem & totum districtum pro eo, quod Episcopo Philippo adhuc adhæsit, tam ex ista parte montium, quam ex altera, supponens

Eccle-

Ecclesiastico interdicto, id est, fieri præcipiens ex mandato sibi iniuncto in omnibus Ecclesiis suffraganeorum. Ciuitas Salzburgensis caruit hoc toto anno diuinis, nisi quod Parochiales Ecclesiæ per quosdam nefarios Clericos ad mandatum Domini Philippi fuerunt inofficiatæ. Similiter Monachi & Moniales per tempus ad suam malam suggestionem & ob timorem sui diuina resumpserunt.

Anno M.CCLVII. Dominus Papa postulationem capituli de Domino Vdalrico admisit, ipsam confirmando. Atque intelligens Dominus Philippus, magis in capitulum cœpit tyrannizare, Canonicos & domesticos pene omnes de ciuitate eiiciendo, reditus & possessiones eorum penitus euertendo & distrahendo: intrans etiam montana, omnia prædia Ecclesiarum & ministerialium vice altera incendio deuastauit. Dominus Vdalricus Archiepiscopus, & Dominus Otto Præpositus cum fratre Heinrico Episcopo Chyemensi, cui Episcopatus à Domino Philippo totaliter est distractus, per annum & dimidium moram in curia Romana traxerunt. Vnde propter tam diuturnam absentiam eorum tanta mala increuerunt Ecclesiæ.

Dux Austriæ collecta multa militia terrarum suarum, Bohemię, Morauiæ, & Austriæ, terram Henrici Ducis Bauariæ versus Landshut intrauit, cui occurrẽs Dux Bauariæ cum fratre suo manu valida ipsum fugauit, ita quod per ciuitates Müldorf & Lauffen eum fugere coëgit cum paucis, occisis, submersis, & igne periclitatis de exercitu suo pene tribus millibus nobilium & ignobilium, & obsessis in Müldorf melioribus terrarum Bohemiæ, Morauiæ, & Austriæ, qui tamen sub quadam formæ compositionis, quam Dux Austriæ acceptauit, sic postea ad concordiam redierunt.

Duo Canonici Salzburgenses, scilicet Vlricus filius Comitis Hermanni de Ortenburg, & quidam dictus Gregorius Sacerdos, non attendentes quod binarius infamis est numerus, quia recedit ab vnitate: Ab vnitate capituli recedentes, Domino Philippo adhæserunt, pro negotio suo ante confirmationem Domini Vdalrici, iter ad Romanam curiam arripientes. In quo itinere Gregorius miserabiliter obiit: alter ad curiam veniens, auditus à Papa, & satis despectiue dimissus ab eo domum reuertitur.

Puer prope Radstat in montanis nascitur cum duobus cornibus, vox ploratus XIV. diebus antequam de ventre matris exiret, est audita.

Abbas sancti Petri cum Conuentu suo, & Monialium in mon-

ce, diuina quoque ad mandatum Domini Philippi malo vsi consilio, in scandalum Ecclesiæ & detrimentum plurimorum Clericorum eos subsequentium celebrauerant, ad mandatum Domini Vdalrici Archiepiscopi dimiserunt.

Anno M. CCLVIII. Dominus Philippus intellecta sua depositione, furiali modo contra Canonicos & ministeriales incrassatur, persecutionem eis intolerabilem inferendo, terras eorum & reditus rapinis & incendiis deuastauit. In tantum enim dominicalia Capituli distraxit, quod quatuor Canonicis, qui solummodo in Ecclesia remanserant, omnibus aliis de loco perturbatis & eiectis, non poterant necessaria ministrari.

Dominus Vlricus Archiepiscopus vna cum Præposito & Episcopo Chyemensi à Curia reuersus, Regem Vngariæ, qui cum maximo exercitu Marchiam intrauerat, & Pettouiensem ciuitatem obsederat, propter quosdam ministeriales sibi rebelles, qui prius insultum in suos fecerant, sub quadam summa pecuniæ sub magnis cautionibus & fideiussionibus obligando, postmodum assumptis pluribus armatis versus ciuitatem Salzburgensem iter arripuit, & dum Radstat venisset, Dux Carinthiæ volens nocere sibi, in crepusculo à parte vtriusque fuit acriter dimicatum, aliquantis ex vtraque parte vulneratis & occisis. Abbas sancti Petri vesano vsus consilio vna cum Monialibus in monte mandatum tam Apostolicum, quam metropolitanum vice altera contemnentes, in scandalum totius Cleri, & detrimentum clauium Ecclesiasticarum diuina resumere temeritate propria præsumpserunt, Choro Salzburgensi in sua obedientia permanente.

Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, maxima Caristia orta est per omnes terras, quam sequitur maxima pestilentia hominum. Abbas sancti Petri moritur excommunicatus, fratres eiusdem Ecclesiæ irregulares & excōmunicati eligunt Albertum Priorem suum. Dux Austriæ iam tertia vice misit armatos Domino Philippo ad destruendam terram citra montes & vltra montes, vbi plurimi homines perierunt.

Anno M. CCLX. Dominus Vdalricus Archiepiscopus transitum faciens per vallem Anesi, volens venire in Bauariam apud Admunt, de conscientia Monachorum ab hominibus Ducis Austriæ capitur, & in castro Wolckenstain aliquandiu detinetur, tādem ad mandatum Ducis relaxatur.

Domi-

Dominus Vdalricus Archiepiscopus manens in Bauaria, licet possessiones Episcopatus non valeret adipisci, tamen à nuncio Domini Papæ excommunicatur pro quatuor millibus marcarum argenti, quas Papæ Curiæ promiserat, & omnia iura Episcopalia ei interdicunt, ob quam causam ipse appellauit, & iter ad Curiam arripuit.

Anno M. CCLXI. Capitulum Salzburgense iam per sex annos multis tribulationibus & pressuris attritum & destructum ad exhortationem inclyti Regis Bohemiæ & Ducis Carinthiæ, cum nemine propter imbecillitatem Domini Vdalrici Archiepiscopi, qui nec seipsum tueri poterat, haberet assistentem, mediantibus Principibus dictis, compositionem amicitiæ cum Domino Philippo iniit, salua tamen reuerentia & obedientia Papali.

Anno M. CCLXII. Dominus Vdalricus Archiepiscopus reuersus ab Italia secum duxit quendam Episcopum Squillacensis Ecclesiæ datum sibi à Curia pro reformatione Ecclesiæ Salzburgensis sub quibusdam cõditionibus, scilicet vt in certis terminis solueret promissam pecuniam Curiæ Romanæ, quod si non faceret, ab ipso Episcopo auctoritate Apostolica excommunicaretur.

Dux Bauariæ Henricus, qui per vim, fas & nefas octo munitiones & possessiones Episcopatus & Capituli in initio huius dissensionis occupauerat, accitis sibi & coadunatis quibusdam ministerialibus & aliis militaribus dictis de Wyspach, qui prius adhæserant Domino Philippo, & ab eo ditati & exaltati fuerant, de consilio eorum insultum faciens in ciuitate Salzburgensi sitam trans aquam, ipsam totaliter spoliauit, & postea præsentibus Domino Vdalrico Archiepiscopo & Squillacense, igne cremari iussit, nec illo contentus, iterum consilio eorundem præuaricatorum cum multitudine armorum salinam intrans, munitionem in detrimentum Ecclesiæ super ciuitatem erexit.

Dominus Vdalricus Archiepiscopus, quod pecuniam non soluit Romanæ Curiæ, ab Episcopo Squillacensi excommunicatur, & per totum Archiepiscopatum denuntiatur.

Anno M. CCLXIII. Dominus Dux Bauariæ obsedit ciuitatem Salzburgensem, quam cum non posset obtinere, fecit treugas. Ictu fulminis circa meridiem, cum maxima serenitas per totum firmamentum appareret in oppugnatione eiusdem ciuitatis conterritus retrocessit.

Dominus Philippus eiicitur à ciuitate & à munitionibus Episcopatus. Monachi & Moniales abstinent à diuinis iam tertio.

Dominus Papa commisit Regi Bohemiæ & Episcopo Olmucensi Episcopatum Salzburgensem tuendum & reformandum, qui omnes munitiones transmontanas de facili obtinuerunt.

Ministeriales Ecclesiæ Salzburgensis quidam adhæserunt Regi Bohemiæ, quidam Duci Bauariæ, hæredes eorum ab Ecclesia alienantes, qui etiam in his tribulationibus nunquam Capitulo fidem vel Ecclesiæ seruauerunt, imo possessiones Episcopatus & Capituli sibi adiacentes his temporibus omnino venditauerunt, propterea quidam ex ipsis Gebhardus de Velwen dictus, obsidem magnum, scilicet Comitem Goriciæ, qui fidei suæ commissus erat, à choro & ministerialibus præter omne consilium & cõscientiam omnino pro octingentis marcis argenti relaxauit, quas in vsus proprios conuertit.

Anno M.CCLXIV. Dominus Vdalricus Archiepiscopus vocatus à ministerialibus & ciuibus intrauit ciuitatem Salzburgensem vnà cum Duce Bauariæ, vbi per quatuor menses demoratus, suam recognoscens propter malitiam plebis insufficientiam, proposuit renũtiare honori & oneri, & egressus è ciuitate in Marchia se recepit, ab inde dirigens litteras cessionis ad Curiam Romanam, sed Papa Vrbanus iam obierat, vnde negotium mansit in suspenso. Monachi sancti Petri & Moniales in monte ad obedientiam & gratiam Capituli redierunt, facta aliqua recompensatione damnorum, quæ Capitulum ex inobedientia eorum receperat.

Anno M.CCLXV. Dominus Vdalricus Archiepiscopus cessit oneri & honori, cessionem suam Domino Papæ per litteras transmittens, quas Papa & Curia acceptauit.

Dominus Otto Patauiensis Episcopus obiit, Clemens Papa quartus sibi reseruans prouisionem vtriusque Ecclesiæ, Dominum Vulodislaum Ducem Poloniæ Salzburgensi præfecit Ecclesiæ, & magistrum Petrum Pædagogum Ducis Ecclesiæ Patauiensi.

Otto Præpositus Salzburgensis obiit. Fridericus dictus de Walhen Canonicus eiusdem Ecclesiæ constituitur.

Grando sæuissima pluribus vicibus læsit Bauariam & præcipue vastans dominicalia Ducum, fora, ciuitates.

Rex Bohemiæ propter damna Ecclesiis Salzburgensibus & Patauiensibus illata à Ducibus Bauariæ, graue prælium Ducibus ipsis mouit.

Anno M.CCLXVI. Dominus electus vna cum Episcopo Patauiensi Salzburgæ veniunt & gloriose recipiuntur. Episcopatus Chyemensis

mensis per Dominum electum fratri Henrico de ordine Minorum confertur & confirmatur.

Chuno Monachus sancti Petri, quem Dominus Archiepiscopus quondam præfecerat Abbatiæ, ipsam resignauit: Et Dominus Simon eiusdem Monasterij frater eligitur, & à Domino electo confirmatur.

Anno M.CCLXVII. ordinationes Clericorum celebrati sunt in choro Salzburgensi à Domino Pataniensi Episcopo cooperantibus sibi Frisingensi, Ratisbonensi, Chyemensi Episcopis in Sabbato Pentecostes, vbi Dominus Archiepiscopus recepit ordinem sacerdotalem, & die sequenti ab eisdem Episcopis recepit consecrationem Episcopalem, breui vero facto interuallo à Domino Clemente Papa pallio honoratur.

Patriarcha Aquilegiensis à Domino Alberto Comite Goriciæ captiuatur, qui postea per Dominum Archiepiscopum sub quibusdam conditionibus absoluitur.

Anno M.CCLXVIII. Dominus Vdalricus Episcopus Seccouiensis obiit. Bernhardus Decanus Pataniensis substituitur: Dux Carinthiæ pro multis damnis quæ Ecclesiæ Salzburgensi intulerat satisfecit Ecclesiæ per ciuitates, fora, & castra sancti Viti, Chlagenfurt, & sancti Georgij, dans proprietates Ecclesiæ & recipiens ea in pheudo.

Patriarcha Aquilegiensis obiit, & Dominus Philippus quondam Salzburgensis electus pro eo eligitur: Dux Carinthiæ Vlricus, cuius ducatum Rex Bohemiæ vna cum pheudis quæ ab Ecclesia Salzburgensi tenuerat idem * Dux sibi Rex indebite vendicauit.

Anno M.CCLXX. Dominus Vulodislaus Archiepiscopus obiit, pro quo eligitur Fridericus Præpositus eiusdem Ecclesiæ: Ciuitas Salzburgensis maxima parte incendio periit.

* *Videtur hic aliquid deesse.*

Rex Bohemiæ conditionibus quibusdam mediantibus pheoda Principum Austriæ, Styriæ & Carinthiæ à Domino electo Frisaci manualiter recepit, homagium cum iuramento sibi faciens & Ecclesiæ Salzburgensi.

Dominus Philippus quondam electus Salzburgensis totum patrimonium suum Regi Bohemiæ resignauit: inter quam resignationem ciuitatem sancti Viti, & alias munitiones ac fora, per quæ Dux Vlricus Carinthiæ Ecclesiæ Salzburgensi pro multis damnis satisfecerat, sibi vi vsurpauit.

Anno M.CCLXXII. Dominus electus Salzburgensis iter arripuit

puit ad Romanam Curiam pro sua confirmatione.

Anno M.CCLXXVIII. Dominus Fridericus Archiepiscopus confirmationem à Domino Papa recipiens, & ex mandato suo consecrationem à Cardinalibus, prærogatiua pallij meruit ab eo honorari: Et cum in Curiâ existeret magna sibi quæstio & grauis per creditores & campsores Romanos fuit suscitata pro magna summa pecuniæ, quam tam Archiepiscopus Vlricus prædecessor eius, quamque Præpositus Otto super membranas Capituli contraxerunt ante octodecim annos, Capitulo penitus nesciente, sed per surreptionem membranarum sigilli Capituli sic eandem pecuniam mutuarunt, vnde ad instantiam solutionis, quam Dominus Archiepiscopus fieri instanter à Capitulo postulabat, Ecclesia nostra graue incurrit dispendium & iacturam, quia licet pro negotio Episcopatus eadem pecunia contracta fuerat, & pro nulla vtilitate Capituli, tamen Capitulum oportuit soluere marcas ducentas puri argenti. Hæc præscripsimus posteris nostris, vt de cætero sciant sigillo suo cauere.

Anno M.CCLXXIV. Dom. Fridericus Archiepiscopus Salzburgensis prouinciale indixit Concilium, vbi conuenerunt Frisingensis, Patauiensis, Ratisponensis, Brixinensis, Chyemensis, Seccouiensis Episcopi, & Prælati Prouinciæ, vbi diuersa & salubria promulgauit, Concilioque ipso laudabiliter per Dei gratiam terminato, Ecclesiam Salzburgensem in die omnium sanctorum cooperantibus sibi Episcopis prænominatus honorifice consecrauit: Celebritatem ipsam reddens insignem largitione indulgentiæ Domini Alexandri Papæ, Patriarchæ Gradensis & Archiepiscoporum, Episcoporumque plurium, sicut curiosus indagator in matricula super hæc conscripta *.

* *inueniet, vel aliquid simile.*

Anno M. CCLXXV. Rex Bohemiæ Salzburgensem Ecclesiam hostiliter inuadit ad æstimationem publicam ad quadraginta tres marcas eandem damnificando, & maxime in distractione & exustione prædiorum.

Herbordus Lauentinensis Episcopus moritur, cui Eberhardus Abbas sancti Pauli substituitur.

Castrum Chalhaim à venerabili Salzburgensi Archiepiscopo Friderico propter enormitates innumeras ibi commissas funditus destructum est.

Anno M.CCLXXVIII. Dominus Henricus Dux Bauariæ per filium suum generum Regem Romanorum laborat ad Regis gratiam, quam tandem consequitur per resignationem terræ inter Danubium

nubium & Anasum positæ, quam ab ipso Rege Romanorum receperat titulo hypothecæ, propter hoc specialiter, vt Romanum imperium contra Regem Bohemiæ adiuuaret, sed & Dominus Fridericus Archiepiscopus Salzburgensis in hac concussione Romani imperij sic se habuit fide & animo inconcusso, vt dum de fidelibus agitur eius digne signanda memoria habeatur. Ipse enim & Dominus Petrus Patauiensis Episcopus recta deuotione perspicui, & velut lampades inter alios Principes imperij coruscantes, licet multo ingenio tentarentur ab hostibus reipublicæ, qui eorum fidem horrendo studio quasi lenones ad lupanar perfidiæ procabantur, velut columnæ immobiles persliterunt, eligentes potius rerum & corporum sustinere iacturam, quam Romanum imperium desolatum solum relinquere, & prophanis hostibus prostituere fidem suam, qua in conuersatione hominum nihil vtilius inuenitur: Quamuis autem in acie triumphante non fuerunt, tamen triumphantium & triumphi non vltimi, sed quasi præcipui promotores.

Anno millesimo ducentesimo septuagesimo nono, Dietricus Gurcensis Episcopus obiit: cui succedit Ioannes Chyemensis Episcopus: Eidem substituitur Dominus Chunradus de Hindperch Canonicus Patauiensis.

Anno millesimo ducentesimo octogesimo primo, nix competens à Frisinga vsque in Longau in die beati Alexij cecidit, ita quod omnes mirarentur.

Dominus Fridericus Concilium prouinciale celebrat Salzburgæ: cui interfuerunt Frisingensis, Ratisponensis, Patauiensis, Brixinensis, Chyemensis, Seccouiensis, Lauentinensis Ecclesiarum Episcopi: Et quia Prælati quarundam diœcesium, & præcipue Patauiensis, quocunque modo se absentauerunt, Dominus Archiepiscopus contumaces eos reputans, eos suspendit ab officio, tandem ad instantiam honestorum virorum suffraganeorum de consilio Capituli eidem sententiæ supersedit.

Generalis sterilitas terræ facta est, adeo quod eius similem in terris pluribus paucissimi recordentur, plurimi etiam fame moriuntur, panis etiam de auena coctus, solemnibus viris charus habetur.

Nouum genus vexationis oritur, nam quidam Paltuinus ciuis Viennensis aliquádo, nunc tyro quoad exercitium militare, prouectus vero in annis, ob iniurias quas Domino Archiepiscopo & Ecclesiæ

cem inter eos vsque ad purificationem sanctæ Mariæ reformat.

Iudæi apud Monacum fœminam quandam pecunia corruperant, quod puerum quendam furata cuidam suo vicino, ipsum dedit Iudæis, quem occisum pluribus puncturis confoderunt, sanguinem eius exhauriendo. Iterum eadem fœmina pecunia circumuenta puerum alterum furata, quæ cum Iudæis vellet illum deferre, patre pueri eam insequente deprehenditur, & territa, prius facinus coram iudicio confitetur, mox ciues Monacenses in vnum conuenientes Iudæorum centum octoginta in quadam solemni domo in parte superiori claudunt, & subter ignem supponunt, ita vltio diuina nefas iniquissimum est secuta.

Anno millesimo ducentesimo octogesimo sexto, Rex Rudolphus Curiam Augustæ in Epiphania celebrat præsentibus Dominis Archiepiscopis Salzburgensi, Coloniensi, Ratisponensi, Patauiensi, Basileensi, & aliis Episcopis & viris illustribus, L. & H. Ducibus Bauariæ, & aliis multis Comitibus & nobilibus, vbi reformat amicitiam inter Dominos Rudolphum Archiepiscopum & Henricum Ducem Bauariæ, facto promisso inter sex viros honorabiles super quæstionibus quas inter se habuerunt decidendis in octaua Pentecostes.

Anno M.CCLXXXV. Gotfridus Patauiensis Episcopus obiit: cui successit Bernhardus de Pranpach eiusdem Ecclesiæ Canonicus, qui beatorum Valentini & Maximiliani corpora in humili loco reposita, in tumba honorabili de nouo in medio Ecclesiæ Patauiensis erecta decentius collocauit, & incœpit reædificare de nouo, & bono opere Ecclesiam Patauiensem.

Anno M.CCLXXXVIII. translatum est corpus beati Virgilij per Dominum Rudolphum Archiepiscopum Salzburgensem septimo Idus Nouembris in concilio quod eodem tempore per eum extitit celebratum, cooperantibus sibi suffraganeis suis, videlicet Domino Emithone Frisingensi, Domino Henrico Ratisponensi, Domino Bernero Seccouiensi, Domino Bernardo Patauiensi, N. Gurcensi, Domino Chunrado Chyemensi, Domino Chunrado Lauentinensi.

Anno M.CCLXXXIX. Rudolphus Salzburgensis Archiepiscopus obiit tertio nonas Augusti: Et Dominus Stephanus filius Domini Henrici Ducis Bauariæ est in Archiepiscopum concorditer postulatus: Sed Dominus Papa hanc postulationem propter defectum ætatis ipsius, qui iam vigesimum primum annum habuit, non admisit, deputauit autem in Archiepiscopum eiusdem Ecclesiæ Dominum

Chun-

Chunradum Lauentinensem Episcopum, qui vna cum aliis nuntiis in prædicta postulatione fuerat, ipsumque confirmauit, pallium ei per quod notatur plenitudo Pontificalis officij, assignando.

Eodem etiam anno cum Albertus Dux Austriæ cum Chunrado Archiepiscopo discordaret, & ex vtraque parte sibi damna grauia intulissent, idem Archiepiscopus confœderauit sibi Ottonem Ducem Bauariæ, & vnà cum prædicto Duce Carinthiam est ingressus, fiduciatus ab incolis, quod posset terram Styriæ obtinere. Sed tandem eos redire infecto negotio densitas niuium compellebat. Sequenti vero tempore prædictus Archiepiscopus cepit filium Ducis Carinthiæ, cuius liberatio magna occasio fuit, quod pax inter eos extitit reformata, super qua reformatione Henricus Ratisponensis Episcopus vna cum Ludouico Duce Bauariæ sollicite laborauit, quà concordia durante vix ad tres annos vel paulo plus, Dux Austriæ obsedit oppidum Radstat ad duos menses vel modicum amplius, à qua obsidione tandem propter inopiam victualium, qui per angusta montium adduci sufficienter non poterant, dicitur recessisse, quia & Dux Otto cum exercitu vsque in Salzburgam processerat contra ipsum.

Anno millesimo ducentesimo nonagesimo primo, ciuitas Akaron, quam solam habebant Christiani in terra sancta, obsessa est per Soldanem Babylonensem, & per quadraginta dies & noctes sine intermissione impugnata, capta est, & ibidem multa Christianorum millia capta sunt & occisa, aliqui autem per nauigium aufugerunt, & quod multorum erat opinio, quod si fratres domorum ibidem, scilicet, hospitales, templarij, & Teutonici, & reliquus populus omnino concordasset, ciuitas capta non fuisset. Mandauit Dominus Papa Nicolaus omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, vt Concilia prouincialia celebrarent & deliberarent qua ope vel consilio eidem terræ posset subueniri, & per concilium habitum Salzburgæ rescriptum fuit Domino Papæ, & consultum, vt prædicti tres ordines counirentur ad vnum ordinem, melioribus eorum obseruantiis in vnum redactis, & quod ad succursum eidem terræ sanctæ Rex Romanorum cum Principibus vocaretur; qui nuntii antequam venissent ad Curiam, Papa mortuus, & sic hoc negotium mansit infectum.

Eodem anno venit Dominus Chunradus Archiepiscopus datus per Papam, de Curia, in die dedicationis Ecclesiæ Salzburgensis.

Eodem etiam anno obiit Bernhardus Episcopus Seccouiensis circa festum natiuitatis Domini.

Anno M. CCXCII. IV. Idus Ianuarij, obiit Chunradus Episcopus Chyemensis Viennæ: Qui corpus suum in Salzburgam deferri fecit ad Concilium, quod Dominus Chunradus ibidem celebrauit, in quo etiam per Episcopos qui aderant honorifice est sepultus.

Eodem anno Henricus Præpositus Salzburgensis factus est Episcopus Seccouiensis, cui successit Fridericus Decanus eiusdem Ecclesiæ de Mitterkirchen, per electionem, in vigilia Palmarum.

Eodem etiam anno ad Ecclesiam Chyemensem datus est Dominus Fridericus Præpositus Chyemensis pro Episcopo.

Anno M. CCCVI. Albertus Rex Romanorum intrauit Bohemiam, ducens secum Dominum Chunradum Archiepiscopum Salzburgensem, & Rudolphum filium suum Ducem Austriæ, & asserens ad imperium collationem ipsius regni deuolutam, præfatum Dominum Rudolphum Ducem Austriæ in Regem substituit, ipsum regnum sibi & suis cæteris fratribus iure hæreditario conferendo, qui etiam Rex Bohemiæ statim relictam Domini Wenceslai deuoti Regis nouercam prædecessoris sibi in matrimonium copulauit.

Eodem anno obiit Dominus Ioannes Brixinensis Episcopus, cui substitutus est per Dominum Archiepiscopum magister Ioannes de Nockenwerd, qui fere octodecim mensibus in Curia stetit, & ibi vix confirmationem obtinuit.

Anno M. CCCVII. obiit Domina Elisabeth Abbatissa in Nunburg, cui successit Domina Margaretha de Gebing Monialis sancti Petri.

Eodem anno Dominus Chunradus Archiepiscopus Salzburgensis circa assumptionem beatæ Mariæ ad iussum Regis Romani Alberti Carinthiam intrauit cum exercitu valido & forti: Et ibidem per sex hebdomadas moram faciens, obtinuit ciuitates videlicet ad sanctum Vitum, & Volckenmarckt, & Chlagenfurt, & alias munitiones munitas, & castrum Rabenstain prope Frisacum expugnauit, ac funditus demolitus est: Et in monte sancti Thomæ quandam munitionem construxit.

Eodem anno obiit Helmwicus Decanus Ecclesiæ Salzburgensis: Cui successit venerabilis Weychardus de Polhaim eiusdem Ecclesiæ Canonicus.

Anno Domini M. CCCVIII. obiit Dominus Vlricus Seccouiensis

ensis Episcopus circa festum Epiphaniæ, cui substitutus est Dominus Fridericus de Mitterkirchen Præpositus Salzburgensis, pro quo electus est Dominus Fridericus de Leibniz Canonicus & Camerarius eiusdem Ecclesiæ in vigilia Palmarum. Cuius electionem Dominus Chunradus Archiepiscopus Salzburgensis pro eo quòd non fuit expectatus cum electione, licet ad eum ius eligendi non pertineat, vsque ad decimam hebdomadam distulit confirmare.

Anno M. CCCX. Dux Austriæ misit circa festum B. Martini Dominum Vlricum de Walsee cum cæteris armatis in Titmaning contra Ducem Bauariæ, qui adiunctis sibi hominibus Archiepiscopi Salzburgensis tam districtum Salzburgensis quam districtum Ducis Bauariæ spoliis & incendiis deuastarunt, in tantum vt propter frigus & famem tanta mortalitas hominum sit secuta, vt in præfato festo vsque ad festum purificationis in vno cœmiterio Titmaning plus quam mille & trecenta funera sint sepulta, & mortalitas hominum per totam Bauariam fuit magna subsecuta.

Anno Domini M.CCCXII. in annuntiatione beatæ Mariæ virginis, Dominus Chunradus Archiepiscopus obiit, qui reuolutis annis eodem die natus est. Eodem anno Calendis Aprilis electus fuit Dominus Weichardus de Polhaim in Archiepiscopum: Et in eodem anno in die B. Willibaldi extitit confirmatus. Et eodem anno * Abdon & Sennen per Clementem Papam quintum fuit consecratus, pallio fuit eodem anno in vigilia Augustini decoratus. In vigilia sancti Thomæ à curia recessit cum magnis laboribus, sumptibus & expensis.

* in die vel fe-sto.

Anno M. CCCXII. Weichardus Archiepiscopus Salzburgensis XIII. Calendas Augusti aperuit tumbam S. Rudberti, & inuenit reliquias primo B. Rudberti cum capite: item B. Martini in magna quantitate: item B. Hermetis Martyris: item B. Chrysanti & Dariæ, & Gisilarij. Et eodem anno ostendit populo, easdem reliquias ibi reposuit & recondit. Iterum sequenti festo translationis S. Virgilij consecrauit Altare S. Virgilij constructum per suum antecessorem Dominum Chunradum de Vanstorf, aliter dictum de Praitenfurt. Et ibidem reliquias eiusdem sancti reposuit & recondit. Post octauam S. Virgilij prædicti, hoc est, quinto nonas Octobris percussus generali spasmo in toto corpore & grauissimo, & etiam lethargia: Et tandem pridie nonas eiusdem mensis obiit.

Eodem anno, nono Calendarum Nouembris Dominus Fride-

ricus de Leibniz, Præpositus & Archidiaconus Ecclesiæ Salzburgensis electus est in Archiepiscopum ibi concorditer.

Anno M. CCCXVI. Dominus Fridericus de Leibniz electus octauo Idus Octobris extitit in priuato Consistorio per Papam Ioannem XXII. confirmatus, tertio Calendas Nouembris idem Papa cum multis aliis eandem confirmationem publicauit. Et eodem anno octauo Calendas Decembris de mandato Papæ Dominus Berngarius Tusculanus Cardinalis ipsum & Patriarcham Gradensem, & Archiepiscopum Rosonensem Græcum barbatum cum quinque Episcopis & quatuor Abbatibus consecrauit. In octaua Martini iuramentum Camerario pro communi obsequio præstitit, & sequenti die post Elisabeth pallium à Papa petitum fuit & concessum.

Anno M.CCCXVII. Dom. Fridericus de Leibniz Archiepiscopus Salzburgēsis vnionem & societatem iniit cum D. Friderico electo de Austria & fratribus suis ad vitam ipsorum, contra inferiores Duces Bauariæ, qui in multis ipsum & Ecclesiam suam grauauerunt, & contra omnes excepto Papa & imperio, & Ludouico electo & Rudberto fratre suo, ita quod mutuo se iuuare deberent laboribus sumptis & expensis contra omnem hominem ipsis nocere vel obesse cupientem.

Anno M.CCCXXII. circa festum B. Matthæi Apostoli & Euangelistæ Dom. Fridericus electus de Austria, & Dom. Henricus frater ipsius: Item reuerendi Patres, Dom. Fridericus Archiepiscopus Salzburgensis: Et Dom. Albertus Dux Saxoniæ Episcopus Patauiensis & Dominus Dietricus Episcopus Lauentinensis cum exercitu valido diuersarum nationum Bauariam hostiliter intrauerunt, & inter Oettingam & Müldorf castra metati sunt apud fluuium qui * Ihen vulgariter nuncupatur. Quibus Dom. Ludouicus electus de Bauaria, Dominus Ioannes Rex Bohemiæ, & Dom. Henricus Bauariæ inferioris cum magno exercitu & valido occurrentes IV. Calendas Octobris, hoc est, in vigilia Michaëlis, apud dictum fluuium sub monte Dornberg pariter bellum inierunt: Et interfectis ab vtraque parte mille viris & amplius, Dom. Ludouicus triumphauit, Domino Friderico & Domino Henrico fratre ipsius, Ducibus prædictis cum omnibus suis, necnon omnibus ministerialibus militaribus & aliis nobilibus Salzburgensibus, Patauiensibus, Lauentinensibus captis, anno & die prænotato.

* Ihn.

Anno M. CCCXXIV. in octaua assumptionis B. Mariæ virginis, hoc est, vndecimo Calendas Septembris, castrum & oppidum in

Titmaning traditum & venditum ac amissum est per dolum & fraudem eorum qui in castro & oppido fuerunt, & eorum qui fuerunt ante castrum & oppidum, & illi principales traditores fuerunt seruitores Ecclesiæ Salzburgensis, quorum primus fuit Wolfgangus de Goldeckh filius Ottonis, per quem multa alia mala sustinuit Ecclesia Salzburgensis, tamen ad ordinationem Domini Ludouici Ducis Bauariæ superioris, qui electus fuerat in Romanum Regem & reprobatus per Papam Ioannem XXII. suis demeritis exigentibus: Hæc traditio ordinata fuit, & proscripsit Dominum Fridericum de Leibniz Archiepiscopum Salzburgensem, & in illa proscriptione tandem fraudem de amissione prædictorum procurauit.

Anno Domini M.CCCXXVII. dictum castrum & oppidum in Titmaning post destructionem & desolationem magnam oppidi & Comitatus ad ipsum pertinentes, rehabitum fuit per modum emptionis, grauibus *sumptis laboribus & expensis.

*forte sumptibus.

Post Christum natum tria C, tot X, quoque mille,
Signis impressis Iulio quoque tempore mensis,
Fruges & arbusta deuorat quoque fœna locusta.

Anno Domini M. CCCXXXVIII. electus est Dominus Henricus de Pirnprun in Archiepiscopum Salzburgensem, rexit annos V. Anno iam dicto locustæ senas alas habentes innumerabiles ab Oriente circa festum Afræ venientes in Bauaria reperiuntur, qui viam per quinque milliaria in die extendentes, omnia viridia in herbis & arboribus deuastarunt.

Anno M. CCCXLIII. electus est Ortolfus de Weisenegg rexit annos viginti & vnum, deinde anno quadragesimo octauo lugubris & miseranda pestis pene per orbem, quæ in Asia apud Indos incipiens, trium annorum spatio in omnes gentes deseuit vsque in Britannos, in Bohemia, in Bauaria & Austria multa habitacula euacuans: Dein anno M. CCCXLIX. apud Villacum terræmotu mons corruit, qui magnam hominum multitudinem deleuit. Sic per Pannoniam & Italiam nonnullæ ciuitates funditus corruerunt.

Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, studium Pragense erigitur, deinde Wiennense, deinde Haydelbergense: Eodem anno *funditæ sunt duæ magnæ campanæ in Salzburgensi Ecclesia.

*fusæ.

Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quinto Pilgrinus Archiepiscopus eligitur, qui Capellam cum sex Altaribus & totidem

eidem Capellanis fundauit, in qua & sepultus est, rexit annis triginta duobus, & est in numero quadragesimus quartus.

Anno M. CCCLXVII. Brigita deuotissima de regno Sueciæ peregre profecta est.

Anno Domini M.CCCLXXXIII. Pilgrinus Archiepiscopus in Raidenhaslach sub statutis treugis captiuatur. Eodem anno Ecclesia Salzburgensis, totum Monasterium & ad ea pertinentia, campanæ, vitra, organum & omnia ornamenta in præfata Ecclesia combusta sunt, ita quod nihil remansit inibi: Et cum hoc media ferè pars ciuitatis eiusdem versus partem Ghay cōbusta est in dominica passionis Domini.

Anno M.CCCLXXXVII. in depositione S. Virgilij Dux Fridericus Bauariæ duxit in captiuitatem Pilgrinum Archiepiscopum Salisburgensem cum suis militaribus sub saluo conductu in claustrum Raidenbaslach.

Anno Domini M. CCCLXXXVI. Sigismundus Vngariæ regnum suscepit.

Anno Domini M. CCCLXXXVII. claruerunt Henricus de Oytta, Henricus de Hassia, doctores in vniuersitate Wiennensi: Et Albertus Engelschalck doctor Pragensis, Bauarus, de Straubing oriundus.

Anno Domini M. CCCXC. Sigismundus Rex Hungariæ cum Francigenis Turcos inuasit, sed victus cessit. Vnde Teclæ cecidit Leodium.

Anno Domini X C I. festum visitationis Mariæ celebrari mandatur. Sancta Brigita quæ alias in peregrinatione Romæ obierat, à Bonifacio Papa transfertur.

Anno Domini M. CCCXCII. per Bonifacium dantur indulgentiæ Iubilæi in Monacum.

Straubing incendio periit, & S.Petri * imago, quam quidam ciuis veneratus semper fuerat, ignis proterit.

* imaginem.

Anno M.CCCXCVI. Gregorius Schenck de Oster wiz Archiepiscopus rexit annis septem.

Anno Domini M. CCCCI. magnus in cœlo apparuit cometa.

Anno M. CCCCIII. Eberhardus de Neuhausen Archiepiscopus rexit annis XXIV.

Anno M. CCCCVIII. regnante in Bohemia Wenceslao Rege, studium Pragense vniuersale * destructum est.

* forte extinctum.

Hoc anno Henricus filius quondam Ducis Friderici de Land-

huce

huet ciues in prandio cepit, & post depecuniauit. Sed altero anno in die Parasceues seditione orta ciues castrum aggrediuntur, sed non proficientes, multi graui morte sunt occisi, multi in exilium missi.

Anno M. CCCCXIV. Concilium Constantiense celebrari cœpit, quod incredibili Principum & Prælatorum frequentia per tres annos durauit.

Anno M.CCCCXV. Ioannes Pontificatu se abdicauit, similiter & Gregorius, Benedictus pertinaciter restitit facta cessione. Ioannes XXIII. vigesimo primo Martij Sole ad occasum vergente, furtiue mutato habitu in Schafhausen, breuique tempore reductus à Papa, per sententiam deponitur.

Anno M. CCCCXVI. Fridericus Dux Austriæ proscribitur. Synodus illa Constantiensis videtur fuisse vndecima.

Anno Domini M. CCCCXVIII. Sigismundo Rege decimam recipiendi per Alemanniam à Clero indulgetur.

Anno Domini M. CCCCXXI. castrum Töring per Ducem Henricum Bauariæ destruitur.

Anno Domini M. CCCCXXVII. Eberhardus de Starcknberg Archiepiscopus rexit annos duos.

Anno Domini M.CCCCXXIX. Ioannes Reisperger Archiepiscopus rexit annos XII.

Anno Domini M. CCCCXXXI. Concilium Basileense inchoatur.

Anno Domini M. CCCCXXXII. Sigismundus Imperator à Papa Eugenio coronatus est.

Anno Domini M. CCCCXXXIII. eclypsis magna fuit feria quarta post Viti, circa horam vespertinam: Eodem anno Rex Sigismundus vnctus est in Cæsarem.

Bulla aurea Imperatorum Græcorum super reductione & vnione eorum ad Romanam Ecclesiam, anno M. CCCCXXXIII. est data.

Anno Domini M &c. XXXVIII. Concilium Basileense congregatur, leniter tamen, deinde priuato Eugenio, Amodeus Sabaudiæ Dux ad Pontificatum eligitur, quem Felicem quartum vocarunt.

Anno M. CCCCXLI. Fridericus Truckhsaz de Emerberg Archiepiscopus rexit annis decem.

Anno Domini M. CCCCXLIV. fuit ventus validus in die sancti Georgij.

Salzburgensi intulit, suspensus à diuinis, Clericum quendam Sacerdotem ministrum Capituli captiuauit, quem fame affectum coegit prophanare diuina, & est celebris opinio, quod id non præsumpsisset, nisi confisus de subsidio Domini Henrici Ducis Bauariæ. In cœna Domini interea dum sermo fieret ad populum, puella nata de Celle, habens annos circiter viginti, à natiuitate muta, Salzburgæ per Dei gratiam & merita ac intercessiones Patronorum nostrorum Rudperti & Virgilij vsum loquendi recepit.

Anno Domini M.CCLXXXIII. Gotfridus Patauiensis & Leopoldus Seccouiensis Ecclesiarum electi pridie Nonas Martij Sacerdotes à venerabili Domino Henrico Ratisponensi Episcopo in Salzburgensi Ecclesia ordinantur, & sequenti Dominica à Domino Friderico Salzburgensi Archiepiscopo Episcopi consecrantur.

Dominus Hertnidus de Wildonia Plebanus in Pe... Gurcensis Ecclesiæ præficitur.

Dux Austriæ occasione vnionis, quam cum Domino Friderico Salzburgensi Archiepiscopo, & excellenti Principe Domino Ludouico Duce Bauariæ iniit, Dominum Henricum Ducem Bauariæ diffidauit, collectoque exercitu aduersus eum iuit vsque Welsam, vbi etiam Dominus Archiepiscopus accessit eum, vnà secum processurus, sed viris solemnibus, videlicet Ratisponensi, & Patauiensi Episcopis & aliis honestis interponentibus partes suas, quibusdam interiectis conditionibus & pœna mille librarum vallatis, Dux Austriæ ad propria rediit, prius tamen tam Archiepiscopus Salzburgensis quam Dux Bauariæ per interpositas personas ad concordias redierunt.

Anno M. CCLXXXIV. Fridericus Salzburgensis Archiepiscopus septimo Idus Maij obiit, cuius corpore decimo quinto Calendis Maij tradito sepulturæ, vndecimo Calendas eiusdem celebrata fuit electio de Domino Rudolpho Cancellario Imperialis aulæ, viro per omnia legali, adeo consors, quod non fuit in toto Capitulo vel vnus, qui in huius electione dissentiret.

Anno M. CCLXXXV. Gerhardus Lauentinensis Episcopus obiit, cui Chunradus Salzburgensis Ecclesiæ Canonicus & Scholasticus substituitur.

Dominus Papa Martinus auditis & intellectis litteris siue ...tionibus Domini Rudolphi Regis Romanorum & Capituli Salzburgensis, commisit negotium Episcopis Constantiensi & Aystetensi, nec non Abbati de Salem, vt eius auctoritate Dominum Rudolphum electum

electum Ecclesiæ Salzburgensis examinarent, & si examinatum dignum inuenirent, auctoritate Apostolica in Salzburgensem Archiepiscopum confirmarent. Condicto itaque ad exequendum mandatum Apostolicum termino competenti, Dominus Episcopus Constantiensis graui dolore pressus venire non potuit, collegæ vero eius venientes, & in negotio præsidentes, probatis legitimis impedimentis Domini Constantiensis, examinandum Dominum Rudolphum electum octauo Idus Martij solemniter processerunt, quem cum per omnia idoneum reperissent, septimo Idus Martij auctoritate sibi tradita confirmarunt: Ipse vero sequenti die videlicet sexto Idus Martij Sacerdos efficitur, subsequenti vero Dominica in passione Domini in Episcopum consecratur: Directis subsequenter nuntiis, viris honestis & discretis Domino Mitterkirchensi Canonico Salzburgensi, & Magistro Henrico de Gosse Præposito Frisacensi doctore decretorum pro pallio postulando. Qui cum Paduam venissent, Dominus Papa Martinus quinto Calendas Aprilis moritur, & cessauit Episcopatus diebus quinque. Et sic negotium Salzburgensis Ecclesiæ protelatur.

Honorius quartus natione Romanus, sedit, hic prosequi semper studuit Teutonicos, & maxime Ecclesiam Salzburgensem, ob hoc Dominus Rudolphus Archiepiscopus pallio honoratur.

Gotfridus Patauiensis obiit: cui succedit Wenhardus eiusdem Ecclesiæ Canonicus & Plebanus Wienensis, cuius electioni tota ciuitas congratulatur.

Dominus Rudolphus diem indicit ad colloquendum cum Domino Henrico Duce Bauariæ, vbi recitatæ fuerunt litteræ continentes omnes tractatus inter Dominum Fridericum piæ memoriæ Salzburgensem Episcopum, & Dominum Henricum Ducem Bauariæ habitos, & iuramentis, sigillisque eorum firmatos. Vbi de treugis inter eos firmatis vsque ad octauam Michaëlis nondum elapso termino: Ciuitas Müldorf nescitur vtrum machinatione vel fortuitu, exuritur, quam statim Dux Henricus cingit obsidione, & quia Dominus Rudolphus Archiepiscopus nullos sinistros euentus timuit, cum Dux in defensionem eum & Ecclesiam recepisset, in Marchiam iter arripuit, scilicet in Grez, intellectis huiusmodi euentibus reuertitur cum armatis, & facto insultu in terram Ducis, largos districtus eius incendiis deuastauit. Cui etiam Dux tanquam munitus exercitu copiose se exponit, & ciuitatem Müldorf in dedicationem accepit. Tandem Dux Ludouicus partes ad colloquendum inuitat, tanquam medius, & pa-

Yy cem

cem inter eos vsque ad purificationem sanctæ Mariæ reformat.

Iudæi apud Monacum fœminam quandam pecunia corruperant, quod puerum quendam furata cuidam suo vicino, ipsum dedit Iudæis, quem occisum pluribus puncturis confoderunt, sanguinem eius exhauriendo. Iterum eadem fœmina pecunia circumuenta puerum alterum furata, quæ cum Iudæis vellet illum deferre, patre pueri eam insequente deprehenditur, & territa, prius facinus coram iudicio confitetur, mox ciues Monacenses in vnum conuenientes Iudæorum centum octoginta in quadam solemni domo in parte superiori claudunt, & subter ignem supponunt, ita vltio diuina nefas iniquissimum est secuta.

Anno millesimo ducentesimo octogesimo sexto, Rex Rudolphus Curiam Augustæ in Epiphania celebrat præsentibus Dominis Archiepiscopis Salzburgensi, Coloniensi, Ratisponensi, Patauiensi, Basileensi, & aliis Episcopis & viris illustribus, L. & H. Ducibus Bauariæ, & aliis multis Comitibus & nobilibus, vbi reformat amicitiam inter Dominos Rudolphum Archiepiscopum & Henricum Ducem Bauariæ, facto promisso inter sex viros honorabiles super quæstionibus quas inter se habuerunt decidendis in octaua Pentecostes.

Anno M.CCLXXXV. Gotfridus Patauiensis Episcopus obiit: cui successit Bernhardus de Pranpach eiusdem Ecclesiæ Canonicus, qui beatorum Valentini & Maximiliani corpora in humili loco reposita, in tumba honorabili de nouo in medio Ecclesiæ Patauiensis erecta decentius collocauit, & incœpit reædificare de nouo, & bono opere Ecclesiam Patauiensem.

Anno M.CCLXXXVIII. translatum est corpus beati Virgilij per Dominum Rudolphum Archiepiscopum Salzburgensem septimo Idus Nouembris in concilio quod eodem tempore per eum extitit celebratum, cooperantibus sibi suffraganeis suis, videlicet Domino Emithone Frisingensi, Domino Henrico Ratisponensi, Domino Bernero Seccouiensi, Domino Bernardo Patauiensi, N. Gurcensi, Domino Chunrado Chyemensi, Domino Chunrado Lauentinensi.

Anno M.CCLXXXIX. Rudolphus Salzburgensis Archiepiscopus obiit tertio nonas Augusti: Et Dominus Stephanus filius Domini Henrici Ducis Bauariæ est in Archiepiscopum concorditer postulatus: Sed Dominus Papa hanc postulationem propter defectum ætatis ipsius, qui iam vigesimum primum annum habuit, non admisit, deputauit autem in Archiepiscopum eiusdem Ecclesiæ Dominum

Chun-

Chunradum Lauentinensem Episcopum, qui vna cum aliis nuntiis in prædicta postulatione fuerat, ipsumque confirmauit, pallium ei per quod notatur plenitudo Pontificalis officij, assignando.

Eodem etiam anno cum Albertus Dux Austriæ cum Chunrado Archiepiscopo discordaret, & ex vtraque parte sibi damna grauia intulissent, idem Archiepiscopus confœderauit sibi Ottonem Ducem Bauariæ, & vnà cum prædicto Duce Carinthiam est ingressus, fiduciatus ab incolis, quod posset terram Styriæ obtinere. Sed tandem eos redire infecto negotio densitas niuium compellebat. Sequenti vero tempore prædictus Archiepiscopus cepit filium Ducis Carinthiæ, cuius liberatio magna occasio fuit, quod pax inter eos extitit reformata, super qua reformatione Henricus Ratisponensis Episcopus vna cum Ludouico Duce Bauariæ sollicite laborauit, quà concordia durante vix ad tres annos vel paulo plus, Dux Austriæ obsedit oppidum Radstat ad duos menses vel modicum amplius, à qua obsidione tandem propter inopiam victualium, qui per angustà montium adduci sufficienter non poterant, dicitur recessisse, quia & Dux Otto cum exercitu vsque in Salzburgam processerat contrà ipsum.

Anno millesimo ducentesimo nonagesimo primo, ciuitas Akaron, quam solam habebant Christiani in terra sancta, obsessa est per Soldanem Babylonensem, & per quadraginta dies & noctes sine intermissione impugnata, capta est, & ibidem multa Christianorum millia capta sunt & occisa, aliqui autem per nauigium aufugerunt, & quod multorum erat opinio, quod si fratres domorum ibidem, scilicet, hospitales, templarij, & Teutonici, & reliquus populus omnino concordasset, ciuitas capta non fuisset. Mandauit Dominus Papa Nicolaus omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, vt Concilia prouincialia celebrarent & deliberarent qua ope vel consilio eidem terræ posset subueniri, & per concilium habitum Salzburgæ rescriptum fuit Domino Papæ, & consultum, vt prædicti tres ordines counirentur ad vnum ordinem, melioribus eorum obseruantiis in vnum redactis, & quod ad succursum eidem terræ sanctæ Rex Romanorum cum Principibus vocaretur; qui nuntii antequam venissent ad Curiam, Papa mortuus, & sic hoc negotium mansit infectum.

Eodem anno venit Dominus Chunradus Archiepiscopus datus per Papam, de Curia, in die dedicationis Ecclesiæ Salzburgensis.

Eodem etiam anno obiit Bernhardus Episcopus Seccouiensis circa festum natiuitatis Domini.

Anno M. CCXCII. IV. Idus Ianuarij, obiit Chunradus Episcopus Chyemensis Viennæ: Qui corpus suum in Salzburgam deferri fecit ad Concilium, quod Dominus Chunradus ibidem celebrauit, in quo etiam per Episcopos qui aderant honorifice est sepultus.

Eodem anno Henricus Præpositus Salzburgensis factus est Episcopus Seccouiensis, cui successit Fridericus Decanus eiusdem Ecclesiæ de Mitterkirchen, per electionem, in vigilia Palmarum.

Eodem etiam anno ad Ecclesiam Chyemensem datus est Dominus Fridericus Præpositus Chyemensis pro Episcopo.

Anno M. CCCVI. Albertus Rex Romanorum intrauit Bohemiam, ducens secum Dominum Chunradum Archiepiscopum Salzburgensem, & Rudolphum filium suum Ducem Austriæ, & asserens ad imperium collationem ipsius regni deuolutam, præfatum Dominum Rudolphum Ducem Austriæ in Regem substituit, ipsum regnum sibi & suis cæteris fratribus iure hæreditario conferendo, qui etiam Rex Bohemiæ statim relictam Domini Wenceslai deuoti Regis nouercam prædecessoris sibi in matrimonium copulauit.

Eodem anno obiit Dominus Ioannes Brixinensis Episcopus, cui substitutus est per Dominum Archiepiscopum magister Ioannes de Nockenwerd, qui fere octodecim mensibus in Curia stetit, & ibi vix confirmationem obtinuit.

Anno M. CCCVII. obiit Domina Elisabeth Abbatissa in Nunburg, cui successit Domina Margaretha de Gebing Monialis sancti Petri.

Eodem anno Dominus Chunradus Archiepiscopus Salzburgensis circa assumptionem beatæ Mariæ ad iussum Regis Romani Alberti Carinthiam intrauit cum exercitu valido & forti: Et ibidem per sex hebdomadas moram faciens, obtinuit ciuitates videlicet ad sanctum Vitum, & Volckenmarckt, & Chlagenfurt, & alias munitiones munitas, & castrum Rabenstain prope Frisacum expugnauit, ac funditus demolitus est: Et in monte sancti Thomæ quandam munitionem construxit.

Eodem anno obiit Helmwicus Decanus Ecclesiæ Salzburgensis: Cui successit venerabilis Weychardus de Polhaim eiusdem Ecclesiæ Canonicus.

Anno Domini M. CCCVIII. obiit Dominus Vlricus Seccouiensis

ensis Episcopus circa festum Epiphaniæ, cui substitutus est Dominus Fridericus de Mitterkirchen Præpositus Salzburgensis, pro quo electus est Dominus Fridericus de Leibniz Canonicus & Camerarius eiusdem Ecclesiæ in vigilia Palmarum. Cuius electionem Dominus Chunradus Archiepiscopus Salzburgensis pro eo quod non fuit expectatus cum electione, licet ad eum ius eligendi non pertineat, vsque ad decimam hebdomadam distulit confirmare.

Anno M.CCCX. Dux Austriæ misit circa festum B. Martini Dominum Vlricum de Walsee cum cæteris armatis in Titmaning contra Ducem Bauariæ, qui adiunctis sibi hominibus Archiepiscopi Salzburgensis tam districtum Salzburgensis quam districtum Ducis Bauariæ spoliis & incendiis deuastarunt, in tantum vt propter frigus & famem tanta mortalitas hominum sit secuta, vt in præfato festo vsque ad festum purificationis in vno cœmiterio Titmaning plus quam mille & trecenta funera sint sepulta, & mortalitas hominum per totam Bauariam fuit magna subsecuta.

Anno Domini M.CCCXII. in annuntiatione beatæ Mariæ virginis, Dominus Chunradus Archiepiscopus obiit, qui reuolutis annis eodem die natus est. Eodem anno Calendis Aprilis electus fuit Dominus Weichardus de Polhaim in Archiepiscopum: Et in eodem anno in die B. Willibaldi extitit confirmatus. Et eodem anno * Abdon & Sennen per Clementem Papam quintum fuit consecratus, pallio fuit eodem anno in vigilia Augustini decoratus. In vigilia sancti Thomæ à curia recessit cum magnis laboribus, sumptibus & expensis.

* in die velsfe.

Anno M.CCCXII. Weichardus Archiepiscopus Salzburgensis XIII. Calendas Augusti aperuit tumbam S. Rudberti, & inuenit reliquias primo B. Rudberti cum capite: item B. Martini in magna quantitate: item B. Hermetis Martyris: item B. Chrysanti & Dariæ, & Gislarij. Et eodem anno ostendit populo, easdem reliquias ibi reposuit & recondit. Iterum sequenti festo translationis S. Virgilij consecrauit Altare S. Virgilij constructum per suum antecessorem Dominum Chunradum de Vanstorf, aliter dictum de Praitenfurt. Et ibidem reliquias eiusdem sancti reposuit & recondit. Post octauam S. Virgilij prædicti, hoc est, quinto nonas Octobris percussus generali spasmo in toto corpore & grauissimo, & etiam lethargia: Et tandem pridie nonas eiusdem mensis obiit.

Eodem anno, nono Calendarum Nouembris Dominus Fride-

ricus de Leibniz, Præpositus & Archidiaconus Ecclesiæ Salzburgensis electus est in Archiepiscopum ibi concorditer.

Anno M. CCCXVI. Dominus Fridericus de Leibniz electus octauo Idus Octobris extitit in priuato Consistorio per Papam Ioannem XXII. confirmatus, tertio Calendas Nouembris idem Papa cum multis aliis eandem confirmationem publicauit. Et eodem anno octauo Calendas Decembris de mandato Papæ Dominus Berngarius Tusculanus Cardinalis ipsum & Patriarcham Gradensem, & Archiepiscopum Rosonensem Græcum barbatum cum quinque Episcopis & quatuor Abbatibus consecrauit. In octaua Martini iuramentum Camerario pro communi obsequio præstitit, & sequenti die post Elisabeth pallium à Papa petitum fuit & concessum.

Anno M.CCCXVII. Dom. Fridericus de Leibniz Archiepiscopus Salzburgēsis vnionem & societatem iniit cum D. Friderico electo de Austria & fratribus suis ad vitam ipsorum, contra inferiores Duces Bauariæ, qui in multis ipsum & Ecclesiam suam grauauerunt, & contra omnes excepto Papa & imperio, & Ludouico electo & Rudberto fratre suo, ita quod mutuo se iuuare deberent laboribus sumptis & expensis contra omnem hominem ipsis nocere vel obesse cupientem.

Anno M.CCCXXII. circa festum B. Matthæi Apostoli & Euangelistæ Dom. Fridericus electus de Austria, & Dom. Henricus frater ipsius: Item reuerendi Patres, Dom. Fridericus Archiepiscopus Salzburgensis: Et Dom. Albertus Dux Saxoniæ Episcopus Pataujensis & Dominus Dietricus Episcopus Lauentinensis cum exercitu valido diuersarum nationum Bauariam hostiliter intrauerunt, & inter Oettingam & Müldorf castra metati sunt apud fluuium qui * Iben vulgariter nuncupatur. Quibus Dom. Ludouicus electus de Bauaria, Dominus Ioannes Rex Bohemiæ, & Dom. Henricus Bauariæ inferio[r]is cum magno exercitu & valido occurrentes IV. Calendas Octobris, hoc est, in vigilia Michaëlis, apud dictum fluuium sub monte Do[r]nberg pariter bellum inierunt: Et interfectis ab vtraque parte mi[ll]e viris & amplius, Dom. Ludouicus triumphauit, Domino Friderico & Domino Henrico fratre ipsius, Ducibus prædictis cum omnibus [s]uis, necnon omnibus ministerialibus militaribus & aliis nobilibus Sa[l]zburgensibus, Pataujensibus, Lauentinensibus captis, anno & [d]ie prænotato.

* Ihn.

Anno M. CCCXXIV. in octaua assumptionis B. Mariæ virginis, hoc est, vndecimo Calendas Septembris, castrum & oppidum [illegible]

[illegible] Te-

Titmaning traditum & venditum ac amissum est per dolum & fraudem eorum qui in castro & oppido fuerunt, & eorum qui fuerunt ante castrum & oppidum, & illi principales traditores fuerunt servitores Ecclesiæ Salzburgensis, quorum primus fuit Wolfgangus de Goldeckh filius Ottonis, per quem multa alia mala sustinuit Ecclesia Salzburgensis, tamen ad ordinationem Domini Ludouici Ducis Bauariæ superioris, qui electus fuerat in Romanum Regem & reprobatus per Papam Ioannem XXII. suis demeritis exigentibus: Hæc traditio ordinata fuit, & proscripsit Dominum Fridericum de Leibniz Archiepiscopum Salzburgensem, & in illa proscriptione tandem fraudem de amissione prædictorum procurauit.

Anno Domini M.CCCXXVII. dictum castrum & oppidum in Titmaning post destructionem & desolationem magnam oppidi & Comitatus ad ipsum pertinentes, rehabitum fuit per modum emptionis, grauibus * sumptis laboribus & expensis.

*forte sumptibus.

Post Christum natum tria C, ter X, quoque mille,
Signis impreßis Iulio quoque tempore meßis,
Fruges & arbusta deuorat quoque fœna locusta.

Anno Domini M. CCCXXXVIII. electus est Dominus Henricus de Pirnprun in Archiepiscopum Salzburgensem, rexit annos V. Anno iam dicto locustæ senas alas habentes innumerabiles ab Oriente circa festum Afræ venientes in Bauaria reperiuntur, qui viam per quinque milliaria in die extendentes, omnia viridia in herbis & arboribus deuastarunt.

Anno M. CCCXLIII. electus est Ortolfus de Weisenegg rexit annos viginti & vnum, deinde anno quadragesimo octauo lugubris & miseranda pestis pene per orbem, quæ in Asia apud Indos incipiens, trium annorum spatio in omnes gentes desæuit vsque in Britannos, in Bohemia, in Bauaria & Austria multa habitacula euacuans: Dein anno M. CCCXLIX. apud Villacum terræmotu mons corruit, qui magnam hominum multitudinem deleuit. Sic per Pannoniam & Italiam nonnullæ ciuitates funditus corruerunt.

Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, studium Pragense erigitur, deinde Wiennense, deinde Haydelbergense: Eodem anno * funditæ sunt duæ magnæ campanæ in Salzburgensi Ecclesia.

*fusæ.

Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quinto Pilgrinus Archiepiscopus eligitur, qui Capellam cum sex Altaribus & totidem

tidem Capellanis fundauit, in qua & sepultus est, rexit annis triginta duobus, & est in numero quadragesimus quartus.

Anno M. CCCLXVII. Brigita deuotissima de regno Sueciæ peregrè profecta est.

Anno Domini M.CCCLXXXIII. Pilgrinus Archiepiscopus in Raidenhaslach sub statutis treugis captiuatur. Eodem anno Ecclesia Salzburgensis, totum Monasterium & ad ea pertinentia, campanæ, vitra, organum & omnia ornamenta in præfata Ecclesia combusta sunt, ita quod nihil remansit inibi: Et cum hoc media fere pars ciuitatis eiusdem versus partem Ghay cõbusta est in dominica passionis Domini.

Anno M.CCCLXXXVII. in depositione S. Virgilij Dux Fridericus Bauariæ duxit in captiuitatem Pilgrinum Archiepiscopum Salisburgensem cum suis militaribus sub saluo conductu in claustrum Raidenhaslach.

Anno Domini M. CCCLXXXVI. Sigismundus Vngariæ regnum suscepit.

Anno Domini M. CCCLXXXVII. claruerunt Henricus de Oytta, Henricus de Hassia, doctores in vniuersitate Wiennensi: Et Albertus Engelschalck doctor Pragensis, Bauarus, de Straubing oriundus.

Anno Domini M. CCCXC. Sigismundus Rex Hungariæ cum Francigenis Turcos inuasit, sed victus cessit. Vnde Teclæ cecidit Leodium.

Anno Domini X C I. festum visitationis Mariæ celebrari mandatur. Sancta Brigita quæ alias in peregrinatione Romæ obierat, à Bonifacio Papa transfertur.

Anno Domini M. CCCXCII. per Bonifacium dantur indulgentiæ Iubilæi in Monacum.

Straubing incendio periit, & S. Petri * imago, quam quidam ciuis veneratus semper fuerat, ignis protexit.

*imaginem.

Anno M. CCCXCVI. Gregorius Schenck de Osterwiz Archiepiscopus rexit annis septem.

Anno Domini M. CCCCI. magnus in cœlo apparuit cometa.

Anno M. CCCCIII. Eberhardus de Neuhausen Archiepiscopus rexit annis XXIV.

Anno M. CCCCVIII. regnante in Bohemia Wenceslao Rege, studium Pragense vniuersale * destructum est.

*forte extructum.

Hoc anno Henricus filius quondam Ducis Friderici de Lanshuct

huet ciues in prandio cepit, & post depecuniauit. Sed altero anno in die Parasceues seditione orta ciues castrum aggrediuntur, sed non proficientes, multi graui morte sunt occisi, multi in exilium missi.

Anno M.CCCCXIV. Concilium Constantiense celebrari cœpit, quod incredibili Principum & Prælatorum frequentia per tres annos durauit.

Anno M.CCCCXV. Ioannes Pontificatu se abdicauit, similiter & Gregorius. Benedictus pertinaciter restitit facta cessione. Ioannes XXIII. vigesimo primo Martij Sole ad occasum vergente, furtiue mutato habitu in Schafhausen, breuique tempore reductus à Papa, per sententiam deponitur.

Anno M.CCCCXVI. Fridericus Dux Austriæ proscribitur. Synodus illa Constantiensis videtur fuisse vndecima.

Anno Domini M.CCCCXVIII. Sigismundo Rege decimam recipiendi per Alemanniam à Clero indulgetur.

Anno Domini M. CCCCXXI. castrum Töring per Ducem Henricum Bauariæ destruitur.

Anno Domini M. CCCCXXVII. Eberhardus de Starcknberg Archiepiscopus rexit annos duos.

Anno Domini M.CCCCXXIX. Ioannes Reisperger Archiepiscopus rexit annos XII.

Anno Domini M. CCCCXXXI. Concilium Basileense inchoatur.

Anno Domini M.CCCCXXXII. Sigismundus Imperator à Papa Eugenio coronatus est.

Anno Domini M. CCCCXXXIII. eclypsis magna fuit feria quarta post Viti, circa horam vespertinam: Eodem anno Rex Sigismundus vnctus est in Cæsarem.

Bulla aurea Imperatorum Græcorum super reductione & vnione eorum ad Romanam Ecclesiam, anno M.CCCCXXXIII. est data.

Anno Domini M &c. XXXVIII. Concilium Basileense congregatur, leniter tamen, deinde priuato Eugenio, Amodeus Sabaudiæ Dux ad Pontificatum eligitur, quem Felicem quartum vocarunt.

Anno M. CCCCXLI. Fridericus Truckhsaz de Emerberg Archiepiscopus rexit annis decem.

Anno Domini M. CCCCXLIV. fuit ventus validus in die sancti Georgij.

Italia fuerat creatus in militem, sepultus in Monaco apud beatam virginem.

Eodem anno circa festum natalis Domini apparuit magnus cometa: Et omni nocte præcipue in crepusculo visus est cum cauda multum, durans vltra quinque septimanas.

Anno Domini M.CCCCLXXVII. in vere tantus fuit æstus, quod circa festum Gertrudis omnes arbores florerent.

Eodem anno Dominus Fridericus Imperator intrauit ciuitatem Salzburgensem in vigilia Paschæ, processione sibi obuiante: Et in die sancto Paschæ plures Principes ad eum confluxerunt, videlicet Georgius, Sigismundus, Christophorus Duces Bauariæ: Feria secunda Paschæ omnes & singuli recesserunt tendentes ad Bauariam.

Anno M.CCCCLXXIV. Dominus Ioannes dictus Tuelbeckh Episcopus Frisingensis, præ nimia eius senectute resignauit Episcopatum Domino Sixto Tannberger Canonico Frisingensi, qui erat etiam Præpositus Isinensis, & Plebanus in Lauffen: Qui in die sancto Paschæ benedictionem Episcopalem à reuerendissimo Domino Domino Bernardo Archiepiscopo Salzburgensi recepit, assistentibus sibi Episcopis, Domino Bernhardo Chyemensi & Domino Ioanne Soloniensi.

Anno Domini M.CCCCLXXV. Dux Burgundiæ insidias posuit Archiepiscopatui Coloniensi colligendo exercitum, & obsedit quandam ciuitatem nomine Nisena: Dominus Fridericus contra dictum Ducem Burgundiæ iter arripuit, & dictam ciuitatem defendit ac victoriam obtinuit.

Eodem anno in ciuitate Tridentina perfidi Iudæi in die Cœnæ Domini cœperunt quendam puerum citra annos tres suæ ætatis, quem pungendo & iugulando in derisionem nostræ fidei occiderunt: Corpusculum pueri in Ecclesia sancti Petri eiusdem ciuitatis est reconditum, circa illum Dominus DEVS multa miracula fecit, tandem Iudæi damnati, igne consumpti sunt.

Eodem anno in die sancti Abdon & Sennen Dominus Hadmarus de Laber Decanus Ecclesiæ Salzburgensis obiit: Dominus Christophorus de Belsperg in die inuentionis sancti Stephani, in Decanum eligitur.

EPISCOPI CHYEMENSES.

ANno Domini millesimo ducentesimo decimo nono, Eberhardus primus Brixinensis Episcopus, postea eiusdem nominis secundus Salzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, decimo octauo sui Pontificatus anno sub Innocentio Papa quarto consentiente sibi Capitulo suo, tertio Calendas Ianuarij Episcopatum in Insula Chiemensi instituit: Quem postmodum Alexander Papa Neapoli confirmat primo Pontificatus sui anno, nono Calendas Ianuarij, dictus Eberhardus, Archiepiscopus præfati Episcopatus electionem sibi & successoribus suis reseruauit.

Rugerus de Radögg primus Episcopus Chyemensis, postea Episcopus Patauiensis est effectus.

Albertus Præpositus Salzburgensis.

Henricus de Ordine Prædicatorum.

Henricus de Ordine fratrum Minorum.

Ioannes postea Episcopus Gurcensis effectus: cui successit

Chunradus Hindtperger Canonicus Patauiensis, millesimo ducentesimo septuagesimo nono.

Fridericus Fronauer quondam Præpositus Chyemensis.

Albertus Vanstarffer olim Canonicus Salzburgensis.

Chunradus de Liechtenstain olim Præpositus Soliensis Ecclesiæ.

Gerhohus de Waldögg quondam Decanus Salzburgensis ab Apostolico confirmatus, propter reseruationes tunc factas.

Hugo de Scherpfenberg olim Canonicus Salzburgensis.

Ludouicus Rakelhoffer, aliâs Visler vocatus, olim Canonicus & Plebanus Ecclesiæ Salzburgensis.

Fridericus olim Notarius antedicti Chunradi de Liechtenstain, post hæc Plebanus in Cell, & Officialis Domini Ortolffi Archiepiscopi Salzburgensis, deinde Episcopus Chyemensis effectus.

Georgius de Neidperg, olim Canonicus Salzburgensis.

Eck-

Eckhardus de Perenögg, olim Canonicus Salzburgensis.
Egelmarus Kräel, quondam Decanus Ecclesiæ Salzburgensis.
Fridericus Teiß quondam auditor causarum Romanæ Curiæ.
Ioannes Ebser, olim Canonicus Salzburgensis.

Syluester Flieger: cuius epitaphium sic sonat: Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, die decima mensis Decembris, obiit reuerendus in Christo Pater Dominus Syluester Episcopus Chyemensis, decretorum Doctor, Imperialis Curiæ Consiliarius, & quondam Curiæ Salzburgensis, ac ex post per Ducatus Austriæ, Styriæ, &c. Cancellarius: Is ingenio & prudentia suis non parum sacro vtilis fuit imperio, nec minus paci sanctæ Ecclesiæ Romanæ. Hic in sui Episcopatus, necnon & huius Ecclesiæ tam in spiritualibus quam temporalibus fidelis fuit reformator, in die Maximiliani hic sepultus.

Vlricus Planckhenfelser, olim Canonicus Salzburgensis.
Bernhardus de Krayburg Cancellarius Ecclesiæ Salzburgensis.

DEO GRATIAS.

DESCRIPTIO TERRÆ SANCTÆ,

AVCTORE

ANSHELMO, ORDINIS MINORVM DE OBSERVANTIA.

Nunc primùm

EX MANVSCRIPTO CODICE EDITA.

LECTO-

LECTORI.

EDIDIMVS *iam in hoc & in aliis tomis nonnulla, quæ ad terram sanctam penitius cognoscendam faciunt. Inter illa venit quoque ad manus nostras hæc Anselmi lucubratio, quam tecum communicare voluimus, etsi, vt apparet, sine mutilam. Quod de spasmo D. Virginis non procul à calce scribit, id ex vulgi persuasione hausisse videtur, quam Caietanus proprio libello refutauit: quem consule. Exstat inter opuscula eius extremo tomo secundo. Eandem refellit Franciscus Soarez tomo 2. in 3. partem Diui Thomæ disput. 41. sect. 2.*

TERRÆ

TERRÆ SANCTÆ DESCRIPTIO SECVNDVM FRATREM ANSHELMVM ORDINIS MINORVM DE Obſeruantia.

VT quiſque facilius cognoſcere valeat ſitum inſigniorum locorum quæ in circuitu ſunt ſanctæ ciuitatis Ieruſalem, quadrifariam ea ſic diſtinguemus, vt quædam ſint Auſtralia, quædam Occidentalia, quædam Aquilonaria, & quædam Orientalia.

Et primo de Auſtralibus, inter quæ ſacra Bethleem principatum teneat, diſtans ab Ieruſalem fere dimidia ſecunda leuca, hoc eſt, magno noſtro miliari, quod includit quinque Italica miliaria, leuca enim continet tria miliaria Italica & non plura, & ſic in ſequentibus ea vtemur.

Exeundo igitur de Ieruſalem verſus meridiem ad Bethleem, ad ſiniſtram partem iuxta Ieruſalem eſt mons Sion, vbi Salomon fuit coronatus & inunctus, & in vertice illius montis eſt domus mali conſilij, vbi primum conſilium tractatum eſt de nece Domini.

Item in eadem via verſus Bethleem, quaſi in medio viæ inter Ieruſalem & Bethleem eſt locus vbi ſtella reapparuit Magis quando receſſerunt de Ieruſalem verſus Bethleem ad quærendum puerum IESVM natum, & ibi eſt ſeptennis indulgentia, & eſt ibi ciſterna in eodem loco.

Abhinc procedendo verſus Bethleem per paruum ſpatium eſt locus, vbi eſt Monaſterium vbi Helias manſit & fecit pœnitentiam.

Dehinc vltra eſt ager, vbi ciues conuerſi ſunt in lapides. Vltra

versus Bethleem est sepulchrum vbi sepulta fuit Rachel, distans à Bethleem vno quartali miliaris, iuxta viam Ierosolymitam.

Inde venitur ad ciuitatem inclytam quondam Bethleem quæ est in tribu Iuda, vbi fuit caput ipsius Dauid Regis Iudæorum, & modo est ad instar oppiduli parui aliquot domos habens in cumulo. In hac Bethleem est Ecclesia pulcherrima &* muro modo disposita ex quadratis lapidibus obtectis tabulis in parietibus de marmore, quæ Ecclesia habet tectum cedrinum in lignis & tegulis imputrefactibile desuper obtectum laminis plumbeis per totum ad crucem, habens duas Capellas ex opposito chori, vnam à dextris aliam à sinistris. Huius Ecclesiæ nauis est satis oblonga & ampla, habens quadraginta columnas marmoreas rotundas & pulcherrimas quadruplici ordine situatas, & longitudo nauis Ecclesiæ eiusdem est quadraginta passuum, id est, secundum consuetum modum gradiendi, quos passus vocant pedes. De latitudine habet viginti passus pedum modo prædicto in parte meridionali dictæ nauis Ecclesiæ habet tredecim fenestras, in Aquilonari vndecim, & hæ fenestræ in altum habent, vt puto quinque cubitos vel circa, in latum duos vel circa, glebatæ cemento & obfuscatæ ne appareat eius pulchritudo vel aurum quod adhuc in parietibus alicubi apparet non abrasum per Sarracenos. Pauimentum autem huius Ecclesiæ est de lapidibus marmoreis quadratis planissimum & leuissimum cum lubricitate. Chorus autem eiusdem Ecclesiæ est versus Orientem vsque ad parietem Orientalem, & habet de longitudine triginta passus seu pedes, in latitudine tredecim, iuxta chorum ad partem sinistram versus Orientem est Altare innixum parieti Orientali in loco illo vbi Magi cum muneribus præparauerunt se ad offerendum munera, & ibi est indulgentia septem annorum, & iuxta istum locum est fons vbi stella dicitur cecidisse peracto officio Magorum. Ad partem autem dexteram chori respectu Orientis est Altare innixum parieti Orientali, vbi Dominus Iesus paruulus est circumcisus, & ibi est plenaria indulgentia à pœna & à culpa: Chorum autem prædictum tenent Græci.

* mire.

Sub choro directe ad sedecim gradus descendendo sicut ad cellarium, est rupes hodie deplanata & auro florizata, in testudine quadrangularis, sicut Capella, habens in longitudine viginti passus pedum seu pedes, in latitudine circa sex cubitos. In parte autem Orientali parietis seu rupis illius est cauatura, vbi Dominus Iesvs

puerulus est natus de sanctissima virgine, & in eodem loco illius cauaturæ est Altare sub quo est fouea paruula non profunda facta pro charactere, vbi beatissima virgo Maria, primum reperit filium suum recenter vagientem, & ibi est plena indulgentia, & ibi est deuotio maxima omnium Christianorum, quoniam omnes quotiens intrant ibi se prosternunt.

Ad partem dexteram prædicti Altaris seu loci natiuitatis Christi respectum habendo versus Orientem, descendendo infra tribus gradibus, non tamen directe versus Meridiem, sed inter Meridiem & Occidentem, est cauatura seu præsepe cauatum in quo bos & asinus duntaxat poterant locari, & vas lapideum seu linter in quo Dominus IESVS à sua benedicta matre absconditus est, & iste lectulus quadrangularis in lapide albissimo sub testudine, de quo vase animalia pastum sumebant, & ibi est plenaria indulgentia, & ibidem etiam est Altare: Et hanc Capellam soli fratres nostri tenent, nec intromittunt in die natiuitatis alias nationes in Capellam nisi peractis diuinis. Nam tunc Guardianus noster singulis diebus natalis Domini in quolibet anno illo die conducit aliquos Turcos vel Sarracenos ad custodiam ostij, qui non permittunt alios Christianos schismaticos intrare, sed percutiunt &c.

Iuxta dictam Ecclesiam est claustrum fratrum, in quo est sepulchrum gloriosi Hieronymi, vbi composuit bibliothecam in terra quasi in cellario, vbi tantum est vna fenestra desuper, ibi enim fuit reconditum corpus eius, sed postea est translatum Romam, vbi etiam beati Eusebij corpus requiescit. Quidam Soldanus videns illius sacræ Ecclesiæ mirificum de tabulis marmoreis quadratis ornatum, sicut & in pauimento, cogitauit de tabulis illis sectis ornare palatium suum in Chayro, & venientibus & artificibus & Soldano ad destruendam Ecclesiam quam Helena sancta composuerat, volentibusque primum lapidem seu tabulam deponere, subito serpens magnus apparuit, reptans super lapides, diuidens eos per medium, & torrens illos artifices, cuius vestigia dicuntur apparere in tabulis, quod cernens Soldanus territus cum artificibus abscessit.

Vltra Bethleem versus Orientem aliqualiter ad Aquilonem declinando per descensum in valle est locus, vbi beata virgo Maria dicitur pernoctasse fugiendo in Ægyptum cum puero propter Herodis sæuitiam, distans ab Ecclesia prædicta quinque vel sex stadiis, & ibi eos reduxit ad viam rectam Angelus.

Ab hoc loco versus Orientem & à Bethleem ad vnum medium miliare nostrum vel vnum quartale miliaris est locus qui vocatur Turris Gregis, vbi Angelus nunciat pastoribus natiuitatem Christi, qui vigilabant super gregem. In quo loco beata Paula fecit sibi magnum ædificium seu claustrum virginum cuius adhuc vestigia apparent.

De Bethleem ad tres leucas quasi ad duo miliaria nostra vel minus, est mons altus cui adiacet villa Rama excelsa de qua videtur quasi tota Arabia vsque ad montem Segr, & omnia loca circa mare mortuum. Videtur etiam Ebron, videtur etiam totum littus maris magni à Ioppen vsque Gaza.

De Bethleem ad sex leucas sunt montes Engaddi contra Orientem & loca tutissima, latibula Dauid.

De Bethleem ad quinque miliaria nostra versus meridiem est Ebron vrbs antiquissima Philistinorum, & est adhuc hodie tam magna sicut Schadez, ibi in eodem loco sepulti sunt Adam cum Eua. Abraam cum Sara, Isaac cum Rebecca, Iacob cum Lya. Hi quatuor Patriarchæ cum prædictis vxoribus suis tumulati sunt in spelunca duplici, vbi est hodie pulchrum fortalitium, ibi fuit quondam Ecclesia, & fuit sedes cathedralis à Christianis quondam ædificata, hodie à Sarracenis possidetur, sicut & tota ciuitas.

Non longe ab hac Ecclesia quasi ad quatuor stadia, id est, fere quasi ad rupellam, vbi S. Stanislaus est occisus ab Ecclesia sancti Bernardini, est Ager Damascenus, vbi fuit primus homo formatus de limo terræ, de quo dicitur: *Formauit Deus hominem de limo terræ.* Inueni scriptum in partibus Orientis, quod hæc terra ab incolis comeditur, & per Ægyptum venalis portatur, & quanto profundius vel latius foditur, tanto Dei dispositione anno finito reintegrata reperitur, sed mihi hoc non est probabile, & iste ager est in valle, & in illo loco fui cum XX. fratribus associatus per Sarracenos.

Genes. 2.

Vltra agrum Damascenum in alio monte quasi ad iactum vnum sagittæ, est spelunca in quadam rupe in qua Adam & Eua fecerunt pœnitentiam, & luxerunt Abel occisum centum annis, & ibi est modo aqua, & vocatur modo lacus lachrymarum.

Iuxta Ebron versus meridiem est mons Mambre, forte ad quinque vel sex stadia, & ibi apparēt adhuc muri domus vetustissimæ ipsius Abraham vbi mansit, & iuxta illam domum est arbor frondosissima & viridis, satis alta & multum spissa, & vocatur ilex, & est genus quercus, ibi Sarraceni faciunt suas deuotiones, & in magna reuerentia habent

illam

illam arborem quæ tamdiu apparet viridis à tempore Abrahæ vsque nunc, & ligant panniculos in ramis facientes suos characteres, & tenent, quod si quis abscinderet aliquid de prædicta arbore, infra annum moreretur. Sub hac arbore dicitur Abraham stetisse, vt in Genesi dicitur, quando tres vidit & vnum adorauit, id est, vidit sanctam Trinitatem in specie Angelorum. Locus autem ille in quo steterunt Angeli, est in monte stipatus arboribus proceris pulcherrimis, & distat ab ilice quasi ad vnum stadium, & hanc arborem vidi & tetigi. *Genes. 18.*

Ab Ebron medium miliare est desertum, vbi Ioannes Baptista mansit, postquam egressus est de primo deserto quod est prope Ierusalem distans ad secundum medium miliare, & à domo paterna medio tantum distat miliari.

Septimo miliario Italico ab Ebron est sepultus Loth nepos Abrahæ.

In alia parte ciuitatis Ebron est mons grossus & altus, in cuius summitate Cain occidit Abel fratrem suum, distans ab Ebron ad sex stadia, & ab hoc loco occisionis Abel ad vnum stadium est locus vbi DEVS omnipotens adducens Abraham, ostendit ei mirabilia sua, & quando ignis descendit de cœlo, & comburebat Sodomam & ruebat, & de illo loco videtur mare mortuum & etiam mare magnum.

LOCA OCCIDENTALIA RESPEctu Ierusalem.

DE Hierusalem versus Occidentem ad medium miliare est claustrum forte Iacobitarum, & ibi demonstratur locus, de quo excisum est lignum sanctæ Crucis, & distat ille locus à Ierusalem vno medio miliari nostro, & iuxta illum locum est via ad domum Zachariæ.

A Ierusalem ad vnum magnum miliare Polonicum vel Ruthenicum est Ecclesia murata, satis alta, vbi natus est sanctus Ioannes Baptista, & ibi modo Sarraceni fecerunt stabulum ouium & caprarum. Est tamen ibi indulgentia plenaria. Vltra illam Ecclesiam ad duo stadia est domus Zachariæ, & ibi visitauit beata virgo Maria Elisabeth in inferiori loco domus, quia in superiori loco fuit palatium Zachariæ, ibique in eodem loco inferiori Elisabeth abscondit IESVM puerum in rupe à facie Herodis percutientis pueros. Est etiam ibi fons vbi Philippus baptizauit Eunuchum.

A domo Zachariæ adhuc versus Occidentem est desertum di-

ſtans medio miliari noſtro à domo Zachariæ, vbi beatus Ioannes Baptiſta ſexto anno ætatis ſuæ vel circa, de domo paterna ſe tranſtulit, ibique manens locuſtas & mel ſilueſtre manducauit, & ibi eſt Capella vbi manſit, atque eſt ibi riuulus aquæ & rubetum.

In medio viæ à domo Zachariæ adhuc eſt lapis groſſus ad modum ſedis cauatus, in quo Zacharias dicitur ſæpius quieuiſſe, quando ſolebat viſitare Ioannem filium ſuum, & iſtud deſertum Ioannis fuit primum, diſtans ab Hieruſalem duabus leucis, id eſt, medium ſecundum miliare de noſtris, vbi eſt aſcenſus de Ieruſalem per montana Iudææ, per hanc viam vaditur in Ægyptum.

Iterum de Ieruſalem verſus Occidentem aliqualiter tantum declinando ad Aquilonem vadendo ad Ioppen ſeu Iaphum, vbi eſt portus peregrinorum in littore maris: Primo occurrit Arimathia oppidum Ioſeph Decurionis qui ſepeliuit Dominum, diſtans à Ieruſalem per vnam leucam medio miliari noſtro, & eſt in monte alto, & videtur de Ieruſalem, & ibi eſt Capella in qua eſt ſepulchrum, & oſſa ſancti Samuelis Prophetæ, & ibi Iudæi cuſtodiunt hanc Capellam. Circa hanc Capellam non eſt aliud niſi vna domus, vbi Sarracenus habitat, & hæc Arimathia vocatur etiam Ramatha, nec multum iſta via diſtat ab illa, quæ eſt verſus domum Zachariæ de Ieruſalem, niſi quod domus Zachariæ declinat verſus Occidentem, ſed Arimathia de Ieruſalem declinat aliqualiter ad Aquilonem.

Adhuc de Ieruſalem vadendo ad Ioppen verſus Occidentem aliqualiter ad Aquilonem, eſt Emaus caſtellum diſtans ſexaginta ſtadiis à Ieruſalem, id eſt, duabus leucis, hoc eſt, medium ſecundum miliare noſtrum, vbi Dominus ſecutus diſcipulos ſuos in die reſurrectionis comedit cum eis, & ibi hodie nihil aliud eſt, niſi domus murata quadrangularis carens operimento. Circa iſtum locum peregrini tranſeuntes Hieruſalem ſolent pauſare, & neſciunt quicquam de iſto loco, quia Sarraceni earum ciuitatum eis non indicant.

Per hanc viam de Ieruſalem ad Ioppen quæ vocatur Iaphum vel Zaphum ſunt forte ſedecim leucæ, id eſt, decem miliaria noſtra & non plus. Ibi eſt portus peregrinorum Catholicorum, vbi hodie nihil aliud eſt niſi duæ turres in littore maris, quas Sarraceni inhabitant cuſtodientes littus. Ad hunc portum venientes Chriſtiani de naui egredi non audent, niſi primum miſerint ad fratres noſtros in Ieruſalem vt impetrent conductum ſaluum apud Dominum Ieroſolymitanum. Et habentes conductum, in egreſſu nauis ad terram ſan-

ctam a qualibet persona Sarraceni pro Telonco accipiunt quinque ducatos auri pro Soldano.

A Ioppen iterum versus Ierusalem ad vnum milliare maximum nostrum, est mons Modyn.

Quarto miliario à Modyn est Lydda ciuitas quæ Diospolis dicitur, in qua corpus beati Georgij testantur fuisse, & nunc sanctus Georgius à vulgo dicitur. In Lydda Petrus sanauit claudum quendam nomine Æneam, & ibi etiam Petrus baptizauit Cornelium. Ibi etiam est munitio Assur aliquot leucis à Ioppen iuxta mare, vbi Petrus resuscitauit Thabitam. Et nota quod ista prædicta loca à Ioppen sunt ad dexteram partem rectæ viæ ducentis ad Ierusalem.

Et de Ioppen vadendo iuxta mare in circuitu terræ sanctæ ad quatuor leucas in tribus miliaribus nostris distat * Ieth non longe à mari sita, quæ fuit vna de ciuitatibus Philistinorum, vbi iam incipit terra Philistinorum, & vocatur Palæstina. Hæc * Ieth ciuitas vocatur nunc Ibysin, & hodie est paruum casale in villa.

* Geth.

* Geth.

De * Ieth ad duas leucas est Bethsames contra Austrum, deinde iuxta mare est * Acharon vna de ciuitatibus Philistinorum non longe ab Azoto, vbi nunc est Ecclesia, in qua Angelus Domini inueniens Habacuc portantem prandium messorum, tulit capillo capitis in Babyloniam, vbi nunc est Cayrus, supra lacum leonum vbi erat Daniel, nunc vero est paruum casale.

* Geth.

* Accaron.

De * Acharon duobus miliaribus nostris iuxta mare est Azotus: Deinde aliis duobus miliaribus nostris distat Ascalona ciuitas, de qua fuit Herodes dictus Ascalonita, cuius tempore CHRISTVS dicitur natus.

* Accaron.

De Ascalona duobus miliaribus nostris contra Austrum est ciuitas Gazare, vna de quinque ciuitatibus Philistinorum, vbi Samson seipsum interfecit in palatio, cuius adhuc parietes manent. Et hæc ciuitas adhuc permanet, & per eam itur de Ierusalem versus Ægyptum, & prius vocabatur Gaza, hodie Gazare dicitur, & distat, puto, à Ierusalem per duas dietas.

Item de hac Gazare dieta vna cum dimidia, versus Ægyptum est Damiata, ciuitas Ægypti, vbi Hieremias Propheta fuit lapidatus. Damiata antiqua est destructa, sed loco eius alia est ædificata, distans à mari per duas leucas, & est in ripa Nili fluuij, vbi nunc est portus mercatorum.

Loca Aqvilonaria Respectu Hierusalem.

PRo quo nota quod Syria sub qua includitur terra sancta, est regnum latissimum, tota enim terra quæ est à Tygri fluuio vsque ad Ægyptum, & à mari magno vsque Arabiam, generaliter Syria nuncupatur, cuius Syriæ prouinciæ sunt istæ. Iudæa quæ erat caput II. tribuum, & Samaria quæ erat caput X. tribuum, III. prouincia Phœnicis, IV. Celesyria, V. Traconitidis, VI. Iturea, VII. Galilæa, VIII. Mesopotamia, IX. Idumea, X. Syria Damasci.

Prouincia Phœnicis quæ est ad Aquilonem respectu Ierusalem, & est vltra Galilęam ad Aquilonem respectu Ierusalem, in qua prouincia Phœnicis est Acon distans à Ierusalem per XXXVI. leucas, id est per viginti octo miliaria nostra, hæc ciuitas Acon antiquitus dicebatur * Tholomagda, valde munita, cuius duæ partes à mari ambiuntur, tertia campum respicit qui eam fœcundat. Hæc ciuitas Acon nunquam fuit de terra sancta, nec à filiis Israël possessa, licet in tribu Aser in descriptione terræ sanctæ fuerit assignata, & habet ab Austro montem Carmelum, non illum qui est in tribu Iuda, vbi ille Nabal habuit pastores & domum pro eis & ibi totondit oues, & semel contingit quod Dauid misit ad eum, &c. Ille stultus Nabal reprehendit, sed Abigail vxor eius, &c. 1. Reg. 25. Sed iste mons Carmelus est in tribu Isachar, in quo morabatur Helias, in hoc monte fuit villa nomine Saphra, vbi vt aiunt aliqui Iacobus & Ioannes filij Zebedæi gemini nati sunt.

* *Ptolemaida.*

In pede huius montis vltra torrentem Cyson ad quatuor leucas est ciuitas Cayphas siue Porphyria, vbi Helias Sacerdotes Baal interfecit.

Hæc vero regio Phœnicia siue Syria Phœnicis adhuc extenditur contra Austrum, id est versus Ierusalem, ad tres leucas.

Deinde ad tres leucas transeundo montem Saron fuit castrum Scandalion quod Alexander magnus obsidens Tyrum, dicitur construxisse quod post passionem Christi Balduinus Rex Hierusalem dicitur reparasse.

De Acon procedendo contra Aquilonem forte ad septem leucas, est Tyrus ciuitas magna in pede montis sitæ vndique circumdata, & muris fortissimis munita. In hac ciuitate multæ fuerunt reliquiæ sanctorum, vbi etiam Origenes sepultus fuit, vbi innumera multitudo Martyrum occubuit. Ante portam ciuitatis Australem ad iactum

duarum balistarum, ostenditur locus prædicationis Christi, & lapis vbi prædicauit, vbi fuit fundata Ecclesia, ibi etiam est locus vbi mulier extulit vocem suam dicens: *Beatus venter qui te portauit.* Item Tyrus Christum ambulantem in maritima Syriæ, voluit vt fertur recipere. Et hæc Tyrus forte distat ab Ierusalem X L. leucis, forte XXX. miliaribus nostris. *Luc. 11*

A Tyro versus Orientem forte ad XII. leucas vel circa, est Belena ciuitas in pede montis Libani, quæ est contra Damascum, quæ prius Lesen vocabatur. Cum enim esset procul à Sydone ad X. leucas, quia adiutorium non habuit, ceperunt eam filij Dan, & appellauerunt Dan, vt dicitur primo Regum: *Congregatus est populus à Dan, vsque Bersabee*, qui nunc Gybilunis dicitur. Et nota quod à Dan incipit terra sancta, & protenditur in longum vsque ad Bersabee per 120. leucas Lombardicas. Nam à Ierusalem vsque Bersabee sunt viginti quinque leucæ, vbi est terminus Iudeæ contra Austrum, & hæc Bersabee est contra desertum magnum, quod extenditur vsque ad flumen Ægypti, in quo filij Israël multo tempore manserunt de loco ad locum transeuntes. Dicta autem ciuitas Dan vel Lesen vel Belena nunc vocatur Cæsarea Philippi, quia eam Philippus Tetrarcha appellauit Cæsaream in honorem Tyberij Cæsaris, quæ dicitur etiam Paneas, ibique in decimo montis Libani duo fontes oriuntur, scilicet Ior & Dan, qui post modicum confluentes Iordanem efficiunt, qui inter Pellam & Tyberias intrat mare. Istud flumen Iordanis quandam vallem ingrediens, in stagnum colligitur, quod ad aquas Maran vocatur, qui post longos circuitus quos facit Traconitidem & Ituream separans, tandem inter Caphatnaum & Corozaym mare Galileæ ingreditur, ad quatuor leucas à Cedar ciuitate, quæ est supra montem posita, & de mari egreditur, & post longum spatium Iordanis vallem ingreditur, & in stagnum colligitnr, quod vocatur mare mortuum, de quo infra. *1 Reg. 3 & seq.*

Redeo ad Tyrum, nam de Tyro ad tres leucas contra Aquilonem est fluuius Eleutherius fluens de Iturea siue Galilæa gentium, qui intrat mare magnum: Vsque ad hunc fluuium Ionathas persecutus est Demetrium.

Ab isto fluuio est Sarepta Sydoniorum ad tres leucas in littore maris. Et hæc ciuitas Sarepta apparet quondam gloriosa fuisse, hodie est modica: Ante eius portam ostenditur vbi Helias venit ad viduam Sareptanam, & ibi filium eius suscitauit, & ibi erat cœnaculum, ibi lecythus olei, & farina non sunt imminuta.

De Sarepta ad duas leucas est Sydon quondam ciuitas magna Phœnicis, cuius ruinæ adhuc magnitudinem eius testantur, & adhuc est fortis, in corde maris sita, habens hinc inde duo castra munita.

Ante portam Sydoniorum ostenditur vna Capella in loco vbi Dominus locutus est ad mulierem Cananeæ, & sanauit filiam eius, in via quæ ducit ad Cæsaream Philippi, & Ituream.

Ab ista ciuitate Sydoniorum contra Orientem, mons Antilibanus est, & distat per vnam leucam & dimidiam, & ibi habetur vinum delicatissimum.

Vltra Sydonem ad nouem leucas est ciuitas valde nobilis, scilicet Beryth, vbi dicitur Christus prædicasse, ibi fuit imago Saluatoris à Iudæis percussa sanguinem fluens, ibi circa Beryth sanctus Georgius circa mare fertur occidisse Draconem, alij dicunt quod in Georgia.

** forte Giblium, 3. Reg. 5.*

Post Berythum ad nouem leucas est ciuitas *Biblium, de qua dicitur in libro Regum.

De Biblio ad nouem miliaria est ciuitas Tripolis nobilis & munitissima abundans multis bonis, ibi habitant in ea Græci, Latini, Armeni, Maronitæ, vbi multa faciunt. Campus ante ciuitatem continet vnam leucam in longitudine, & in latitudine dimidiam.

Cant. 4.

Iuxta Tripolim ciuitatem est fons hortorum, fluens impetu de Libano, sicut dicitur in Canticis.

Ad radicem montis Libani oriuntur Farfar & Abana fluuij Damasci. In finibus illis Eustachius vxore priuatus, filiis desolatus, recessit. Abana se mari magno copulat, Farfar per Syriam tendens in Antiochiam labensque secus muros eius, quatuor miliaria ab Antiochia in portu sancti Simeonis mediterraneo descendit.

De Tripoli ad duas leucas est mons Leopardorum rotundus, & altus, distans à Libano ad vnam leucam. In pede Aquilonari est spelunca in qua est monumentum habens viginti sex pedes longitudinis, & illud dicunt Sarraceni esse sepulchrum Iosue, sed creditur quod sepulchrum Iosue est circa Sychem in latere montis.

De spelunca ista ad tres leucas contra Aquilonem ostenditur castrum Arathas. Ibi etiam prope est Laodicia ciuitas magna.

** Anteradum, siue Antaradum.*

De Arathas vsque in * Antheradum sunt octo leucæ, vbi beatus Petrus prædicauit, dum iret Antiochiam. Hæ omnes ciuitates sunt versus Aquilonem respectu Acon.

De Acon autem versus Orientem ad quinque leucas occurrit casale quoddam quod S. Georgius dicitur, quia ibi fuit natus, & est situm

tum inter montana in valle. In Beryth autem occidit draconem. In Rama autem quæ distat à Ierusalem per XX. miliaria, fertur fuisse combustus, in Lydda autem siue Dispoli corpus beati Georgij Martyris fuisse dicitur.

Ab illo casali quod sanctus Georgius dicitur, ad duas leucas versus Orientem est Dothaym, sub monte Bethuliæ, vbi Ioseph inuenit fratres suos, & est locus pinguis in pascuis & aquis, & est ibi cisterna, vbi Ioseph fuit missus.

Vltra Beryth credo ad XX. & aliquot leucas est illa sacra Antiochia, in prouincia Celesyriæ vbi Petrus cathedram suscepit: quæ est post Anteradum, quæ adhuc est in prouincia Phœnicis. De Antiochia fuit Galenus medicus, & nepos eius, quem ipse Galenus docuit medicinam, & beatus Lucas Euangelista medicus, hæc prius vocabatur Reblata, sed ipsam Antiochus ampliauit, & tunc vocata fuit Antiochia.

In ipso principatu Celesyriæ versus Occidétem est ciuitas Tharsis in qua fuit natus beatus Paulus Apostolus.

De Acon versus Austrum seu Ierusalem in prouincia Galilææ iam est ciuitas Neptalim, ciuitas Thobiæ.

De Neptalim ad duas leucas est Betzaida ciuitas Andreæ & Petri & Philippi, & est supra mare Galilææ contra Orientem, iuxta quam fluit Iordanis fluuius paruus, & intrat mare Galilææ.

Inde à Betzaida ad duas leucas contra Meridiem est Magdalum, castrũ super mare Galilææ, de quo Maria Magdalena traxit vocabulũ.

De Betzaida contra Orientem ad vnam leucam est locus, vbi stetit Dominus Iesus in littore maris post resurrectionem quando dixit discipulis septem: *Pueri habetis pulmentarium?* Cuius adhuc vestigia in lapide ostenduntur. *Ioan. 21.*

Circa hoc mare Galilææ Christus sæpius ambulasse legitur: Ibi enim vocauit ad suum Apostolatum Petrum, Andream, Iacobum & Ioannem, ibi super vndas siccis pedibus ambulauit, ibi Petrus ad eum voluit etiam pedibus ire, sed incipiebat mergi, & eum Dominus erexit, ibi rete Apostolorum ruptum præ magnis piscibus, ibi prope hoc mare est ciuitas Tyberias, à qua etiam vocatur mare Tyberiadis, in qua habetur mensa illius cœnæ, quam fecerant Christo duo discipuli in Emaus in die resurrectionis, ibi de prope monstratur mons dictus Mensa, mons pinguis, in cuius pede Dominus satiauit quinq; millia hominum de quinque panibus.

De hoc monte Menta ad vnam leucam & dimidiam contra Orientem est Capharnaum, quondam gloriosa ciuitas Christi, & ibi iuxta Capharnaum habetur castrum fortius totius terræ promissionis, in quo ferunt natam esse beatam Annam matrem beatæ virginis Mariæ. Deinde est Corozaym, cui Dominus imprecatus est.

De Corozaym ad quatuor leucas contra Orientem est Cedar ciuitas munitissima. Ibi est Cana Galilææ, vbi Dominus conuertit aquam in vinum in nuptiis. Ibi est locus nuptiarum, cauerna in saxo cauata, quæ capit paucos homines.

Deinde à Cana Galilææ contra Meridiem versus Tyberiadem supra Betsaym est mons Bethuliæ, vbi Iudith occidit Holofernem.

De Bethulia ad septem leucas est Tyberias ciuitas supra mare Galilææ, olim dicta Genezareth.

De Cana Galilææ contra Austrum ad duas leucas est ciuitas Zophot, de qua fuit oriundus S. Ioachim pater beatæ Virginis, & sancta Anna, & est tribus Aser, iuxta vallem * Camaleon.

* Carmeleon siue Carmelon.

De Zophot ad duas leucas contra Austrum, sed aliquantulum declinando ad Orientem, est illa gloriosa ciuitas Nazareth, vbi flos florum de radice Iesse pullulauit. In Nazareth labitur egregius fons, ex quo in pueritia IESVS solebat haurire, & matri suæ deferre. Et hæc ciuitas distat ab Ierusalem per tres dietas vel circa, quasi quindecim miliaria nostra. Erat quondam ciuitas, nunc est oppidulum paruum, sicut & Bethleem paucas domos habens. Ibi est locus vbi Angelus Gabriel nunciauit B. Virgini incarnationem Filij Dei, sed illa Capella vt fertur, de illo loco est translata ad Loretum per Angelos, & distat Nazareth septem leucis ab Achon.

Extra Nazareth versus Austrum ad dimidium leucæ est locus in rupe in monte qui vocatur saltus Domini, vbi Iudæi volebant Christum præcipitare, & exiuit de manibus eorum, & in rupem aliam prosiliit, in qua monstrantur vestigia pedum eius. De isto monte præcipitationis Christi videtur mons Thabor, Hermon & Hermonij, villa illa Endor, vbi Saul ad Pythonissam venit, & Naym, & Iesrahel, & fere tota magnitudo campi Esdrelon.

De Nazareth ad medium secundum miliare Ruthenicum contra Orientem est sacer mons Thabor, vbi Christus est transfiguratus. In pede montis huius ostenditur locus vbi Melchisedech, qui alio nomine dicitur * Seth filius Adæ, occurrit Abrahæ à cæde Regum reuertenti, quando recuperauit Loth nepotem suum, & iste est mons altus, in quo

* Sem filius Noe.

in quo sunt ruinæ palatiorum & ædificiorum, in quibus latitant leones & aliæ bestiæ, & sunt ibi regales venationes. In descensu huius montis à parte Orientis est torrens Cyson.

Vltra torrentem contra Austrum sed aliquantulum contra Orientem, est mons Hermon modicus, in cuius latere super torrentem Cyson est villa Endor prædicta. Post ad tres leucas est mons Cayn, vbi Lamech occidit Cayn. Postea mons Maceda, mons Gelboe, & mons Hermon, ita sunt dispositi vt sit Hermon ab Aquilone, & Gelboë ab Austro. Et in medio est planities duarum leucarum lata, quatuor longa. Ista planities est vbi sæpe fuerunt conflictus magni, ibi enim Gedeon superauit Madianitas, Saul superatus est à Philistæis, & Philistæi caput eius abscindentes & Ionathæ, suspenderunt in ciuitate * Bezan in muro qui est inter Iordanem & Gelboë. ** Bethsan.*

Nota tamen quod de monte Gelboë non est verum quod dicitur, quod nec ros nec pluuia ibi descenderit, sed bene verum est quod est sterilis, & aridus & petrosus. Nota etiam quod Galilæa est vere tota campestris & plana.

Samaria prouincia incipit à Gylim castro contermino Galilææ. Pro quo nota quod Samaria est montosa, & à castro Gylim vsque ad Iordanem contra Orientem sunt sex leucæ.

De Gylim ad quinque leucas contra Austrum est ciuitas Samaria, quæ nunc Sebaste dicitur, nobilis quondam, nunc in se duas domos habet in summitate montis, vna vbi fuit palatium Regis, secunda est in honore sancti Ioannis Baptistæ, in qua fuit sepultus inter Helizeum & Abdiam, & distat ciuitas Samaria à Ierusalem forte vndecim leucis. Translatum enim fuit corpus B. Ioannis de * Macheronta oppido, quod hodie dicitur Aydon, vltra Iordanem, in dictam Sebasten. Ibi etiam est prope Thersa. ** Macheronte.*

De Sebaste contra Austrum duobus leucis est mons Bethel, inde ad dimidiam leucam est mons Dan, supra ciuitatem Sychem, vel oppidum magnum, quod nunc Neapolis dicitur, quæ alio nomine dicitur Sychar, de qua Ioannes. De hac Sychem filius Emor Heuei rapuit Dynam filiam Iacob. In Sychem fuerunt ossa Ioseph de Ægypto translata & sepulta. *Ioan. 4.*

Sychem distat ab Ierusalem spatio duarum dietarum. Et prope istam ciuitatem est campus quem Iacob donauit filio suo Ioseph. Et ibi non longe à porta ciuitatis Sychem est fons Iacob, siue puteus super quem Dominus sedit sitiens, fatigatus ex itinere, & petiit à Sama-

ritana aquam. In quo loco quondam fuit Ecclesia fabricata. Ad dexteram Sychem est mons Garyzim, de quo dicebat mulier Christo: *Patres nostri in monte hoc adorauerunt.* Ad sinistram fontis ostenditur mansio Iacob, & prædium quod dedit Ioseph.

Ioan. 4.

Per vnam leucam prope Sychem est ciuitas Luza, in qua habitauit Abraham per multum tempus. In Luza, vt aiunt aliqui, Iacob dormiens vidit scalam, quando dixit: *Quàm mirabilis est locus iste?* & appellauit locum illum Bethel, qui antea Luza vocabatur.

Gen. 28.

In monte Bethel quidam opinantur, quod Abraham filium suum Isaac voluit immolare, alij vero dicunt, quod in monte Caluariæ vbi Dominus est crucifixus, à quibusdam dicitur quod locus vbi Iacob dormiens vidit scalam, sit ille locus montis vbi postea templum est ædificatum à Salomone.

De Sychen procedendo contra Orientem ad Iordanem ad quatuor leucas est Emon oppidum valde bonum. Sciendum autem quod ab ortu Iordanis sub monte Lybano vsque ad desertum Pharan fere centum miliaria & plus, ipse Iordanis in vtroque latere campos latos & amœnos habet, & inde vsque ad mare mortuum. Planities autem quæ est inter Iordanem & Hiericho, vocatur Galgala, vbi longo tempore castrametati sunt filij Israël transito Iordane.

Loca Orientalia Respectu Hierusalem.

VNde nota quod in parte Orientali muri ciuitatis Hierusalem duntaxat hodie est vna porta, quæ dicitur Cedar, vel ad torrentem & montem Oliueti, quia porta aurea, quæ erat iuxta templum Salomonis, per quam Dominus intrauit, est ramis palmarum conclusa, sed per illam portam prædictam fit egressus de ciuitate versus montem Oliueti per descensum ad duo stadia ad vallem, vbi primo est lapis albissimus latus & aliqualiter eminens à terra, vbi sanctus Stephanus est lapidatus, & ibidem per aliquot passus in superiori loco monstratur locus vbi Saulus stetit custodiendo vestimenta lapidantium.

Descendendo vltra à loco sancti Stephani versus montem Oliueti, minus quam medium stadium, est ponticulus cum testudine per torrentem Cedron siue per vallem Iosaphat. De quo loco Iudæi iaciebant lapides super Stephanum. In eodemque torrente vbi est iste ponticu-

ponticulus lapideus, regina Saba vidit lignum, & in Spiritu intellexit, quod in eo Saluator mundi suspendendus erat, de quo ligno tunc fuit factus ponticulus transeuntibus, propter quod ipsa dum veniebat audire sapientiam Salomonis, illo transire noluit, sed aliunde in ciuitatem intrauit. Et postquam domum rediit, Regi Salomoni de hoc ligno intimauit, quod Salomon abscondit.

Pertranseundo prædictum torrentem incipit hortus, in ingressu montis Oliueti, & à dicto torrente ad sedecim passus in valle Iosaphat, habetur Ecclesia subtus terram miro tabulatu exornata, nullam habens fenestram: Et ad hanc Ecclesiam est descensus per gradus, & descendendo ad dictam Ecclesiam à parte dextera dictorum graduum, est in pariete sepulchrum quod dicitur sanctæ Annæ, ad partem sinistram dicitur esse sepulchrum Ioachim. In choro autem prædictæ Ecclesiæ est sepulchrum beatæ virginis Mariæ, ad instar sepulchri CHRISTI, vbi fratres Minores de Obseruantia quolibet sabbatho legunt Missam nocte de assumptione gloriosæ virginis Mariæ, vbi quotidie lampades ardent dispositæ per Christianos. Ad hanc Ecclesiam Christiani accessum non habent liberum, nisi pro quæstu: Nam Maurus custodit illum locum in die, & intromittit ibi neminem, nisi accepto pretio: Soli fratres nostri habent accessum liberum & ingressum, quibus prædictus Maurus obtulit clauem, coactus miraculo. Nam per multos annos fratres nostri, quando celebrare volebant, ibidem soluebant singulis vicibus vnum maiedin, id est, Grossum. Guardianus cœnaculi Domini non potens sufficere talem exactionem contribuere, voluit ibi celebrationem deinceps omittere, & deliberauit, tum beatissima virgo illi Mauro apparuit, cuius area est, eundemque perterruit, & comminabatur horribiliter præcipiens, vt fratres sineret libere ibi diuina celebrare in sepulchro eius, & visitare. Perteritus Maurus venit ad fratres, eisdem terrorem prædictum narrando, clauemque dedit, & ita iam quando volunt libere sinit ad intrandum & celebrandum sine pretio. In eadem Ecclesia est fons & ibi sepulchrum virginis Mariæ, est indulgentia plenaria.

Ab hac Ecclesia versus Orientem ad sedecim passus pedum, est rupes cauata in lapide, in terra vbi Dominus IESVS trina vice intrauit ad orandum, & ibi sanguinem sudauit. & hæc rupes eminet supra terram ad genua hominis, & prædicta Ecclesia & locus orationis fuerunt

fuerunt in horto, qui est in pede montis Olitieti, & de locis illius horti, & vbi Dominus pausauit, inferius declarabo.

A torrente igitur prædicto ascendendo per transuersum horti, & prætereundo prædictam Ecclesiam, quæ est ad dexteram partem viæ, ad vnum stadium, est lapis de quo Dominus ascendit asinum quando in die Palmarum venit Ierusalem, in quo lapide demonstratur pedum vestigium, quia quando ascenderat summitatem montis Olitieti, necesse habuit ire pedes, ne asinus casum pateretur ad lapidem, quia est via difficilis de monte Olitieti ad ciuitatem.

Ab illo lapide ad tria stadia supra versus summitatem montis, est lapis latissimus in terra, vbi videtur tota ciuitas Hierusalem, & ibi Dominus Iesus in die Palmarum fleuit, videns ciuitatem Hierusalem, dicens: *Quia si cognosceres & tu*, scilicet fleres.

Luce 19.

Ab isto lapide etiam ad tria stadia superius est locus, vbi Angelus obtulit beatæ Mariæ virgini de Paradiso ramum Palmæ, vt deferretur ante feretrum eius post mortem. In eodem loco beatissima virgo Maria, quando assumebatur in cœlum, cingulum de aëre dimisit sancto Thomæ Apostolo.

Ex opposito istius loci ad sinistram est domus, vbi Dominus in die resurrectionis suis discipulis apparuit in monte, & vocatur Galilæa. Et iste mons tantum diuisus est per viam à monte Olitieti.

Ab isto loco oblationis Palmæ declinando aliqualiter ad Austrum ad dimidium secundum miliare, est locus ascensionis Christi sacratissimus, in summitate montis Olitieti, vbi est modo Ecclesia rotunda satis lata, quam Helena construxerat, sed iam media pars eiusdem Ecclesiæ corruit. In medio huius Ecclesiæ est Capella parua rotunda, in cuius medio est lapis quadratus, de quo Dominus IESVS in cœlum ascendit videntibus discipulis, & in illo lapide reliquit vestigium dextri pedis, quod vsque in hodiernum diem permanet. vestigium autem illius dextri pedis cum digitis est versus meridiem. Hæc Capella clauditur sera lignea, quam omnes nationes Christianorum possent aperire. Sed Ecclesiam aliquando intrant vaccæ aut asini illius Mauri qui habet domum iuxta Ecclesiam eandem. Ad illum locum fratres nostri sæpissime veniunt. In diebus festis cantant solemniter IESV *nostra redemptio*. Sed & in vigilia ascensionis de monte Syon veniunt ibi fratres singulis annis & ibi vesperas solennizant, & matutinas & Missas legunt cum deuotione, & etiam omnes nationes Christianorum.

Subtus

Subtus locum ascensionis ad viginti gradus inferius descendendo vel circa, est locus vel cellarium, vbi sancta Pelagia fecit pœnitentiam.

A loco ascensionis Christi ad XL. passus pedum adhuc apparent vetustissimi parietes muri ruentis in loco, vbi Apostoli diuiserunt sibi prouincias ad quas quisque ire debuerat, & ibidem CREDO composuerunt.

A loco diuisionis Apostolorum circa XL. passus pedum, est locus vbi Christus prædixit discipulis signa futuri iudicij, & ibidem octo beatitudines. Et à loco ascensionis è conuerso versus ciuitatem, sed alia via vadendo ad vnum stadium, est locus vbi CHRISTVS discipulos docuit PATER NOSTER. Demum vltra ad aliud stadium est locus & lapis vbi beatissima virgo repausabat sæpius ambulando de cœnaculo ad montem Oliueti.

De monte Oliueti versus Orientem ad tria stadia vulgaria, est sepulchrum sororis Mahometi Prophetæ Sarracenorum, in eminentiori loco quam sit locus ascensionis Christi.

De monte Oliueti apparet Iordanis versus Orientem & mare mortuum.

De loco ascensionis Christi ad octo stadia versus Orientem & Bethaniam est Bethphage villa, in descensu montis Oliueti, de qua Dominus Iesus in die Palmarum misit duos discipulos pro asino, & ibi exspectauit vsque dum venerunt. Ad Bethphage fratres Minores de monte Syon in die Palmarum quolibet anno veniunt, & processionaliter vadunt, cantantes vsque ad vallem Iosaphat. Ista villa hodie non est aliqua domus, sed tantum area, & multæ ficus ibi.

De Bethphage descendendo ad nouem stadia versus Orientem, oblique tamen, est Bethania castellum secundum Ioannem, XV. stadiis *Ioan. 11.* distans à Ierusalem, nostro autem medio miliari, hodie aliquot domos habet. In hac Bethania est Capella sicut Ecclesia testudinata, in qua est sepulchrum Lazari, vbi fratres Minores feria sexta ante Dominicam de passione singulis annis canunt & legunt plures Missas solemniter, & habent clauem ab illa Capella. In hac Capella est cauerna decauata in lapide, & est carcer beatæ Mariæ Magdalenæ, vbi post ascensionem Domini septem annis mansit inclusa totaliter, soror tamen sua Martha porrigebat ei panem & aquam per fenestram, & ibi est indulgentia septennis, sed circa sepulchrum Lazari plenaria. In Bethania est domus, cuius adhuc stant muri & parietes alti, vbi fuit quasi ca-

strum Simonis leprosi, vbi dictus Simon rogauit Dominum Iesum in Sabbatho ramis palmarum, & disposuit cœnam, & ibi Magdalena vnxit pedes IESV.

De Bethania versus Orientem ad octo stadia vulgaria, est area vbi fuit domus Marthæ, & ibi est septennis indulgentia.

A domo Marthæ est lapis silex magnus ad medium stadium, in quo lapide Dominus sedit, & est ibi septennis indulgentia.

A domo Marthæ iterum versus Austrum ad magnum stadium, est adhuc testudo, vbi fuit domus Mariæ Magdalenæ, & ibi est plenaria indulgentia.

Ab Ierusalem eundo per Bethaniam versus Orientem seu Iordanem, ad duo miliaria nostra, est locus vbi adhuc parietes de muro apparent, & ibi homo descendens in Hiericho, incidit in latrones, spoliatus iuxta viam, qua itur ad Iordanem. Ex parte sinistra in monte est murus antiquus, vbi fuit domus Ioachim, vbi pastores eius pascebant pecora, & ibi fugerat de Ecclesia confusus.

Adhuc restant duo miliaria per montes vsque ad locum vbi Dominus Iesus in descensu montium sanauit & illuminauit cæcum, & hic locus adhuc distat à Hiericho per vnum medium miliare.

Vltra istum locum recta via versus Iordanem est Iericho, sed si quis vult ire ad Quarentanam montem excelsum valde, oportet vt descendat de via publica quæ ducit Iordanum ad sinistram partem, id est, versus Aquilonem, vbi ad medium miliare nostrum est fons Helizei, & torrens aqua quam Helizæus dulcorauit, de qua bibunt peregrini ibi pausantes. Ab illo fonte iam incipit mons excelsus Quarentana, vbi Dominus Iesus ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Et ibi est rupes satis ampla quasi Capella, sed tamen non in summitate montis prædicti, sed in latere, & quasi in medio montis. Et cum peruenitur cum magna fatigia ad locum ieiunationis Christi ad XVI. gradus, est valde difficillimus ascensus & valde periculosus, ita quod nonnisi habens bonum caput potest ascendere: ibi est locus deuotissimus Christi.

Supra istum locum ieiunij Christi ad sedecim gradus, est alius locus vbi diabolus tentauit Dominum de gustu dicens: *Dic vt lapides isti panes fiant.* Sed ab isto loco ascendendo supra montem prædictum adhuc difficilius iter ad montis summitatem, vbi nullus pinguis homo potest venire, & dicunt quidam quod ad summitatem illius montis Quarentanæ diabolus Dominum de Ierusalem assumpsit, &

Matth. 4.

psit,& ibi eum tentauit de auaritia,dicens: *Hæc omnia tibi dabo si procidens adoraueris me*, Matthæi 4. Alij dicunt quod à torrente prædicto qui est sub isto monte ad duas leucas versus Galilæam, id est, versus Aquilonem, est mons altus & magnus qui etiam vocatur mons Abrahæ, quia ibi dicitur commoratus fuisse, in quo ferunt, Christum tentasse diabolum de auaritia.

A Quarentana iterum oportet ire ad Hiericho oblique medium miliare, & de loco illo vsque prope Hiericho sunt rubi & ligna parua viridia. Hiericho autem fuit ciuitas nobilis, hodie autem non meretur dici villa, habens paucas * gazas, vbi tamen est adhuc domus Zachæi, qui Dominum suscepit hospitio, descendens de sicomoro. Et est adhuc locus quadratus ad modum claustri, quamuis murus iam vetustate destruitur. De Hiericho fuit Raab meretrix, quæ recepit hospitio Iosuæ exploratores. De Hiericho fuerunt pueri qui illuserunt Helisæo Prophetæ, dicentes: *Ascende calue*, vt dicitur 4. Regum 2.

*forte casas.

Vltra Hiericho versus Orientem ad duas leucas, id est, ad dimidium secundum miliare nostrum, est Iordanis fluuius, currens de sub Lybano vsque ad desertum Pharan, fere per centum miliaria Italica & plus, & hoc ab Aquilone versus Austrum, qui postea intrat mare mortuum, de quo non egreditur. Hic Iordanis est in latitudine ad instar Warthæ, & habet in vtroque latere campos latos planos & amœnos, & syluam ex vtroque latere, planities autem quæ est inter Iordanem & Hiericho, vocatur Galgala, & forte tota planities per duo miliaria distans à Iordane vsque Quaretaniam vocatur Galgala.

In Galgala longo tempore castrametati sunt filij Israel transito Iordane.

In Iordane baptizatus est Dominus à Ioanne, & ibi in vigilia Epiphaniæ nunc veniunt aliquot millia Christianorum diuersarum sectarum, & faciunt deuotiones suas, tota nocte lauantes se in Iordane. Similiter & fratres Minores ibidem celebrant diuina in altari portatili in rubeto iuxta Iordanem, vbi Dominus Iesus est baptizatus. Putatur tamen à nonnullis Dominus baptizatus in alia Bethania, quæ est vltra Iordanem, versus Arabiam.

Iuxta Iordanem ad quatuor stadia vel plus versus Ierusalem est murus antiquus quasi claustrum paruum, vbi est Capella in honore S. Ioannis, in loco vbi mansit illo tempore quo Dominum baptizauit.

Distat igitur Iordanis à Ierusalem per sex miliaria nostra grandia, ex quibus quatuor miliaria à Ierusalem saxosa montosa per

totum, vſque ad locum illuminationis cæci. Deinde ab illuminatione cæci, planities pulchra, habens de latitudine duo miliaria ad Iordanem, & in longum plus.

A Iordane vbi baptizatus eſt Chriſtus contra Auſtrum, eſt mare mortuum: Et habet iſtud mare videlicet ab Aquilone in Auſtrum, in longitudine DC. ſtadia, vel quinque dietas, in latitudine vero habet quinque leucas, id eſt quatuor miliaria forte noſtra, vel CV. ſtadia, ſed tamen apparet paruum. Et diſtat iſtud mare à Hiericho ad duo miliaria noſtra vel minus modico. Et inter Hiericho & mare mortuum eſt clauſtrum S. Hieronymi in vaſta ſolitudine, cuius clauſtri adhuc ſtant parietes & teſtudines, iam conuellitur & labitur. Illud mare dicitur mortuum, quia non decurrit, ſed eſt velut lacus, & eius aqua eſt amara. Et ſcribunt multi in chartellis ſuis, quod eſſet aqua fœtida, & propter eius amaritudinem terra adiacens littoribus nihil viride profert: Sed ego ibi lauans pedes, vidique lauare Mauros exutos & Græcos, nihil expertus ſum de fœtore aquæ, imo vidi ibi in littore virentia gramina vulgariter Loza, vbi poſſent animalia pabulari, & non alias vidi in terra ſancta talem paſtum pro iumentis. Iſtud mare mortuum eſt in loco, in quo quinque ciuitates pulcherrimæ, ſcilicet Sodoma, Gomorra, Seboym, Bale, & Adama, igne ſunt combuſtæ, & diſterminant fines terræ promiſſionis & Arabiæ.

In littore Orientali maris mortui ſita eſt Segor in parte Arabiæ, vbi eſt ſtatua ſalis in quam conuerſa eſt vxor Loth, ad quam videndam periculoſus eſt acceſſus propter Madianitas ibidem commorantes, qui nemini parcunt, ſæpe vt fertur id mare tantum creſcit ex tumefactione, quod cooperitur tota ſtatua, & non videtur, aliquando tamen decreſcit, quod videtur ad pectus & genua. Eſt in loco amæno inter Segor & mare mortuum.

Ab iſto mari verſus Orientem, & de Segor ad medium miliare, eſt aſcenſus montis Engaddi, iuxta mare mortuum, & dicunt ibi eſſe arbores pulcherrimas, ſed fructus earum quando diſcerpuntur intus fauillam & cineres habere inueniuntur.

Arabia eſt vltra mare mortuum verſus Orientem aliquando arcualiter declinans ad Auſtrum à Ieruſalem, & eſt terra hodie inculta, lata & deſerta, rara in domibus, ſed in tentoriis homines ſolent manere, vbi morantur crudeles homines, bellicoſi, dicti Arabes, abominantes artem baliſtariorum, cuſpidibus aut haſtis & gladiis tantum vtentes, qui velut latrones ſolent obſidere ſtratas, & ſpoliare, non modo

Chri-

Chriſtianis, ſed & ipſis Sarracenis infeſti ſæpe etiam ipſi Soldano moleſti.

In Arabia eſt vallis Moyſi, in qua bis percuſſit ſilicem, & duos aquæ riuulos fecit, de quibus nunc tota terra irrigatur.

In Arabia eſt mons Abarym, in quo Dominus Moyſen ſepeliuit, eius nuſquam apparente tumulo.

In Arabia eſt locus qui quondam dicebatur petra deſerti, & eſt mons excelſus iuxta ciuitatem Rabat.

Arabia nuncupatur deſertum filiorum Iſraël, vbi detinuit eos Dominus annis XL. pluens manna.

In Arabia eſt mons Synai, in cuius ſummitate eſt locus, vbi Dominus dedit duas tabulas Moyſi, & mandata ſeu decalogum, & ibi ſepultus fuit Aaron.

In medio montis Synai eſt locus vbi Helias Propheta fecit pœnitentiam.

In monte Synai prope locum dationis legis, retro Eccleſiam Saluatoris, eſt locus vbi Moyſes orabat, quando Deus vocauit eum & dixit: *Moyſes, Moyſes, veni & mittam te ad Pharaonem.* *Exodi 3.*

Iuxta hunc montem Synai eſt alius mons altiſſimus ad quem Angeli portauerunt corpus beatæ Catharinæ de Alexandria, & ibi ſepelierunt, & ſtetit ibi per CCC. annos cuſtoditum ab Angelis: hodie eſt translatum ſub monte, vbi eſt Monaſterium S. Baſilij, & ibi manent Monachi Græci tenentes ſectam Græcorum. Ibi eſt Eccleſia ſanctæ Mariæ de rubo, & eſt ibi plenaria indulgentia.

In monte Synai eſt petra Oreb, vbi emanauerunt aquæ largiſſimæ, quando Moyſes ad præceptum Domini percuſſit virga bis ſilicem. Item ibi prope ad vnam dietam eſt mare rubrum, vbi filij Iſraël tranſierunt ſicco pede. Item eſt ibi fons Moyſi, qui vocatur ad aquas contradictionis. Item ibi prope eſt locus, vbi filij Iſraël caſtrametati ſunt, vbi erant duodecim fontes aquarum, & LXX. palmæ.

Coenacvlvm Domini.

Dicto de locis remotis à Ieruſalem ſecundum quatuor plagas mundi: Nunc videamus de locis propinquis ipſi Hieruſalem. Et primo de cœnaculo.

Cœnaculum illud in quo Dominus Ieſus cœnauit in die Iouis, illud idem remanet, quod tempore paſſionis Chriſti fuit intra ciuita-

De hoc monte Menta ad vnam leucam & dimidiam contra Orientem est Capharnaum, quondam gloriosa ciuitas Christi, & ibi iuxta Capharnaum habetur castrum fortius totius terræ promissionis, in quo ferunt natam esse beatam Annam matrem beatæ virginis Mariæ. Deinde est Corozaym, cui Dominus imprecatus est.

De Corozaym ad quatuor leucas contra Orientem est Cedar ciuitas munitissima. Ibi est Cana Galilææ, vbi Dominus conuertit aquam in vinum in nuptiis. Ibi est locus nuptiarum, cauerna in saxo cauata, quæ capit paucos homines.

Deinde à Cana Galilææ contra Meridiem versus Tyberiadem supra Betsaym est mons Bethuliæ, vbi Iudith occidit Holofernem.

De Bethulia ad septem leucas est Tyberias ciuitas supra mare Galilææ, olim dicta Genezareth.

De Cana Galilææ contra Austrum ad duas leucas est ciuitas Zophot, de qua fuit oriundus S. Ioachim pater beatæ Virginis, & sancta Anna, & est tribus Aser, iuxta vallem * Camaleon.

** Carmeleon siue Carmelon.*

De Zophot ad duas leucas contra Austrum, sed aliquantulum declinando ad Orientem, est illa gloriosa ciuitas Nazareth, vbi flos florum de radice Iesse pullulauit. In Nazareth labitur egregius fons, ex quo in pueritia IESVS solebat haurire, & matri suæ deferre. Et hæc ciuitas distat ab Ierusalem per tres dietas vel circa, quasi quindecim miliaria nostra. Erat quondam ciuitas, nunc est oppidulum paruum, sicut & Bethleem paucas domos habens. Ibi est locus vbi Angelus Gabriel nunciauit B. Virgini incarnationem Filij Dei, sed illa Capella vt fertur, de illo loco est translata ad Loretum per Angelos, & distat Nazareth septem leucis ab Achon.

Extra Nazareth versus Austrum ad dimidium leucæ est locus in rupe in monte qui vocatur saltus Domini, vbi Iudæi volebant Christum præcipitare, & exiuit de manibus eorum, & in rupem aliam prosiliit, in qua monstrantur vestigia pedum eius. De isto monte præcipitationis Christi videtur mons Thabor, Hermon & Hermonij, villa illa Endor, vbi Saul ad Pythonissam venit, & Naym, & Iesrahel, & fere tota magnitudo campi Esdrelon.

De Nazareth ad medium secundum miliare Ruthenicum contra Orientem est sacer mons Thabor, vbi Christus est transfiguratus. In pede montis huius ostenditur locus vbi Melchisedech, qui alio nomine dicitur * Seth filius Adæ, occurrit Abrahæ à cæde Regum reuertenti, quando recuperauit Loth nepotem suum, & iste est mons altus, in quo

** Sem filius Noe.*

in quo ſunt ruinæ palatiorum & ædificiorum, in quibus latitant leones & aliæ beſtiæ, & ſunt ibi regales venationes. In deſcenſu huius montis à parte Orientis eſt torrens Cyſon.

Vltra torrentem contra Auſtrum ſed aliquantulum contra Orientem, eſt mons Hermon modicus, in cuius latere ſuper torrentem Cyſon eſt villa Endor prædicta. Poſt ad tres leucas eſt mons Cayn, vbi Lamech occidit Cayn. Poſtea mons Maceda, mons Gelboe, & mons Hermon, ita ſunt diſpoſiti vt ſit Hermon ab Aquilone, & Gelboë ab Auſtro. Et in medio eſt planities duarum leucarum lata, quatuor longa. Iſta planities eſt vbi ſæpe fuerunt conflictus magni, ibi enim Gedeon ſuperauit Madianitas, Saul ſuperatus eſt à Philiſtæis, & Philiſtæi caput eius abſcindentes & Ionathæ, ſuſpenderunt in ciuitate *Bezan in muro qui eſt inter Iordanem & Gelboë. *Bethſan.

Nota tamen quod de monte Gelboë non eſt verum quod dicitur, quod nec ros nec pluuia ibi deſcenderit, ſed bene verum eſt quod eſt ſterilis, & aridus & petroſus. Nota etiam quod Galilæa eſt vere tota campeſtris & plana.

Samaria prouincia incipit à Gylim caſtro contermino Galilææ. Pro quo nota quod Samaria eſt montoſa, & à caſtro Gylim vſque ad Iordanem contra Orientem ſunt ſex leucæ.

De Gylim ad quinque leucas contra Auſtrum eſt ciuitas Samaria, quæ nunc Sebaſte dicitur, nobilis quondam, nunc in ſe duas domos habet in ſummitate montis, vna vbi fuit palatium Regis, ſecunda eſt in honore ſancti Ioannis Baptiſtæ, in qua fuit ſepultus inter Heliſæum & Abdiam, & diſtat ciuitas Samaria à Ieruſalem forte vndecim leucis. Translatum enim fuit corpus B. Ioannis de *Macheronta oppido, quod hodie dicitur Aydon, vltra Iordanem, in dictam Sebaſten. Ibi etiam eſt prope Therſa. *Macheronte.

De Sebaſte contra Auſtrum duobus leucis eſt mons Bethel, inde ad dimidiam leucam eſt mons Dan, ſupra ciuitatem Sychem, vel oppidum magnum, quod nunc Neapolis dicitur, quæ alio nomine dicitur Sychar, de qua Ioannes. De hac Sychem filius Emor Heuei rapuit Dynam filiam Iacob. In Sychem fuerunt oſſa Ioſeph de Ægypto translata & ſepulta. Ioan. 4.

Sychem diſtat ab Ieruſalem ſpatio duarum dietarum. Et prope iſtam ciuitatem eſt campus quem Iacob donauit filio ſuo Ioſeph. Et ibi non longe à porta ciuitatis Sychem eſt fons Iacob, ſiue puteus ſuper quem Dominus ſedit ſitiens, fatigatus ex itinere, & petiit à Samaritana

ritana aquam. In quo loco quondam fuit Ecclesia fabricata. Ad dexteram Sychem est mons Garyzim, de quo dicebat mulier Christo: *Patres nostri in monte hoc adorauerunt.* Ad sinistram fontis ostenditur mansio Iacob, & prædium quod dedit Ioseph.

Ioan. 4.

Per vnam leucam prope Sychem est ciuitas Luza, in qua habitauit Abraham per multum tempus. In Luza, vt aiunt aliqui, Iacob dormiens vidit scalam, quando dixit: *Quam mirabilis est locus iste!* & appellauit locum illum Bethel, qui antea Luza vocabatur.

Gen. 28.

In monte Bethel quidam opinantur, quod Abraham filium suum Isaac voluit immolare, alij vero dicunt, quod in monte Caluariæ vbi Dominus est crucifixus, à quibusdam dicitur quod locus vbi Iacob dormiens vidit scalam, sit ille locus montis vbi postea templum est ædificatum à Salomone.

De Sychem procedendo contra Orientem ad Iordanem ad quatuor leucas est Emon oppidum valde bonum. Sciendum autem quod ab ortu Iordanis sub monte Lybano vsque ad desertum Pharan fere centum miliaria & plus, ipse Iordanis in vtroque latere campos latos & amenos habet, & inde vsque ad mare mortuum. Planities autem quæ est inter Iordanem & Hiericho, vocatur Galgala, vbi longo tempore castrametati sunt filij Israël transito Iordane.

Loca Orientalia Respectu Hierusalem.

VNDE nota quod in parte Orientali muri ciuitatis Hierusalem duntaxat hodie est vna porta, quæ dicitur Cedar, vel ad torrentem & montem Oliueti, quia porta aurea, quæ erat iuxta templum Salomonis, per quam Dominus intrauit, est ramis palmarum conclusa, sed per illam portam prædictam fit egressus de ciuitate versus montem Oliueti per descensum ad duo stadia ad vallem, vbi primo est lapis albissimus latus & aliqualiter eminens à terra, vbi sanctus Stephanus est lapidatus, & ibidem per aliquot passus in superiori loco monstratur locus vbi Saulus stetit custodiendo vestimenta lapidantium.

Descendendo vltra à loco sancti Stephani versus montem Oliueti, minus quam medium stadium, est ponticulus cum testudine per torrentem Cedron siue per vallem Iosaphat. De quo loco Iudæi iaciebant lapides super Stephanum. In eodemque torrente vbi est iste ponticu-

ponticulus lapideus, regina Saba vidit lignum, & in Spiritu intellexit, quod in eo Saluator mundi suspendendus erat, de quo ligno tunc fuit factus ponticulus transeuntibus, propter quod ipsa dum veniebat audire sapientiam Salomonis, illo transire noluit, sed aliunde in ciuitatem intrauit. Et postquam domum rediit, Regi Salomoni de hoc ligno intimauit, quod Salomon abscondit.

Pertranseundo prædictum torrentem incipit hortus, in ingressu montis Oliueti, & à dicto torrente ad sedecim passus in valle Iosaphat, habetur Ecclesia subtus terram miro tabulatu exornata, nullam habens fenestram: Et ad hanc Ecclesiam est descensus per gradus, & descendendo ad dictam Ecclesiam à parte dextera dictorum graduum, est in pariete sepulchrum quod dicitur sanctæ Annæ, ad partem sinistram dicitur esse sepulchrum Ioachim. In choro autem prædictæ Ecclesiæ est sepulchrum beatæ virginis Mariæ, ad instar sepulchri CHRISTI, vbi fratres Minores de Obseruantia quolibet sabbatho legunt Missam nocte de assumptione gloriosæ virginis Mariæ, vbi quotidie lampades ardent dispositæ per Christianos. Ad hanc Ecclesiam Christiani accessum non habent liberum, nisi pro quæstu: Nam Maurus custodit illum locum in die, & intromittit ibi neminem, nisi accepto pretio: Soli fratres nostri habent accessum liberum & ingressum, quibus prædictus Maurus obtulit clauem, coactus miraculo. Nam per multos annos fratres nostri, quando celebrare volebant, ibidem soluebant singulis vicibus vnum maiedin, id est, Grossum. Guardianus cœnaculi Domini non potens sufficere talem exactionem contribuere, voluit ibi celebrationem deinceps omittere, & deliberauit, tum beatissima virgo illi Mauro apparuit, cuius area est, eundemque perterruit, & comminabatur horribiliter præcipiens, vt fratres sineret libere ibi diuina celebrare in sepulchro eius, & visitare. Perterritus Maurus venit ad fratres, eisdem terrorem prædictum narrando, clauemque dedit, & ita iam quando volunt libere sinit ad intrandum & celebrandum sine pretio. In eadem Ecclesia est fons & ibi sepulchrum virginis Mariæ, est indulgentia plenaria.

Ab hac Ecclesia versus Orientem ad sedecim passus pedum, est rupes cauata in lapide, in terra vbi Dominus IESVS trina vice intrauit ad orandum, & ibi sanguinem sudauit. & hæc rupes eminet supra terram ad genua hominis, & prædicta Ecclesia & locus orationis

fuerunt

ſtans medio miliari noſtro à domo Zachariæ, vbi beatus Ioannes Baptiſta ſexto anno ætatis ſuæ vel circa, de domo paterna ſe tranſtulit, ibique manens locuſtas & mel ſilueſtre manducauit, & ibi eſt Capella vbi manſit, atque eſt ibi riuulus aquæ & rubetum.

In medio viæ à domo Zachariæ adhuc eſt lapis groſſus ad modum ſedis cauatus, in quo Zacharias dicitur ſæpius quieuiſſe, quando ſolebat viſitare Ioannem filium ſuum, & iſtud deſertum Ioannis fuit primum, diſtans ab Hieruſalem duabus leucis, id eſt, medium ſecundum miliare de noſtris, vbi eſt aſcenſus de Ieruſalem per montana Iudææ, per hanc viam vaditur in Ægyptum.

Iterum de Ieruſalem verſus Occidentem aliqualiter tantum declinando ad Aquilonem vadendo ad Ioppen ſeu Iaphum, vbi eſt portus peregrinorum in littore maris: Primo occurrit Arimathia oppidum Ioſeph Decurionis qui ſepeliuit Dominum, diſtans a Ieruſalem per vnam leucam medio miliari noſtro, & eſt in monte alto, & videtur de Ieruſalem, & ibi eſt Capella in qua eſt ſepulchrum, & oſſa ſancti Samuelis Prophetæ, & ibi Iudæi cuſtodiunt hanc Capellam. Circa hanc Capellam non eſt aliud niſi vna domus, vbi Sarracenus habitat, & hæc Arimathia vocatur etiam Ramatha, nec multum iſta via diſtat ab illa, quæ eſt verſus domum Zachariæ de Ieruſalem, niſi quod domus Zachariæ declinat verſus Occidentem, ſed Arimathia de Ieruſalem declinat aliqualiter ad Aquilonem.

Adhuc de Ieruſalem vadendo ad Ioppen verſus Occidentem aliqualiter ad Aquilonem, eſt Emaus caſtellum diſtans ſexaginta ſtadiis à Ieruſalem, id eſt, duabus leucis, hoc eſt, medium ſecundum miliare noſtrum, vbi Dominus ſecutus diſcipulos ſuos in die reſurrectionis comedit cum eis, & ibi hodie nihil aliud eſt, niſi domus murata quadrangularis carens operimento. Circa iſtum locum peregrini tranſeuntes Hieruſalem ſolent pauſare, & neſciunt quicquam de iſto loco, quia Sarraceni earum ciuitatum eis non indicant.

Per hanc viam de Ieruſalem ad Ioppen quæ vocatur Iaphum vel Zaphum ſunt forte ſedecim leucæ, id eſt, decem miliaria noſtra & non plus. Ibi eſt portus peregrinorum Catholicorum, vbi hodie nihil aliud eſt niſi duæ turres in littore maris, quas Sarraceni inhabitant cuſtodientes littus. Ad hunc portum venientes Chriſtiani de naui egredi non audent, niſi primum miſerint ad fratres noſtros in Ieruſalem vt impetrent conductum ſaluum apud Dominum Ieroſolymitanum. Et habentes conductum, in egreſſu nauis ad terram

ctam à qualibet persona Sarraceni pro Telonco accipiunt quinque ducatos auri pro Soldano.

A Ioppen iterum versus Ierusalem ad vnum milliare maximum nostrum, est mons Modyn.

Quarto miliario à Modyn est Lydda ciuitas quæ Diospolis dicitur, in qua corpus beati Georgij testantur fuisse, & nunc sanctus Georgius à vulgo dicitur. In Lydda Petrus sanauit claudum quendam nomine Æneam, & ibi etiam Petrus baptizauit Cornelium. Ibi etiam est munitio Assur aliquot leucis à Joppen iuxta mare, vbi Petrus resuscitauit Thabitam. Et nota quod ista prædicta loca à Ioppen sunt ad dexteram partem rectæ viæ ducentis ad Ierusalem.

Et de Ioppen vadendo iuxta mare in circuitu terræ sanctæ ad quatuor leucas in tribus miliaribus nostris distat *Ieth non longe à mari sita, quæ fuit vna de ciuitatibus Philistinorum, vbi iam incipit terra Philistinorum, & vocatur Palæstina. Hæc *Ieth ciuitas vocatur nunc Ibysin, & hodie est paruum casale in villa.

* Geth.

* Geth.

De *Ieth ad duas leucas est Bethsames contra Austrum, deinde iuxta mare est *Acharon vna de ciuitatibus Philistinorum non longe ab Azoto, vbi nunc est Ecclesia, in qua Angelus Domini inueniens Habacuc portantem prandium messorum, tulit capillo capitis in Babyloniam, vbi nunc est Cayrus, supra lacum leonum vbi erat Daniel, nunc vero est paruum casale.

* Geth.

* Accaron.

De *Acharon duobus miliaribus nostris iuxta mare est Azotus: Deinde aliis duobus miliaribus nostris distat Ascalona ciuitas, de qua fuit Herodes dictus Ascalonita, cuius tempore CHRISTVS dicitur natus.

* Accaron.

De Ascalona duobus miliaribus nostris contra Austrum est ciuitas Gazare, vna de quinque ciuitatibus Philistinorum, vbi Samson seipsum interfecit in palatio, cuius adhuc parietes manent. Et hæc ciuitas adhuc permanet, & per eam itur de Ierusalem versus Ægyptum, & prius vocabatur Gaza, hodie Gazare dicitur, & distat, puto, à Ierusalem per duas dietas.

Item de hac Gazare dieta vna cum dimidia, versus Ægyptum est Damiata, ciuitas Ægypti, vbi Hieremias Propheta fuit lapidatus. Damiata antiqua est destructa, sed loco eius alia est ædificata, distans à mari per duas leucas, & est in ripa Nili fluuij, vbi nunc est portus mercatorum.

Loca

Loca Aqvilonaria Respe-ctu Hierusalem.

PRo quo nota quod Syria sub qua includitur terra sancta, est regnum latissimum, tota enim terra quæ est à Tygri fluuio vsque ad Ægyptum, & à mari magno vsque Arabiam, generaliter Syria nuncupatur, cuius Syriæ prouinciæ sunt istæ. Iudæa quæ erat caput II. tribuum, & Samaria quæ erat caput X. tribuum, III. prouincia Phœnicis, IV. Celesyria, V. Traconitidis, VI. Iturea, VII. Galilæa, VIII. Mesopotamia, IX. Idumea, X. Syria Damasci.

Prouincia Phœnicis quæ est ad Aquilonem respectu Ierusalem, & est vltra Galilęam ad Aquilonem respectu Ierusalem, in qua prouincia Phœnicis est Acon distans à Ierusalem per XXXVI. leucas, id est per viginti octo miliaria nostra, hæc ciuitas Acon antiquitus dicebatur * Tholomagda, valde munita, cuius duæ partes à mari ambiuntur, tertia campum respicit qui eam fœcundat. Hæc ciuitas Acon nunquam fuit de terra sancta, nec à filiis Israël possessa, licet in tribu Aser in descriptione terræ sanctæ fuerit assignata, & habet ab Austro montem Carmelum, non illum qui est in tribu Iuda, vbi ille Nabal habuit pastores & domum pro eis & ibi totondit oues, & semel contingit quod Dauid misit ad eum, &c. Ille stultus Nabal reprehendit, sed Abigail vxor eius, &c. 1. Reg. 25. Sed iste mons Carmelus est in tribu Isachar, in quo morabatur Helias, in hoc monte fuit villa nomine Saphra, vbi vt aiunt aliqui Iacobus & Ioannes filij Zebedæi gemini nati sunt.

* Ptolemaida.

In pede huius montis vltra torrentem Cyson ad quatuor leucas est ciuitas Cayphas siue Porphyria, vbi Helias Sacerdotes Baal interfecit.

Hæc vero regio Phœnicia siue Syria Phœnicis adhuc extenditur contra Austrum, id est versus Ierusalem, ad tres leucas.

Deinde ad tres leucas transeundo montem Saron fuit castrum Scandalion quod Alexander magnus obsidens Tyrum, dicitur construxisse quod post passionem Christi Balduinus Rex Hierusalem dicitur reparasse.

De Acon procedendo contra Aquilonem forte ad septem leucas, est Tyrus ciuitas magna in pede montis sita vndique circumdata, & muris fortissimis munita. In hac ciuitate multæ fuerunt reliquiæ sanctorum, vbi etiam Origenes sepultus fuit, vbi innumera multitudo Martyrum occubuit. Ante portam ciuitatis Australem ad iactum

duarum balistarum, ostenditur locus prædicationis Christi, & lapis vbi prædicauit, vbi fuit fundata Ecclesia, ibi etiam est locus vbi mulier extulit vocem suam dicens: *Beatus venter qui te portauit.* Item Tyrus Christum ambulantem in maritima Syriæ, voluit vt fertur recipere. Et hæc Tyrus forte distat ab Ierusalem XL. leucis, forte XXX. miliaribus nostris. *Luc. 11*

A Tyro versus Orientem forte ad XII. leucas vel circa, est Belena ciuitas in pede montis Libani, quæ est contra Damateum, quæ prius Lesen vocabatur. Cum enim esset procul à Sydone ad X. leucas, quia adiutorium non habuit, ceperunt eam filij Dan, & appellauerunt Dan, vt dicitur primo Regum: *Congregatus est populus à Dan, vsque Bersabee*, qui nunc Gybilunis dicitur. Et nota quod à Dan incipit terra sancta, & protenditur in longum vsque ad Bersabee per 120. leucas Lombardicas. Nam à Ierusalem vsque Bersabee sunt viginti quinque leucæ, vbi est terminus Iudeæ contra Austrum, & hæc Bersabee est contra desertum magnum, quod extenditur vsque ad flumen Ægypti, in quo filij Israël multo tempore manserunt de loco ad locum transeuntes. Dicta autem ciuitas Dan vel Lesen vel Belena nunc vocatur Cæsarea Philippi, quia eam Philippus Tetrarcha appellauit Cæsaream in honorem Tyberij Cæsaris, quæ dicitur etiam Paneas, ibique in decimo montis Libani duo fontes oriuntur, scilicet Ior & Dan, qui post modicum confluentes Iordanem efficiunt, qui inter Pellam & Tyberias intrat mare. Istud flumen Iordanis quandam vallem ingrediens, in stagnum colligitur, quod ad aquas Maran vocatur, qui post longos circuitus quos facit Traconitidem & Ituream separans, tandem inter Caphatnaum & Corozaym mare Galileæ ingreditur, ad quatuor leucas à Cedar ciuitate, quæ est supra montem posita, & de mari egreditur, & post longum spatium Iordanis vallem ingreditur, & in stagnum colligitur, quod vocatur mare mortuum, de quo infra. *1 Reg. 3 & seq.*

Redeo ad Tyrum, nam de Tyro ad tres leucas contra Aquilonem est fluuius Eleutherius fluens de Iturea siue Galilæa gentium, qui intrat mare magnum: Vsque ad hunc fluuium Ionathas persecutus est Demetrium.

Ab isto fluuio est Sarepta Sydoniorum ad tres leucas in littore maris. Et hæc ciuitas Sarepta apparet quondam gloriosa fuisse, hodie est modica: Ante eius portam ostenditur vbi Helias venit ad viduam Sareptanam, & ibi filium eius suscitauit, & ibi erat cœnaculum, ibi lecythus olei, & farina non sunt imminuta.

De Sarepta ad duas leucas est Sydon quondam ciuitas magna Phœnicis, cuius ruinæ adhuc magnitudinem eius testantur, & adhuc est fortis, in corde maris sita, habens hinc inde duo castra munita.

Ante portam Sydoniorum ostenditur vna Capella in loco vbi Dominus locutus est ad mulierem Cananeæ, & sanauit filiam eius, in via quæ ducit ad Cæsaream Philippi, & Ituream.

Ab ista ciuitate Sydoniorum contra Orientem, mons Antilibanus est, & distat per vnam leucam & dimidiam, & ibi habetur vinum delicatissimum.

Vltra Sydonem ad nouem leucas est ciuitas valde nobilis, scilicet Beryth, vbi dicitur Christus prædicasse, ibi fuit imago Saluatoris à Iudæis percussa sanguinem fluens, ibi circa Beryth sanctus Georgius circa mare fertur occidisse Draconem, alij dicunt quod in Georgia.

*forte Giblium, 3. Reg. 5.

Post Berythum ad nouem leucas est ciuitas *Biblium, de qua dicitur in libro Regum.

De Biblio ad nouem miliaria est ciuitas Tripolis nobilis & munitissima abundans multis bonis, ibi habitant in ea Græci, Latini, Armeni, Maronitæ, vbi multa faciunt. Campus ante ciuitatem continet vnam leucam in longitudine, & in latitudine dimidiam.

Cant 4.

Iuxta Tripolim ciuitatem est fons hortorum, fluens impetu de Libano, sicut dicitur in Canticis.

Ad radicem montis Libani oriuntur Farfar & Abana fluuij Damasci. In finibus illis Eustachius vxore priuatus, filiis desolatus, recessit. Abana se mari magno copulat, Farfar per Syriam tendens in Antiochiam labensque secus muros eius, quatuor miliaria ab Antiochia in portu sancti Simeonis mediterraneo descendit.

De Tripoli ad duas leucas est mons Leopardorum rotundus, & altus, distans à Libano ad vnam leucam. In pede Aquilonari est spelunca in qua est monumentum habens viginti sex pedes longitudinis, & illud dicunt Sarraceni esse sepulchrum Iosue, sed creditur quod sepulchrum Iosue est circa Sychem in latere montis.

De spelunca ista ad tres leucas contra Aquilonem ostenditur castrum Arathas. Ibi etiam prope est Laodicia ciuitas magna.

*Anteradum, siue Antaradum.

De Arathas vsque in *Antheradum sunt octo leucæ, vbi beatus Petrus prædicauit, dum iret Antiochiam. Hæ omnes ciuitates sunt versus Aquilonem respectu Acon.

De Acon autem versus Orientem ad quinque leucas occurrit casale quoddam quod S. Georgius dicitur, quia ibi fuit natus, & est situm

tum inter montana in valle. In Beryth autem occidit draconem. In Rama autem quæ distat à Ierusalem per XX. miliaria, fertur fuisse combustus, in Lydda autem siue Dispoli corpus beati Georgij Martyris fuisse dicitur.

Ab illo casali quod sanctus Georgius dicitur, ad duas leucas versus Orientem est Dothaym, sub monte Bethuliæ, vbi Ioseph inuenit fratres suos, & est locus pinguis in pascuis & aquis, & est ibi cisterna, vbi Ioseph fuit missus.

Vltra Beryth credo ad XX. & aliquot leucas est illa sacra Antiochia, in prouincia Celesyriæ vbi Petrus cathedram suscepit: quæ est post Anteradum, quæ adhuc est in prouincia Phœnicis. De Antiochia fuit Galenus medicus, & nepos eius, quem ipse Galenus docuit medicinam, & beatus Lucas Euangelista medicus, hæc prius vocabatur Reblata, sed ipsam Antiochus ampliauit, & tunc vocata fuit Antiochia.

In ipso principatu Celesyriæ versus Occidētem est ciuitas Tharsis in qua fuit natus beatus Paulus Apostolus.

De Acon versus Austrum seu Ierusalem in prouincia Galilææ iam est ciuitas Neptalim, ciuitas Thobiæ.

De Neptalim ad duas leucas est Betzaida ciuitas Andreæ & Petri & Philippi, & est supra mare Galilææ contra Orientem, iuxta quam fluit Iordanis fluuius paruus, & intrat mare Galilææ.

Inde à Betzaida ad duas leucas contra Meridiem est Magdalum castrū super mare Galilææ, de quo Maria Magdalena traxit vocabulū.

De Betzaida contra Orientem ad vnam leucam est locus, vbi stetit Dominus Iesus in littore maris post resurrectionem quando dixit discipulis septem: *Pueri habetis pulmentarium?* Cuius adhuc vestigia in lapide ostenduntur. *Ioan. 21.*

Circa hoc mare Galilææ Christus sæpius ambulasse legitur: Ibi enim vocauit ad suum Apostolatum Petrum, Andream, Iacobum & Ioannem, ibi super vndas siccis pedibus ambulauit, ibi Petrus ad eum voluit etiam pedibus ire, sed incipiebat mergi, & cum Dominus erexit, ibi rete Apostolorum ruptum præ magnis piscibus, ibi prope hoc mare est ciuitas Tyberias, à qua etiam vocatur mare Tyberiadis, in qua habetur mensa illius cœnæ, quam fecerant Christo duo discipuli in Emaus in die resurrectionis, ibi de prope monstratur mons dictus Mensa, mons pinguis, in cuius pede Dominus satiauit quinq; millia hominum de quinque panibus.

De hoc monte Menta ad vnam leucam & dimidiam contra Orientem est Capharnaum, quondam gloriosa ciuitas Christi, & ibi iuxta Capharnaum habetur castrum fortius totius terræ promissionis, in quo ferunt natam esse beatam Annam matrem beatæ virginis Mariæ. Deinde est Corozaym, cui Dominus imprecatus est.

De Corozaym ad quatuor leucas contra Orientem est Cedar ciuitas munitissima. Ibi est Cana Galilææ, vbi Dominus conuertit aquam in vinum in nuptiis. Ibi est locus nuptiarum, cauerna in saxo cauata, quæ capit paucos homines.

Deinde à Cana Galilææ contra Meridiem versus Tyberiadem supra Betsaym est mons Bethuliæ, vbi Iudith occidit Holofernem.

De Bethulia ad septem leucas est Tyberias ciuitas supra mare Galilææ, olim dicta Genezareth.

De Cana Galilææ contra Austrum ad duas leucas est ciuitas Zophot, de qua fuit oriundus S. Ioachim pater beatæ Virginis, & sancta Anna, & est tribus Aser, iuxta vallem * Camaleon.

* Carmeleon siue Carmelon.

De Zophot ad duas leucas contra Austrum, sed aliquantulum declinando ad Orientem, est illa gloriosa ciuitas Nazareth, vbi flos florum de radice Iesse pullulauit. In Nazareth labitur egregius fons, ex quo in pueritia IESVS solebat haurire, & matri suæ deferre. Et hæc ciuitas distat ab Ierusalem per tres dietas vel circa, quasi quindecim miliaria nostra. Erat quondam ciuitas, nunc est oppidulum paruum, sicut & Bethleem paucas domos habens. Ibi est locus vbi Angelus Gabriel nunciauit B. Virgini incarnationem Filij Dei, sed illa Capella vt fertur, de illo loco est translata ad Loretum per Angelos, & distat Nazareth septem leucis ab Achon.

Extra Nazareth versus Austrum ad dimidium leucæ est locus in rupe in monte qui vocatur saltus Domini, vbi Iudæi volebant Christum præcipitare, & exiuit de manibus eorum, & in rupem aliam prosiliit, in qua monstrantur vestigia pedum eius. De isto monte præcipitationis Christi videtur mons Thabor, Hermon & Hermonij, villa illa Endor, vbi Saul ad Pythonissam venit, & Naym, & Iesrahel, & fere tota magnitudo campi Esdrelon.

De Nazareth ad medium secundum miliare Ruthenicum contra Orientem est sacer mons Thabor, vbi Christus est transfiguratus. In pede montis huius ostenditur locus vbi Melchisedech, qui alio nomine dicitur * Seth filius Adæ, occurrit Abrahæ à cæde Regum reuertenti, quando recuperauit Loth nepotem suum, & iste est mons altus, in quo

* Sem filius Noe.

in quo sunt ruinæ palatiorum & ædificiorum, in quibus latitant leones & aliæ bestiæ, & sunt ibi regales venationes. In descensu huius montis à parte Orientis est torrens Cyson.

Vltra torrentem contra Austrum sed aliquantulum contra Orientem, est mons Hermon modicus, in cuius latere super torrentem Cyson est villa Endor prædicta. Post ad tres leucas est mons Cayn, vbi Lamech occidit Cayn. Postea mons Maceda, mons Gelboe, & mons Hermon, ita sunt dispositi vt sit Hermon ab Aquilone, & Gelboë ab Austro. Et in medio est planities duarum leucarum lata, quatuor longa. Ista planities est vbi sæpe fuerunt conflictus magni, ibi enim Gedeon superauit Madianitas, Saul superatus est à Philistæis, & Philistæi caput eius abscindentes & Ionathæ, suspenderunt in ciuitate * Bezan in muro qui est inter Iordanem & Gelboë. * Bethsan.

Nota tamen quod de monte Gelboë non est verum quod dicitur, quod nec ros nec pluuia ibi descenderit, sed bene verum est quod est sterilis, & aridus & petrosus. Nota etiam quod Galilæa est vere tota campestris & plana.

Samaria prouincia incipit à Gylim castro contermino Galilææ. Pro quo nota quod Samaria est montosa, & à castro Gylim vsque ad Iordanem contra Orientem sunt sex leucæ.

De Gylim ad quinque leucas contra Austrum est ciuitas Samaria, quæ nunc Sebaste dicitur, nobilis quondam, nunc in se duas domos habet in summitate montis, vna vbi fuit palatium Regis, secunda est in honore sancti Ioannis Baptistæ, in qua fuit sepultus inter Helisæum & Abdiam, & distat ciuitas Samaria à Ierusalem forte vndecim leucis. Translatum enim fuit corpus B. Ioannis de * Macheronta oppido, quod hodie dicitur Aydon, vltra Iordanem, in dictam Sebasten. Ibi etiam est prope Thersa. * Macheronte.

De Sebaste contra Austrum duobus leucis est mons Bethel, inde ad dimidiam leucam est mons Dan, supra ciuitatem Sychem, vel oppidum magnum, quod nunc Neapolis dicitur, quæ alio nomine dicitur Sychar, de qua Ioannes. De hac Sychem filius Emor Heuei rapuit Dynam filiam Iacob. In Sychem fuerunt ossa Ioseph de Ægypto translata & sepulta. Ioan. 4.

Sychem distat ab Ierusalem spatio duarum dietarum. Et prope istam ciuitatem est campus quem Iacob donauit filio suo Ioseph. Et ibi non longe à porta ciuitatis Sychem est fons Iacob, siue puteus super quem Dominus sedit sitiens, fatigatus ex itinere, & petiit à Samaritana

 ritana

ponticulus lapideus, regina Saba vidit lignum, & in Spiritu intellexit, quod in eo Saluator mundi suspendendus erat, de quo ligno tunc fuit factus ponticulus transeuntibus, propter quod ipsa dum veniebat audire sapientiam Salomonis, illo transire noluit, sed aliunde in ciuitatem intrauit. Et postquam domum rediit, Regi Salomoni de hoc ligno intimauit, quod Salomon abscondit.

Pertranseundo prædictum torrentem incipit hortus, in ingressu montis Oliueti, & à dicto torrente ad sedecim passus in valle Iosaphat, habetur Ecclesia subtus terram miro tabulatu exornata, nullam habens fenestram: Et ad hanc Ecclesiam est descensus per gradus, & descendendo ad dictam Ecclesiam à parte dextera dictorum graduum, est in pariete sepulchrum quod dicitur sanctæ Annæ, ad partem sinistram dicitur esse sepulchrum Ioachim. In choro autem prædictæ Ecclesiæ est sepulchrum beatæ virginis Mariæ, ad instar sepulchri CHRISTI, vbi fratres Minores de Obseruantia quolibet sabbatho legunt Missam nocte de assumptione gloriosæ virginis Mariæ, vbi quotidie lampades ardent dispositæ per Christianos. Ad hanc Ecclesiam Christiani accessum non habent liberum, nisi pro quæstu: Nam Maurus custodit illum locum in die, & intromittit ibi neminem, nisi accepto pretio: Soli fratres nostri habent accessum liberum & ingressum, quibus prædictus Maurus obtulit clauem, coactus miraculo. Nam per multos annos fratres nostri, quando celebrare volebant, ibidem soluebant singulis vicibus vnum maiedin, id est, Grossum. Guardianus cœnaculi Domini non potens sufficere talem exactionem contribuere, voluit ibi celebrationem deinceps omittere, & deliberauit, tum beatissima virgo illi Mauro apparuit, cuius area est, eundemque perterruit, & comminabatur horribiliter præcipiens, vt fratres sineret libere ibi diuina celebrare in sepulchro eius, & visitare. Perterritus Maurus venit ad fratres, eisdem terrorem prædictum narrando, clauemque dedit, & ita iam quando volunt libere sinit ad intrandum & celebrandum sine pretio. In eadem Ecclesia est fons & ibi sepulchrum virginis Mariæ, est indulgentia plenaria.

Ab hac Ecclesia versus Orientem ad sedecim passus pedum, est rupes cauata in lapide, in terra vbi Dominus IESVS trina vice intrauit ad orandum, & ibi sanguinem sudauit. & hæc rupes eminet supra terram ad genua hominis, & prædicta Ecclesia & locus orationis

fuerunt

fuerunt in horto, qui est in pede montis Oliueti, & de locis illius horti. & vbi Dominus pausauit, inferius declarabo.

A torrente igitur prædicto ascendendo per transuersum horti, & prætereundo prædictam Ecclesiam, quæ est ad dexteram partem viæ, ad vnum stadium, est lapis de quo Dominus ascendit asinum quando in die Palmarum venit Ierusalem, in quo lapide demonstratur pedum vestigium, quia quando ascenderat summitatem montis Oliueti, necesse habuit ire pedes, ne asinus casum pateretur ad lapidem, quia est via difficilis de monte Oliueti ad ciuitatem.

Ab illo lapide ad tria stadia supra versus summitatem montis, est lapis latissimus in terra, vbi videtur tota ciuitas Hierusalem, & ibi Dominus Iesus in die Palmarum fleuit, videns ciuitatem Hierusalem, dicens: *Quia si cognosceres & tu*, scilicet fleres. Luc. 19.

Ab isto lapide etiam ad tria stadia superius est locus, vbi Angelus obtulit beatæ Mariæ virgini de Paradiso ramum Palmæ, vt deferretur ante feretrum eius post mortem. In eodem loco beatissima virgo Maria, quando assumebatur in cœlum, cingulum de aëre dimisit sancto Thomæ Apostolo.

Ex opposito istius loci ad sinistram est domus, vbi Dominus in die resurrectionis suis discipulis apparuit in monte, & vocatur Galilæa. Et iste mons tantum diuisus est per viam à monte Oliueti.

Ab isto loco oblationis Palmæ declinando aliqualiter ad Austrum ad dimidium secundum miliare, est locus ascensionis Christi sacratissimus, in summitate montis Oliueti, vbi est modo Ecclesia rotunda satis lata, quam Helena construxerat, sed iam media pars eiusdem Ecclesiæ corruit. In medio huius Ecclesiæ est Capella parua rotunda, in cuius medio est lapis quadratus, de quo Dominus IESVS in cœlum ascendit videntibus discipulis, & in illo lapide reliquit vestigium dextri pedis, quod vsque in hodiernum diem permanet, vestigium autem illius dextri pedis cum digitis est versus meridiem. Hæc Capella clauditur sera lignea, quam omnes nationes Christianorum possent aperire. Sed Ecclesiam aliquando intrant vaccæ aut asini illius Mauri qui habet domum iuxta Ecclesiam eandem. Ad illum locum fratres nostri sæpissime veniunt. In diebus festis cantant solemniter IESV *nostra redemptio*. Sed & in vigilia ascensionis de monte Syon veniunt ibi fratres singulis annis & ibi vesperas solennizant, & matutinas & Missas legunt cum deuotione, & etiam omnes nationes Christianorum.

Subtus

Subtus locum ascensionis ad viginti gradus inferius descendendo vel circa, est locus vel cellarium, vbi sancta Pelagia fecit pœnitentiam.

A loco ascensionis Christi ad XL. passus pedum adhuc apparent vetustissimi parietes muri ruentis in loco, vbi Apostoli diuiserunt sibi prouincias ad quas quisque ire debuerat, & ibidem CREDO composuerunt.

A loco diuisionis Apostolorum circa XL. passus pedum, est locus vbi Christus prædixit discipulis signa futuri iudicij, & ibidem octo beatitudines. Et à loco ascensionis è conuerso versus ciuitatem, sed alia via vadendo ad vnum stadium, est locus vbi CHRISTVS discipulos docuit PATER NOSTER. Demum vltra ad aliud stadium est locus & lapis vbi beatissima virgo repausabat sæpius ambulando de cœnaculo ad montem Olineti.

De monte Olineti versus Orientem ad tria stadia vulgaria, est sepulchrum sororis Mahometi Prophetæ Sarracenorum, in eminentiori loco quam sit locus ascensionis Christi.

De monte Olineti apparet Iordanis versus Orientem & mare mortuum.

De loco ascensionis Christi ad octo stadia versus Orientem & Bethaniam est Bethphage villa, in descensu montis Olineti, de qua Dominus Iesus in die Palmarum misit duos discipulos pro asino, & ibi exspectauit vsque dum venerunt. Ad Bethphage fratres Minores de monte Syon in die Palmarum quolibet anno veniunt, & processionaliter vadunt, cantantes vsque ad vallem Iosaphat. Ista villa hodie non est aliqua domus, sed tantum area, & multæ ficus ibi.

De Bethphage descendendo ad nouem stadia versus Orientem, oblique tamen, est Bethania castellum secundum Ioannem, XV. stadiis *Ioan. 11.* distans à Ierusalem, nostro autem medio miliari, hodie aliquot domos habet. In hac Bethania est Capella sicut Ecclesia testudinata, in qua est sepulchrum Lazari, vbi fratres Minores feria sexta ante Dominicam de passione singulis annis canunt & legunt plures Missas solemniter, & habent clauem ab illa Capella. In hac Capella est cauerna decauata in lapide, & est carcer beatæ Mariæ Magdalenæ, vbi post ascensionem Domini septem annis mansit inclusa totaliter, soror tamen sua Martha porrigebat ei panem & aquam per fenestram, & ibi est indulgentia septennis, sed circa sepulchrum Lazari plenaria. In Bethania est domus, cuius adhuc stant muri & parietes alti, vbi fuit quasi ca-

strum Simonis leprosi, vbi dictus Simon rogauit Dominum Iesum in Sabbatho ramis palmarum, & disposuit cœnam, & ibi Magdalena vnxit pedes IESV.

De Bethania versus Orientem ad octo stadia vulgaria, est area vbi fuit domus Marthæ, & ibi est septennis indulgentia.

A domo Marthæ est lapis silex magnus ad medium stadium, in quo lapide Dominus sedit, & est ibi septennis indulgentia.

A domo Marthæ iterum versus Austrum ad magnum stadium, est adhuc testudo, vbi fuit domus Mariæ Magdalenæ, & ibi est plenaria indulgentia.

Ab Ierusalem eundo per Bethaniam versus Orientem seu Iordanem, ad duo miliaria nostra, est locus vbi adhuc parietes de muro apparent, & ibi homo descendens in Hiericho, incidit in latrones, spoliatus iuxta viam, qua itur ad Iordanem. Ex parte sinistra in monte est murus antiquus, vbi fuit domus Ioachim, vbi pastores eius pascebant pecora, & ibi fugerat de Ecclesia confusus.

Adhuc restant duo miliaria per montes vsque ad locum vbi Dominus Iesus in descensu montium sanauit & illuminauit cæcum, & hic locus adhuc distat à Hiericho per vnum medium miliare.

Vltra istum locum recta via versus Iordanem est Iericho, sed si quis vult ire ad Quarentanam montem excelsum valde, oportet vt descendat de via publica quæ ducit Iordanum ad sinistram partem, id est, versus Aquilonem, vbi ad medium miliare nostrum est fons Helizei, & torrens aqua quam Helizeus dulcorauit, de qua bibunt peregrini ibi pausantes. Ab illo fonte iam incipit mons excelsus Quarentana, vbi Dominus Iesus ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Et ibi est rupes satis ampla quasi Capella, sed tamen non in summitate montis prædicti, sed in latere, & quasi in medio montis. Et cum peruenitur cum magna fatigia ad locum ieiunationis Christi ad XVI. gradus, est valde difficillimus ascensus & valde periculosus, ita quod nonnisi habens bonum caput potest ascendere: ibi est locus deuotissimus Christi.

Matth. 4.

Supra istum locum ieiunij Christi ad sedecim gradus, est alius locus vbi diabolus tentauit Dominum de gustu dicens: *Dic vt lapides isti panes fiant.* Sed ab isto loco ascendendo supra montem prædictam adhuc difficilius iter ad montis summitatem, vbi nullus pinguis homo potest venire, & dicunt quidam quod ad summitatem illius montis Quarentanæ diabolus Dominum de Ierusalem assumpsit, &

psit, & ibi eum tentauit de auaritia, dicens: *Hæc omnia tibi dabo si procidens adoraueris me*, Matthæi 4. Alij dicunt quod à torrente prædicto qui est sub isto monte ad duas leucas versus Galilæam, id est, versus Aquilonem, est mons altus & magnus qui etiam vocatur mons Abrahæ, quia ibi dicitur commoratus fuisse, in quo ferunt, Christum tentasse diabolum de auaritia.

A Quarentana iterum oportet ire ad Hiericho oblique medium miliare, & de loco illo vsque prope Hiericho sunt rubi & ligna parua viridia. Hiericho autem fuit ciuitas nobilis, hodie autem non meretur dici villa, habens paucas * gazas, vbi tamen est adhuc domus Zachæi, qui Dominum suscepit hospitio, descendens de sicomoro. Et est adhuc locus quadratus ad modum claustri, quamuis murus iam vetustate destruitur. De Hiericho fuit Raab meretrix, quæ recepit hospitio Iosuæ exploratores. De Hiericho fuerunt pueri qui illuserunt Helisæo Prophetæ, dicentes: *Ascende calue*, vt dicitur 4. Regum 2.

* *forte casas*

Vltra Hiericho versus Orientem ad duas leucas, id est, ad dimidium secundum miliare nostrum, est Iordanis fluuius, currens de sub Lybano vsque ad desertum Pharan, fere per centum miliaria Italica & plus, & hoc ab Aquilone versus Austrum, qui postea intrat mare mortuum, de quo non egreditur. Hic Iordanis est in latitudine ad instar Warthæ, & habet in vtroque latere campos latos planos & amœnos, & syluam ex vtroque latere, planities autem quæ est inter Iordanem & Hiericho, vocatur Galgala, & forte tota planities per duo miliaria distans à Iordane vsque Quaretaniam vocatur Galgala.

In Galgala longo tempore castrametati sunt filij Israel transito Iordane.

In Iordane baptizatus est Dominus à Ioanne, & ibi in vigilia Epiphaniæ nunc veniunt aliquot millia Christianorum diuersarum sectarum, & faciunt deuotiones suas, tota nocte lauantes se in Iordane. Similiter & fratres Minores ibidem celebrant diuina in altari portatili in rubeto iuxta Iordanem, vbi Dominus Iesus est baptizatus. Putatur tamen à nonnullis Dominus baptizatus in alia Bethania, quæ est vltra Iordanem, versus Arabiam.

Iuxta Iordanem ad quatuor stadia vel plus versus Ierusalem est murus antiquus quasi claustrum paruum, vbi est Capella in honore S. Ioannis, in loco vbi mansit illo tempore quo Dominum baptizauit.

Distat igitur Iordanis à Ierusalem per sex miliaria nostra grandia, ex quibus quatuor miliaria à Ierusalem saxosa montosa per

totum, vsque ad locum illuminationis cæci. Deinde ab illuminatione cæci, planities pulchra, habens de latitudine duo miliaria ad Iordanem, & in longum plus.

A Iordane vbi baptizatus est Christus contra Austrum, est mare mortuum: Et habet istud mare videlicet ab Aquilone in Austrum, in longitudine DC. stadia, vel quinque dietas, in latitudine vero habet quinque leucas, id est quatuor miliaria forte nostra, vel CV stadia, sed tamen apparet paruum. Et distat istud mare à Hiericho ad duo miliaria nostra vel minus modico. Et inter Hiericho & mare mortuum est claustrum S. Hieronymi in vasta solitudine, cuius claustri adhuc stant parietes & testudines, iam conuellitur & labitur. Illud mare dicitur mortuum, quia non decurrit, sed est velut lacus, & eius aqua est amara. Et scribunt multi in chartellis suis, quod esset aqua fœtida, & propter eius amaritudinem terra adiacens littoribus nihil viride profert: Sed ego ibi lauans pedes, vidique lauare Mauros exutos & Græcos, nihil expertus sum de fœtore aquæ, imo vidi ibi in littore virentia gramina vulgariter Loza, vbi possent animalia pabulari, & non alias vidi in terra sancta talem pastum pro iumentis. Istud mare mortuum est in loco, in quo quinque ciuitates pulcherrimæ, scilicet Sodoma, Gomorra, Seboym, Bale, & Adama, igne sunt combustæ, & disterminant fines terræ promissionis & Arabiæ.

In littore Orientali maris mortui sita est Segor in parte Arabiæ, vbi est statua salis in quam conuersa est vxor Loth, ad quam videndam periculosus est accessus propter Madianitas ibidem commorantes, qui nemini parcunt, sæpe vt fertur id mare tantum crescit ex tumefactione, quod cooperitur tota statua, & non videtur, aliquando tamen decrescit, quod videtur ad pectus & genua. Est in loco amæno inter Segor & mare mortuum.

Ab isto mari versus Orientem, & de Segor ad medium miliare, est ascensus montis Engaddi, iuxta mare mortuum, & dicunt ibi esse arbores pulcherrimas, sed fructus earum quando discerpuntur intus fauillam & cineres habere inueniuntur.

Arabia est vltra mare mortuum versus Orientem aliquando arcualiter declinans ad Austrum à Ierusalem, & est terra hodie inculta, lata & deserta, rara in domibus, sed in tentoriis homines solent manere, vbi morantur crudeles homines, bellicosi, dicti Arabes, abominantes artem balistariorum, cuspidibus aut hastis & gladiis tantum vtentes, qui velut latrones solent obsidere stratas, & spoliare, non modo

Chri-

Christianis, sed & ipsis Sarracenis infesti sæpe etiam ipsi Soldano molesti.

In Arabia est vallis Moysi, in qua bis percussit silicem, & duos aquæ riuulos fecit, de quibus nunc tota terra irrigatur.

In Arabia est mons Abarym, in quo Dominus Moysen sepeliuit, eius nusquam apparente tumulo.

In Arabia est locus qui quondam dicebatur petra deserti, & est mons excelsus iuxta ciuitatem Rabat.

Arabia nuncupatur desertum filiorum Israël, vbi detinuit eos Dominus annis XL. pluens manna.

In Arabia est mons Synai, in cuius summitate est locus, vbi Dominus dedit duas tabulas Moysi, & mandata seu decalogum, & ibi sepultus fuit Aaron.

In medio montis Synai est locus vbi Helias Propheta fecit pœnitentiam.

In monte Synai prope locum dationis legis, retro Ecclesiam Saluatoris, est locus vbi Moyses orabat, quando Deus vocauit eum & dixit: *Moyses, Moyses, veni & mittam te ad Pharaonem.* *Exodi 3.*

Iuxta hunc montem Synai est alius mons altissimus ad quem Angeli portauerunt corpus beatæ Catharinæ de Alexandria, & ibi sepelierunt, & stetit ibi per CCC. annos custoditum ab Angelis: hodie est translatum sub monte, vbi est Monasterium S. Basilij, & ibi manent Monachi Græci tenentes sectam Græcorum. Ibi est Ecclesia sanctæ Mariæ de rubo, & est ibi plenaria indulgentia.

In monte Synai est petra Oreb, vbi emanauerunt aquæ largissimæ, quando Moyses ad præceptum Domini percussit virga bis silicem. Item ibi prope ad vnam dietam est mare rubrum, vbi filij Israël transierunt sicco pede. Item est ibi fons Moysi, qui vocatur ad aquas contradictionis. Item ibi prope est locus, vbi filij Israël castrametati sunt, vbi erant duodecim fontes aquarum, & LXX. palmæ.

Coenaculum Domini.

Dicto de locis remotis à Ierusalem secundum quatuor plagas mundi: Nunc videamus de locis propinquis ipsi Hierusalem. Et primo de cœnaculo.

Cœnaculum illud in quo Dominus Iesus cœnauit in die Iouis, illud idem remanet, quod tempore passionis Christi fuit intra ciuita-

tem inclusum. Hodie ad vnum magnum stadium vulgare est exclusum versus Austrum seu Bethleem à Ierusalem, & quasi in eminentiori loco montis Syon situm, ibi est locus fratrum Minorum de Obseruantia amoenissimus, & istud coenaculum habetur pro Ecclesia, vbi singulis diebus faciunt diuina Monachi, cantantes tum alta voce Missam, Vesperas & Completorium; tamen nota sine campanis, sed semper clausi prae metu Sarracenorum. Istud coenaculum fuit & est grande stratum in pauimento, & est quadratum, habens ab Occidente in Orientem de longitudine XX. passus pedum, de latitudine vero habet XIII. passus. In medio coenaculi est chorus fratrum cum stallis, & in medio eiusdem sunt duae columnae marmoreae sustentantes testudinem coenaculi quamuis aliae columnae sint immixtae parietibus. Iuxta parietem Orientalem in medio est Altare, in loco vbi Dominus Iesus in die Iouis coenauit cum discipulis suis, faciens Pascha. Et mensa Altaris istius est lapidea ad instar mensae, in qua coenauit Christus. Sub mensa Altaris ostenditur locus characterizatus pulcherrimis picturis, vbi Dominus Iesus faciens coenam pedibus sacratissimis sedit, & est ibi plenaria indulgentia. Mensa autem illa in qua coenauit Dominus, asportata est ad Romam per Helenam, & est hodie ad sanctum Ioannem de Laterano. Altare autem illud stat supra pauimentum coenaculi tribus gradibus, sicut est consuetum Altaria habere.

Descendendo ad latus praedicti Altaris versus meridiem in angulo est aliud Altare paruum, vbi Dominus lauit pedes discipulorum. Et istud Altare paruum distat ab Altari magno quatuor passus pedum, & ibi etiam est plenaria indulgentia.

Sub isto coenaculo directe est Capella cum testudine S. Francisci.

In hoc coenaculo est triplex ostium, vnum ad extra versus Occidentem, & istud fere nunc semper clauditur, forte propter metū Maurorum: aliud versus Austrum, ad ambitum fratrum amoenissimum, quod est sub dio iuxta praedictum coenaculum, & sub illo ambitu est refectorium. Tertium ostium est inferius de coenaculo subtus ad praedictam Capellam S. Francisci, vbi etiam est dormitorium peregrinorum.

Secundum coenaculum minus est iuxta Altare maius, scilicet coenationis, seu penes parietem Orientalem grandis coenaculi, solum distans per parietem, cuius coenaculi pauimentum est XIII. gradibus superius, quam pauimentum coenaculi grandis. Ad istud coenaculum itur per ambitum illum qui est iuxta coenaculum grande, & ibi sunt gradus lapidei XIII. Istud est coenaculum in quo Spiritus sanctus missus est

sus est super Apostolos, vbi fuerunt CXX. personæ cum B. Virgine. Istud cœnaculum missionis sancti Spiritus est hodie præclusum, ita quod non patet aditus alicui, & hoc subordinatione perfidorum Iudæorum. Nam sub isto cœnaculo est sepulchrum Dauid & Salomonis & aliorum Regum Iudæorum. Et quia videbatur iniuria Iudæis, quod Christiani venientes ad locum cœnaculi, vbi S. Spiritus Apostolis missus est, calcarent super sepulchrum prædictorum Regum, muneribus obtinuerunt apud Soldanum, ne permitteret Christianis amplius calcare prædictum locum. Ideo Soldanus iussit præcludi fratribus illum locum prædicti cœnaculi, ne deinceps fiat irreuerentia prædictis Regibus sepultis. Veruntamen ex quo cœnaculum grande non habet tectũ supra testudinem, sed solam testudinem planissimam, de quo videtur illud cœnaculum S. Spiritus, quod nõ habet testudinem, sed sub dio, ad quod potest fieri descensus de testudine cœnaculi grandis, per scalam: Antequam præclusus fuit locus, fratres faciebant ibi suas deuotiones, & Missas celebrabant, & peregrini, hodie non possunt, nisi forte per descensum nocte possent facere. Est tamen ibi plena indulgentia.

Subtus istud cœnaculum est modo sepulchrum prædictum, sicut dictum est, & etiam sacristia fratrum. Et iuxta parietem sacristię est Capella paruula, vbi Dominus Iesus apparuit discipulis suis in die resurrectionis suæ Thoma absente, & ibidem apparuit in octauis resurrectionis Thoma præsente, vbi se tunc claudebant discipuli propter metum Iudæorum, & est ibi plenaria indulgentia, ibique iuxta est fons Dauid, de quo etiam biberunt discipuli cum Christo in cœna Domini.

Circa istud cœnaculum vtrumque est plana terra, vbi est sepultura omnium sectarum Christianarum, iuxta cœnaculum, in quo loco, forte ad XXX. passus pedum à cœnaculo, est locus vbi beatissima Virgo est mortua, & ibi est plenaria indulgentia. Iuxta demonstratur alius locus, vbi iacuit in feretro. Iuxta est locus vbi B. Ioannes legebat Missam coram beata Virgine post ascensionem Christi: Et hic locus Missæ est iuxta domum Cayphæ.

Sub cœnaculo Domini beatissima virgo Maria mansit post ascensionem filij vsque ad mortem, vbi habuit habitationem à parte Occidentali cœnaculi.

Sub cœnaculo à parte Aquilonari sunt duo lapides, vnus in loco vbi Christus stetit quando matri suæ dilectæ prædicauit, alius vbi beata mater sedebat audiens sermonem filij sui.

Sub cœnaculo à parte Orientali est locus, vbi fuit assus agnus Pascha-

Paſchalis in coquina, ibi eſt ſepulchrum ſancti Stephani, quando corpus fuit translatum de Teſſarga mala, hodie Romam translatum.

Non remote à loco mortis beatæ virginis Mariæ eſt locus, vbi fuit Matthias electus in Apoſtolum, ibique prope Iacobus minor fuit electus in Epiſcopum.

CAYPHAS.

A cœnaculo Domini grandi verſus Aquilonem per aliquot paſſus, quaſi minus quam medium ſtadium, eſt domus Cayphæ, vbi modo ſunt Armeni. Ibi in medio atrio oſtenditur locus & hortulus paruus, in loco in quo Petrus negauit Chriſtum. In palatio autem ſuperius ſtetit Chriſtus ligatus ante Caypham. Inferius eſt locus, vbi fuit Chriſtus poſitus in carcerem nocte illa, iuxta quem eſt Capella & Altare, in quo eſt lapis magnus & latus, quo Ioſeph ſepulchrum Chriſti clauſerat, & quamuis de hoc lapide multum Chriſtiani detraxerint, tamen adhuc poteſt dici magnus, nam in longitudine habet X. palmos, de latitudine ſex palmos, de ſpiſſitudine duos palmos.

A domo Cayphæ verſus ſepulchrum Chriſti ad tria ſtadia eſt Eccleſia ſatis pulchra ſancti Iacobi maioris in loco vbi fuit occiſus.

ANNAS.

A domo Cayphæ verſus Aquilonem aliqualiter verſus Orientem ad CXX. paſſus, id eſt, ad vnum magnum ſtadium, eſt domus Annæ, vbi primo eſt arbor oliuæ antiqua circa quam Dominus Ieſus adductus eſt ligatus primum tamdiu, quouſque Annas de ſomno ſurgeret. In curia autem Annæ eſt Capella, in qua locus oſtenditur, vbi ſtetit Dominus Ieſus ligatus & alapizatus coram Anna. Et ibidem circa eandem Capellam eſt Altare, vbi Petrus introductus voce ancillæ perculſus negauit Chriſtum primum. Iſta tria loca, ſcilicet cœnaculum, domus Annæ, & domus Cayphæ, quæ tempore paſſionis Chriſti fuerunt in ciuitate incluſa, hodie ſunt extra ciuitatem. Dicitur enim quod poſt mortem Salomonis Sacerdotes ſeniores obtinuerũt locum illum qui eſt in eminentiori parte montis Syon, tamen hoc non probatur. Et dicunt quidam quod cœnaculum in quo Dominus cœnauit, fuit vnius doctoris Nicodemi, qui dicitur princeps Iudæorum, qui & miniſtraſſe dicitur agnum Paſchalẽ Chriſto, de quo Chriſtus dixit diſcipulis: *Ite in ciuitatem ad quendam.* *Matth. 26.*

A cœnaculo ad torrentem verſus Orientem occurrit primo locus ad

cus ad vnum ſtadium vel plus, locus vacuus, vbi Iudæi volebant corpus beatę Virginis poſt mortem proiicere de feretro, quando Apoſtoli deferebant ad ſepulchrum ad vallem Ioſaphat, & ibi eſt indulgentia ſeptennis.

Poſt hoc in recta via verſus torrentem eſt locus qui vocatur Gallicantus, vbi Petrus pœnitentia ductus defleuit negationem ſuam, & ibi fuit ædificata Eccleſia, hodie nihil apparet niſi pars fundamenti illius Eccleſiæ.

Vltra à Gallicantu procedendo per deſcenſum iuxta murum ciuitatis ad tria ſtadia, habetur plenaria indulgentia, recte ex oppoſito Eccleſiæ grandis quæ eſt in ciuitate iuxta murum, in qua beatiſſima Virgo triennis fuit præſentata, & manſit ad XIV. annum, & ibi intrare non poſſunt Chriſtiani, ſed ex oppoſito illius Eccleſiæ ante ciuitatem habent indulgentiam, vt dictum eſt. Affirmant Sarraceni, quod ſingulis noctibus in eadem Eccleſia ardent tria millia lampadum.

Vltra iſtum locum vadendo iuxta ciuitatem ad vnum ſtadium, eſt indulgentia pleniſſima ex oppoſito templi Salomonis, quod eſt in ciuitate etiam iuxta murum. Et eſt hodie multo minus quam Eccleſia ſanctæ Mariæ præſentationis. Circa quam Eccleſiam Salomonis eſt cœmiterium planiſſimum, latiſſimum, pulcherrimis ſtratum quadratis lapidibus, & ibi arbores oliuarum.

Ab iſto loco qui eſt ex oppoſito prædicti templi Salomonis deſcendendo ſubito de monte ad vnum ſtadium, eſt torrens Cedron in valle Ioſaphat, vbi Chriſtus quando ducebatur de horto captus, dicitur impulſu inimicorum *, vbi eſt modo pons ex teſtudine lapidum, per quem ibant miniſtri Iudæorum, Chriſtum benedictum in aquam præcipitantes, & quamuis in Ieruſalem vel terra ſancta nunquam pluit in æſtate, tamen in hyeme pluit in abundantia. Et ille torrens non poteſt aquam retinere, quia per deſcenſum vadit, tamen quando pluit, abundat aqua, & tunc creditur aqua fuiſſe in torrente, iuxta Prophetiam Dauid: *De torrente in via bibit.* Ibi in illo ponte quando vnus dicit *Pater noſter*, habet plenariam indulgentiam.

* *deeſt, deiectus, vel aliquid ſimile.*

Pſal. 109.

Ex oppoſito illius ponticuli eſt ſepultura Ioſaphat. Alij opinantur quod illud non eſt ſepulchrum Ioſaphat, ſed Abſolonis.

Adhuc ex oppoſito illius pontis iuxta ſepulchrum Ioſaphat oſtenditur cauerna in lapide, vbi Iacobus tempore captionis Chriſti ſe impreſſit & latitauit vſque in reſurrectionem Domini, qui & deuotauit ibi.

Matth. 26.

Ibidem.

[illegible]b isto loco scilicet pontis, Christus transiuit declinando ad A[illegible]em iuxta torrentem ad CLXXX. passus vsque ad hortum, & in [illegible]illa Gethsemani aliquot gazas habens: Et ibi reliquit octo di[illegible]os, vt orarent, dicens eis: *Sedete hic donec vadam.* A Gethsemani assumpto Petro & filiis Zebedei vadens versus A[illegible]quilonem per hortum ad CXX. passus, aliqualiter tamen decli[illegible]o versus Orientem, venit ad lapidem magnum valde album, & ibi [illegible]dit tristitiam suæ humanitatis, dicens: *Tristis est anima mea vsque* [illegible]*ortem.* Et circa lapidem illum relictis illis tribus vadit versus A[illegible]ilonem de monte aliqualiter ad iactum lapidis parui fortissimi iu[illegible]nis, qui esset de manu agili, & intrauit in rupem cauatam in lapide [illegible]agno, quasi cellario lato, ibi orauit, & sudans sanguinem, & in eo[illegible]em loco ter orauit. Et est locus deuotissimus, temperatus nec cali[illegible]us nec frigidus. In medio est columna grossa sustentans testudinem [illegible]lius lapidis: Estque ibi Altare, in quo fratres Minores canunt passio[illegible]em singulis annis magna sexta feria. Ante Altare Dominus IESVS [illegible]rocidit in faciem, & orauit, & tertio sanguinem sudauit. Supra illud Altare est extensus lapis de pariete: In quo dicitur Angelus Michaël [illegible]stetisse confortans Christum sudantem, & est ibi plenaria indulgentia.

Ab isto loco surgens Christus rediit ad Apostolos illos tres pri[illegible]mum versus Austrum, vbi est lapis magnus, de quo dictum est.

Ab isto loco excitationis Apostolorum ad XX. passus pedum ali[illegible]qualiter descendendo versus Austrum, pius Dominus captus est cru[illegible]deliter, & à Iuda osculatus. Ibique ad X. passus pedum, vt credo, fuit lapis positus pro charactere, vbi Petrus abscidit auriculam seruo Prin[illegible]cipis, adhuc illum lapidem vidi quando in terram sanctam veni anno Domini M. DVII. versus finem anni prædicti, & postquam recessi de Ierusalem anno Domini M. DVIII. versus finem anni, lapis effossus il[illegible]le & absconditus à Sarracenis, extra proiectus demonstratur.

Omnia ista loca sunt in horto, incipiens à Gethsemani, quæ est iuxta vallem Iosaphat, prædium aliquod fuit aliquot * gazas habens, iuxta ciuitatem, distans ab ea per duo stadia, valle & torrente media[illegible]te. Et hic hortus est in pede montis Oliueti.

*forte casas.

FONS ROGE[illegible]

EST ad dexteram partem viæ, qua i[illegible] [illegible]sus Bethaniam, qui fons h[illegible] beata Virgo lauabat pan[illegible]

Versus Bethaniam ascendendo de valle est domus Iudæ proditoris, cuius adhuc testudo apparet, & vltra domum versus Bethaniam eundo, iuxta viam suspensus fuit, & crepuit medius. Et illius arboris in qua suspensus est adhuc truncus altus est ad statuam hominis.

A fonte Rogel ad natatoria Syloë sunt puto tria stadia, in quam aqua prædicti fontis per subterraneos meatus defluit. De natatoria Syloë Sarraceni mittunt aquam per rimas & fossatas ad hortos ipsorum ad irriganda olera.

A natatoria Syloë remote distat arbor in loco vbi fuit serratus Isaias Propheta.

Vltra natatoria Syloë vltra vallem sunt cauernæ Apostolorum, in quibus latitabant tempore passionis, & ibi prope est ager Acheldemach, sepultura peregrinorum antiqua, hodie non est, sed alibi.

Hiervsalem Sancta.

Civitas sancta Hierusalem est sita in monte alto sacratissimo Syon, & vadit per descensum montis aliqualiter à cœnaculo meridionali, quæ nec paruitate est angusta, nec magnitudine cuiquam fastidiosa, à muro Australi vsque ad murum Aquilonarem distans longitudine quantum quis de arcu quater dirigeret sagittam. Est tamen puto longitudine & amplitudine protensa ad instar Cracouiæ, & distat ab Accon siue Ptolemaida quæ est in prouincia Phœnicis, triginta sex leucis, puto XXX. miliaribus nostris. A Ioppen distat decem miliaribus nostris.

Ab Oriente intrando Ierusalem fuerunt antiquitus diuersæ portæ, ex quibus vna notabilis de monte Oliueti ad templum Salomonis, videlicet porta Aurea, per quam Dominus intrauit in die ramis Palmarum cum solemnitate, ad quam fuit pons testudinatus per vallem: Hęc porta Aurea est hodie clausa, imo inclusa in muro, ad quam ab extra Ierusalem non est facilis aggressus Christianis propter Mauros, quia ibi est sepultura peregrinorum, nocte tamen fratres solent accedere & tangere. Vna tamen porta ab Oriente est aperta, quæ vocatur Cedar, vel porta Vallis, vel porta S. Stephani.

Intrando igitur ciuitatem ab Oriente per istam portam ad sinistram partem, statim est fossata profundissima, lata & quadrata, circundata muro vndiq; in qua modo non est aqua. Hanc fossatam quidam ferunt probaticā piscinam, vbi quondam per paruū motum illius aquę

quæ fuit ibi in copia, ad descensum Angeli, sanabatur infirmus qui primus in aquam impositus fuerat, vt habetur Ioan. 5.

Vltra illam piscinam probaticam & iuxta cœmiterium Salomonis, elegantissimum & spatiosissimum, ibi est templum Salomonis, hodie non magnum, sed rotundum. Sub illo cœmiterio in terra est stabulum amplissimum Salomonis.

A parte Occidentali ad templum eundo est platea lata habens testudinem desuper, per quam itur ad templum, & vocatur porta speciosa, vbi Petrus & Ioannes ascendentes in templum viderũt claudum mendicum, & dixit ei Petrus: *Aurum & argentum non est mihi, quod habeo hoc tibi do*, & illuminauit eum. Ad templum autem Salomonis, imò nec ad cœmiterium Christianorum, nullus audet accedere alius, aut negare debent fidem & circumcidi aut occidi, aut si habet pecuniam posset se redimere.

Act. 3.

A prædicta autem porta vallis intrando ciuitatem ad dexteram habetur Ecclesia satis pulchra sanctæ Annæ matris Domini, in illo loco vbi fuit domus Ioachim & Annæ, & ibi creditur beatissima virgo concepta. Et subtus hanc Ecclesiam est locus quasi Capella, vbi fertur beatissima virgo nata. In descensu autem huius Ecclesiæ per viginti duos gradus monstratur tumba saxea B. Ioachim & Annæ, vbi adhuc ipsorum ossa ab aliquibus putantur quiescere, sublato inde per Helenam corpore sanctæ Annæ, quod transtulit in Constantinopolim, tamen in Cypro in monte alto, vbi est Ecclesia Monachorum sancti Benedicti deserta, monstratur brachium sanctæ Annæ, & crux dextri latronis.

Non remote ab hac Ecclesia sanctæ Annæ versus domum Pilati habetur alia piscina grandis, quæ dicebatur piscina interiorum, hanc fecit Ezechias, & habet modo aquas. Ad hanc piscinam quæ est iuxta templum Salomonis, currunt aquæ de stagnis Salomonis, quæ sunt vltra Bethleem medium miliare, & fluunt per occultos meatus, quæ prius in illam piscinam, quæ est iuxta templum Salomonis: hanc etiam quidam probaticam putant piscinam.

Habendo respectum ad Dominicam passionem, videbimus primum ductum à Caypha ad domum Pilati, & est distantia ad nouem stadia, id est quantum distat à sancto Bernhardino Cracouiæ vsque ad Ecclesiam sancti Spiritus, tantum distat domus Pilati à domo Cayphæ.

DOMVS

Domvs Pilati.

EST quasi in medio ciuitatis, declinando tamen ad partem Aquilonarem versus murum. Ita domus Pilati non habuit magnum spatium per aëra. In domo Pilati est Capella in loco illo in quo Dominus Iesus est flagellatus, sed tamen ille locus flagellationis à Sarracenis possessus deturpatur, quia de illa Capella fecerunt stabulum iumentorum, nec permittunt ibi aliquem hominem Christianum intrare, nisi pro quæstu, & est ibi plena indulgentia.

Herodis Domvs.

A domo Pilati versus Aquilonem ad medium stadium est domus Herodis quasi castrum, in quo in eminentiori loco ascendendo gradatim, ibi Dominus fuit ductus de domo Pilati, & condonatus ab Herode veste alba & illusus, postea reductus ad Pilatum, & ibidem in atrio coram cohorte est coronatus, locus autem coronationis eius nescitur à Christianis.

In platea iuxta domum Pilati vocatur locus lythostrotos, & ibi Dominus est sententiatus à Pilato sedente pro tribunali. Ibique plateam transuersaliter* superius factus character de muro & arcualiter quasi valuæ. In quo muro quidam Guardianus cum suis fratribus Minorum obtinentes pretio magno licentiam ad Soldanum, infixerunt duos lapides magnos illi muro, vnum album in quo stetit Dominus iudicatus, alium in quo stetit aut sedit Pilatus iudicans.

* *Videtur aliquid deesse.*

Maria De Spasmo.

A domo Pilati descendendo ad medium stadium est locus vbi beatissima virgo videns filium suum oneratum ligno crucis, spasmauit cadens in terram. In illo loco fuit ædificata Ecclesia quæ vocatur S. Maria de spasmo, hodie nihil remanet de illa Ecclesia, nisi vnus paries, & est ibi plenaria indulgentia. Et iste locus est versus Occidentem de domo Pilati, versus locum Caluariæ.

Simon Angariatvs.

A domo Pilati vadendo versus Occidentem ad vnum stadium vulgare, ibi est platea transuersalis ab Aquilone in Meridiem. Et

quia Dominus crucem ferre non potuit, Simon Cyrenensis vadens per illam plateam transuersalem, est angariatus ad portandam crucem post IESVM.

MVLIERES FLENTES.

A loco angariationis Simonis versus Meridiem aliquantulum cum Iesu processerunt ad medium stadium, & ibi mulieres exspectabant Dominum flentes & compatientes, quas Dominus allocutus est dicens: *Filiæ Ierusalem nolite flere.*

Luc. 23.

VERONICÆ.

A loco allocutionis mulierum ibant iterum per plateam transuersalem, versus Occidentem, ad vnum maximum stadium est domus Veronicæ, quæ occurrit Christo baiulanti crucem, & deposito velo accessit ad Iesum, & detergere voluit sanguinem de facie: Et Dominus accepto linteamine eius suam faciem in eo infixit, ei porrexit pro munere.

CALVARIÆ.

A domo Pilati versus Occidentem distat locus Caluariæ ad quingentos passus, credo ad octo stadia vel circa, qui locus Caluariæ fuit tunc extra ciuitatem, prope tamen ciuitatem, nisi per fossatam distans, iuxta quam fossatam fuit monticulus oblongus totus petrosus, altus à terra sedecim gradibus. Et postquam Dominus Iesus adductus fuit sub Caluariæ dictum monticulum, respiciens supra locum vbi crucifigi debuit, suspirans cecidit, & crucem deposuit amplius non assumpturus.

A loco Caluariæ versus Aquilonem est carcer Christi ad XX. passus credo, vbi inclusus fuit Dominus & custoditus donec crucem disponerent. Ante illum carcerem sunt duo foramina in pauimento lapideo, vbi Dominus eductus præ debilitate nimia cespitauit genibus cadens, & in illa casura sunt facta illa foramina, & in carcere est plenaria indulgentia.

In loco Caluariæ qui vt dixi sedecim gradibus eminet supra pauimentum terræ, Dominus Iesus Filius DEI est crucifixus, facietenus ad Occidentem, & ibi fuit foramen decauatum profundum ad vnum cubitum, rotundum tamen est & latum, circulariter ad vnum palmum, quod foramen est durissimum ad scindendum, sed tamen dulcissi-

dulcissimum ad amplexandum, fuit enim illo tempore sanguine Christi impletum stillante de latere dextro.

A latere dextro latro dexter pependit, distans sex palmis à Christo, sub manu tamen sinistra Christi pependit latro sinister, distans à Christo sedecim palmis vel circa, & inter Christum & latronem sinistrum facta est scissura magna in petra, in qua se possit homo macer abscondere, tamen multo longior quantitate hominis: Et hoc quando Dominus IESVS in cruce clamauit: In signum, quia illa maledicta anima sinistri latronis fuit scissa à Christo.

Mœstissima mater sub monte Caluariæ, iuxta tamen ad Austrum, aliqualiter declinans ad Occidentem, stetit sub cruce eiulans, respiciens à latere faciem Christi, & iuxta eam Ioannes stetit, ibi sunt hodie duæ Capellæ, vna vbi beata mater stetit, alia vbi Ioannes, sub monte, à se non remote distantes, penes parietem Australem Ecclesiæ sancti sepulchri.

In loco autem isto Caluariæ est hodie Capella pulcherrima, vbi aurum apparet in testudine per Helenam ædificata, quadrata, ad decem passus pedum credo lata & longa vel plus. In medio illius Capellæ est columna grossa quadrata, quæ diuidit Capellam. Partem Australem Caluariæ habent fratres Minores de Obseruantia, & partem Aquilonarem tenent Georgiani quidam Christiani, vnus tamen ibi manet ad foramen, cum illud sacrum tenent Georgiani.

Depositoque corpore Christi Ioseph cum Nicodemo descenderunt de monte, & descendentes statim sub monte vnxerunt Dominum, in quo loco pendent multæ lampades.

A loco Caluariæ versus Occidentem oblique tamen ad XL. passus, pedum vel circa, est sacrum sepulchrum Domini Iesu, vbi positus est benedictus Iesus, de quo infra.

A sepulchro Domini ad XV. passus versus Aquilonem est locus vbi Dominus Iesus post resurrectionem apparuit matri suæ. Et est ibi Capella, vbi fratres faciunt officium diuinum: Et est ibi plenaria indulgentia, & seruatur ibi columna flagellationis Domini. In medio Capellæ prædictæ & sancti sepulchri Domini sunt duo lapides rotundi albissimi, vnus in quo stetit Iesus, & alter in quo stetit Maria Magdalena, quando ei Christus Dominus apparuit post resurrectionem, egressus à matre.

ECCLE-

ECCLESIA SANCTI SEPVLCHRI Domini intra se, &c.

CONCLVSIT Caluariam & ſepulchrum Chriſti Eccleſia prædicta, ab Helena eſt ædificata, magna, habens multa diuerticula, improportionabilia tamen aliqualiter ad inſtar Eccleſiæ Cathedralis, vbi ſunt ambitus in circuitu Chori. Chorus prædictæ Eccleſiæ eſt oblongus, puta ad XL. paſſus pedum vel circa, latus ad XIV. quem tenent Græci.

Ad partem Orientalem Eccleſiæ deſcendendo de Eccleſia ſubtus terram triginta puto gradibus, eſt Capella ſanctæ Helenæ pulchra, habens tantum deſuper feneſtram.

A latere dictæ Capellæ Auſtrali ſubtus terram vndecim gradibus, eſt rupes vbi fuit poſt reſurrectionem Chriſti reconditum lignum ſanctæ crucis, poſtea ab Helena inuentum ibidem. Et in illo loco muri eſt odoris fragrantia, ſicut & ad ſepulchrum beatiſſimæ virginis Mariæ.

A parte ſiniſtra Capellæ S. Helenæ eſt parua Capella, vbi crucifixores diuiſerunt veſtimenta Chriſti, mittentes ſortem.

A parte dextra eſt alia Capella, in qua eſt lapis in quo Dominus innixus coronatus fuit.

Ad partem Auſtralem Chori eſt ſacratiſſimus locus Caluariæ, eminens ſupra à pauimento Eccleſiæ XVI. gradibus, & ſub loco Caluariæ eſt Capella, in qua Georgiani habitant.

A parte Aquilonari Chori eſt carcer Chriſti, vbi Dominus IESVS fuit poſitus, antequam crux adaptata fuiſſet, & eſt ibi plenaria indulgentia.

Corpus Eccleſiæ ſancti ſepulchri & eſt amplum ſatis & rotundum, & in medio Eccleſiæ eſt ſacrum illud ſepulchrum Chriſti, habens in circuitu multas columnas & groſſas orbiculariter æqualiter diſtantes à ſepulchro ad XIII. paſſus vt credo. Et hæ columnæ ſuſtentant turrem latam & altam quæ eminet ſupra ſepulchrum quaſi caminus, in cuius acumine eſt tantum feneſtra ſatis lata, quæ dat lucem non modo ad ſepulchrum Chriſti, ſed toti Eccleſiæ, nec alibi eſt alia feneſtra in Eccleſia illa, pluuia tamen vehementer in hyeme vadit per illam feneſtram in ſepulchrum Chriſti. Retro autem illas columnas prædictas ſunt habitacula diuerſarum nationum Chriſtianarum vſque ad parietem.

FINIS.

LECTO-

LECTORI.

ANNO *Domini M.DXCVII. editus est Duaci liber hoc titulo*; Iacobi de Vitriaco primùm Acconensis, deinde Tusculani Episcopi, & S.R.E. Cardinalis, Sedisque Apostolicæ in terra sancta, in Imperio, in Francia olim Legati, Libri duo: Quorum prior Orientalis siue Hierosolymitanæ; Alter Occidentalis historiæ nomine inscribitur. Omnia nunc primùm studio & opera Domini Francisci Moschi Niuigellatis Iurisconsulti, & Armamētariorum curionis, è tenebris & situ in lucem edita. *Reperimus & nos eandem historiam in codice quodam manuscripto: sed præfatione auctiorem, quam hoc loco euulgare placuit, ne suo quasi vestibulo historia Vitriaci lectu certè perquam digna careat. Ex qua præfatione illud etiam intelliges, Vitriacum non tantum duos, sed tres libros huiuscemodi historiæ conscripsisse. Et cum in secundo res Occidentalis Ecclesiæ litteris commendasset, in tertio*

Eee rur-

rursus in Orientem migrasse. Tametsi in editione Moschi, vt & in codice nostro manuscripto, tertius hic liber non comparet. Vtinam ex tenebris erueretur, fieret id, opinor, non sine Ecclesiasticæ historiæ studiosorum emolumento. Sed en ipsam Vitriaci præfationem.

PRÆFATIO

IACOBI VITRIACI IN HISTORIAM ORIENTALEM ET OCCIDENTALEM.

POSTQVAM diuinæ propitiationis munificentia exercitus Christiani longanimitatem & patientiam clementer respiciens, & eiusdem diuturnos miserata labores portas Ægyptiorum confregit, & Damiatam famosam Ægypti ciuitatem subdidit nomini Christiano, *super flumina Babylonis*, longo tempore *sedimus & fleuimus, dum recordaremur Syon*, non valentes pauci contra multos ad vlteriora procedere, nec audentes relinquere ciuitatem. Multi autem ex nostris his diebus marcentes otio & languentes tædio, experimento didicerunt, quoniam vere dictum sit: *Desidia occidit pigrum, noluerunt enim manus eius quidquam operari.* Et Propheta Hieremia: *Viderunt eam hostes & deriserunt sabbatha eius.* Ego vero considerans quam grauis sit iactura temporis amissi, secundùm consilium Sapientis dicentis: *Seruo maleuolo tortura, & compedes, mitte eum in operationem: Multas enim malitias docuit otiositas*: animum meum, tanquam seruum maleuolum,& ad vana & inutilia pronum, cuius *cogitationes* frequenter *dissipatæ sunt, torquentes cor meum*, meditatione diuinarum scripturarum studui coercere, & quasi compedibus assiduæ lectionis, ne incaute vagaretur astringere.

Cum igitur causa recreationis, & auiditate audiendi aliqua noua,& incognita mihi varios libros ex armariis Latinorum, Græcorum & Arabum reuoluerem, Regum Orientalium historiæ, prælia & gesta

casu in manus nostras deuenerunt. Quorum auctores curiosi cum maximo studio,& immenso labore prædictorum hominum laudes in anes inaniter attollendo, prælia, & triumphos, diuitias, potestatem & gloriam præteritam scripto diligentius commendantes, memoriale posteris reliquerunt. Cœpi igitur non modicum admirari, dolere, & contristari, & nostrorum negligentiam, & inertiam arguendo accusare, eò quod *filij huius sæculi prudentiores in generatione sua filiis lucis sint*, cum tanto studio & diligentia reproborum hominum pereuntia gesta describere procurarunt: Ex nostris autem diebus istis pauci, vel nulli inuenti sunt, qui Regis æterni prælia, & triumphos gloriosos, & mirabilia gesta describere, & scripto mandare studuissent, ad laudem & gloriam eius, qui solus & gloriosus est in sæcula; cum tamen, sicut dicitur in Tobia: *Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Domini reuelare & confiteri honorificum est.* Antiqui autem, & sancti Patres de talento sibi commisso timorem Domini semper ante oculos habentes, cũ omni diligentia & circumspectione mira Domini nostri IESV CHRISTI opera, tam quæ in propria persona ipse operari dignatus est, quam illa, quæ sanctorum suorum operatus est ministerio, ad eius laudem, & tam præsentium quam futurorum informationem scribere studuerunt. Sancti siquidem Euangelistæ propria CHRISTI opera, Lucas Actus Apostolorum, & alij viri religiosi actus tam Martyrum quam Confessorum; Hieronymus vitas Patrum Orientalium, Gregorius vitas Patrum Occidentalium, Eusebius * Alexandrinus historiam Ecclesiasticam, alij viri prudentes historiam tripartitam, & alia quæ in Ecclesia à principio acciderunt variis voluminibus conscripserunt. Modernorum autem ignauia fragmenta de mensa Domini cum Apostolis negligens colligere, fere penitus obmutescit; cum tamen in diebus nostris mira, & omni laude & memoria digna operatus sit Dominus, siue in Hispania contra Mauros, seu in Prouincia contra hæreticos, in Græcia contra schismaticos, in Syria & in Ægypto contra Agarenos, in remotis partibus Orientis, contra Persas, Assyrios, & Chaldæos, & Turcos.

* *Cæsariensis.*

Tanta igitur & tam admiranda Regis nostri prælia, & gloriosos de inimicis triumphos sub silentio abscondere non debeo, ne forte ingratitudinis arguar. Malo igitur cum muliere paupercula duo vel tria minuta in gazophylacio ponere, Domini eius laudem balbutiendo, quam ab eius præconiis obmutescendo cessare. Cum enim in constructione tabernaculi, quidam aurum, alij argentum, alij bis-

sum

sum retortam, pilos caprarum, & pelles arietum obtulerint, vnusquisque secundum propriam facultatem, confido in eo, qui magis pensat affectum, quam effectum; magis attendit ex quanto fiat, quam quantum fiat; quod si non quantum volo, sed quantum valeo in eius offero sacrificio, insufficientiæ meæ veniam sit daturus.

Pro tribus igitur minutis præsens opus tribus conclusi libellis: In primo libro historiam Hierosolymitanam breuiter perstringendo, de his, quæ in partibus Orientis Dominus operatus est disserui, describens diuersa inhabitantium genera: ciuitates etiam & alia loca, de quibus frequentius in diuinis scripturis mentionem fieri reperio, sicut mihi visum fuit expedire ad maiorem intelligentiam sacræ scripturæ: diuersas etiam rerum proprietates & naturas ad maiorem copiam prædicandi adiungendo.

In secundo libro modernam Occidentalium historiam sub compendio pertransiens, de his quæ Dominus in partibus Occidentis diebus istis nouissimis operatus est, & præcipue de diuersis tam regularium, quam sæculariũ Ordinibus pertractaui de Ordine & religione cruce signatorum, vtilitate peregrinationis in fine plenius edisserens.

In tertio libro ab Occidente in Orientem regrediens, de his quæ post generale Concilium Lateranense Dominus in populo suo, & in exercitu Christianorum vsque ad captionem Damiatæ operari dignatus est, sicut propriis oculis vidi, tractare cœpi. Concedat mihi Dominus, quod in recuperatione terræ sanctæ, & Sarracenorum conuersione vel destructione, & in recuperatione Orientalis Ecclesiæ libellum valeam consummare. Quantum autem præsens tractatus exemplo profit sub Christi vexillo militantibus, quantum valeat ad fidei confirmationem, & morũ informationem, ad confutationem infidelium, & confusionem impiorum, & ad laudem & imitationem bonorũ diligẽs lector manifeste poterit perpẽdere. Hactenus prẹfatio Vitriaci.

CÆTERVM cap. 94. fol. 226. v. 8. in margine notantur hæc: *Hic nonnulla videntur desiderari.* Et recte quidem hoc notatum est, quia hic lacuna erat, quæ explenda ex manuscripto nostro: *Paneadibus etiam ciuitatem nostris violenter auferens suæ subegit ditioni, Rege Hierosolymorum Almarico tunc absente, & circa partes Ægypti commorante. Ex tunc cœpit nostrorum deterior fieri conditio. Residuum tamen terram nostri defenderunt quousque regna Ægypti & Damasci sub diuersis Dominis permanserunt. Postquam vero peccatis exigentibus prædicta duo regna viribus duplicatis sub vno Domino.*

EDIDIMVS tomo IV. Antiquæ lectionis vitam sancti Solæ seu Soli ex codicibus calamo exaratis Rebdorfensi & Windbergensi. Eandem postea inuenimus in membranis Bibliothecæ sancti Galli, addito in fine hoc hymno magis pio, quam docto & metrico.

INCIPIT HYMNVS EIVSDEM (ERMENOLDI) ex ipsius hominis titulo exordium capiens.

FODRA MIRABILEM.

SPROMITE carmine cluit qui meritis vndique stantibus
Solum quem vocitant nomine typico
Plebs sacra sic Germanica.
Oris qui famine vndique colligit, fide corroborans
Christoque populos dans Clodis itiner, expulit,* (* claudis.)
Et tetros instanti ore Spiritus.
*Linguulas * iussurat statum in pristinum restitui* (* susserat.)
Prece, mutis & condolens, cæcis fert salubrem
Visum, qui cælitus est semper mitis omnibus.
Vita consimilis vixit Apostolis Martyrium ferens
Iuge qui in animo Christique virginum (* cælis.)
*Cohæres gaudet * Vranis.*

SANCTA VNA TRINITAS, ÆQVALISQVE DEITAS,
DISPONE FAMVLIS TIBI QVOD PLACET TVIS,
VT NVNC TE CANÈRE POSSIMVS PERENNITER,
QVI REGNAS IN PERPETVO AMEN.

FINIS.

rursus in Orientem migrasse. Tametsi in editione Moschi, vt & in codice nostro manuscripto, tertius hic liber non comparet. Vtinam ex tenebris erueretur, fieret id, opinor, non sine Ecclesiasticæ historiæ studiosorum emolumento. Sed en ipsam Vitriaci præfationem.

PRÆFATIO

IACOBI VITRIACI IN HISTORIAM ORIENTALEM ET OCCIDENTALEM.

POSTQVAM diuinæ propitiationis munificentia exercitus Christiani longanimitatem & patientiam clementer respiciens, & eiusdem diuturnos miserata labores portas Ægyptiorum confregit, & Damiatam famosam Ægypti ciuitatem subdidit nomini Christiano, *super flumina Babylonis*, longo tempore *sedimus & fleuimus, dum recordaremur Syon*, non valentes pauci contra multos ad vlteriora procedere, nec audentes relinquere ciuitatem. Multi autem ex nostris his diebus marcentes otio & languentes tædio, experimento didicerunt, quoniam vere dictum sit: *Desidia occidit pigrum, noluerunt enim manus eius quidquam operari*. Et Propheta Hieremia: *Viderunt eam hostes & deriserunt sabbatha eius*. Ego vero considerans quam grauis sit iactura temporis amissi, secundum consilium Sapientis dicentis: *Seruo maleuolo tortura, & compedes, mitte eum in operationem: Multas enim malitias docuit otiositas*: animum meum, tanquam seruum maleuolum, & ad vana & inutilia pronum, cuius *cogitationes* frequenter *dissipatæ sunt, torquentes cor meum*, meditatione diuinarum scripturarum studui coercere, & quasi compedibus assiduæ lectionis, ne incaute vagaretur astringere.

Cum igitur causa recreationis, & auiditate audiendi aliqua noua, & incognita mihi varios libros ex armariis Latinorum, Græcorum & Arabum reuoluerem, Regum Orientalium historiæ, prælia & gesta

casu in manus nostras deuenerunt. Quorum auctores curiosi cum maximo studio, & immenso labore prædictorum hominum laudes in anes inaniter attollendo, prælia, & triumphos, diuitias, potestatem & gloriam præteritam scripto diligentius commendantes, memoriale posteris reliquerunt. Cœpi igitur non modicum admirari, dolere, & contristari, & nostrorum negligentiam, & inertiam arguendo accusare, eò quod *filij huius sæculi prudentiores in generatione sua filiis lucis sint*, cum tanto studio & diligentia reproborum hominum pereuntia gesta describere procurarunt: Ex nostris autem diebus istis pauci, vel nulli inuenti sunt, qui Regis æterni prælia, & triumphos gloriosos, & mirabilia gesta describere, & scripto mandare studuissent, ad laudem & gloriam eius, qui solus & gloriosus est in sæcula: cum tamen, sicut dicitur in Tobia: *Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Domini reuelare & confiteri honorificum est.* Antiqui autem, & sancti Patres de talento sibi commisso timorem Domini semper ante oculos habentes, cũ omni diligentia & circumspectione mira Domini nostri IESV CHRISTI opera, tam quæ in propria persona ipse operari dignatus est, quam illa, quæ sanctorum suorum operatus est ministerio, ad eius laudem, & tam præsentium quam futurorum informationem scribere studuerunt. Sancti siquidem Euangelistæ propria CHRISTI opera, Lucas Actus Apostolorum, & alij viri religiosi actus tam Martyrum quam Confessorum; Hieronymus vitas Patrum Orientalium, Gregorius vitas Patrum Occidentalium, Eusebius * Alexandrinus historiam Ecclesiasticam, alij viri prudentes historiam tripartitam, & alia quæ in Ecclesia à principio acciderunt variis voluminibus conscripserunt. Modernorum autem ignauia fragmenta de mensa Domini cum Apostolis negligens colligere, fere penitus obmutescit; cum tamen in diebus nostris mira, & omni laude & memoria digna operatus sit Dominus, siue in Hispania contra Mauros, seu in Prouincia contra hæreticos, in Græcia contra schismaticos, in Syria & in Ægypto contra Agarenos, in remotis partibus Orientis, contra Persas, Assyrios, & Chaldæos, & Turcos.

* *Cæsariensis.*

Tanta igitur & tam admiranda Regis nostri prælia, & gloriosos de inimicis triumphos sub silentio abscondere non debeo, ne forte ingratitudinis arguar. Malo igitur cum muliere paupercula duo vel tria minuta in gazophylacio ponere, Domini eius laudem balbutiendo, quam ab eius præconiis obmutescendo cessare. Cum enim in constructione tabernaculi, quidam aurum, alij argentum, alij bys-

sum

sum retortam, pilos caprarum, & pelles arietum obtulerint, vnusquisque secundum propriam facultatem, confido in eo, qui magis pensat affectum, quam effectum; magis attendit ex quanto fiat, quam quantum fiat; quod si non quantum volo, sed quantum valeo in eius offero sacrificio, insufficientiæ meæ veniam sit daturus.

Pro tribus igitur minutis præsens opus tribus conclusi libellis: In primo libro historiam Hierosolymitanam breuiter perstringendo, de his, quæ in partibus Orientis Dominus operatus est disserui, describens diuersa inhabitantium genera: ciuitates etiam & alia loca, de quibus frequentius in diuinis scripturis mentionem fieri reperio, sicut mihi visum fuit expedire ad maiorem intelligentiam sacræ scripturæ: diuersas etiam rerum proprietates & naturas ad maiorem copiam prædicandi adiungendo.

In secundo libro modernam Occidentalium historiam sub compendio pertransiens, de his quæ Dominus in partibus Occidentis diebus istis nouissimis operatus est, & præcipue de diuersis tam regularium, quam sæculariũ Ordinibus pertractaui de Ordine & religione cruce signatorum, vtilitate peregrinationis in fine plenius edisserens.

In tertio libro ab Occidente in Orientem regrediens, de his quæ post generale Concilium Lateranense Dominus in populo suo, & in exercitu Christianorum vsque ad captionem Damiatæ operari dignatus est, sicut propriis oculis vidi, tractare cœpi. Concedat mihi Dominus, quod in recuperatione terræ sanctæ, & Sarracenorum conuersione vel destructione, & in recuperatione Orientalis Ecclesiæ libellum valeam consummare. Quantum autem præsens tractatus exemplo profit sub Christi vexillo militantibus, quantum valeat ad fidei confirmationem, & morũ informationem, ad confutationem infidelium, & confusionem impiorum, & ad laudem & imitationem bonorũ diligẽs lector manifeste poterit perpẽdere. Hactenus pręfatio Vitriaci.

CÆTERVM cap. 94. fol. 226. v. 8. in margine notantur hæc: *Hic nonnulla videntur desiderari.* Et recte quidem hoc notatum est, quia hic lacuna erat, quæ explenda ex manuscripto nostro: *Paneadibus etiam ciuitatem nostris violenter auferens suæ subegit ditioni, Rege Hierosolymorum Almarico tunc absente, & circa partes Ægypti commorante. Ex tunc cœpit nostrorum deterior fieri conditio. Residuum tamen terram nostri defenderunt quousque regna Ægypti & Damasci sub diuersis Dominis permanserunt. Postquam vero peccatis exigentibus prædicta duo regna viribus duplicatis sub vno Domino.*

EDIDIMVS tomo IV. Antiquæ lectionis vitam sancti Solæ seu Soli ex codicibus calamo exaratis Rebdorfensi & Windbergensi. Eandem postea inuenimus in membranis Bibliothecæ sancti Galli, addito in fine hoc hymno magis pio, quam docto & metrico.

INCIPIT HYMNVS EIVSDEM (ERMENOLDI) ex ipsius hominis titulo exordium capiens.

FODRA MIRABILEM.

SPROMITE *carmine cluit qui meritis vndique flantibus*
Solum quem vocitant nomine typico
Plebs sacra sic Germanica.
Oris qui famine vndique colligit, fide corroborans
Christoque populos dans * *Clodis itiner, expulit*
Et tetros instanti ore Spiritus.
Lingulas * *iussurat flatum in pristinum restitui*
Prece, mutis & condolens, cæcis fert salubrem
Visum, qui cælitus est semper mitis omnibus.
Vita consimilis vixit Apostolis Martyrium ferens
Iuge qui in animo Christique virginum
Cohæres gaudet * *Vranis.*

* *claudit.*
* *reserat.*
* *cœlis.*

SANCTA VNA TRINITAS, ÆQVALISQVE DEITAS,
DISPONE FAMVLIS TIBI QVOD PLACET TVIS,
VT NVNC TE CANERE POSSIMVS PERENNITER,
QVI REGNAS IN PERPETVO AMEN.

FINIS.